501-F



AQVILA
AVSTRIACA,
SVB QVA
IMPERATORES AVSTRIACI
Ab ALBERTO II. HONORIFICO vſquè ad FERDINANDVM III. & IV.
OCCIDENTIS IMPERATOREM L.
ELOGIIS, HIEROGLYPHICIS,
Numiſmatibus, Inſignibus, Symbolis, Imaginibus Antiquis ad viuum exhibentur exculpti, & longa hiſtoriarum ſerie exarati.

Vt nihil relictum ſit, quod priſci, vel hodierni habeant annales;

Sed Diplomata, Leges, Indulta, Genealogiæ, Donationes, Priuilegia offeruntur congeſta.

INSERVNTVR ET REGVM PRINCIPVMQVE

Imagines, Nummi Honorarij, Caſtrenſes, Triumphales, Votiui, Miſſiles, &c. qui ſanguine, fœdere, bello Imperatoribus iuncti, occurrunt in Opere.

Subijcitur cuique Cæſarum Appendix Symbolica, Sacrolegalis, & Hiſtoricopolitica, in qua Symbolis & hieroglyphicis, ære affabrè exculptis, pinguntur, & explanantur.

AVCTORE
JOANNE PALATIO
I.V.D. in Veneto Gymnaſio Profeſſore Publico, &c.

SVPERIORVM PERMISSV.

VENETIIS, M. DC. LXXIX.

Ex Typographia Andreæ Poleti.

SVMPTIBVS AVCTORIS.

Proſtant ſub Signo Fortunæ, & Nauis, aliorumque.

AVGVSTISSIMO

Romanorum Imperatori

LEOPOLDO

HVNGARIÆ BOHEMIÆQ; REGI

ARCHI-DVCI AVSTRIÆ &c.

TRIVMPHATORI INVICTISSIMO, PATRIÆ PATRI

Vita, Salus, & Victoria.

D. D. D. IO: PALATIVS.

SI ab Aquilone panditur omne malum, *ſic* venit ab Auſtro Deus; *inuictiſsime Cæſar. Aquila Orbem peruagata vniuerſum non habens, vbi reclinaret caput, quieuit in capite Auſtriæ, Iouem ſortita ſuum. Hic genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis; vt habitet in Domo Domini, vt habitat Dominus in Domo Auſtriæ. Iuncti fœdere ſempiterno fecit Auſtrios Deus Deos ſuos, qui in purpura & ſago gererent Sacerdotium. Rudolphi, Caroli, Maximiliani, Ferdinandi viuunt, & in æternum viuent non Caſtores, & Polluces Latij prophani, ſed vigiles, atque cuſtodes Hieruſalem Sanctæ. Tantorum Cæſarum (quibus non fuit Sacerdotium vſurpare ad firmamentum potentiæ, ſed venerari in religionis teſtimonium) tu* Leopolde *generoſa propago, nouam inſtrues Imperatorum phalangem, qui tuo diſcant a nomine etiam dormientes veluti* Leones *excubare ad tabernaculum fœderis. Sed cui alloquor? Cæſari vel Sacerdoti? anxium facit cura religionis in Rege pio. Legitimè imperes? hæreo: quòd Imperium Eccleſiæ ſurripuerit Imperatorem. Datus Deo, vnde veniſti ad homines? Ab Eccleſia ad regnum veluti Dominus de Cœlo deſcendens, vt dares gloriam Deo, hominibus pacem, regnum primò iniſti* Apoſtolicum, *vbi Euangelium doceres verbo, firmares exemplo. Nondum Cæſar hæreditatem etiam ſpreuiſti paternam, & quaſi ære alieno grauatam, nonniſi legis ſed Euangelicæ beneficio recepiſti. Veniens non pacem miſſurus, ſed in hæreticos gladium, primum fœdus percuſsiſti cum Deo, vt Deum populis reſtitueres, populos Deo. Inuita aula, inexorabilis arbiter regnum à ſeueritate exorſus, nihil te ignouiſſe agnoſco, quòd Deum perderet. Imo in fænore duxiſti, regnum etiam perdere, ne Deum perderes. Legi nouam adeundæ hæreditatis formulam, quam Regibus impoſuiſti ſeruandam,* Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. *Reſtituet oppidò, vel inter debitorum nomina Deum ipſum recenſe, vt* det

Deſtinatus Sacerdotio Leopoldus erat.

Regnum Hungariæ.

Verba Cæſaris dedignantis regnum, ſi nolit eſſe Catholicũ.

tibi

tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. *Plaudite vos Reges, reſonate Principes, quos viribus auitis etiam priuſquam Aquila fulciretur Romana, ſolio reſtituit, vt triumphator imperium adiret per mænia Daniæ, & Poloniæ priſtinis reſtituta Dominis, ſolo* Leopoldi *gladio*: Dextera Domini fecit virtutem. Dextera Domini exaltauit eum, *vt in Rabſacibus vndis Pharaonem demergeret cum curribus ſuis. Stetit vnda, Turcico furore grauida, & tantum intumuit, donec ferret in malacia naufragium. Demerſit tyrannus, etſi Othomannus: ſed Pax emerſit (quæ tribus iam luſtris Romanam illuſtrat plagam*. Sic militat Æther, & coniurati veniunt in claſſica venti; *cum Ius non furor arma miniſtrat. O dignam Cæſare vocem; (non melius loqueretur Deus, ſi ad homines loqueretur) cum Aquilam laxaturus in Gallos, armorum innocentiam non ad* Aquas *probaſti* Contradictionis, *ſed in ſanguine Chriſti, vt ream ageret Maieſtatem tuam, ſi ad libidinem imperij, gladio abutereris iuſtitiæ. Nouus Abraham nec filio parcens vnigenito, cum eius morbo tentatus lethali ad aram Chriſti obtuliſti, vt fieret voluntas Domini, deſignaſti* ſemen tuum ſicut ſtellas Cœli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum. *A Rudolpho I. ad Ferdinandum II. Aquila peruagata Zodiacum, nouam per Ferdinandum III. exorſa in Cœlo ſemitam, non deficiet, donec Orbem impleat & orbes. Cadet tandem & ipſa, ſed cum erit vnum ouile, & vnus paſtor. Siſtema hoc Cœli, miſerentis eſt quidem, ſed & currentis opus, quo manus Auſtriaca virtute, & conſilio dominabitur Aſtris. Tuos ne pigeat, Cæſar, audire labores; nam aduena & peregrinus non iniuria, nec beneficio cognitus iure poteſt dicere quæ ſentit, & ſentire quæ velit. Hoc vnum ſentio, te humiliter de tua Maieſtate ſentire, & ſolùm in Domino ſperare, vt te regnante,* ſit Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra Pax. *Accipe interim Proauum tuorum annales, quos ad pedes prouolutus humilis offero. Faſtos tuos Pax dabit Vniuerſi.*

Etiam priuſquam eligeretur Cæſar, Polono mittit auxilia.

victoria in Turcas.

Verba Cæſaris antequàm moueret in Gallos.

Filium morbo tentatum Deo offert.

MONARCHIÆ OCCIDENTALIS LIBER QVADRAGESIMVS PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

ALBERTVS II. HONORIFICVS

Ex Auſtriacis Quartus hoc in volumine Primus

OCCIDENTIS IMPERATOR XLI.

1. Reges cur amandi. 2. Regia maieſtas in quo conſiſtat? 3. Hieroglyphicum Alberti II. Imper. natalia. 4. Auſtriæ habenas ſuſcipit. 5. forma corporis. 6. Cæſar deſignatur ab anteceſſore. 7. Vxor Alberti. 8. vita breuis 9. Cæſar eligitur. 10. electus plangit. 11. Turcas vincit. 12. mors. 13. pro hoſtibus rogat.

1\. CVr amandi ſint Reges? apud Senecam *ep.73.* quæſtio eſt, quam ſoluere lemmate ſuo *Tullius* docuit, *Ideo Legibus ſeruimus; vt magis liberi viuere valeamus. De Legibus.* Idem in Regibus, & Principibus illis dicas: quibus multum nos debemus, quorum adminiſtratione, ac prouidentia pingue populo contigit otium.

O Melibæe Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus.
Ille meas errare boues (vt cernis) & ipſum
Ludere quo vellem, calamo permiſit agreſti.

Quanti æſtimemus hoc otium, quod inter Deos agitur, quod Deos facit, vnde Maieſtas Regi, & populo quies; inſpice *Alberti II.* hieroglyphicum, vbi in ſede reſidet Maieſtatis. Latera eius ſtipant Leones, fortitudinis ſymbolum; Tenet alter Iuſtitiæ gladium; legum Codicem alter: quia Imperatoria Maieſtas non minùs debet legibus armari, quàm armis decorari; *Vt vtrumque tempus & bellorum & pacis rectè poſſit gubernari, et Princeps Romanus nō ſolùm in hoſtilibus prælijs victor exiſtat, ſed etiā per legitimos tramites, calumniantiū iniquitates expellat; & fiat tā iuris religioſiſſimus, quàm victis hoſtibus triūphator magnificus.* (*Iuſtinianus in princ. Inſtiut.*) Stat itaq; ſubtùs *Alberti II.* Imperatoris pedes proſtrata Iniuria; nec longe ſecurè quieſcunt pueri, ſymbolum innocentiæ. Hæc eſt Regia Maieſtas. (*Regia Maieſtas in quo ſtet?*)

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

EN tibi regnantē, pede cui violentia preſſa eſt,
Cui duplici Inſons grex Tuta Leone iacet,
Credito Honorificum *pictę ſub imaginis vmbra,*
Albertum, *eximium, crede, latere Ducem.*
Boiorum hic regno inſignis, Diademate clarus
Hunniadum, ſceptroque inclytus Imperij,
Iuſtitiæ exemplar, Princeps, pietatis auitæ,
Viuaque prudentis regula mentis erat;
Dicere felicem vereor, tres namque coronnas
Annus huic vnus contulit, & rapuit.

Io: Franc. Franzinus S. Theol. D.

II.

SVſcipit Albertus *Regni Diadema,* Secūdus,
Atque Paludatus, ſpirat ab Ore, Decus.
Eſt vbi Maieſtas; Furor, & Violentia cedunt;
Aſpectuque graui, territat Arma, Duces.
Leges vngue gerit Leo; cur Leo ſtringit, & Ensē?
Iuris an Is Doctor? Miles an Ille fuit?
Eſt Leo Rex nemorū; Beluis dat Iura, Superbus;
Atque Rebellantes, Vltor, & Enſe, ferit.
Optimus hoc gemino pollet, nā Munere, Princeps;
Strenuus, ac Sapiens, Dux erit, Ore, Manu.
Aurea, quæ fuerant, redeunt ſic Secula; Gentem
Annuit Innocuam Lætus vterque Puer.
Legibus armatus Rex, Qui decoratus & Armis;
Poßet, ſi vellet, vincere in Aſtra, Iouem.

M. Anton. Molles S. Theol. D.

III.

OCcidit Albertus, *dum terno cingitur oſtro,*
Cernite vel regum quomodo vita fluat.
Stat dupplex Leo: fert alter decreta regentum,
Enſem alter: debent ſic ſacra iura coli.
Liuida ſquallet humi pedibus calcata Tyrannis,
Ducit vbi in gyrum turba tenella pedes.
Diſcite qui regitis, quos poſcat purpura mores,
Sit Princeps inſons: ſit pius: æqua colat.

I. B. P.



ALBERTVS II. HONORIFICVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XLI.

Sal. Ann. Hactenus homines natura genuit, nunc Deos
A trigeſima Olympiade ſurgit in Olympo Dieſpiter Auſtriæ III.
ALBERTVS II. HONORIFICVS. *Alberti II. natalia*
Nec poſt *Rudolphi* Fortunam *Primigeniam*, Fortuna *Reuertens*,
Minori poterat concipi ſæculo.
Alberti IV. Mirabilia Mundi filius,
Alberti III. Patriæ Patris nepos,
Alberti II. Sapientis pronepos,
Alberti I. Triumphatoris abnepos,
ALBERTVS prodit HONORIFICVS.
Suo *Non ex alieno* nomine docens,
Honores Auſtriacis non ex miraculis naſci.
Naſcuntur hìc Reges; alibi fiunt:
Creantur alij, hi generantur;
In naturam Familiæ conuerſo Miraculo.
1411 Sub tutela degens, IV.
Natura inuita, curam gerens prouinciarum *Auſtriæ habenas ſuſcipit cum duodennis eſſet.*
Pro annis canos habuit, non die, ſed virtute maturos.
Vt Anguſta ætate Auguſto corpore, V.
Minor excederet maiores. *Forma corporis.*
Canos non ob annos nactus, ſed cum natus,
Retrogradè viuens, vitæ gradus non agnouit,
Ingreſſus cum maieſtate in Orbem terrarum,
Exultauit vt gigas ad currendam viam,
Ab Auſtrio Cælo egreſſio eius.
Atlas cum Auſtriæ Orbem ſuſtuliſſet in humeris
Pacem ſubditis, ſubditos Auſtriæ, Auſtriam ſibi reſtituit.
Sublimi corpore ſublimior virtus
Diù abſcondi non potuit, Cæſarem habuit bucinatorem. VI.
1438 *Exijt edictum* à Sigiſmundo *Auguſto*, *Cæſar deſignatur ab anteceſſore.*
Vt ſub ALBERTO *deſcriberetur vniuerſus Orbis.*
Nec aliter Rempublicam fore beatam, ni imperaret ALBERTVS.
Eius gladio Cæſari reſtituta Bohemia,
Dignum Cæſare reportauit munus; filiam,
Filia Regna, Regna Imperium. VII. *Vxor Alberti.*
Aureo imbre tres illi coronas Minerua pluit, VIII.
(Plures forſam non habuit) *Vita breuis.*
Vt primus in Orbe ter vno coronaretur in anno.
Inter Germaniæ Principes Aquila diù vagata Romana,
Ita ad ALBERTVM venit, vt ſe Auſtriacam faceret;
Reciſis alis, ne recederet.
Eius ſi numeres annos? breui
Si pendas? vixit diù.
Biennij anguſtijs æquauit decadas,
Subacti Sarmatæ, & Thaboritæ, IX.
Fecere ſemitam ad metam gloriæ. *Cæſar eligitur.*

Sal. Ann.

Septemviri rogari ſoliti, ALBERTVM rogarunt
Faſces ſuſcipere; Hungari verò deſpicere,
Zelotypi ne Regem amitterent, ſi Cæſarem admitterent
Annuit ALBERTVS Septemviris,
Imperare voluit ſed ſibi; imperium renuendo.
X. *Electus plangit.* Aiebat, *metuo maiora meritis poſſidere,*
Et in caſtris non audire choros.
Dignus Principe metus,
Ne inter Deos omitte Deum.
Populi plauſum excepit planctu;
Fœlix ſeruitus, vbi dominum lacrymatur pro ſeruo
Quàm pius fuerit? reſpice lacrymantem
Quàm fortis
XI. *Turcas vincit.* *Amurathem* ſolo terrore nominis expulit
In Pannoniam venit, vidit, Turcarum Rex
ALBERTVS vicit.
Fortunæ ille diffideret, vel cauſæ,
Maluit terga dare, quàm pectus.
XII. *Mors.* Mors tamen & Mars agnata nomina
Reducem extinxit in ſinu victoriæ. 1439
Nulla arbor faciliùs inſeritur lauro, quàm cupreſſus.
Diù tamen viuunt, qui Deo viuunt,
Et in ſæculum explicatur Olympias, ſi prò Olympo.
XIII. *Pro hoſtibus rogat.* Cecidit, & ſimul cæcinit,
Pro hoſtibus rogando.
Nec alia quàm Chriſti poterat obire morte,
Qui Chriſti vitam ſubijt.
Par ſibi non habens in mundo regnum,
Meliorem quæſiuit in Cœlo Vitam, & vittam.
Fœnix dum moritur, oritur,
Dum perit, parit, trahitque ex funere fœnus.

Monetam Alberti II. Imperat. & Symbola,
vide pag. ſeq.

CATE-


DVLCE · ET · AMARVM ·
MEDITARE ·
LIBER REGVM
SPETIES · PR
AB · HVMERO · ET · SVRSVM
FIDE · ET · COSTANTIA ·
INTER · INSIDIAS · FIDELIS ·
QVIES
ARRVIT
ELISABETH · REGINA · POLONIÆ ·
SED IT.
LADISLAVS · REX · HVNGAR ·
CANDIDA · CANDIDIS ·
LATET ALTIVS ·

CATENA HISTORICA.

CAPVT SECVNDVM.

1. *Alberti II. Imper. natalia.* 2. *cur* Monachus *dictus, &* Honorificus. 9. *educatio, indoles.* 10. *ſtatura.* 11. *vxor liberi.* 13. *coronatur Rex Hungar.* 15. *Rex Bohemiæ coronatur.* 17. *Barbaram Imperatricem ſoluit.* 18. *Cæſar eligitur.* 19. *eodem anno ter coronatus.* 20. *ab Hungaris impeditur, nè in Cæſarem eligatur.* 21. *imperium renuntiat.* 22. *lacrymatur.* 23. *coronatur Imperator.* 24. *Polonum hortatur, vt à Bohemia abſtineat.* 28. *in Bohemiam ducit, Cuthnam expugnat.* 29. *Pragæ coronatur.* 31. *Pugnam offert Polono.* 37. *claudicat.* 40. *mouet in Turcas.* 42. *moritur.* 43. *morientis oratio.* 44. *plangitur.* 45. *virtutes.* 46. *religio doctos amat.* 47. *leges.* 48. *epitaphia.* 49. *&* 10. *ſymbola, moneta, quibus tota vita* Alberti II. *explicatur.*

2. *Albertus IV. Auſtrius* Mirabilia Mundi *dictus.* 3. *in Syriam nauigat.* 4. *ducit Ioannam Hollandam.* 5. *mors, effigies, ſymbolum.*

6. *Albertus III. Auſtrius cum Trica.* 6. *effigies, ſymbolum.*

7. *Guilielmi I. Auſtrij effigies, ſymbol. tutor Alberti II. Imp.*

7. *Leopoldi IV. Auſtrij tutoris, Alberti II. Imp. effigies, ſymbola.* 8. pinguis, ſuperbus *dictus.*

8. *Erneſti* ferrei *Auſtrij cum fratre diſſidium.*

11. *Eliſabeth vxor Alberti II. Imp.* 40. *ſuſcipit coronam Hungaricam.*

11. *Eliſabethæ filiæ* Alberti II. *Imper. effigies, ſymbolum.*

12. *Ladislai filij Alberti II. Imper. ſymbolum.*

15. *Henricus Ptaſco coniurat in Albert. II. Imp.* 27. *temeritas.*

16. *Caſimirus Rex Poloniæ eligitur Rex Hungar.*

16. *Vladislaus Rex Polonorum in Bohemos mouet.* 25. *audacia, ſymbolum.* 34. *Sileſiam populatur.* 36. *pacem petit.*

30. *Fridericus Saxo, in Polonos mouet.* 33. *vincit Bohemos: quomodò patri ſucceſſerit, amor in fratrem.*

30. *Albertus Brandeburg. in Polonos mouet.* 35. Achilles Germanicus *dicitur.*

30. *Chriſtophorus Bauarus in Polonos mouet.*

32. *Georgius Podiebradius.*

38. *Vdalricus Ciliæ Comes molitur in Albertum II. Imper.*

39. *Amurates Turcarum Rex ſpoliat* deſpotè Georgium *Raſcia.* 41. *Synderouiam capit.*

ALBERTI NATALIA.

I. EX *Alberto IV.* Auſtriæ Archiduce, & *Ioanna* filia *Alberti Senioris* Ducis Bauariæ naſcitur *Albertus II.* Imperator, vir pius, & religioſiſſimus; vndè à quibuſdam propter religionis ſtudium, ex inuidia dictus eſt *Monachus*; alijs *Honorificus*.

II. *Albertus IV. in Syriam nauigat.*

Albertus IV. pater, qui *patiens*, & *Mirabilia Mundi* cognominatus eſt Anno 1400. cum pio deſiderio in Paleſtinã proficiſcendi teneretur, ab hoc propoſito cuiuſquam auctoritate retrahi non potuit. III. Diſſuadebat mater eius *Beatrix*, *Guilielmus* patruelis, cæterique proceres, pericula & obſeſſos à religionis hoſtibus aditus, neque dubium eſſe, quin fama aduentum præcurrente, inſidiæ ipſi timendæ eſſent. Ille certus animi, rebus omnibus conſtitutis, relicto ad gubernacula *Guilelmo*, Venetias proficiſcitur, vbi à Senatu honorificè acceptus, dum triremes duæ inſtruuntur, perluſtrata Vrbis magnificentia, mari ſe comittens, felici nauigatione in Syriam venit. In terram exſcendens, nemini, quis eſſet, aperuit, quoad locis ſacris viſitatis, & equeſtri dignitate accepta, nauem ingreſſus, Auſtrij Principatus inſignia explicari, tubiſque apertè cani iuſſit. IV. Ita domum ſoſpes reuerſus, vxorem duxit *Ioannam Alberti*

Bauari

Bauari Holandiæ & Zelandiæ Principis filiam. Eius obitus variè narratur. Tradunt plerique, quòd *Znoymam* Morauiæ oppidum à *Procopio* Lucemburgico, *Caroli IV.* Imper. ex *Ioanne Henrico* fratre nepote, facinoroſorum manu occupatum, (Hinc Auſtriam infeſtabat) ſexdecim armatorum millibus obſidêret, cum *Sigiſmundo* Imperatore (erat tunc Hungariæ Rex) ſociatis armis. *Procopius* ab armis ad dolum confugiens, vtrique venenatam potionem adhiberi curat, ex quà *Sigiſmundus* medicorum ope conualuit. *Albertus* autem, obſidione ſoluta, lectica Neoburgum delatus, præter veneni vim, ſoluto in dyſenteriam ventre, obijt VIII. Cal. Septemb. An. 1404. ſepultus Viennæ ad D. Stephani. Ex hoc naſcitur *Albertus V.* Imperator, & in ſerie Imperatorum II. Auum habuit *Albertum III.* cum *Trica* dictum, qua longos capitis crines innexos geſtabat, quæ adhuc in arce Laxemburgica, ſeruari dicitur. Proauum habuit *Albertum II.* filium *Alberti I.* Imperatoris *Contractum* dictum, ſeu *Sapientem*. Durante tenella ætate, *Albertus II.* Imperator *Guilielmum I.* patruelem & *Leopoldum IV.* Fratrem tutores habuit.

Ioanna Holanaa nubit Alberto IV.

V. *Veneno petuntur Alber. & Sigiſmun.*

VI.

VII. *Guilelmus I.*

Guilielmus ille idem eſt, qui vt ſupra diximus, *Alberto II.* Imper. in Palæſtina abſente, tutorio nomine, pro eo Auſtriæ gu-



bernacula tenuit. Vxorem habuit Guilielmus *Ioannam II.* filiam *Caroli Parui*, ſororem *Ladislai* Hungariæ, & Neapolis Regum. Viennæ obijt Anno 1406. Sepultus ad D. Stephani.

VIII. *Leopoldus IV.*

Leopoldus IV. alter tutor *Alberti II.* Imperatoris, à pinguedine *Craſſus*, etiam *Ambitioſus*, & *Superbus* eſt dictus, quod in comitijs quibuſdam cæteros omnes, quinquaginta duobus Comitibus & Baronibus, vltra famulitium ſuum ſtipatus, magnificentia ſuperaſſet. Tutelam *Alberti II.* Imperatoris cum ex procerum Auſtriacorum arbitratu tanquàm natu maior ſuſcepiſcet, excluſo fratre *Erneſto*, qui *Ferreus* dicebatur, plurimùm cum fratre, certare habuit.

EDVCATIO: INDOLES.

IX.

ALbertus puer educandus traditus eſt *Andreæ Blanco*, Garſiæ Paſtori, & clariſſimo equiti *Ramperto de Vvalſche*: quorum alter in vera Religione, alter in ciuilitate,

æ, egregijs virtutibus, ſtudijſque equeſtribus benè & diligenter eum informauit. Indolis fuit eximiæ, multiſque corporis & animi dotibus ornatus. Vix ex ephebis exceſſerat, cum iam omnes æquales proceritate corporis ſuperaret: cui etiam robur acceſſit:
X. Fuit colore ſubnigro, venerando aſpectu, mitiſſimus, & in ſuos omnes nimium exorabilis. Quàm ſtrenuus in bello fuerit, mortiſque contemptor, geſta, Monetæ recenſent, & ſymbola, quæ videre eſt pag. 5.

Primum videtur fuiſſe *Alberti I.* Imperatoris, non *ſecundi*, licet *Octauius de Strada* adſcribat *Alberto II.* Secundùm & tertium ſymbolum vnum videntur & idem. Sed in hoc differunt, quòd hic cælitus detur: iſtic a ſignifero exceptum, nec ab eo ſolo geſtetur: habet enim laboris ſocium. Sunt verò eædem cuſpides haſtarum in vtroque numiſmate. Signum, ſcilicet militare quod à Perſis per Macedonas Imperij ſucceſſores ad Romanos tranſijt. Qui autem ſocio præreptum vult; in hoſtes videtur miſſurus, quod dubijs in rebus ad concitandos militum animos, factum legimus frequenter. Quod autem cælitus datur; à Deo pendère victoriam Imperator oſtendit. *Fugam victoria neſcit*, lemma eſt; quia neminem fugientem, & victorem videmus. In quinto canis eſt vinctus ſub lemmate *Fide, & Conſtantia*, quod ſatis clarum. In ſexto tres adoleſcentes ætate, pares, ſed ſtatura vnus alios excedit ab humero, & ſurſum vt de *Saule* legitur; quod proceritatem *Alberti II.* annuit. In ſeptimo, eſt Ganymedes, qui Iouis miniſter, inter tot pulchros pulcherrimus, in pincernam à Ioue raptus; & nobilis animi eſt argumentum nobilis forma. In Octauo *Lex* eſt & *Religio*, quæ vno ſedent in throno, ſub titulo *Tabernaculum Fœderis*. In Nono *Liber* eſt *Regum* ſub lemmate *Meditare*; Vtrumquè leges annuit *Alberti*, Diuinæ legi conformes. In Decimo tres coronæ, quarum in medio *punctum*, ſignum quietis, quæ ſolummodò poſt mortem in Cœlo ſperatur. In XI. Melogranatum, imperij ſymbolum, ſub lemmate *inter dulces* amarum, & grauiſſimas imperij curas alludit. In XII. tres coronæ circumdatæ lauro; *Sicut Fœnum aruit*. Quia intra annum, ter coronatus *Albertus II.* qua felicitate acquiſiuit, & perdidit, intra annum moriens. In XIII. eſt *Taurus cæleſtis*, ad idem tendit. In XIV. mors eſt inter inſidias peponis latens, ſub lemmate, *non credebam*. Solita hominum excuſatio. Nimio namquè peponum vſu ſublatus eſt *Albertus II.*

VXOR, LIBERI.

VXorem habuit *Eliſabetham* filiam *Sigiſmundi* Imperatoris, ex quà duas
XI. ſuſcepit filias, *Annam* vxorem *Vvilhelmi* Ducis Saxoniæ: & *Eliſabetham* nuptam *Caſimiro* Regi Poloniæ Effigiem, & ſymbolum, *Solem* fulgentem ſub lemmate *candida candidis*, videre eſt pag. 5. nu. 1.

Mortuo *Alberto*, Imperatrix *Ladislaum*
XII. peperit *poſthumum* in arce Comata A. C. 1440. tempore ineuntis Quadrageſimæ XXII. Feb. & die Pentecoſtes agens quartum menſem coronatur Rex Hungarorum. Poſtea à matre in Auſtriam cum coronâ Hungaricâ ad *Fridericum III.* Imp. vt ad conſanguineum nutriendus miſſus eſt. Eius effigiem, & ſymbolum *Danubij fluuium* ſub lemmate *Latet altius*, vide pag. 5. numero 2.

Arcanum regiæ poteſtatis, & voluntatis, quanquàm adoleſcens celandum ſciuit. Et vt Brutus in ligno cauo, ipſe in Danubio profundo altiùs celauit.

ELIGITVR IMPERATOR. Sal. Anno 1438.

XIII. *Coronatur Rex Hungariæ.* MOrtuo Sigiſmundo, *Albertus* cum *Eliſabetha* in Hungariam pergit, *Sigiſmundi* funus, ac reginam cuſtodibus cinctam ſecum adducens. Ad eius aduentum variè afficiebantur Hungari, commiſeratione multis mouebat reginæ fortuna, Regis verò deſiderium & publicum regni luctum leniebat percepta de Alberto ſpes, quem regem ſibi à *Sigiſmundo* datum audierant. Funere Varadinum, vti viuus ipſe conſtituerat, deportato, ac cum regia pompâ ad D. Ladislai condito, comitia creando Regi, ad Albam regalem indicuntur: quò ex procerum ſententiâ, ab exequijs ad corona-

Sal. Ann. 1438.

ronationem pergens Albertus, cum vxore in maximà ordinum frequentià, nemine refragante, ipſis Cal. Ian. Rex ſalutatur, & veteri ritu, tum ipſe, tum regina coronantur. Interim Legati, quos *Sigiſmundus* conſtituerat, in Bohemiam profecti, aduocata concione, teſtamentum publicè recitarunt, vtquè eius vltimam voluntatem exequantur, monent: ita ipſum, ipſius fratrem, patrem, ac auum eſſe meritos, neque fraudandam eſſe *Eliſabetham* hæreditate, quæ ex tam nobili, auguſtaque gente ſola ſupereſſet; in ſpem regni educata, eique viro nupta, quem etſi iura non ſuffragarentur, merita extollerent. Scire ipſos, nec diſſimulare poſſe, extare vetera inter Bohemorum Reges, & Auſtriæ Principes, pacta, Cæſare approbante, quibus ſtatutum eſſe, ſi alterutram gentem abſque prole deficere contingeret, tum alteram ipſius hæredem fore. Hæc cum legati dixiſſent, multaque de *Alberti* virtutibus prædicaſſent, Bohemi re diutiùs agitata, tandem ad Nonas Maij *Albertum* Regem creauere.

XIV. *Pacta Bohemorum cum Cæſare.*

XV. *Coniuratio in Albertum.*

Soli intercedebant ij, qui a *Barbarà* Reginà in conſilium adhibiti fuerant, vel quòd Polonis ſtuderent, vel quòd *Albertum* initæ cum Reginà ſocietatis memorem, atque adeo vltorem eſse futurum timerent. Principes in ea factione erant *Henricus Ptaſco*, *Alexius Stembergicus*, (Alſcionem quidam vocant) & *Georgius Podiebradius à Kunſtat*. Hi non priùs *Alberto* ſua ſe ſuffragia daturos, aut regnum vſurpare permiſſuros proteſtabantur, quàm de quibuſdam poſtulatis ſibi cautum eſſet. Miſſus ad Regem *Alexius*, nil reſponſi obtinere potuit, præterquàm quod *Albertus* in regnum ſibi debitum, & acquiſitum breui venturus; nihil verò permiſsurus, quod Socer negaſset. Hoc reſponſo imitatus *Ptaſco* conciliabulum ſuorum cogit, factionis vires, cuiuſque ſententiam explorat, deque alio rege contra *Albertum* creando proponit. Ibi vno conſenſu *Caſimirum* Vladislai Poloniæ regis fratrem, tredecim annorum puerum nominant, ſuoſque ad vtrunque nuncios mittunt. Non latebat *Vladislaum* hæc minimè ab ordinibus regni, ſed à ſeditioſis agitari. Vicit tamen imperandi libido, quæ acta conſilia ſubuertit, & gloriæ cupiditas. Mittuntur in Bohemiam equites bis mille, quos cum maioribus copiis ſubſecuturum *Caſimirum* ſpes facta. *Albertus* de his omnibus edoctus, ſuos per Hungariam præfectos conſtituit, & quò pacatiora omnia relinqueret, *Barbaram* Reginam libertati reſtituit, arcibus omnibus multatam; eique annuam penſionem, quoad viueret, duodecies mille aureum nummum ex fiſco perſoluendam aſſignat. Viennam inde profectus, quæ ad expeditionem, primo quoque tempore in Bohemiam ſuſcipiendam, opus eſſe videbantur, parat.

XVI. *Caſimirus Polonus, eligitur Rex Bohemiæ.*

Sal. Ann. 1438.

XVII. *Barbara Imperatrix ſoluitur.*

XVIII. *Cæſar fit Albertus.*

Dum hęc in Bohemià agitantur, Septemviri Francofurti comitia creandi Imperatoris habebant; qui *Sigiſmundi* de Alberti iudicio, Hungarorum item ac Bohemorum electione, & ſua de eius virtutibus æſtimatione confirmati, Imperatorem vno conſenſu creant. Ab illa vſque in hodiernam diem, Gens Auſtriaca viribus ſuis imperium decorauit. Vno itaque & eodem Anno *Albertus* bis in Regem, & tertiò in Imperatorem electus, ac coronatus eſt, magno felicitatis exemplo, cui par, in *D. Maximiliano Secundo*, eiuſdem gentis Principe, noſtra quoque ætas vidit. Commoranti Viennæ *Alberto*, legati ab Electoribus miſſi ſunt, qui enarratà electione, ipſum à Principibus expectari nunciant.

XIX. *Ter coronatur in anno.*

XX.

Aderant eo tempore apud *Albertum* Baſileenſis Synodi legati, *Fridericus* Tirolenſium Princeps, cognomento *Senior*, & *Fridericus Iunior*, eiuſque frater *Albertus* Auſtriaci, multique alij ex vtroque regno, & reliquis ditionibus viri nobiles. Ij præter Hungaros certatim omnes, concurſu in aulam facto, ad ſubeundum tantum decus vltrò oblatum, gratulabundi exhortantur. Idem Academia quoque, & Viennenſis ciuitas, ſummis ab eo precibus efflagitabant. His omnibus refragabantur Hungari, quibus antè ſuſceptam regni coronam, iurarat *Albertus*, Imperium ſe nec ambiturum, nec ſi offeratur, accepturum, abſq; illorum aſsenſu, qui ne abſente ipſo, & Imperij negocijs implicito, Hungariæ regnum Turcarũ iniurijs rapinis expoſitum, relinqueret, id quod regnante *Sigiſmundo*, experti erant, verebantur. Vocatis igitur in aulam legatis, reſpondet *Albertus*; ſatis ſuperque negotij ſibi paratum eſſe, ſuis regnis ac ditionibus admini-

Hungari obſtant ne Imperator fiat Albertus.

XXI. *Modeſtè Imperium renuntiat.*

 ſtrandis,

Sal. Ann. 1438. ſtrandis, gratias itaque Electoribus ſuo nomine agant, qui facilè alium ea ad munia aptiorem eſſent inuenturi. Cum verò & ipſi inſtarent, & reliqui tenderent, Hungari quoquè Principum, præcipuè verò *Friderici Iunioris* interceſſione, ac promiſſis cómoti aſ-
XXII. *Lacrimatur.* ſentirent; *Albertus* ſeorſim à conſilio digreſſus, magnam lachrymarum vim profudiſſe, tandem in conſilium reuerſus, electionem ratam habuiſſe, dicitur. *Albertus* igitur Francofurtum ad Principes ibi præſtolantes,
XXIII. *coronatur.* indè cum ijs Aquiſgranum perrexit, vbi cum fauſtà acclamatione eſt coronatus: Principes quoque auxilia, ſi opus eſſet, ei in Bohemos promittunt, ac legatis in Poloniam miſſis, *Vladislaum* monent, periculum eſſe, niſi ab alieno inuadendo regno, abſtinèret, ne prò ſuo dimicare cogatur. Bohemi quo-
XXIV. *Albertus Polonum hortatur, vt Bohemia abſtineat.* que ex ſuis ad eum legant, *Ioannem Rabenſteinium*, & *Henricum Placium*, qui eum totius gentis nomine orant, ne *fratrem Caſimirum publicam tranquilitatem perturbare, & regnum, quod nullo ad ipſum iure pertineret, armis inuadere permittat; veterem potius amicitiam cum ipſis colat. Albertum a Sigiſmundo datum, ſuiſque confirmatum ſuffragijs regem, ad potentiam, quam domo adferret, vires quoque imperij adiunctas, habiturum, nihil a paucis quibuſdam ſeditioſis, contra totius regni ordines profici poſſe; quibus ſi opem ferre pergeret, non defutura ſuo Regi arma; quibus & ſua tueri, & illatam ab hoſte iniuriam vlciſci poſſet. Meminerit arctiſſimam ſemper inter vtrumque regnum fuiſſe neceſſitudinem, quam ſacram tectam conſeruare non minùs ſibi ſuoq; regno, quàm Bohemis ex re fore.* Ad hæc Vladislaus: *Mutuam ſibi cum Bohemis amicitiam interceſſiſſe, ingenuè ſe fateri: neque alium quàm antea fuerit, ſibi eſſe animum, imò veterem tueri beneuolentiam propoſitum habere; fratri verò regnum à potiori procerum numero oblatum, adimere non poſſe, quin & æquius ſibi, magiſque naturæ & rationi conſentaneum videri, cum vtraque gens eandem ferè linguam, eadem vitæ inſtituta habeat, ex Polonis ipſos Regem aſſumere, quàm ex Germanis, quibus cum abſque interprete ne loqui etiam poſſint. De regno ſuo quod attineret, nullius ſe externas vires expaueſcere, ipſis potiùs videndum, nè ſi agnato regi extraneum præferant, ſui ipſos conſilij ſerò pœniteat.* Quàm ingens *Sal. Ann. 1438.*
fuerit Poloni audacia, cum reſponſum, tum XXV.
ſymbolum ab eo ſculptum, *Leo* ſcilicet, ſub *Vladislai Symbolũ.*
lemmate, *Me me vindice*, monſtrat. Quod non tam falsò, quàm ambitioſè dictum probauit euentus. *Me me vindice, Hungaria reſtituetur in priſtinam dignitatem*, quaſi diceret. Vide ſupra pag. 5.

Interea Cæſar, collecto per Germaniam milite, Bohemiam ingreditur. Huic *Vdal-* *Bohemiã ingreditur*
ricus Roſenſis, *Meinardus à Nouâ Domo*, multique alij proceres, Iglauiam vſquè obuiam proceſſere honoris cauſa. *Ptaſco* verò miſſis & ipſe nuncijs, orat, ne inuitâ ſua XXVII.
factione, regnum adeat, in quo ſine ſuo *Ptaſconis temeritas.*
conſenſu firmam ſedem nunquàm eſſet habiturus. Cæſar verò per eoſdem ipſum monet, periculo caueat, nec pacem perturbet, documento eſſe ſuperiorum temporum incómoda, quanto pax bello præſtabilior ſit. Eam ſi cum ſocijs amplecti vellet, omnia ab ſe æqua conſecuturum, ſin minus, Deum inuocare vltorem, vt regem non precarium, ſed à potioribus electum defenderet: plura emercari ſuffragia, ſibi opus non eſſe. Adueniente interim ex Morauia milite, Cæſar XXVIII.
Iglauia diſcedens, Cuthnam duxit, eam- *Cuthna*
que ſinè præſidio relictam, expugnat; *Ptaſ-* *expugnat.*
conem Coloniam vſquè fugientem perſecutus, cum is ſe oppido continèret, nec aperto Marte decernere audèret, Pragam iter
arripuit. Vbi fruſtra contradicentibus *Ptaſ-* XXIX.
conis fæderatis, *Albertus* vnà cum coniuge *Eliſabethâ*, adhibitis ritè ceremonijs, diademate regio inſigniuntur, III. Cal. Iulij. Die Petri & Pauli memoriæ ſacro, *Ptaſco* nihil Pragæ à ſuis actum eſſe videns, armis agendum ratus, vires vndique contrait, maioreſque ex Polonia expectans copias, quorundam interim agros depopulatur, quibus coronationẽ imputabat *Alberti*. His quaſi præludijs militem exercebat, mox auctis viribus, oppida munit, in Regem ducit ea temeritate; vt captos quoſdam nobiles dimiſerit, iuratos tamen ad ſe redire, quo primùm die caſtra ipſum antè Pragam poſuiſſe audiuiſſent. Rex cum ſuis ei obuiam procedit, pugnam offert, quam *Ptaſco* de- *Ptaſco*
clinans, per Cuthnæ montes, ad Thaborita- *Tabor*
rum oppidum, ſitu & operibus munitum, ſe *munit.*
con-

Sal. Ann. 1438. confert, caſtra ante oppidum ita locat, vt vna tantùm parte, eaque perangusta aditus pateret, & ſi quæ vis ab hoſte ingruat, refugiũ eſſet in oppidum. Suppetię iam a Polono aduenerant, vt ad quatuordecim hominum millia haberet in caſtris. *Alberto* præter Auſtriacos & Hungaros, aderant *Fridericus II. Saxo*, cognomento *Placidus*, *Albertus Brandeburgicus*, & *Chriſtophorus Bauarus*, qui poſtea Rex Daniæ factus eſt; quilibet cum copijs ſuis. Cæſar igitur hoſtem inſequens, nuncijs in hoſtium caſtra præmiſſis, venire ſe indicat, *ferro decernere paratum, de Bohemiæ Regno ſibi cum Caſimiro certamen eſſe, prælio id, non agrorum depopulatione decidendum. Itaque ſubditis innoxijs parcerent, idem ſe facturum, conſultiùs eſſe omnia victori integra, quàm ſemidiruta relinqui*. Poloni reſponderunt: *Alieno damno non inhiare, nec humani ſanguinis auidos. Pugnæ, (cum venerit) copiam fore; eius ſuperba denunciatione non moueri, imò ex ea ſpem concipere, ſcientes humanæ ſuperbiæ Deum aduerſari*. Nuncio accepto, Cæſar poſtridiè quadrato agmine ſub hoſtis conſpectum prodit, & ad mille paſſus caſtra ponit. Poloni, quietem capiente *Alberti* milite, leui equitatu in caſtra aſſilire tentabant, ſed obuiantibus Hungaris ſagittarijs, terga verterunt. Id cum ſæpiùs oſtentatione potiùs, quàm periculo ab illis fieret,

XXX. *Albertus pugnam offert.*

XXXI. Cæſar pugnam obtulit, ſed Polono prælium detrectante, & caſtris ſe continente, cum ad meridiem vſque hoſtem expectaſſet, militem ſtando feſſum in caſtra reducit. Nolebat *Ptaſco* in diſcrimen deſcendere, priuſquàm *Vladiſlaus* Polonus ſuperueniret. Hinc Cæſar maturandum ratus, antequam hoſtis iungerentur, tormentis bellicis, quæ & maiora & plura quàm hoſtis habebat, tentare ſtatuit. His tantus terror hoſtibus illatus, vt caſtris relictis, omnes in oppidum ſe reciperent. Octoginta homines vno ictu trãſuerberatos fuiſſe produnt. Intereà *Georgius Podiebradius*, cum expeditis equitibus ad Taboritas contendens, in Cæſarianos incidit, & rem adeò ſtrenuè geſſit, vt victor euadens, primam ſui nominis celebritatem apud ſuos conſequeretur. Cum verò vtrique annona deficeret, nec Poloni in prælium elici poſſent, *Albertus* Pragam ſe recepit. Po-

XXXII.

loni verò, qui in oppidum Taboritarum venerant, fame propè enecti, per deuios ignotæ regionis calles, domum ſe receperunt. *Fridericus* autem Saxoniæ Princeps, & ipſe domum repetens, cum ſuis penè in Bohemorum deſcendit inſidias, ad Pontem oppidulũ, & Biliniam. Erat cum eo *Iacobus* Bilinenſium Præfectus, cui Cæſar futuras præuidens inſidias, negotium dederat, vt cum ſatis firmo equitatu, Saxones per Miſniæ montes deduceret. *Fridericus* itaque Bohemorum impetum fortiter excipiens, mox in fugam eos vertit, ſexcentos occidit, quingentos ſecum captiuos abducit, pecunia redimendos. Is eſt *Fridericus II.* cognomento *Placidus*, qui natu minor Patri mortuo An. 1428. ſucceſſerat. Cum *Friderico I.* mors inſtaret, de patria ſollicitus, quatuor ad ſe euocauit filios, *Iohannem*, *Fridericum*, *Albertum* & *Fridericum*. Natu maximum *Iohannem* ita alloquitur. *Primus ego dignitatem Septemuiralem acquiſiui, cum Sigiſmundo Cæſari familiaris eſſem. Nunc fato vrgente, curæ mihi eſt, nè dignitas acquiſita vileſcat. Tibi, vt video, tranquillitatis eſt ſtudium; in munere Septemuirali per aſſiduas ſollicitudines nihil inuenies. Propterea, te annuente, ſi poſſum, munus hoc teſtamento Friderico concedam, qui tibi ætate proximus, & ad labores firmior eſſe videtur*. Cui Iohannes, *Vt antea cariorem tibi Fridericum crederem, blanditiæ ſuadebant, quas ei indulgere ægrè videbam; ita nunc me tibi dilectiorem agnoſco, pater, & prò ocio, quod mihi ſuprema voluntate dimittis, gratias ago*. Illuſtre exemplum ſapientiæ, & paterni affectus in *Friderico*; modeſtiæ, & obedientiæ in *Iohanne*. Sunt tamen, qui *Friderico I.* alios adſcribãt filios, & inter eos *Guilelmum* præcipuè, qui anno 1445. arma gerens in fratrem *Fridericum II.* nec interceſſionibus Principum, nec legatis *Friderici III.* Cæſaris placari poſſet: quovſquè ipſi fratres (nihil tale opinantibus aulicis) vtraque iam in procinctu acie ſtante, in mutuos ruerent amplexus; poſtquàm *Fridericus* cuidam pollicenti, ſe emiſſa pila, deſtinato neque aberrante ictu fratrem ipſius petiturum; *feriret quem vellet, modò nè fratrem*, reſpondiſſet. Eaque vox hum nitatis plena ad *Guilelmum* delata, eum ad plenum fraterno amore etiam

Sal. Ann. 1438.

XXXIII. *Friderici Saxonis pugna cũ Bohemis.*

Sal. Ann. 1438. ſuum pectus denudandum impuliſſet; nec deinceps inter ſe fratres diſſiderint. Inter
XXXIV. hæc *Vladislaus* Poloniæ Rex, nondum audita ſuorum fortuna, gemino exercitu Sileſiam ingreditur. Cæſar (Bohæmia *Vdalrico* Ciliæ Comiti commiſſa) cum eo exercitu, quem tenebat, Vratislauiam Sileſiæ vrbem aduolat. Præſto ibi adfuit *Albertus Brandeburgicus*, qui ob inuictum animi pariter ac corporis robur, *Achillis Germanici* cognomen tulit. *Vladislaus* quem adhuc ſuorum
XXXV. clades latebat, ſe imparem agnoſcens, retrò qua venerat populabundus receſſit. *Brandeburgicus* verò in Polonorum agrum excurrens, latè prædas agebat, adeoque hoſtem vexabat, vt armis diffiſus, tractandæ pacis actionem inſtitui poſtularet. Pacis interpre-
XXXVI. *Polonus pacem petit.* tem ſeſe *Rodericus Burgenſis Epiſcopus*, natione Hiſpanus, virtute clarus, interpoſuit, & adhoc à Concilio Baſileenſi Legatus, per eoſdem dies aduenerat. Cum de pace conuenire nil poſſet, induciæ dierum aliquot factæ
XXXVII *Cæſar claudicat.* ſunt, intra quos, Vratislauiæ de pacis conditione diſceptaretur. Eò Cæſar profectus, fortè gradu delapſus, pedem grauiter offendit, & ſi aliquot Scriptoribus fides, ex eo caſu in poſterum claudicauit. Quare inauſpicato ſe illò veniſſe putans, imperfecto negotio per *Sal. Ann. 1438.* Morauiam, Viennam abijt. Diuerſimodè rē alij enarrant; quod non ſatis ex ſua dignitate futurum eſſe duxerit, iniuriam tam inſignē, cum ſummo Imperatoriæ Maieſtatis contemptu coniunctam, bello non perſequi; quodque *Poloni* amicitiam parui duceret. Ne verò totis viribus bello incumberet, *Vdalricus* obſtitit Ciliæ Comes, quem Bohe- XXXVIII. *Molitur Vdalricus Ciliæ Comes.* mis Cæſar præfecerat. Is dominandi cupidine inductus, ſuamque fugam ex aula, ac Reginæ ſororis captiuitatem non oblitus, de vendicando ſibi regno, cum nonnullis proceribus agere cœpit magno *Alberti* detrimento, ſed graui Regibus exemplo, ne præfecturas temerè comittant, ijs, quos ex veteri inimicitia in gratiam recepère. Faciliùs enim victor quàm victus ignoſcit, & parcit. Cæſar verò certior factus, prudentiori, quā quo dederat, conſilio præfecturam reuocauit; ſtipendia ſubducens, quibus hominum animos labefactabat. Alis itaque præciſis, quibus altiùs nido euolabat, ad domeſticam reuocatus fortunam, Magiſtratu ſpontè abdicato, domum abijt. Eius præfecturam *Meinardus à noua Domo*, ac *Vdalricus Roſenſis* accepère.

ALBERTI MORS. Sal. Anno 1439.

DVm hæc in Bohemia geruntur, nouum in Hungaros ab *Amurate* Tur-
XXXIX. carum Rege imminere nunciabatur. Is (morte *Sigiſmundi* audita) magnam audaciam conceperat. Videbat enim in *Raſcia* (quam Superiorem *Myſiam* veteres appellabant) imperium ſuum facilè propagari poſſe. *Deſpotes Georgius* (ita Bonfinius) *Prouinciæ Regulus, quum feræ gentis viribus obſtare non poſſet, traiecto Sauo Danubioque in Vngariam emigrauit. Eum cæteri nobiles ſacerdoteſque ſequuti, vnus duntaxat filius in Myſia relictus eſt, qui Synderouiam in ripa Danubij ſitam, & à Turcis obſeſſam, propugnaret. Quum Vngari iam inferioris Pannoniæ fines Turcam attigiſſe nouiſſent, & ſolo ab hoſte Sauo dirimi, ad Regem nuncios crebrò mittunt, qui ad protegendum regnum copias mittat, imminens fœdæ gentis periculum ſignificant, multis precibus properare cogunt. Albertus nuncij importunitate feſtinare iuſſus, ne obſeſſos ſocios perire pateretur, quacunque poteſt celeritate, continuatis itineribus, in Vngariam contendit. Quum Budam veniſſet, de Georgij Palocij metropolitæ Strigonienſis obitu, ſtatim ſignificatum eſt, cuius quidem viri ſumma auctoritate præditi fatum ægrè tulit: in Strigonienſi nanque is arce, coronam ſibi cum regia ſupellectile creditam, aſſeruabat. Eo, vnà cum Regina, Rex* XL. *Regina coronam ſurripit.* *properat, arcemque vxori dedit: illa cum præfectis ærarij theſaurum totum recognoſcit, coronam inter recognoſcendum clàm ſubreptam aniculæ tradit: poſtquam cætera ritè recenſuit obſignauitque, Albertum ſequuta, Budam redijt. Quum belli metus & tumultus inſtaret, ſine auxilijs aduerſus Amurathem Turcarum Regem caſtra mouit, eaque inter Tibiſcum & Danubium collocauit.* XLI. *Dum accita expectantur auxilia, Synderouiam, quam Turcæ obſederant, dies ac noctes grauiter oppugnant, atque eo impenſiùs expugnare contendunt, quo propiùs hoſtem cum ſubſidijs appropinquare ſentiunt:*

neque

Sal. Ann. 1438. *neque parcunt machinis, nec extremis periculis abſtinent. Neque ſpes, neque diligentia fruſtratur eos: nam antequam Albertus illinc caſtra mouiſſet, illi vi caſtellum capiunt, quod quum à ſancto Andrea nomen acceperit, Barbari Synderouiam vocant. Potiti oppido, pro more ſæuiunt, Stephanum Deſpotis filium capiunt, oculoſque eruunt. Sororem eius principi ſuo matrimonij loco coniugant. Item Gregorium Stephani fratrem, pariter excæcant. Lazarus verò, qui tertius ex his erat, cum patre Georgio in Vngariam euaſerat. Oppidanos cum præſidio ad vnum omnes interficiunt. Multi, vt mitiore ſæuitia vteretur, hoc à Turca commentum excogitatum fuiſſe referunt, candens æneũ oculis obieciſſe, vt infeſto calore deſiccati, aciem viſus amitterent, & luce capti ſpeciem retinerent. Inita cum Turca affinitas, fortiſſimo iuueni nil commiſerationis adiecit, quandoquidem apud Turcas pro facultatibus plures vxores ducere fas eſt, & diuerſus in plures amor, veluti fluuius, facilè extenuatur: quare tantum apud eos contemptum multitudo parit vxorum, vt pro ancillis potius, quàm vitæ comitibus ac ſocijs habeantur. Synderouiam Auguſto menſe captam perhibent. Ad hoc triſte nuncium, Albertus, & Pannonia animo conſternantur. Iam fines Vngariæ Turcam propagato plus opinione imperio, attigiſſe vident, immo pro foribus immitiſſimum præpotentemque hoſtem conſpicantur. Sed quum poſt captum oppidum, dimiſſo tantùm præſidio, Turcas hinc abijſſe ſenſiſſent, ipſe quoque Rex oborta in exercitu ſeditione, qui præ nimio æſtu, ventris profluuio miſerè abſumebatur, caſtra ſoluere coactus, Budam reuertitur. Ob ingentem æſtum, quem in ea expeditione ſubierat, in profluuiũ alui pernicioſamque dyſenteriam concidit.*

XLII. *Morbi cauſam, peponum arguunt fuiſſe edacitatem: nam dum præcordia, cum gulæ oblectamento, refrigerare contendit, ſuæ vitæ tetendit inſidias. Quamobrem quum aluus ſiſti non poſſet, præuiſa morte, vt in patria regione moreretur, Viennam verſus iter cœpit: venit Strigonium, vbi præ languore aliquantiſper immoratus eſt: ſed cum Strigonio profectus, in vicum perueniſſet, qui Neſmel dictus eſt, ingraueſcente morbo, teſtamentum condidit, & ſexto Calendas Nouembres ibi vita deceſſit. Nonnulli in Simonis & Iudæ ſolemnibus expiraſſe tradunt. Duos in Regno annos claudere non licuit, ſiquidem annum vnum, menſes nouem, ac dies duodetriginta, regnauit. Obijt autem ſalutis anno quadringenteſimo trigeſimonono ſupra milleſimum.* Sal. Ann. 1438.

Sunt, qui ſub ipſam mortem hac orationis formula vſum eſſe prodidère: *Omnipotens æterne Deus, ignoſce ijs, qui morti meæ cauſam præbuère, quibus & ego, ex animi ſententia, propter te ignoſco atque vt mei miſerearis, oro.* XLIII. *Alberti oratio in morte.*

Eliſabetha, defuncto Rege, cum frequentiſſima Pontificum, procerumque turba, corpus ad Albam regalem refert: exequijs exornat inter Regum monumenta reponit. Tres ibi nationes conſimili dolore, ac planctu pientiſſimum Regem deplorare cernere erat. Hinc Norici, hinc Bohemi ac Hungari certatim profuſo luctu Regem laudibus referebant. Felix Romanum Imperium, ſi *Alberti* auſpicijs diutiùs gubernari potuiſſet. Veſtibus vtebatur non nimis ſplendidis, ſed quas baltheus precioſus decorabat, gladium ſemper ad manum habuit. Præter eximias viri laudes, religionis ſtudium, & pietatis culturam prædicant, vt in cætibus Sacerdotum diuinas laudes cantu celebrare non erubeſceret. Omni litteratura probè imbutus, doctos in precio habuit, cumque ijs liberè conuerſabatur. XLIV. *Plangitur* XLV. *Virtutes.* XLVI.

Plurimæ leges ab eo exaratæ leguntur, Iuſtitiæ, atque Prudentiæ *Alberti* argumentum. Budæ in Hungaria Anno 1439. ſequentia ædidit.

DECRETA ALBERTI II. Budæ Anno 1439.

XLVII. *NOs Albertus Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Seruiæ, Gallciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex: Dux Auſtriæ & Stiriæ, Marchioque Morauiæ &c. Memoriæ commendamus, tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, vniuerſis, quod Excellentiſſimo Principe, Domino Sigiſmundo Romanorum Imperatore ac præfati Regni Hungariæ &c. Rege, Patre noſtro chariſſimo, laudandæ memoriæ, tempore nouiter præterito, Deo cœli, cuius nutui huma-*

Ann.Sal. 1439. *humana fragilitas nequit obuiare, volente, viam vniuerſæ carnis ingrediente, nobiſque (fauente diuina clementia) in regimen & ſolium ipſius Regni Hungarici votiuè ſuccedentibus, Prælatorum & Baronum, necnon Procerum & Nobilium Regni noſtri Hungarici Vniuerſitatis identitas, noſtrum Regium conſpectum adeundo, & libertates ipſius Regni noſtri, quibus ipſi Prælati & Barones ac Nobiles, eorumque prædeceſſores, temporibus Diuorum Regum, præſertimque quondam Sereniſſimi Principi, Domini Ludouici, Regis fœlicis recordi, prædeceſſoris noſtri, freti fuere & gauiſi, in quam plurimis ſuis articulis diminutas eſſe recitantes, & noſtram Regiam Serenitatem ſuper reformatione ſtatus dicti Regni noſtri precibus & inſtantijs propulſantes, infraſcriptos Articulos, & in eis contenta, noſtris literis inſeri, & conſcribi facere, approbare, & in eiſdem ſe per nos illibate conſeruare, humilime ſupplicarunt; nos quoque promiſimus, imo promittimus bona fide, quod Articulos infraſcriptos tenere & implere volumus & debemus.*

De reformatione conſuetudinum Regni.

Artic. j. *Primo, quod antiquas leges & conſuetudines huius Regni, & libertates regnicolarum, Eccleſiaſticorum & ſecularium, cuiuslibet ſtatus, ad priorem ſuum modum & ſtatum, quantum de iure, & cum honore eorumdem Prælatorum, & Baronum, ac Regni Nobilium conſilio & auxilio poſſumus, reducemus, redintegrabimus, reformabimus, & de cætero in eiſdem manutenebimus & conſeruabimus.*

Artic.ij. De electione Palatini.

Inſuper quod Regia Maieſtas Palatinum Regni, antiqua conſuetudine Regni noſtri requirente, eligat; & quod idem Palatinus ex parte regnicolarum Regiæ Serenitati, & ex parte ipſius Regiæ Maieſtatis regnicolis, iudicium & iuſtitiam facere poteſt, & teneatur: quod conſilio Prælatorum & Baronum ac Regni Nobilium pari voluntate eligatur.

Artic. iij. De ſtipendijs, & exercitu generali.

Item, quod Regia dignitas, pro tutione Regni & confiniorum, ipſiuſque conſeruatione, hominibus ſuis exercitualibus de ſtipendio Regali diſpoſitiones facere, ſic, quod regnicolas ipſi ſtipendiati exercituantes non prædentur; exercitus verò generalis regnicolis tam diu, donec huiuſmodi ſtipendiati exercituantes aduerſarijs reſiſtere poterunt, non proclametur. Vbi autem ipſi exercituantes regnicolas prædati fuerint, tunc tales pronuncientur ad inſtar aliorum patratorum actuum potentiariorum. Dum verò neceſſitate vrgente, exercitum generalem proclamari contigerit, tunc Nobiles Regni vltra metas & confinia Regni, ex quacumque parte eiuſdem Regni, inuiti more exercituantium non ducantur, antiqua eorum libertate requirente. Sal.Ann. 1439.

2. Item quod nouitates, & nociuæ conſuetudines introductæ, aboleantur, & deſtruantur.

Quod officia exteris nationibus non conferantur, & quod Domini Prælati & Barones, homines forenſes non conſeruent. Artic.iv.

Item alienis & forenſibus hominibus, cuiuſcumque nationis & linguagij exiſtant, officia in ipſo Regno noſtro non committemus; nec caſtra, fortalitia, metas, poſſeſſiones, honores, Prælaturas, Baronias, Comitatus, vel quaſcumque Eccleſiaſticas vel ſeculares dignitates, ad tempus vel in perpetuum, extraneis & forenſibus, niſi hominibus Hungaris, conferemus. Quodque Prælati & Barones, homines extraneos & forenſes non conſeruent.

Quod prouentus Regales ſolis incolis Regni in arendam conferantur. Artic. v.

Item de triceſimis, lucro Cameræ, montanis, vrburis, cuſſionibus monetarum, cameris ſalium, eorundemque Comitibus, necnon marduris, quinquageſimis, & quibuſcumque Officialibus in arendam, vel adminiſtratiue, ſeu aliter quouis modo, ſimiliter hominibus idoneis, coronæ Hungariæ ſuppoſitis, & non extraneis, liberam diſponendi facultatem, modo conſueto, habeamus.

De lucro Cameræ, quinquageſima & mardurinis. Artic.vj.

Item quod lucrum Cameræ in Regno Hungariæ, quinquageſimam in partibus Tranſyluanienſibus, ac mardurinas in Regno Sclauoniæ, exigi conſuetas, exigi, more alias ab antiquo conſueto, redimendi, & ad ſtatum tempore præfati quondam Domini Ludouici Regis obſeruatum.

An Domini Prælati & Barones duas dignitates tenere poſſint. Artic. vij.

Item Prælati & Barones duas dignitates, honores, Baronias, ſcilicet ſeculares & Eccleſiaſticis,

Sal. Ann. 1439. *ſiaſticas, ſimul tenere non valeant; nec homo ſecularis ſiue vir Eccleſiaſticus, dignitates Eccleſiaſticas occupatiue ſeruare poſſit.*

Artic. viij. De cambijs forenſium mercatorum.

Item nullus mercatorum forenſium, & extraneorum, cuiuſcumque nationis exiſtant, ad mercandum ſeu forizandum, in medium Regni, ſed ad loca tempore prætacti quondam Ludouici Regis ad forizandum & emendum & cambiendum deputata, negociationes ſuas peracturus, more conſueto accedat.

Artic. ix. De moneta non immutanda, & de cuſſione obulorum.

Item quod monetam auri & argenti, in valore & curſu, quibus pronunc exiſtit, ſine conſilio Prælatorum, Baronum & Regni Nobilium non immutabimus: ſed cudantur obuli in eadem lega, qua ipſi maiores denarij cuduntur; quorum obulorum duo vnum integrum denarium valeant: Et quod penes Dominum Archiepiſcopum Strigonienſem & Magiſtrum Tauernicorum, vnus fidelis & idoneus vir, in probatione huiuſmodi cuſſionis monetæ, auri ſcilicet & argenti, deputetur.

Artic. x. De extraneis monetis & ſalibus.

Item monetæ & pecuniæ atque ſales forenſes in regnum non introducantur, & nec acceptentur, & de hoc fiat prouiſio celerius quantum poteſt.

Artic. xj. Quod Domina Regina officiolatus ſolis regnicolis Regni conferat.

Item quod diſpoſitio pro Sereniſſima Principe, Domina Elizabeth Regina, & eius ſtatus honoris conſeruatione, ex quo eſt hæres huius Regni, fiat, vbicumque vult in Regno: ſic tamen, quod ipſa Domina Regina, honores & officiolatus ſuos non extraneis & alienis, ſed incolis huius Regni, quibuſcumque maluerit, conferendi, & collatos, dum ſibi placuerit, ab eiſdem, ſecundum ſuum arbitrium habeat facultatem auferendi.

Artic. xij. De captiuis in exercitu, tempore pugnæ erectis, & de facultate bellantium diſponendi de eiſdem.

Item dum in exercitibus & pugnis, ſeu quibuſcumque Regis cum inimicis Regno committendis, Hungaros aliquos de hoſtibus captiuare, vel aliquid aliud lucrari contigerit: tunc ipſi Hungari huiuſmodi captiuos, & lucrum, exceptis notabilibus perſonis vel Capitaneis ipſorum exercituum inimicorum Regiæ Maieſtatis, in captiuos pertinentes, quos nos ab ipſis captiuantibus, pro donis condignis recipere valeamus, pro ſe retinendi vel vendendi, aut Eccleſijs perpetuæ ſeruitutis iugo tradendi, & donandi habeant facultatem. Sal. Ann. 1439.

Quod in defenſionibus metarum Regni, Maieſtas Regia conſilio regnicolarum vtetur. Artic. xiij.

Item quod in defenſionibus & conſeruationibus metarum, & confiniorum huius Regni, conſilijs regnicolarum vtemur.

Quod honores ſeculares incolis huius Regni conferantur. Artic. xiv.

Item honores ſeculares, abſque quolibet conſilio, hominibus iſtius Regni Hungariæ, & non aduenis, liberum arbitrium conferendi, & ab eiſdem auferendi habeamus.

Quod poſſeſſiones forenſibus non conferantur: incolis etiam pro ſeruitijs, & non pro pecunijs donentur. Artic. xv.

Item poſſeſſiones, & iura poſſeſſionaria, non forenſibus, ſed benemeritis incolis tantum Regni, & coronæ Hungariæ ſubiectis, iuxta eorum merita & obſequia, & non pro pecunia, conferemus. Perpetuas vero venditiones, vel impignorationes iurium Regalium, & Cameræ, nec cum conſilio, nec ſine conſilio quorumcumque faciemus.

2. *Item quod præſcriptiones, ſeu diſpoſitiones ſuper metis, & graniciebus inter Hungariam, & Auſtriam prius factæ, in ſuo robore perdurent: de metis vero & graniciebus inter Hungariam & Morauiam, quicquid de conſilio eorumdem Prælatorum, Baronum & Regni Nobilium de iure facere debemus, libenter faciemus.*

De hoſpitibus & victualium procuratoribus. Artic. xvj.

Item quod in poſſeſſionibus, & bonis Nobilium, & Eccleſiarum, ſeu quarumcumque ſecularium, & Eccleſiaſticarum perſonarum, violentas exactiones victualium, procurationes hoſpitalitatum, & alias quaſcumque aggrauationes præter voluntatem inſtantium non faciemus, nec fieri permittemus; nec in domibus, & in locis Prælatorum, Baronum, & aliorum quorumcumque Secularium, & Eccleſiaſticarum perſonarum, pro tractatibus habendis, & alijs quibuſcumque negocijs diſponendis, ipſis inui-

Sal-Ann. 1439.

inuitis morabimur, aut eos expenſis, victualibus, curruum & ſarcinarum vecturis, nunciorum, & familiarium, & quorumcumque ad nos pertinentium procuratione vltra eorum ſpontaneam voluntatem in aliquo grauabimus, ſicut abuſiue & contra voluntatem eorum, ab antiquo tempore retracto fieri erat inchoatum.

Art. xvij.

De ſeruitijs exercitualibus Eccleſiaſticarum perſonarum.

Item Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ à taxis non diu abuſiue introductis, liberè & abſolutè relinquantur; ſeruitia tamen exercitualia more aliàs conſueto facere teneantur.

Art. xviij.

De maritationibus filiarum Regiæ Maieſtatis.

Item quod de maritatione filiarum noſtrarum agemus cum conſilio Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium Regni noſtri Hungarici, necnon cognatorum & proximorum, atque ſubditorum Regnorum, ac Ducatuum noſtrorum.

2. *Item quod Eccleſiaſtica beneficia vacatura non faciemus, neque permittemus perſecutores occupare perſonas.*

3. *Item quod habitationem noſtram in Hungaria, more aliorum Regum, faciemus & continuabimus.*

Artic. xix.

Quod procuratores Regij, & Reginales in ſede iudiciaria ſedère non poſſint.

Item quod Procuratores Regiæ & Reginalis Maieſtatum in ſede iudiciaria, vnà cum iudicantibus ſedere non poſſint, ſed interim cauſantes, tempore, quo videlicet cauſa ipſorum Regiæ & Reginalis Maieſtatum agitur, ſtare debeant: literas etiam per cauſidicos in ipſa ſede exhibentes, per ſe non conſpiciant, nec tractent ſuis manibus, niſi Magiſtri iudicantium.

Artic. xx.

Quod Regia, & Reginalis Maieſtates ratione indebitæ recaptiuationis iurium poſſeſſionariorum in æſtimatione conuincantur, & de impetratoribus iurium Regalium.

Item in facto poſſeſſionum per Regiam vel Reginalem Maieſtatem, aut eorum Procuratorum à talibus, qui per præſens in dominijs earumdem extiterunt, recaptiuandarum, & iuri Regio acquirendarum, quas Regalis ſeu Reginalis Maieſtas iure mediante, vigore huiuſmodi recaptiuationis, ſibi appropiare non poſſent, contra tales, qui ſic indebite & abſque iure impediti, & expenſis fatigati fuerint, ipſa Maieſtas in æſtimatione talium poſſeſſionum ad inſtar aliorum ſimilia facientium regnicolarum, conuincatur. Et ſimiliter, ſi quippiam aliqua iura poſſeſſionaria, nomine iuris Regij, pro ſe impetrarent, & eadem ipſi iuri Regio pertinere, comprobare non valerent, in æſtimatione eorumdem. Si vero tales impetrantes ante deciſionem cauſæ, in facto huiuſmodi iurium impetratoris motæ, de ſe dominio ipſorum iurium, ac de prouentuum eorum perceptione occupatiuè, ſiue alio quouis modo intromitterent, nec tandem iuridice ſibi appropiare poſſent, contra partem læſam ſeu litigantem, & expenſis fatigatam in facto potentiæ, prout ordo iuris requirit, conuincatur.

Artic. xxj.

Quod Deſpotus, & Comes Ciliæ officiolatus Hungaris conferant.

Item iuxta requiſitionem regnicolarum noſtrorum, nos vnà cum eiſdem operabimur, quod Deſpotus † Raſciæ, & Comes Ciliæ, cæterique Magnates, dominia, videlicet poſſeſſiones caſtra, fortalitia, ciuitates, oppida, & alia bona in hoc Regno Hungarico habentes & tenentes; huiuſmodi caſtra, fortalitia, oppida, ciuitates & poſſeſſiones, non aduenis & forenſibus, ſed Hungaris hominibus pro honore dare debeant.

† quę olim ſuperior Myſia, in Nouel. II. Iuſt. Imp. Myſia ſecunda hodie etiam Bulgaria dicitur, Thraciæ Reg. Myſia prima, quę hodię Seruia, Deciæ regio.

2. *Item honores & officia noſtra illis Hungaris, regnicolis noſtris, quibus voluerimus, more ab antiquo conſueto, iuxta huius Regni noſtri Hungarici conſuetudinem, conferemus.*

Art. xxij.

Quod ſolum Nobiles poſſint captiuari, qui in ſententia capitali conuincuntur.

Item quod nullus Nobilium Regni, pro quibuſcumque factis per quemcumque, præter talem, contra quem ſententia capitalis iuridice lata fuerit, poſſit detineri, ſeu quoquo modo captiuari.

Art. xxiij.

Quod Nobiles decimas ſoluere non teneantur.

Item Nobiles tam j bagiones habentes quàm non habentes, decimas dare non teneantur, antiqua eorum libertate requirente.

Art. xxiv.

De proclamata congregatione; qui modus inſtitutus fuit olim tempore quondam DN. † Sigiſmundi Regis, per DN. Albertum Regem renouatus.

† In Decretis Poſonianis art. 5.

Verum quia frequenti querela regnicolarum noſtrorum, imo quadam palpabili experientia teſte, noſtra percepit Celſitudo, quod nonnullas nouas poſſeſſionum occupationes, & potentiario-

rum

Sal. Ann. 1439.

rum actuum illationes, eoſdem regnicolas, inferiores videlicet à potentioribus multipliciter opprimi, & grauari; ideo volentes inſolentijs & nouis a anteceptationibus, per media opportuna, viam precludere, ſtatuimus & ordinamus, ſicut etiam in Decreto maiori antefati quondam Domini Sigiſmundi Imperatoris aliàs Poſonij de vnanimi Prælatorum, & Baronum, ac Procerum huius Regni noſtri Nobilium conſilio, aſſenſuque, & voluntate edito, aperte continetur, quod quandocumque, & vbicumque fuerint facta noua poſſeſſionariæ, ac terrarum occupationes, potentiariæ vadiationes, ſeu rerum & bonorum ablationes, ſuccisiones ſyluarum, interemptiones, vulnerationes, & verberationes hominum, domorum, & poſſeſſionum inuaſiones, & deprædationes, ac alij ſimiles noui actus potentiarij maiores, ex tunc læſi, ac damna, & iniuriam paſſi, impetratis literis noſtris Regalibus querimonialibus, & præceptorijs, Comites Parochiales, & Iudices nobilium Comitatus illius, in quo facta huius modi patrata extiterint, accedant, & requirant: qui quidem Comites, & Iudices Nobilium cum teſtimonio Capituli vel Conuentus illi Comitatui deſeruire ſoliti, à vicinis & commetaneis ac Nobilibus prouincialibus ſub certis pœnis & huiuſmodi literis noſtris Regalibus declarandis, in ſedem eorum iudiciariam, per modum proclamatæ congregationis, partibus quoque litem habentibus conuocatis, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatem nobis & ſacræ Coronæ obſeruandam, tactis Sanctorum reliquijs præſtitam, ſuper huiuſmodi nouis occupationibus poſſeſſionarijs, & alijs actibus potentionarijs, plenam & indilatam requirant veritatem; qua requiſita & inuenta, poſſeſſiones occupatas authoritate in hac parte eis attributa mediante, reſtituant eiſdem, à quibus fuerant indebite occupatæ, ipſoſque dominio in earumdem protegant & conſeruent. Alia vero bona, & valida potentia ablata, abſque defectu reddant & reſtituant.

a al. attemptationibus.

2. Super facto autem potentiæ in talibus commiſſæ, partes vtraſque diſcuſſionem, & ſententiam finalem recepturi, ad certum terminum, mediantibus eorum, & dicti Capituli vel Conuentus literis ſeriem totius facti exprimentibus, ac propria, & poſſeſſionum factum huiuſmodi atteſtantium nomina contingentibus, in perſonalem præſentiam noſtram Regiam, aut Palatinalem, ſeu Iudicis Curiæ tranſmittant: vbi abſque vlterioris termini & litigionarij proceſſus obſeruatione, & continuatione, etiam partis non venientis abſentia non obſtante, Nos vel Iudex alius, ad quem cauſa tranſmiſſa fuerit, iuramentum capitis decernentes, tandem finalem ſententiam profcremus, & b pio fine terminabitur.

Sal. Ann. 1439.

b al. proferre tenebitur.

3. Quicumque autem huiuſmodi vicinorum & commetaneorum, ac aliorum Nobilium comprovincialium atteſtationes fieri, de damniſque & ablatis, læſis & damnificatis ſatisfactionem impendi non permitteret, eiſdem omnino reſiſtendo, ex tunc talis in illo termino, ad quem factum ſeu cauſa huiuſmodi per Comitem, ac Capitulum ſeu Conuentum reſcribetur, in facto potentiæ pronuncietur, ſed decernatur eo facto.

4. Volumus etiam, & præſentibus decernimus, vt talis modi præmiſſorum executio ſeu cauſa, per modum proclamatæ congregationis exinde mota ſine verteñ: nec noſtris Regalibus ſeu Reginalibus, neque Prælatorum ſeu Baronum, quorumcumque etiam confinia Regni noſtri tenentium literis, nec videlicet ratione exercitualis expeditionis, neque conſeruationis caſtri poſſit quoquam prorogari, ſed eadem cauſa in vno termino ad hoc deputato finaliter concludatur.

Quod quilibet perſonaliter repertus ſuper nouis actibus potentiarijs reſpondere teneatur. Artic. xxv

Item quod quilibet patrator nouorum actuũ potentiariorum, qui coram Regia Maieſtate, aut Palatino, ſeu Iudice Curiæ noſtræ Regiæ per querulantes perſonaliter reperietur: in continenti ſine vlla prorogatione, vllaque cautela inuenta, ſuper omnibus ſibi obijciendis ipſi querulanti debeat reſpondere: alioqui contra tales, tamquam abſentes, ipſa congregatio generalis detur.

De facultate concordandi litigantium. Art. xxvj.

In Decret. Sigiſmundi art. 6.

Partes tamen litigantium, quandocunque voluerint abſque requiſitione iudicis, & onere ſolutionis byrzagiorum, liberam concordandi habeant facultatem, quemadmodum antiqua & laudabilis conſuetudo huiuſmodi concordiam, in quibuſcumque factis pœnitentia-

Sal. Ann. 1439. *libus, & alijs libere faciendam dictat & conſentit.*

2. Redemptiones autem literarum, & adductiones teſtimoniorum Capitularium, ſeu Conuentualium, & qualiter aut quomodo falſæ viæ tributorum cuſtodiantur, in eodem ſtatu, quo in ipſo Decreto Domini Sigiſmundi Imperatoris & Regis continentur, relinquantur.

Art. xxvij. De proceſſibus per exhibitiones literalium inſtrumentorum.

Item alia facta potentiaria minora, pro quibus videlicet proclamata congregatio non datur, in tribus terminis, ſeu octauis finaliter in iudicio concludantur, ſic videlicet, quod duas euocationes præcedentes trina forenſis proclamatio ſubſequatur. In factis autem, ſeu requiſitionibus quarumcumque poſſeſſionum, finaliter duabus euocationibus, & trineforenſi proclamatione procedenti pars aduerſa reſpondere teneatur, tali modo: Quod ſi aliqua literalia inſtrumenta apud ſe habere aſſeruerit, tunc ſemel ſine onere, binis autem vicibus, cum oneribus iudiciorum, abſque conſulentia vlterioris prorogationis, exhibere teneatur: aut ſi ad primum terminum exhibitionis non venerit, tunc etiam duo termini; & ſi ad ſecundum non venerit, tunc vnus terminus compleatur, cauſaque in facto poßeſſionario mota, finem ſortiatur effectiuum.

Art. xxviij. Quod ſi dixerit inſtrumenta apud manus alienas exiſtere.

Si vero pars aduerſa ſua literalia inſtrumenta apud manus alienas haberi aſſeruerit, tandem pro requiſitione huiuſmodi ſuorum literalium inſtrumentorum vnus annus aſſignetur, vt contra aduerſarium in facto ipſorum inſtrumentorum terminus compleatur: ſic, quod elapſo ipſo anno, in primo termino iuridice aſſignato, dicta inſtrumenta ſua exhibeat; vel ſi exhibere nollet, aut non poſſet, tunc abſque vlteriori prorogatione ipſa cauſa ſimiliter finem ſortiatur effectiuum.

Art. xxix. Quod ſi plures fuerint in cauſam attracti, & quidam ex eis abſentes fuerint.

Si vero in accuſatione alicuius poſſeſſionis, tres, vel quatuor, aut quinque, ſiue plures perſonæ, vnius tamen & eiuſdem generationis, in cauſam fuerint attracti, tunc abſentia, & non venientis vnius, vel duorum aut pluriũ, aut ſi ex ipſis vnus, vel duo, aut plures in exercitu, ſiue in conſeruatione confiniorum, ſeu caſtri, vel alijs quibuſcumque ſeruitijs Regalibus fuerint conſtituti, tunc ratione horum cauſa in facto talis poſſeſſionis mota vllatenus prorogari poſſit, ſed in eadem cauſa cum vno vel pluribus eorumdem in proprijs reſidentibus, terminus legitimus ſimiliter compleatur. Sal. Ann. 1439.

Quod ſi omnes in exercitu fuerint. Art. xxx.

Vbi autem omnes huiuſmodi in cauſam attractos, nullo penitus eorum in proprijs remanente, in notabilibus Regni vel Regijs ſervitijs occupari contigerit, extunc cauſa ipſa, dempto facto proclamatæ congregationis generalis, ad vlteriorem terminum, more alias conſueto, poterit prorogari.

De pœnis inter Eccleſiaſticos, & ſeculares impoſitis. Art. xxxj.

Item, quæcumque Eccleſiaſtica perſona aliquem Nobilem in præſentia cuiuſcumque Iudicis ordinarij citauerit, vel euocauerit, & ſi idem Nobilis contra ipſam perſonam Eccleſiaſticam ordine iudiciario in ſententia conuictus fuerit, tunc grauamina maiora incurrere non poſſit idem Nobilis, niſi homagium ſuum, ſcilicet emendam capitis ſui pretioſi, eo modo ſicuti ipſa Eccleſiaſtica perſona, & de damnis tam ex parte Eccleſiaſticarum, quam ſecularium perſonarum, iudex damnum patienti ſatisfactionem impendere teneatur.

De funeribus hominum interfectorum, quod Archidiaconi nullam ſolutionem recipere valeant. Art. xxxij.

Item decreuimus, prout etiam per certos prædeceſſores noſtros Reges decretum fuiſſe intelleximus, quod pro funeribus hominum per aliquem vel aliquos interemptorum, Archidiaconi ſeu Plebani Parochiales, prout hucuſque de mala conſuetudine fuit obſeruatum, nullam ſolutionem pecuniariam recipere valeant atque poſſint.

Nos itaque huiuſmodi petitionibus Prælatorum, Baronum, Nobilium ac regnicolarum noſtrorum aures exaudibiles Regis cum fauore inclinantes, ſupradictos Articulos, quoad omnes ſuas continentias & clauſulas, mera noſtra authoritate, & poteſtatis plenitudine, ex certa noſtræ Maieſtatis ſententia, necnon de conſenſu & beneplacito præfactæ Dominæ Elizabeth

Sal. Ann. 1439. *Eliſabeth Reginæ, conſortis noſtræ prædictæ, præſentibus literis noſtris inſeri fecimus, ipſos Prælatos, Barones, Nobiles & Regnicolas noſtros, præmiſſis libertatibus in eiſdem Articulis ſuperius expreſſis, perenniter fruituros, & gauiſuros committeñ. Adiecimus præterea, ac noſtro ac poteſtate Dominæ Reginæ conſortis noſtræ nominibus ſpondemus, quod memoratos regnicolas noſtros, & totum Regnum noſtrum, in quibuſcumque eorum neceſſitatibus non deſeremus, ſed fideliter & toto poſſe noſtro, pariter cum eiſdem ipſum Regnum, ac præaſſertos omnes regnicolas noſtros, ab omnibus æmulis defenſabimus, ac in cunctis tam præmiſſis quàm etiam in alijs ſingulis bonis, & laudabilibus ac iuſtis antiquis conſuetudinibus eorum, & Regni noſtri Hungarici prædicti, inuiolabiliter ſemper & vbique tenebimus, & conſeruabimus effectiue. Quicumque autem hominum, cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, hæc ipſa, quæ in ſuperioribus continentur, quauis ſcilicet occaſione impugnare molirentur, contra omnes & quoslibet tales, ad eorum proteruiam domandam, & compeſcendam pariter, tum eiſdem regnicolis noſtris, prout & ipſi omnes vniuerſaliter idipſum ſe facturos ſpoponderunt, operabimur, totoque poſse præſentium literarum noſtrarum, quibus ſecretum ſigillum noſtrum, quo vt Rex Hungaricus vtimur, eſt appenſum, vigore & teſtimonio mediante.*

Datum Budæ feria ſexta, † proxima ante
†III. Non. Iunij. *feſtum Sanctæ Trinitatis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo nono.*

EPITAPHIVM.

XLVIII. Albertus *vir iuſtus erat, virtutibus omnes*
Anteibat, bonitas illi & prudentia curæ
Siue toga ſeu bello, animuſq; in tempore præſens;
Turca fugit retrò, dũ Cæſari it obuius armis Sal. Ann. 1439.
Armato, & verſis lugebat Græcia fatis.
Sed qui debebat rapidis inſiſtere victor.
Curribus Albertus, *redit æger, & vrbe paterna*
Occubat: heu quantum Germania, & heu mihi quantum
Præſidiũ Hungaria, & quantũ Boemia perdis?

Georgius Sabinus de Eodem.

Contulit Alberto *regale Bohemia ſceptrum,*
Ac ſubiecit opes Pannona terra ſuas:
Nupta quod illius thalamo, lectoque iugali
Nata Sigiſmundi *regis Eliſſa fuit.*
Quæ velut exemplum Lucretia caſta pudoris,
Aequabat morum nobilitate genus.
Teutonici ductu Thaboritas fudit Achillis:
Colluuies quædam gens ea plebis erat.
Templa Bohemiacis quæ diſiiciebat in oris,
Atque ſacerdotum diripiebat opes.
Illaturus erat Turcarum bella tyranno
Morte ſed extinctus præueniente fuit.

Aliud.

Pace fui clarus dux, & pugnacibus armis
Albertus, *patriæ ſplendor honoſque domus.*
Imperium virtus duo dos vxoria regna
Contulit. Impleui laudibus omne latus.

Aliud.

Inuia diſperſos capio per luſtra latrones
Per me ſecurum conficit hoſpes iter.
Tauromatas domui temerantes ſacra; ſed vſus
Germani fida ſemper Achillis ope.
Mens fuerat Scythiã bellare, domare Tyrannũ
Threicium; ſed me Parca maligna domat.

Symbolum Alberti II. Imperator.
Amicus optima poſſeſſio.

Monetam Alberti II. & Symbola vide ſupra pag. 5.

CAPVT TERTIVM.

Vita Alberti II. Imper. Symbolis, & Hieroglyphicis exarata.

Symbola vide ſupra pag. 5.

1. *Symbolorum origo.*
2. *Vita noſtra quomodo dirigenda.*
3. *Rex à natura quis deſignatur.*
4. *Forma corporis quantum conferat. 5. index eſt mentis. 6. 14. ſignum imperij. 7. qualis debeat eſſe. 8. elegantia corporis vnde ſit. 15. forma turpis ſignum malitiæ.*

9. *Pulchrũ vnde. 14. quid. Diuinitat. argumẽtũ. epiſt. dicitur officioſa. 16. Deæ rapuere pulchros.*
10. *Angeli quomodò pugnent inter ſe pro nobis.*

11. *Venus gemina: an in Deo.*
12. *Pulchritudo non poteſt pingi.* 14. *index boni.*
13. *Apellis vanitas.*
14. *Horticulam cũ Regem faceret Alexander.*
14. *Pittagoræ quanta pulchritudo.*
16. *Deformes reiecti a Philoſophiæ ſtudio.* 14. *præcipites dati à ſpartantis.*
17. *Alberti II. elegantia corporea ſymbolis explicata.* 20. *religionis ſymbolum.* 23. *caduca felicitas, ſymbolum.*
20. *Lex antiqua vbi repoſita. Sancta.*
21. *Legi obſeruatæ fructus.*
22. *Bibliam ſacram quoties Rex Alfonſus legerit.*
23. *Felicitas humana fallax. ſymbola.*
24. *Regnum graue pondus.* 25. *fallax bonum.*
26. *Malogranatum figura imperij.*
27. *Quietis ſymbolum.*

CORPORIS ELEGANTIA.

I. *Symbolorum origo.* CVm veluti inter Orbes Titan maiores aſtra ſplendeant Auſtriaca: ſublimiori quodam ſtylo eorum faſtos aggredior, Egyptiorum more, quem Romani ſunt mutuati ſequentes, *ſacris* exarando *ſculpturis* (ita nuncuparunt Chaldæi) nec voto diuerſo; vt hinc vulgus arceamus prophanum, & religioſa, (quæ ſi diuina appellare non ſuſtines, nec fas eſt dicere humana) Auſtriacorum Cæſarum geſta, velo quodam exhibeamus inuoluta, ſine quo attrectare ſancta eorum Religio prohibet. Et quamuis nemini datum in Cælum os ponere, nec aſtra dinumerare, quòd ipſa ſibi obſtet magnitudo: faciam quod de antiquo Romanorum Imperio *Florus*, in breui quaſi tabella eorum inſtar, qui in mappa ſitus pingunt terrarum, totam eorum amplectar imaginem. Etiam Aſtrologi Aſtrorum arenam prætereunt, & in Conſtellationibus eas vident, quæ abſcondi non poſſunt. Summa ſequar faſtigia rerum, & veluti per exempla, Imperialis vitæ præcepta proponam. Diſcam, & doceam. Aliquis enim ſemper vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tanquàm illo ſpectante, viuamus, & tanquàm illo vidente faciamus.

II. *Acta noſtra quo modo peragenda. Epiſt. ij.* Cuſtodem nobis, & pædagogum Seneca dedit: nam Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. Opus eſt, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, praua non corriges. In teſtes itaque, & cenſores vitæ Principum exhibeo Cæſares, quarum Forma vel primo aſpectu, dignos indicat imperio. Facinoroſi, tumidi, brutales eſto ſubditi;

III. *Natura quem faciat Regē.* talem vobis Regem natura profert, vt bruta ipſa reſpuere non debeant, nec audeant. Primi namquè mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti ſequebantur, eamdem habebant & ducem, & legem, commiſſi melioris arbitrio. Naturæ cum ſit potioribus deteriora ſubmittere, mutis etiam gregibus ſigna contulit maieſtatis, ne tumida decertarent quinam præeſſent, vel ſequerentur. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine, ac toris cæteros mares vincit. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit. Volatilium phalanges Aquila dirigit. Aſtrorum turmas Phæbus illuminat. IV. *Forma corporis quantum conferat.*

Summus ille rerum Opifex, cum Regem plaſmat, ſignum maieſtatis, externa condecorat elegantia, quæ ſola vulgum prenſat in ſui Regis obſequium. Regem poſtulantibus Hæbreis, *Saulem* deſignat Dominus; 1. *Regum* 9. cuius prælectionis ſignum hoc vnum fuit, *ſpeties decora*. Saul *electus, & bonus, & non erat vir de filijs Iſrael melior illo: ab humero, & ſurſum eminebat ſuper omnem populum*. Electus hic dicitur, non ſolum qui interna mentis præſtantia, ſed etiam qui externa corporis elegantia floreſcit. Vtraque enim amicè conſpirant, imò prioris argumentum poſterior eſt. Exterior corporis habitus index eſt interioris, vnde prauam, vel rectam poſcis arguere mentem. Patet in *Vatinio*, in quo teſte Tacito *Annal.* 15. & Velleio Paterculo *lib.* 1. *c.* 69. deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij: adeo vt animus eius digniſſimo domicilio incluſus videretur. Non diſſimilis Vatinio *Pelignus* fuit, ignauia animi, & de ridiculo corpore iuxta deſpiciendus. Socratem ſi obijcias externa ſpecie fœdiſſimum hominem ſimis naribus, recalua fronte, piloſis humeris, repandis cruribus, vt teſtatur Hieron. V. *Corporis forma index mentis.*

lib.

lib. in Iouinian. tamen virtutis fuerit ſupernæ virtutis imago; dicas cum *Zophyro* Phyſiognomo ex ipſius Phyſiognomiæ legibus apud Ciceronem in *Tuſcul.p.*4. quod quamuis *Zophyrus*, qui multa in Socratem vitia collegerat, à cæteris derideretur, qui illa in Socrate non agnoſcerent, ab ipſo Socrate ſubleuatus fuit, cum illa ſibi vitia ineſſe, ſed ratione à ſe deiecta diceret. *Præſtantiſſimã formam dignam eſſe imperio* aiebat *Euripides*, dummodò in muliebrem venuſtatem non faceſſat, ſed virilem præferat dignitatem, qualem Tragicus in Hyppolito ſignificauit, dicens, *Quàm grata eſt ſpecies torua viriliter*; & apta primùm (ait Ariſtoteles *in Ethnicis*) ad ferendos labores; innata etiam quadam *in vultu ferocia, vt hoſtibus terribilis videatur*. Qualem in Magno Alexandro fuiſſe memorat *Cælius Rhodig. lib.* 9. *c.* 24. & in Cæſare Auguſto *Suetonius*. Cuius forma eximia fuit, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima: quamquàm & omnis lenocinij negligens. Vultu erat, vel in ſermone, vel tacitus adeo tranquillo, ſerenoque, vt quidam è primoribus Galliarum confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum, ac remollitum, quo minùs, vt deſtinarat, in tranſitu Alpium per ſimulationem colloquij propriùs admiſſus, in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros, ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat, ineſſe quidam diuini vigoris, gaudebatque ſi quis ſibi acriùs contuenti, quaſi ad fulgorem Solis vultum ſubmitteret; & herclè legiones tumultuantes aſpectu ſuo non ſemel exterruit.

VI. *Signum imperij.*

VII. *Qualis forma.*

Auguſti forma.

Non minori elegantia fuere cæteri Reges Hebræi, Romani, Græci, Germani. Talem habuit *Adamus* teſte *Philone lib. de Mundi Opificio*, quod animæ ſacratum fabricaretur templum, & domus, quam diuina illa imago circumferre debebat. Talem habuit & *Moyſes*; vnde occultatus tribus menſibus à parentibus, quos vultus eius ad fidem attraxerat; quaſi ex formæ elegantia eum populi liberatorem præuiderent, ait *Chryſoſt. Heb.* 11. Talem præterea habuit Chriſtus Dominus, cuius in vultu niſi quoddam fuiſſet ſydereũ, nec eum ſtatim ſequuti fuiſſent Apoſtoli; neque qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent. Hinc *Ambroſius* in obitu *Valentiniani* formam Imperatoris laudat quia candidam, fuluam *habentem imaginem Chriſti*. Nec iniuriam putes (excuſat Ambroſius) ſi in Imperatorem, encomium tranſtulerim Chriſti, quia *Charactere domini inſcribuntur & ſeruuli*.

Adami forma.

Vnde verò elegantiam corporis, & formæ decorem corpora trahant? ſunt qui illam origini & contextui ſanguinis reſpondere velint. Nec paruum argumentum ex cæteris animalibus trahunt, quæ ferè gignentibus ſimilia naſcuntur; Negant alij certam hanc eſſe naturæ legem; ſed ſpecies mortalium, prout fortuita ſors conceptioni obtulit, attribui. Ideo plerumque ex ſpecioſis deformes, ex robuſtis inualidos, vel imaginationis fætu, quæ & ipſa realiter concipit, vt de femina Æthiopiſſa album ædente puerulum; & de arietibus & ouibus, ob virgas ante oculos earum poſitas, partus diuerſo colore reſperſos concipientibus, legitur. Georgius Venetus *c.* 11. *tom.*4. *Cantici* 1. *Harmoniæ Mundi* ad Venerem refert. Quia etſi omnia creata Dei ſimulachrum gerant, diuerſa tamen pro diuerſis, quibus referta ſunt, chariſmatibus varias perfectiones repreſentant. Ignis robur, & amorem: Aqua clementiam, & pietatem: Aer ſubtilem ſpiritum: Terra eſſentiæ ſtabilitatem: Ex compoſitis homo intrinſecas operationes, & totum quod eſt in Deo, gaudens perfecta ipſius imagine. Stellatum Cœlum exemplaria, aut ideas multiplices. Primum Mobile Motorem primum: Seraphini amoris incendium: Cherubini vim ſcientificam: Saturnus grauitatem iudicij. Iupiter æquam poteſtatem. Mars virtutem inconcuſſam; Sol clariſſimum refert imperium; *Venus* autem peculiariùs repræſentat pulchritudinem illius, à quo omnia pulchra ſunt. Non enim eſt aliquod pulchrum (habent Stoici, & Accademici) niſi quando participat de illa diuina pulchritudine: quamuis Peripatetici dicant *pulchritudinem eſſe ex conſonantia omnium partium in toto*: Quam conſonantiam, aut pulchritudinem à ſummo pulchro acceptam, ſi ſeruarent, vtique ipſa pulcherrima eſſent. Sed quia cauſæ ſecundæ pro ſuæ ſortis conditione à prima deficiunt, vt ſint in eis diſtincti gradus, ex debiliori virtute eorum non valentes moderari ſubiectum, pro-

VIII. *Elegantia corporis vnde ſit.*

Gen. 30.

IX. *Pulchrum vnde ſit.*

producunt nonnunquàm effectum deformem. Animis autem qui ſunt ſuo arbitrio donati, faciliùs deficientibus, multæ deformitates relinquuntur in moribus. Quod etiam cæleſtibus mentibus, contigit, antequàm in gratia Dei conſolidatæ eſſent. Nec mirum ſi nos imbecilles non conducamus operationes noſtras cum ſummo exemplari concordes; nam hoc ſolumodò poſt pugnam, & victoriam donatur. In pugna vero adeo à ſummo pulchro mortales deficiunt, quòd hanc ſcenam mundanam adeo fæditatibus complent, quæ niſi à ſupremo moderatore regularentur, aliquando tantum horror perſtreperet, vt tartareæ confuſionis abyſſus irreperet. Multa verò mala per miniſtros, quos oculis non videmus corporeis, coërcet. Hi ſunt Angeli hominibus præſidentes, vel Archangeli, qui Prælatos, aut Principes regunt,

X. *Angelorũ pro nobis pugna.*

vt in Scriptura legitur de Daniele orante pro redemptione populi captiui, cui Gabriel reſpondit; *Veniſſem ad te à principio orationis tuæ, vt decreueram: ſed Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus*. Quæ reſiſtentia (vt ſentit *Gregorius*) non ex altercatione proceſſerat, ſed moram procurabat, vt Perſæ relicto infidelitatis errore, per fidem reconciliarentur ſummo Pulchro. Sicut itaque Deifica pulchritudo per principatus ad æternum decorem nos iubet conduci: ſic per Venerem ad extremam pulchritudinem, vt pulchro addito pulchro, reſultet pulcherrimum. Et ne quempiam offendat Veneris nomen in Dei negotium vſurpari (ſub-

XI. *Venus gemina an in Deo.*

iungit *Venetus*) ſciant legentes nos non intelligere, nec meretricem Venerem Paphi reginam, nec ſydus collocatum in tertio Cęli volumine: ſed amoris vim, quæ in omnibus viget. Hæc illa quæ ad beatitudinem ſummamque pulchritudinem introducit, non ad cupidinem inferiorem ſub typo pueri cæci, alati, nudi, pharetram & arcum gerentis à poëtis depictum. Duas namque Veneres *Apuleius* deſcribit, Cœleſtem alteram, quæ Solis hominibus, & eorum paucis præſit, nullis ad turpitudinem ſtimulis, vel illecebris amatores ſuos percellentem: Alteram verò vulgarem, quæ ſit percita populari amore, & non ſolum hominibus, ſed & pecuis imperans, truci, & immodico complexu captiua corpora vinciat. Eſt igitur bona Venus, quando ei fauent principatus, & numen illud amoris ſupramundani. Cuius ſignificatio eſt (vt dicunt inferiores, & ſuperiores Aſtronomi) gratia, cocus, omnis decor, omniſque venuſtas, vt grati ſint huiuſmodi Venerei Deo, &

XII. *Pulchritudo nō poteſt pingi.*

hominibus. Præcipua pulchritudinis portio ea eſt, quam pictura repræſentare non poteſt. Imò nec ipſa viua effigies primo aſpectu. Nec reperitur Pulchritudo aliqua ita excellens, cui non inſit aliquid minus conforme in compagine; neceſſe eſt enim diſtinctio ſit inter exemplum, & exemplar; quæ eſt inter humanum & diuinum. Ridiculi ſane fuere *Apelles*, & *Albertus Durerus*, quorum al-

XIII. *Vanitas Apellis.*

ter hominem ſecundùm proportionem Geometricam effingere voluit; alter ex compluribus faciebus optimas quaſque partes deſumendo, vt excellentem componerent effigiem. Tales vix vlli placebunt, præterquàm ipſi pictori; non quòd ab eo elegantior vultus depingi haud poſſit, quàm fuerit in rerum natura, ſed hoc caſu. Nam ſi in perpulchra facie ſingillatim partes accipias, vix vnam reperies, quam ſeparatim probes; quæ tamen in conſortio ſatis placent. Hanc ele-

XIV. *Pulchrum quid.*

gantiam, & corporis externam pulchritudinem nemo meliùs, quàm *D. Chryſoſtomus homil. in Eutrop.* Quæ eſt (inquit) *corporis pulchritudo? ſupercilium porrectum, oculus ſuauiter & gratioſè arridens, genæ rubore purpureo ſuffuſæ, labia coloris phœnicei, collum erectum, coma vltrò ſe vibrans & motitans, digiti in longum producti, ſtatura erecta, candor efflore-ſcens*. Hæc eſt index virtutis; vnde Marſilius Ficinus vocat eam *florem bonitatis*; Et Pacatus in Panegyri ad Theodoſium, *Auguſtiſſima quæque ſpeties plurimum creditur habere de Cælo*; Vnde ſubdit, *Virtus tua meruit imperium; ſed virtuti addidit forma ſuffragium: illa præſtitit, vt oporteret te Principem fieri; hæc vt deceret*. Vnde Porphyrius, *Speties Priami digna eſt imperio*. Apes non tam grandiorem, quàm pulchriorem ſibi Regem eligunt; propterea, ait Seneca. *Inſignis Regis forma eſt, diſſimiliſque cæteris tum magnitudine, tum nitore*. Horticulam quia pulcherrimum Magnus vidiſſet Alexander, Regem fecit, inquiens, *Corporis habitus formæ generis non repugnat*. Si Deos arguit pulchritudo, imperio fas eſſet præcedere,

dere eos, qui cæteris pulchritudine præeunt. Pittagoras harmonica corporis diſpoſitione adeò excellebat, vt inter eius diſcipulos quæſtio eſſet, an Pittagoras exuuijs Apollinis, vel Apollo Pittagoræ veſtiretur. Vt Ridiculum corpus ridiculam animam circumueſtit: Sic formoſos manus etiam verentur barbaricæ. Officioſa epiſtola dicitur Pulchritudo, quæ vt aiebat Heſiodus, *magnam quandam vim habet ad conciliandam beneuolentiam*, Spartani (iubente *Lycurgo*) deformes infantes, vel ex rupe dabant præcipites; vel in ſolum ablegabant alienum: Quòd turpes animi turpia incolant corpora. Improbitatem autem in egregia forma perrarò eſſe compertem aiebat *Bartholomæus Capranus* Archiep. Mediol. idcirco ſe miniſtros forma præſtantes quæſiuiſſe dicebat. Peſſima forma in Iuliano Apoſtata, in Caligula,

XV. *Forma turpis ſignum malitiæ.* Othone, Galba, non obſcurè prodidit illos peſſimos fore imperatores. Deus optimum electurus Regem, eligendum cenſuit etiam corpore elegantem, *vt meritò dignitas corporis dignitati Regiæ conueniret*, ait Seuerus Sulpitius. Quaſi regiæ dignitati, corporis elegantia iure debeatur. Audi de Traiano Plinium, *Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, adhoc ætatis indeflexa maturitas, nec ſine munere quodam Deum feſtinatis ſenectutis inſignibus, ad augendam Maieſtatem ornata cæſaries, nonne longè, lateque principem oſtentant. Talem eſſe oportuit, quem non bella ciuilia, nec armis oppreſſa Reſpublica, ſed Pax & adoptio & tandem exorata terris Numina dediſſent.* Si Barbari ex corporis maieſtate, ſpeciem dignam iudicant imperio, nos Deos XVI. *Deæ rapuere pulchros.*

arguimus; nam Deæ pulcherrimos rapuerunt, cum quibus verſantur. Aurora cum Cæphalo, Clito, Tithono; cum Iaſone Ceres; cum Anchiſe Venus; cum Endymione Luna. Ganymedem Iupiter rapuit, vt in pincernam haberet; quia virilis pulchritudo bona reliqua in ſocietatem habeat. Hinc *Socrates* pulchros præ cęteris ad philoſophiæ ſtudium admittebat: quoniá vbi vera eſt pulchritudo, & acumen adſit ingenij. *Deformes à Philoſophiæ ſtudio excluſi.* Præter Spartanos etiam Sophiſtæ Indi tanti faciebant corporis elegantiam, vt pueros, quibus corpora erant inuenuſta, morti traderent, quod ijs alendis curam impendere, ſuperuacuum exiſtimarent.

XVII. *Elegantia Alberti II Imp. Symbolo explicata.* Hac ſpetie, atq; corporis elegantia *Albertum II.* (cuius gratia, hieroglyphicum exaramus) cum adhuc in ephebis eſſet, natura Regē deſignauit; & nos gemino exornamus ſymbolo; Primum *Saulem* annuit. In ſecundo eſt *Aquila* figura imperij, quæ non claudum, non cœcum, ſed forma ſpecioſiſſima *Ganymedem* rapit. Vnde deducas corporis elegantiam non minimum ponderis ad maieſtatem habere.

ALBERTI II. RELIGIO.

XVIII. *Fulchrū Reipublicæ.* Reipublicæ fundamentum, & propugnaculum *Religionem* eſſe teſtatur Plato *lib. 4. de Rep.* In qua rerum diuinarum cura ſumma debet eſſe. Cyrus Rex optimè auſpicabatur aulicos ſibi fore fideles, ſi Deum metuerent. Plato 3. *de legib.* ad Magiſtratum quempiam non admittebat, niſi priùs diuinis operam dediſſet. Tribunal & altare eodem collocabat gradu, & promiſcuis nominibus Iudices, & Sacerdotes appellabat *Architas Tarentinus*

XIX. *Lex & Religio ſorores.* *Lex & Religio iunxerunt fœdera; prauas*
Hæc hominū mentes comprimat, illa manus.

Vide itaque in altero Religionis ſymbolo Legem & Religionem inito aſſociari fœdere, & in eadem ſede morari *Religionis* Amorem, & *Legis* Maieſtatem, ſub lemmate, *Tabernaculum fœderis.* In arca namque antiqui Teſtamenti voluit Deus legem reponi, vt eſſet Sancta, & immaculata. *Exod. 30. n. 7.* Sic Cæſares dixere legem, XX. *Lex antiqua vbi repoſita.*

Sanctio ſancta, honeſta iubens, prohibens contraria. Hoc ſymbolo itaque non minùs *Alberti II.* Imperatoris iuſtitiæ argumentum tenes pro legibus ab eo exaratis, ſed & Religionis, cuius tam amator fuit, vt *Monachus* diceretur.

In quarto ſymbolo *Lex ſancta* eſt, ſub titulo *libri Regum* expoſita, quia vt Æterna clamat Sapientia *Sap. 6. n. 10.* *Ad vos Reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis.* Magna promitto, dicit Dominus. *Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam. Ioſues 1.* Si tamen *cuſtodias & facias omnem legem, quam præcepit*

tibi

tibi Moyſes. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo; ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt cuſtodias & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eā. Hanc aſſequuturus *Albertus II.* Imperator, in cætibus ſacerdotum diuinas canere laudes nō erubeſcebat. Regiam propè templum habuit, & ad inſtar Dauidis per feneſtram in-
XXI. *Legis obſeruantiæ fructus.* ſpiciebat in templum, quaſi excubias ageret in lege Domini. Imperator venerat, non vt ſolueret, ſed vt legem adimpleret. *Solus dicendus eſt ille meus, qui legibus potuerit eſſe tranquillus*, aiebat *Theodahadus* Rex. 10. *var. lect.* 5. Obſeruatæ legis fructus, via ſine errore eſt; qui legem religioſè excolit, pericula cautè declinat. *Lex mortalium omnium, & Rex immortalium* (ait Plutar. ad Princ. Ind.) *non illa quidem in libris extra, neque in ligneis conſcripta tabulis, ſed ſermo animatus, qui ſemper cum eo habitet, ſemper aſſeruet, neq; animum eius vnquàm deſtituat ductu. Cæterum tot, tantorumque, quæ Cæleſtes largiuntur, donorum, & bonorum non eſt fruitio, vel vſus rectus ſine lege.* Idem de ſe protulerat Pſaltes; *Niſi quia lex tua meditatio mea eſt, tunc forte perijßem in humilitate mea*, hoc eſt in afflictione mea, exponit Ambroſius. Quando in afflictionis tempore ſumus, & quatimur aduerſis, meditatio nobis in lege ſit, ne imparatos procella tentationis affligat. Alfonſus Aragonum Rex qua- XXII. *Bibliam Sacram quoties legerit Alfonſus.*
ter, & decies Bibliam cum gloſſis, & commētarijs perlegiſſe gloriabatur, & memoriæ adeo inſculpſerat, vt non tantùm res, ſed longum etiam verborum ordinem abſque libro audientibus recitare potuerit. Hinc forſam *librū apertum* pro inſigni geſtabat, quaſi ei reſerata eſſent arcana diuina. Humiliùs cum de ſe ſentiret *Albertus II. Imp.* ei librum imponimus clauſum, & ſignatum ſigillis ſeptem, quem non Leo, ſed Agnus valet aperire.

ALBERTI II. CADVCA FELICITAS.

XXIII. VNo, eodemque anno *Albertum II.* bis in Regem, Bohemiæ, ſcilicet, & Pannoniæ, & tertio in Imperatorem offendimus coronatum, raro quidem felicitatis exemplo; ſed lege mortalium, citiùs perdidit, quàm acquiſiuit. Eodem Anno in luctum conuertitur cithara. Aſcendit thronum, deſcendit in tumulum. In hoc felix, quòd in ipſa felicitate diem clauſerit extremum. Ea eſt humanæ voluptatis conditio, quæ fluit & tranſit, & pœnè antequàm veniat, aufertur. Niſi hoc inuidæ referas Fatorum cauſæ, quæ ſummis ſtare diù, negat.

O Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelſa locas.
Nunquàm placidam ſceptra quietem
Certumve ſui tenuere diem. Sen. in Agam.

Et infra—— —— *Licet aſtra vacent*
Ceßentque doli, ſidunt ipſo
Pondere magna, ceditque oneri
Fortuna ſuo vela ſecundis
Inflata notis, ventos nimium
Timuere ſuos.

Plena eſt inſidijs vita. Res eſt inquieta felicitas. *Miramur* (ait Seneca *c.* 11. *de Con-*
Symbola humanæ vanitatis. *ſol. ad Marciam*) *mortem vnius, quæ ſingulis opus eſt. Numquid enim vt concidat, res magni molimenti eſt? Odor illi ſaporque, & laßitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & ſine quibus viuere non poteſt, mortifera ſunt.* Trepida ſunt gaudia noſtra, & eadem qua oriuntur, vanitate turbantur. Omne quod fortuitò euenit, inſtabile eſt: quo altiùs ſurrexit, vergit pronius in occaſum. Hinc cum Pſalte. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fænum arui.* Pſal. 101. in ſymbolo trium coronarum, quas laurus circumdat, canit *Albertus II. Imper.* Idem annuit *Taurus* ſecundum Zodiaci ſignum, & Veris ineuntis præludium, iuxta illud Virgilij 1. *Georg.*

Candidus auratis aperit cum cornibus annū.

Cuius in fronte (ante genua volunt alij) ſeptem ſunt *Pleiades* infauſta tempeſtatis vaticinia, vt docet Stat. lib. 1. Sil. *Nec & per Aegeas Hyades, Pliadumque niuoſum ſidus*, vt infortunij præludium humanam agnoſcas felicitatem. Quampulchrè Italico lemmate rerum mortalium fugam declarauit, qui occiduo Soli inſcripſit,

A pena vidi il Sol che ne fui priuo.

Sic ille, qui papilionem circumuagantem flammę tandem conſumptum in ſymbolum viciſſitudinis aſſumpſit humanæ.

Così viuo piacer conduce à morte.

Pinge *Maieſtatem* in throno ſedentem, & ſuper-

ſuperſcribe, *ſedit*, *ſed-it*. Rapitur more fluminum. Quidquid vides, currit cum tempore. Nihil ex his quæ videmus, manet. Ego ipſe dum loquor mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt quod ait Heraclitus; *In idem flumen bis non deſcendimus*. Sordent dignitates humanæ, & terrenæ felicitatis non eſt niſi perfida fides. Propterea Cæſar, & quæ religio monebat aruſpicis, & quę renunciabant amici,
XXIV. *Regnum quàm graue.* de imminente cæde neglexit, quod iam diutiùs viuere nollet, neque curaret. Grauiſſima res eſt Maieſtas imperij, & principatus ſplendor nimis oneroſus. Præclarè *Antigonus* Rex (teſte Æliano *lib. 2. Var. Hiſt. c. 2.*) ſuum arguebat hæredem, ob parentis imperium tumeſcentem. *An ignoras, fili, regnum noſtrum aliud non eſſe, quàm ſplendidam ſeruitutem?* Ad hanc vocatus *Albertus II.* vultum lacrymis atque ora rigauit; eum non la-
XXV. *Plangit Albertus ad regnũ vocatus.* tebat quàm *Fallax bonum* corona ſit. Hanc humi forte iacentem, vel ſibi oblatam, fuit qui tollere nollet, inquiens, *Tollat te, qui te non nouit*. Valer. Max. *lib. 7. c. 2.* Si notum tibi diadema, fuges: ſi ignotum, *munus inuerſa corona docebit*; Lemma eſt ad coronam deſuper radiatam, ac ſpiculatam. Symbolum verò, quod nos *Alberto II.* Imperium recuſanti apponimus, eſt *Malogranatum* figura imperij, vt 3. *Reg. cap. 7.* legitur. In templo Salomonis circa medium duæ erant columnæ (figurabant hæ *Petrum* & *Paulum*, qui dicuntur columnæ fidei.) XXVI. *Malogranatum figura imperij.* quarum in apice ſtabant *Malogranata retibus inuoluta*, quia rete Apoſtolico inuoluenda erant omnia regna Mundi. Eſt itaque Malogranatum Imperij ſymbolum, vndè eum natura coronauit. Et quia inter reliqua poma, hoc inſuauius, & agreſtius eſt, acerbitatem, & pondus ſignificamus imperij ſub lemmate *Inter dulces amarum*. XXVII.

Vltimum ſymbolum trium coronarum eſt, in medio *punctum*, quietis hieroglyphicum, quam nefas in vita ſperare mortali. Vt viuas, moriaris, neceſſe. Propterea *limen ſecuritatis* mors dicitur.

LIBER XLII.

CAPVT PRIMVM.

FRIDERICVS V. PACIFICVS,

OCCIDENTIS IMPERATOR XLII.

1. 3. *Rationis hieroglyphicum.*
2. *Friderici V. Imper. pietas, iuſtitia.* 4. *filius Erneſti Ferrei. Pacificus.* 5. *abſens eligitur Imperator, ex Sancta peregrinatione reuertens.* 6. *cunctatur, priuſquàm conſentiat.* 2. 6. *tutor Ladislai Regis.* 7. *ſuadet Amedeo ſe abdicare Papatu.* 8. *Romæ coronatur.* 9. *Ladislaum inuitus reſtituit.* 10. *Cilienſem acquirit comitatum.* 11. *à fratre Viennæ obſeſſus.* 12. *Auſtriam amittit.* 13. *an auarus.* 15. *Carolum Burgundum ad pacem cogit.* 16. *mors.* 17. *viſitat limina Apoſtolorum.*

7. *Amedeus Sabaudus antipapa.*

15. *Mariæ Burgundæ nuptiæ cum Maximiliano Auſtrio.*

I. IN hieroglyphico *Friderici V.* cognomento *Pacifici* pingitur *Ratio*; cuius in manu frenum, & virga. Subtus pedes *Voluptas*, quia eius vita fuerit continua linea virtutis. In ea præcipuè notatur, quòd *Ladislaum* poſthumum *Alberti* Imp. cuius tutelam gerebat, cum aliqui perdendum ſuaderent, quia eius vita ingentes moleſtias Cæſari, mors verò regna & opes collatura eſſet; reſpondit *Fridericus*, ſe magis pietatem, & iuſtitiam quærere, quàm imperia. Digna Cæſare vox, digna Ioue; quem à viro iuſto ſola ſecernit ætas.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

Gemea quid proſint capiti diademata? ſceptrū
Quid regale? aut quid Nomina clara iuuent?
Si lenire nequis febrientis pectoris æſtus,
Et qui das alijs ponere iura tibi.
Vana hæc ſunt, ſtrato ſenſu, diademata, ſceptra
Regia, ni ratio, Nominaque ipſa regat.

Io: Franc. Franzinus S. Theol. D.

II.

Rex, & Pacificus, qui freno Bella coercet;
Non vnquam à recto tramite Virga mouet.
Noſcere ſat facile eſt Federico ſemet, & Ipsū;
Exprimit Effigies, quantus in Aſtra, micat.
Clauſerat Auguſtus Iani nam limina tantùm;
Claudit, & Is reſerat, ceu petit Ordo, Fores.
Concitus ad Bellum, reſerat; ſed Victor Amicū,
Hoſtem cum recipit; Poſtica clauſa manet.
Noluit Imperij Sphæram tranſire; nec vltrà
Iuſtitiæ fines, Regna parare cupit.
Iuſtior, an Princeps qui Grandior extat; habebit
Geſtis ex Rebus, maius in Orbe, Decus?
Parcere Subiectis; Animo & ſubijcere Senſum;
Imperio Mundi Gloria Maior erit.

M. Ant. Moles Neap. S. Theol. D.

III.

Dum redit audaci Federicus victor ab Hoſte,
Vt miles fugiat bella cruenta iubet.
Quid magis excelſum, nec non illuſtrius inquit;
Quam turpi finem ponere auaritiæ?
Ergo cadant rigidi reſonātia murmura Martis,
Bellicus, & clangor corda ferire ſinat.
En quod ego regni, pariter circumdata fræno,
Sceptra gero, quamuis omnia in orbe queam.
Scilicet omnis homo cupiens extollere nomen,
Geſta patrare ſinat, magnaque poſſe putet.

Ponginus.


Arn. van westerhout fe.

Sal. Ann.

FRIDERICVS V. PACIFICVS, OCCIDENTIS IMPERATOR XLII.

IV. *Filius Erneſti Ferrei eſt Fridericus Pacificus.*

Filium *Aureum* dat Pater *Ferreus*,
FRIDERICVM ERNESTVS.
Princeps Pacis
Nomen non repudiauit paternum, abſtinuit;
Nè Auſtrijs bellum fieret hæreditarium.
Debet hoc filio pater,
Quòd pacem bello genuerit.
Homo pacis, in quo Deus ſperauit,
Iuſtitia deoſcularentur & Pax.

V. *Abſens eligitur.*

Cum hominem Deus inueniſſet ſecundùm cor ſuum,
Vota Electorum prænſauit abſenti, 1441.
Vnde deſuper FRIDERICVS veniat;
Vel ſolus Deus de ambitu teneatur.
Patrem cum Orbi quærerent,
Vt talem agnoſcerent, penulatum exhibuit FRIDERICVM;
Qui ex Terra Promiſſionis reuertens,
Pacis Spiritum legerat,

VI. *Anxius an debeat conſentire?*

Ex eo, vbi Mors & Vita vno ſe patiuntur in tumulo.
Quis non proficeret? vbi terræ lutum Cæcorum oculos aperit?
Regius peregrinus leui aſſuetus ſarcinæ,
Molem nè declinaret imperij, rogari debuit.
Diſſentire nequijt Pacifica proles,
Vt ſimili puerperio pax Cælo naſceretur, & terris.

VI. *Tutor Ladislai Regis Hungariæ.*

Dic Pannona,
An Regno Regem, Regi vitam ſeruarit, & vittam?
Dic Roma?

VII. *Amedeum Sabaudum Pſeudopontificem ſuadet ſe abdicare eiuſque filiam, & opulentam dotem reſpuit.*

Fuiſti felix, cum tibi *Felicem* abſtulit;
Et noluit Pontifici vendere Pontificatum?
Venalis Vrbs quondam ſi habuiſſet emptorem, nunc venditorem,
EVGENIO enim QVARTO, Pontifice Maximo
Fatali totius Europæ errore exauthorato,
Deo ſubſtituerant AMEDEVM.
Vt veniret Sabaudus, ſuaſit Pietas: Nè rediret, Ambitio.
Vtrumque tamen compoſuit timor, vel amor Cæſaris,
Et factum eſt vnum ouile, & vnus paſtor:
Quum blanda FRIDERICI ſeueritate,
Maluit *Felix* Orbem pacare, quàm regere,
Et alijs felicior eſſe, quàm ſibi,
Amica in ſolitudine, depoſita ſolicitudine.
Pacata itaque domo Dei,

VIII. *Romæ coronatur.*

Romam venit, vt oleam daret, palmam acciperet. 1452.
Et Primus Auſtriacorum Cæſarum Vicaria Dei manu
Coronam acciperet auream.
Ferreum Italiæ diadema abhorruit,
Timens, ne quid detrimenti acciperet PACIFICI titulus.

Iani

Sal. Ann. Iani templum cum ſua manu clauſiſſet;
Acclamauit Senatus, Populuſque Romanus,
FRIDERICO PACIFICO *à Deo coronato Vita, & Victoria.*
Totam luſtranti Italiam,
Non fuit, qui ianuas clauderet ei, qui Ianum clauſerat.
Vbique in delicijs,
Etiam ſine aduerſario virtus emicuit.
1453 Roma redux, ſereniſſimo aſpectu Hungaros, Bohemos, Auſtrios, IX. *Ladislaum reſtituit.*
Proiecto Eridis pomo compoſuit, vel compeſcuit,
LADISLAO Hungariæ Rege.
Hoſpitem dedit hoſtibus,
Qui vel proderent, vel perderent ſi non manu, conſilio.
Suo in armiſtitio pauca numerauit bella, plures victorias.
Cilienſem comitatum, patrimonij ſui appendicem fecit. X. *Cilienſem acquirit comitatum.*
1457 A fratre obſeſſus in vrbe, in arce à ciuibus.
1461 (Abiurauerant ille ſanguinem, iſti fidem,) XI. *A Fratre obſidetur.*
Gloriam duxit, de ſuo ſanguine, abſque ſanguine triumphare,
Et plebis inſaniam non vindicta punire, ſed beneficio ſanare.
Ita eius ſerenitas tonabat, ſed citra fulmina
Innocens, quia nulli nocens, XII. *Matthias Rex Hungariæ Auſtriam eripit Cæſari.*
1485 Perduelles ipſos hoſtibus puniendos reliquit,
GermanicamqueRomam Pannoni præterit diripiendam,
Vt clauum clauo figeret.
Sic Auſtriam vel omiſit tumidus, vel amiſit timidus,
Vel auarus neglexit.
Pecunia, quæ maiore tormento poſſidetur, quàm quæritur; XIII. *Cæſar auaritia notatur.*
Cum chara illi eſſet, caritatem tulit prouinciarum.
Oneroſa pax eſt, ſi cum honorum iactura:
Et potiùs extra vitia, quàm cum virtutibus,
Si cum virtutibus vitia non coeunt. XIV. *Defenditur.*
Actum erat de Imperio,
Si *Auſtrius Fabius* tantum auſiſſet, quantum ira ſuadebat.
Iram tamen ante vicit, quàm *Coruinum.*
Ne nouo Chriſtianorum diſſidio,
Poſt *Nouam* Turcis *Vetus Roma* pateret. *Occupata Byzantio à Turcis, in magno diſcrimine erat res Chriſtianorum.*
Cunctando ſæpiùs, quàm pugnando hoſtes deuicit,
Vt ſuo ipſi caderent ferro.
Conſilio tantum potuit,
Vt nec *Audaces* Fortuna iuuaret.
1477 Verè Romanus ſedendo vicit, quod alij pugnando.
Carolum Audacem Burgundiorum regulum, XV. *Nuptiæ Mariæ Burgundæ cum Maximiliano Auſtrio.*
Centum ferè militum inſtructum millibus,
Bello exarmauit, pace ſpoliauit.
Illo Hymenæi faces accendit; hac Furiarum tædas extinxit;
Non minori pompa poterat Auſtria aſſociari Burgundiæ,
Et MAXIMILIANO MARIA.
Primus inter Auſtriades Cæſares FRIDERICVS
Succeſſorem non ſperauit tantùm, ſed ſpectauit.
Sæpè peragit tranquilla poteſtas, quod violenta nequit. XVI. *Mors Friderici.*
Duobus annis Auguſto maior, tribus minor,

Impe

Sal. Ann. 1493.

Imperium penè æquauit, ætatem vicit, in pace deuixit.
Quò ierit? nullibi quæras, quàm in via Pacis.
XVII. *Limina viſitat Apoſtolorum.* Roma ipſa quamuis noctu, & peregrinum agnouit
Iuxta aram pacis ea nocte, qua canitur,
Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra Pax.
Si laudas; Ianum erige, & ſuperſcribe;
Semel clauſit, nunquam aperuit.

CATENA HISTORICA.

CAPVT SECVNDVM.

1. 21. Friderici V. *Imp. ortus.* 2. *cur* Pacificus *dictus. Fabio cunctatori ſimilis.* 3. *virtutes.* 4. *apophtegmata iuſtitiæ.* 5. 17. *religionis.* 7. *adulatores odit.* 11. *benignus erga ſubditos.* 12. *facetus.* 13. *liberalis.* 14. *gratus.* 15. *ſibi imperat.* 16. *filij, vxor, peregrinatio.* 17. *Imperator abſens electus, cunctatur an conſentire debeat.* 24 *tutelam ſuſcipit Ladislai pueri Hungar. Regis.* 27. *eligitur Rex Bohemiæ.* 30. *laborat pro tollendo ſchiſmate Eccleſiæ. inuitat Regem Franciæ.* 31. *recuſat filiam Amedæi Sabaudi in vxorem, & auri ſummam.* 32. *indiferens in cauſa Pontificum.* 36. 39. *fœdus cum Tigurinis.* 37. *quo ordine, & pompa Aquiſgranum ingreſſus.* 38. *coronatur.* 40. *curat diſſolui ſynodum Baſileenſem.* 41. *ab Heluetijs ablata repetit.* 42. *à Tigurinis fidei Sacramentum exigit.* 43. *innocentia fretus, inter hoſtes abſque milite pergit.* 44. *Felicem Papam honorat.* 45. *negat ſubſcribere priuil. Heluet.* 46. *fratri reconciliatur.* 74. *Mediolanum ſibi exigit deuolutum.* 80. *Romam petit.* 85. *Sponſæ Eleonoræ obuiat Senæ.* 86. *Enææ pontificatum prædicit.* 87. *Pontificis pedem oſculatur.* 88. *coronatur, equites in ponte Tyberino creat.* 89. *ſomnium narrat Pontifici.* 90. *Neapolim pergit.* 95. *nummus honorarius. regali pompa à Venetis exceptus.* 97. *præſagium de Venetorum diſſidijs cum Auſtrijs.* 98. *reſponſum eius, cū moneretur cauère inſidias.* 99. *Neapoli Auſtriæ obſidetur.* 104. *ſumptus tutelares à Ladislao Rege Hungar. repoſcit.* 126. *Cilienſem vindicat Comitatum: inſidias fugit.* 132. *Auſtriam adire hæreditatis titulo tentat.* 135. *ambit coronam Bohemiæ.* 141. *eligitur Rex Hungar.* 142. *Hungaros vincit.* 149. *fratri reconciliatur.* 163. *renuit venire ad Mantuanum Concilium.* 164. *Cōrado Fraunauero diem dicit.* 172. *Vienna excluditur.* 173. *à Viennenſibus pecuniā petens, nō auditur.* 174. *obſidetur.* 181. *in vitæ diſcrimine.* 188. *pacem init cum Alberto.* 190. *in fratrem quæritur.* 191. *Alberto igni & aqua interdicit.* 198. *Clemens Viennenſibus parcit.* 206. *à Rege Bohemiæ diſſidet.* 209. *Romam pergit.* 210. *quomodo fuerit exceptus.* 216. *Bohemiæ coronam petit, nec auditur.* 219. *Vladislao fauet Regi Bohemiæ aduerſus Mathiam.* 225. *frugalitas.* 226. *eludit ſuperbiam Caroli Burgundi.* 228. *proſcribit Fridericum Palatinum.* 229. *promittit confirmare Regem Bohemiæ.* 232. *mouet in Burgundum.* 234. *Gallum eludit.* 236. *pugnat cum Burgundo.* 237. *pacem init cum Burgundo.* 250. *ſuperſtitioſus.* 259. *pacem petit à Mathia Rege Hungarorum.* 299. *ob auaritiam amittit Auſtriam.* 300. *Symbolum, & conſtantia.* 308. *plangit, cum filius eligitur Rex Romanorum.* 312. *iraſcitur Alberto Bauaro ob nuptias filiæ ſuæ ſe inſcio.* 315. *mouet in Flandros, vt filium liberet.* 326. *ambit coronam Hungariæ.* 333. *pecuniam filio negat, ne bellum gerat in Hungaros.* 342. *moritur.* 343 *epitaphia.* 88. *nummi honorarij, ſymbolici.*

1. *Erneſtus* Ferreus *Pater Friderici III. Imper.*

7. *Adulatio peſtis Reipub.* 9. *vbique eſt.*

16. *Eleonoræ vxor Friderici III. Imp. mors.* 88. *Romæ coronatur; nummi honorarij.*

16. *Cunegundes filia Friderici Imp. nupta Alberto Auſtriæ, inſcio patre. Icon.*

17. *Alberti Auſtrij cognomine* Prodigi *mores.*

34.

34. *diſſidium eius cum Frider. Imper. pro hæreditate paterna. 66. vxorem ducit Methildem Palatinam. 87. ordinem inſtruit Romani ingreſſus. 133. Auſtriā nititur occupare. 135. ambit coronam Bohemiæ. 147. Vdalricum Eitzingerum carceri tradit. 171. 183. iterum arma ſumit in Cæſarem. 191. ad Papam appellat in fratrem. 194. in vitæ diſcrimine à plebe liberatur. 196. mors. 169. effigies, ſymbolum.*

16. *Georgius filius Friderici V. Imper. Icon.*

19. *Ladiſlai Regis Hung. ortus. 26. effigies, ſymbolum. 60. iterum eligitur Rex Hung. 92. ferè ab Hungaris abripitur. 101. Auſtrijs traditur. 102.* Coruinum *patrem appellat. 104. coronam Hungaricam à Cæſare repoſcit. 109. inſidiatur Coruino. 118. lætatur de Coruini morte. 126. Magdalenam filiam Regis Gallorum ſibi deſpondet. 128. hæreticos ſpernit. 130. moritur. 131. Pius.*

18. *Eliſabeth Regina Hungar. nubit Vladiſlao Regi Poloniæ per legatos. 20. nuptijs renuntiat: coronam ſubtrahit. 21. ad* Fridericum *Imp. cum puero confugit. 49. moritur.*

23. *Albertus Dux Bauariæ cognomento Pius eligitur Rex Bohemiæ. 25. coronam renuntiat. 26. effigies, ſymbola. 217. moritur.*

26. *Erneſti Bauari effigies, ſymbolum.*

28. *Georgius Podiebradius gubernator Bohemiæ. 100. obſeſſo Cæſari fert ſuppetias. 103. petit à Rege vſum calicis. 127. Ladiſlaum Regem vocat in Regnum. 137. fit Rex Bohemiæ effigies. 148. in Auſtriam mouet. 170 187. clam fouet Auſtriæ diſſidia. 186. fert ſuppetias obſeſſo Cæſari. 204. excommunicatur. 203. legatum Pontifici carceri dat; ſtatua donatur. 212. moritur.*

28. *Vladiſlaus Polonus coronatur Rex Hungar. 50. Turcas vincit. 51. pacem facit. 26. effigies, ſymbolum. 52. contra fœdus arma mouet in Turcas. 55. monetur abſtinere à bello Turcico. 55. in bello occiditur.*

29. *Amedæus Sabaudus Antipapa. 31. tentat emere gratiam Cæſaris. 72. renuntiat Papatum.*

38. *Ludouicus Card. S. Cæciliæ Aquiſgrano excedere iubetur.*

40. *Baſileenſis Synodi conſtantia.*

50. *Io: Hunniades Coruinus fœlix pugnator in Turcas. 61. Pro Rex Hungar. 62. puerum ab Imper. repoſcit. 63. Auſtriam populatur. 64. inducias paciſcitur cum Cæſare. 103. inſignia deponit ad pedes Ladiſlai; reaſſumit muneribus auctus. 108. inſidiæ Cilienſis in eum. 112. Turcas in Danubio vincit. 113. Belgradum defendit, Turcas vincit. 114. laboribus feſſus moritur.*

54. *Draulas Valachus Turcarum hoſtis, & victor. 54. comitatur cum filio Vladiſlaum in Turcas.*

55. *Amurathes Rex Turcarum Chriſtum inuocat in Chriſtianos fœdifragos. 111. effigies.*

59. *Ludouicus Caroli Regis Gallorum filius vincit Heluetios. 233. Cæſarem incitat in Burgundum. 263. Mariam Burgundam ambit ſponſam filio ſuo. 265. ſollicitat Flandros in Mariam. 269. Attrebatum occupat. 285. equum dono mittit Maximiliano. 286 in aquilam iocatur Imperialem. 286. Attrebatenſes in Galliam traducit. 291. ægrotat. 292. inducias cum Cæſare violat. 292. lætatur de Mariæ obitu. 295. mors.*

66. *Sigiſmundus Tirolenſis tutela liber. 134. Auſtriam ſibi debitam petit. 135. ambit regnum Bohemiæ. 169. Nicolaum Cuſanum Cardinalem carceri tradit. 197. donat Auſtriam Cæſari. 199. Papæ reconciliatur. 231. pignora ſua vi redimit, è manu Caroli Burgundi. 296. 311. Cunegundem filiam Cæſaris tradit nuptui inſcio patre. 135. ambit coronam Bohemiæ. effigies ſymbolum.*

67. *Eugenius Papa deponit Archiep. Colon. & Treuerenſem. 69. reſtituit. 71. moritur.*

72. *Nicolaus IV. Papa eligitur. 83. timet Cæſaris aduentum. 170. excommunicatur.*

73. *Philippus Maria Dux Mediol. moritur.*

75. *Franciſci Sfortiæ ortus. Mediolanum obſidet vxorem habet Blancam Mariam. 337. Ferdinandum Arragonum tuetur. 338. moritur, effigies.*

74. *Alphonſus Rex Arragonum hæres inſtituitur à Philippo Duce Mediolan. 90. Fridericum Imper. excipit. 91. liberalitas.*

76. *Aeneas Syluius. Legatus Cæſaris ad Mediol. 79. Legatus ad Bohemos. 81. ad Italos. 84. Eleonorā recipit nomine Cæſaris. 150. fit Papa. 151. Concilium Mantuanum in Turcas.*

eas. 158. recuperat Petri patrimonium. 160. conſtantia eius.

93. Borſius Eſtenſis Dux Ferrariæ creatur à Frider. III. Imp. effigies.

107. Caſimirus Rex Poloniæ Eliſabetham ducit Hungar. 135. ambit coronam Bohemiæ. 205. Bohemiæ regnum repudiat oblatum. 258. cum Cæſare ſtat in Mathiam Regem Hungar.

110. Mathias Coruinus in obſtagium datur. 116. regnum ei prædicitur. 124. carceri datur. 138. fit Rex Hungarorum. 140. coronã repoſcit à Cæſare. 143. ſibi reconciliat rebelles. 144. inducias cum Cæſare pactus. 205. Rex Bohemiæ eligitur à Pontifice. 207. cum Turca induciæ, & in Bohemos bellum. 208. fugat Victorinum. 211. ſalutatur Rex Bohemiæ. 212. obſidet Victorinum, capit. 213. plangit mortem Podiebradij. 215. excluſus à Regno Bohemiæ. 219. Bohemiam populatur. 221. eiurare coronam cogit Caſimirum Polonum. 222. Cæſari reconciliatur. 223. pacem cum Polonis reſpuit. 240. nuptiæ cum Beatrice Neapolit. 243. Morauiam infeſtat. 249. belli cauſa cum Cæſare occulta. 250. ſuperſtitioſus. 253. bellum decernit in Cæſarem. 254. aſtra conſulit. 256. Viennam obſidet. 259. honorat Legatos Cæſaris. 261. pax cum Cæſare. 262. Auſtriam reſtituit non coactus. 288. eodem tempore mouet in Turcas, & Cæſareos. 295. mouet in Auſtriam. 296. vincit Alemanos. 297. Viennam occupat. 298. fœdus cum Bohemis. 326 moritur. 136. effigies, ſymbolum.

111. Mahometes Turcarum Imper. effigies. Belgradum obſidet. 115. plangit, quia Coruino mortuo, ignominiam vindicare non poſſet.

112. Io: Capiſtranus acerrimus pugnat in Turcas. 116. regnum prædicit Mathiæ Coruino. 117. ob dolorem mortui Coruini ſocij moritur.

119. Vlricus Cilienſis molitur in poſteros Coruini. 120. occiditur ab Vladislao Coruino.

121. Eliſabteh Io: Coruini vxor filios Regi Ladislao commendat.

125. Ladislaus Coruinus ſupplicio plectitur.

125. Carnifex prohibetur quarto ictu damnatum percutere.

126. Maximilianus Friderici Imper. filius cur ſic nominatus. 142. naſcitur. 238. 271. Mariam Burgundam ducit vxorem. 279. Holandorum motus compeſcit. 280. comitia Velleris Aurei vocat. 281. Aureo Vellere donatur. 287. Gallos vincit. 289. in Hollandiam pergit ad ſedandos ciuiles motus. 290. Dordracum capit. 293. tutor filij Philippi. 301. Flandros rebelles aggreditur. 302. queritur in Carolum Regem Franciæ, quod ſubditos concitet alienos. 303. Flandris reconciliatur. 304. clemens. 305. Gandauenſes vincit. 306. inſignia Gallica deponi iubet. 307. eligitur Rex Romanorum. 313. errore anni bixeſtilis deceptus, Brugas non occupat. 309. aſpectu tumultum agentes comprimit. 314. cuſtodiæ datur à Brugenſibus. 316. liberatur. 317. intercedit prò rebellibus apud patrem. 323. ſororem inuiſit. 325. ſuſpectus patri in cauſa Mathiæ. 327. in Auſtriam mouens, vulnus accipit. 328. Albam Regiam expugnat. 329. cineribus Mathiæ præſtat obſequium. 334. prohibitus bellum gerere in Hungaros à patre. 335. auxilia implorat in Gallos. 341. nuptiæ cum Blanca Maria Mediol.

136. Caroli IX. Regis Gallorum effigies, ſymbolum.

135. Guilielmus Saxo ambit coronam Bohemiæ.

152. Ladislaus Superbus Rex Neapolitan. 153. coronatur.

153. Ludou. Andegauen. Neapolim occupat. proditur à Sanſeuerinatibus.

154. Ioanna II. Regina Neapol. impudica.

155. Renatis Andegau. Regis Neapol. effigies, ſymbolum.

155. Alphonſi Arragoni Regis Neapol. effigies, ſymbolum. 156 Romanam Eccleſiam protegit aduerſus Franciſcum Sfortiam. 157. moritur.

156. Ferdinandus Alphonſi Aragoni nothus, declaratur Rex Neapol. 160. regnum petit à Papa. 338. effigies, ſymbolum.

158. Iacobus Picininus hoſtis Eccleſiæ.

159. Calixtus Papa dilapidat Petri patrimonium.

159. Franciſcus Sfortia Eccleſiam protegit.

165. Henricus Goritius oppidis ſpoliatur.

165. Io: Vitobitius Goritium ad pacem cogit.

166. Io: Poſingicus.

166. *Vdalricus Grauenecerus.*

166. *Andreas PaunKircherus.*

173. *Vdalricus Hozerus Conſul Viennæ.* 182. *tyrannus.* 193. *ad Cæſarem deficit.* 195. *ſupplicium.*

176. *Io: Tetnizius pecuniam ad ſoluendum Cæſarem obſeſſum ſoluit.*

176. *Andreas PaumKircherus agros Viennen. populatur.*

180. *Chriſtophori Quoſsij vigilantia.*

185. *Cronbergeri pietas.*

183. *Conradus Traunauerus.*

183. *Thomas Septem caſtrenſis.*

184. *Sigiſmund. Schauuenbergicus.*

186. *Victorinus Bohemus ſupetias fert Cæſari.*

195. *Dominicus Torcellanus Legatus Papæ per Germaniam.*

201. *Erneſti Religioſi Ducis Saxoniæ effigies.*

201. *Friderici I. Bellicoſi Ducis Saxoniæ. effigies.*

201. *Friderici II. Saxon. Electoris. effigies.*

217. *Vladislaus Polonus Rex Bohemiæ eligitur.* 326. *eligitur Rex Hungariæ.* 334. *pacem agit cum Maximiliano Auſtrio.*

220. *Caſimirus filius Caſimiri Poloni ambit coronam Hungaricam.* 221. *eiurat.*

217. *Sigiſmundus Bauarus renuntiat Ducatum. effigies ſymbolum.*

224. *Carolus Burgundus ambit titulum Regis. Mariam filiam in ſponſam offert Maximiliano Auſtrio.* 225. *luxus, pompa.* 231. *arma gerit in Colonien.* 244. *mouet in Lotharingum.* 245. *vincitur.* 247. *Nanceium obſidet.* 248. *occiditur.* 278. *effigies.*

226. *Hermanus Haſſiæ Landgrauius tutor Canonicorum Colon.*

226. *Rupertus Bauarus Ep. Colon. diſſidet cum Canonicis.* 227. *ſub tutela Caroli Burgundi.*

239. *Georgius filius Ludouici diuitis ducit Heduigem filiam Caſimiri Poloni.*

242. *Chriſtophori Bauari fortitudo.*

255. *Belli indicendi formula.*

264. *Oliuerius Dandus Chirurgus Legatus Gallorum ad Mariam Burgundam irriſus.* 265. *Tornacum Gallis prodit.*

266. *Maria Burgunda Flandriæ domina.* 276 *negat nubere Carolo Delphino Franciæ.* 268. *ſcribit Maximiliano, adamas mittit; nuptias confirmat.* 292. *moritur, effigies.*

272. *Aureolus victus.*

273. *Iacobæ Hollandæ diſſidium cum Io: Brabantino.* 276. *Borſalio nubit.*

274. *Philippus Brabantin. Hollandiæ præponitur.* 275. *Flandros vincit.* 277. *inſtituit ordinem Velleris Aurei.* 278. *effigies.*

283. *Philippus filius Maximiliani.* 291. *donatur aureo Vellere.* 301. *libera cuſtodia detinetur.* 304. *patri obuiat venerabundus.* 332. *effigies, comitia habet Velleris Aurei.*

286. *Philippus Cordæus pugnat in Maximilianum.* 321. *Flandros inſimulat.*

294. *Carolo Delphino Franciæ nubit Marghareta Auſtriaca.* 300. *ille Flandros incitat in Maximil.* 307. *conatur impedire electionem Maximil. in regem Roman.* 336. *pacem init cum Maximiliano.* 337. *in Apulos mouet.* 341. *Hiſpanis Perpinianum reſtituit.* 296. *Cunegundes filia Friderici Imper. nubit inſcio patre.*

310. *Albertus Sapiens Bauarus Ratisbonam occupat.* 311. *ducit Cunegundem inſcio Cæſare eius patre.* 217. *effigies, ſymbolum.*

308. *Albertus Elector Brandemburg. cognomine Achilles Germaniæ.*

316. *Chriſtophorus Bauarus comitatur Cæſarem ad liberandum eius filium.* 319. *vincit Gandauenſes.*

318. *Fridericus Brandeburgicus Brugenſes cædit.*

322. *Albertus Saxo Arſcotium incendit.* 323. *vices gerit Maximiliani apud Flandros.* 331. *Flandros in fidem accipit.*

326. *Albertus Rex Poloniæ ambit coronam Hungariæ.* 328. *molitur in fratrem.*

328. *Beatrix Aragonia ambit nuptias Regi Hungar.*

338. *Alphonſus II. Strabo. Rex Neapol. ducit Hippolitam Mediol. effigies ſymbolum.*

338. *Galeacius Maria Dux Mediol. occiditur.* 339. *effigies. vxor.*

338. *Hieronymus Olpiates ſeipſum moriens conſolatur. carmina componit pro eo quem occidit.*

339. *Io: Galeacij Ducis Mediol. effigies. Iſabellam ducit Arragonam.*

340. *Ludouicus Sfortia ambit Ducatum Mediol. molitur in nepotem.*

E OR-

O R T V S.

I. *Erneſtus Ferreus.* NAſcitur *Fridericus* Anno 1415. die Matthæi (21. Septemb.) ex Patre *Erneſto* cognomento *Ferreo*, qui duas vxores habuit. I. *Margaretam* filiam *Bugiſlai* Ducis Stetinenſis ſororem *Eliſabethæ* Imperatricis, vxoris *Caroli IV*, matris *Sigiſmundi*, ex quâ plures ſuſcepit liberos, qui in infantia obierunt. Hac defunctâ, duxit *Cimburgam*, dicunt alij *Cunegundam* filiam *Ziemouiti*, vel *Semouiti* Ducis Maſſouiæ in Lithuania, quæ nata erat ex *Alexandriâ* ſorore *Iagelonis* Regis Poloniæ.

II. *Pacificus dicitur.* Dictus eſt *Fridericus* cognomento *Iunior*, & *Pacificus*; nulla enim à *Friderico* Imper. bella notatu digna geſta eſſe accepimus. Nam etſi præclarâ generoſi ingenij indole, ſe ſe nunquàm deſtitueret; abhorrebat tamen à bellis, cum naturâ, tum ob iniquitatem fortunæ, quam experiebatur aduerſam. Eam propterea aſtuta calliditate fallebat, atque alienis armis, & periculis potiùs, quàm ſuis, vel res magnas gerebat, & quos compeſcere ſua auctoritate nequibat ſibi aduerſantes, eos, incitatis alijs, inuoluebat, ac bellis diſtrahebat domeſticis. Vnde Fabio cunctatori rectè confertur. Hinc *Mycillus*

Otia quàm bellum per totum maluit æuum.
Conueniens factis hinc quoque nomen habet.

FORMA CORPORIS. MORES. APOPHTEGMATA.

III. *In Europ. c. 22.* MVlta ſunt (ait *Syluius*) in hoc Cæſare, quæ laudare poſſis. *Corpus egregium, & ſpecies Imperatore digna, animus ſedatus & tranquillus, ingenium perſpicax, & memoria tenacior, religionis ardens Zelus, ingens cupiditas pacis, & otij. Singularem virtutem in quouis homine diligit, dignamque præmio ducit: in rebus gerendis tardior ac remiſſior eſt: Tenacem plerique accuſauerunt, & ad rem nimis attentum.*

Præclarâ *Fridericum* indole, matura prudentiâ præditum fuiſſe, varia eius oſtendunt apophtegmata.

IV. *Iuſtus.* 1 Cum *Ladiſlaum Alberti* Imper. poſthumum aliqui perdendum ſuaderent, cuius vita ingentes moleſtias Cæſari, mors verò regna & opes maximas allatura; at ille. *Ergo me opulentum magis Regem, quàm pium, quàm iuſtum cupitis? At ego iuſtitiam bonumque nomen diuitijs cunctiſque rebus antepono.*

V. *Religioſus.* 2 Interrogatus, *quinam ſibi cariſſimi eſſent?* reſpondit: *Qui me, non magis quàm Deum timent.* Deprompta ex Chriſtiano pectore ſententiâ. In primis enim timendus Deus, Rex Regum, & Dominus dominantium.

VI. 3 In Auſtria cum ex primoribus vnus obijſſet, annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebraſque nulla vnquàm valetudine offenſam duxiſſet, idque *Friderico* Imper. narraretur: *Et hinc* (inquit) *immortales animas cenſere licet. Namque ſi Deus eſt, qui hunc mundum gubernat (vt Philoſophi, & Theologi docent) eumque iuſtum eſſe nemo negat: profectò alia ſunt loca, ad quæ poſt mortem animæ migrant, ibique prò factis aut mercedem, aut pænam accipiunt. Nam hic nec bonis ſua præmia, neque malis ſua ſupplicia reddi videmus.*

VII. *Simulatio peſtis Reipubl.* 4 Interrogatus quo modò crederet ſaluam fieri Rempublicam, *ſi Senatores* (inquit) *de rebus conſulturi, in veſtibulo curiæ ſimulationem ac diſſimulationem deponerent. Sic enim & rectè ipſi conſulere, & iudici inter conſilia dijudicare non eſſet difficile.*

VIII. *Moriones odit.* 5 Idem ſciſcitanti, *an moriones in conuiuium admitti vellet?* reſpondit: *Neque ſtultis delector, neque ſuperbis amicus eſſe poſſum.*

IX. *Adulatio vbique.* 6 Cum audiret quendam dicentem abiturum ſe aliquando in ea loca, in quibus nulli planè eſſent hypocritæ, ait: *Vltra Sauromatas ergo & glacialem Oceanum tibi eundum eſt. Sed cum eò veneris, non omninò carebit hyppocriſi locus; ſi modò & tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo eſt, qui non ex aliquâ parte fictus, fucatuſque ſit.*

X. *Iniuria patiens.* 7 Cum nonnulli dicta probroſa in Imperatorem iactaſſent, referentibus aulicis: *An neſcitis* (inquit) *Principes quaſi ſignum ad ſagittam expoſitos eſſe? Turres quidem fulmina præaltas feriunt, humilia tecta prætereunt; at nobiſcum benè agitur, ſi verbis tantùm impetimur:* Innuens eum, qui conuitia velut dicta,

quibus

Sal. Ann. quibus nihil leuius, formidat, vix toleraturum popularium impetum.

XI. *Benignus.* 8 Principibus ijs, qui immites & crudeles erga ſuos fuiſſent, mortem nimis extimeſcendam aiebat Fridericus. *Nam quales ſe, dum vixerunt, alijs præſtitère, tales, cum moriuntur, in ſe iudices inuenturos eſſe.* Oſtendere volens, ijs amaram eſſe mortem, qui mala ante actæ vitæ conſcientia præmuntur.

XII. *Facetus.* 9 *Iacobus* de *Grict* Epiſcopus Treuirenſis Princeps Elector, vir induſtrius, ac magni conſilij, ſed multùm cupidus, & ad extollendam Eccleſiam ſuam nimis attentus, *Fridericum* Imper. cum adijſſet, & alia atque alia petens impetraſſet, ſed plura tamen petendo inſtaret. *Si non facis* (inquit Imperator) *petendi finem; ego certè indulgendi finem facile inueniam.* Quo dicto perquàm lepido importunum petitorem compeſcuit.

XIII. *Liberalis* 10 Magnificus, & liberalis cum eſſet Fridericus, dicere ſolebat *etſi decem millia quotidie aduersùs Imperatorem ingrati ſunt, tamen* *Sal. Ann.* *Imperatori quotidie benefaciendum.* Quanquàm verò glorioſius ſit, ciuitatem replere beneficijs, quàm trophæis, attamen oportet, vt in terminis Iuſtitiæ liberalitas ſiſtat. Nec eſt liberalis, qui indiferenter dat, ſed qui rectè diſcernit inter accipientes.

XIV. *Gratus.* 11. Cum in vrbe quadam præfectum, ſenem admodum & ætate iam imbecillem *Fridericus* dediſſet, non defuerunt adoleſcentes, qui ſibi loci præfecturam committi peterent. Cum igitur ſenem amouendum dicerent, *Fridericum* dixiſſe fertur: Senem amicum oppido, non oppidum amico commendamus; ſentiens, dignum eſſe, vt ſenex iam à ciuibus ad mortem vſque foueretur.

XV. *Sibi imperat.* 12. Victis in Hungaria Luintzienſibus, ſuos Germanos milites ita eſt allocutus: *Magnum actum eſt opus. Nunc autē maius reſtat, vt ſcilicet vincamus noſmetipſos, atque auaritiæ & vleiſcendi cupiditati finem imponamus.*

VXOR. LIBERI.

XVI. Vxorem habuit *Eleonoram* regis Portugalliæ *Alphonſi* ſororem: cum qua nuptias Neapoli celebrauit An. Sal. 1452. circa Paſcha, cum anteà à *Nicolao V.* Papa coronati eſſent. Ex ea quatuor filios ſuſcepit. *Maximilianum* Imperatorem. *Chriſtophorum* Archiducem mortuum ante patrem: & *Ioannem*, qui puer obijt. Strada adiūgit quartum, nomine, *Georgium* Archiducem Auſtriæ, cuius imago,



Duas filias *Helenam* in pueritia mortuam, & *Cunegundam*, quam *Sigiſmundus* Dux Auſtriæ patruelis, inſcio imò inuito patre, collocauit in vxorem *Alberto* Bauaro. Moritur *Eleonora* Anno 1466. Neapoli Auſtriæ.

Ann. Sal. 1440.

IMPERII OCCVPATIO. Anno Sal. 1440.

Ann. Sal. 1440.

XVII. Fatis functo *Alberto II.* Imp. Septemuiri iactura optimi Principis mæſti, ac ſolliciti, Francofurtum conuenere, & III. Cal. Aprilis *Fridericum* Auſtriacum, qui ex Hieroſolymitana peregrinatione reuertẽs, adhuc penulatus ſtabat, vno conſenſu Romanorum Regem creauere. Miſſi ad eum legati Neapolim Auſtriæ, vbi tunc agebat, Electorum voluntatem expoſituri. Ille ſumpto deliberandi ſpatio, primùm ad pedes Crucifixi Redemptoris accurrit, humilis rogans, vt eum non pateretur regnare, quando aliter regnaturus eſſet, quàm in cruce Domini N. I. C. Fidiſſimos inde acciuit, vt quid agendum, conſulerent. Incumbebat ei magna curarum moles, quod *Alberto* Cæſare, ac *Friderico* Tirolenſi mortuis, ſolus omnium, prouinciarum Auſtriæ gubernationem ſuſcepiſſet, frater verò *Albertus* cognomine *Prodigus* a prima vſq; adoleſcentia ita vitam inſtituiſſet, vt parum præſidij in ipſo collocaret. In Bohemia quoque & Hungaria, Auſtriæ vicinis turbari multa videret. Ex aduerſo ſecum reputans, magnam ſibi ſuæque genti dignitatem, magnum ab imperio emolumentum, opeſque & auxilia, quibus præſens rerum ſtatus indigeret, acceſſura: exacto, quod ad conſulendum ſumpſerat, ſpatio, die D. Gregorij memoriæ ſacro, Electioni conſenſit.

Albertus prodigus.

LADISLAI HVNGARI NATIVITAS.

XVIII. Alberto Cæſare mortuo, gemina regna Hungariæ, & Bohemiæ, totidemque coronæ Regem vel circumſpiciebant, in quem reclinarentur: vel expectabant ex Reginæ *Eliſabethæ* partu poſthumo. Regina, poſt iuſta ſoluta viro, præcoci conſilio, Hungariæ proceres vtriuſque ordinis ad ſe vocatos obteſtatur, per mariti, per *Sigiſmundi* patris, per *Ludouici* aui materni memoriam, ne ſe viduam, ne conceptam ex Rege ſuo, prolem deſtituant, ſed habita & matris, & naſcituræ prolis ratione, de creando interrege, qui tantiſper rebus proſpiciat, conſilium ineant: ſe enim vt pote iuuenculam, & fœminam, tantæ moli parem ſine adminiſtro non eſſe. Proceres eam poteſtatem contra Reginæ mentem interpretati, indictis comitijs, *Vladiſlaum* Poloniæ Regem per Legatos accerſere, eique Reginam viduam, cum dotali regno, matrimonio iungere conſtituunt. Illa ſiue metu Procerum, ſiue ſpe nuptiarum conſenſit, vt legati quidem mitterentur, ſed ea lege, vt ſi re adhuc integra, antequàm cum Polono conuentum eſſet, ipſa maſculum eniteretur, Legati certiores facti, omiſſa legatione, in Hungariam reuerterentur. Sed quis ſemel iactam aleam in manum reuocet, aut moderetur? Hinc extitere ingentium malorum ſemina, quæ Hungaris magno damno, Regi poſthumo exitio fuere. Cum legati in itinere eſſent, peperit Regina elegantem puerum, cui *Ladiſlao* nomen. Legati igitur per XIX.
celerem nuntium reuocantur. Etenim Regi domi nato, nihil opus eſſe, nec verò etiam ipſis fas eſſe, cum extero quicquam de regno paciſci. Legati nihilominus, cum vulgatis iam legationis mandatis in aula *Vladiſlai*, extra periculum nequirent regredi, ad Regem profecti, demandata legatione funguntur. *Vladiſlaus* eo nuntio lætus, exercitum comparat, vt in Hungaros proficiſceretur. Contra *Eliſabetha*, ne infanti poſthumo regnum auferatur, pactum per legatos cum *Vladiſlao* matrimonium, conuocato ſuorum concilio, reſcindit. XX.
Proceres Hungariæ, *Ladiſlai* infantis & matris orbitatem miſerati, Præſules præſertim, & qui Albæ Regiæ Reginæ aderant, cæteris haud perinde ſentientibus, quadrimeſtri *Ladiſlao* in matris gremio, ritu ſolenni diadema imponunt, feſtinata inauguratione, quòd Polonus iam cum exercitu immineret. Legati è Polonia reduces, coniecti in vincula, quòd mandati fines exceſſiſſent. Regina mater, apertè deteſtata pactas nuptias, ſeque ac filium *Friderici* Cæſaris protectioni commendans, petijt *Viſegradum* arcem munitiſſimam, vim à Polono imminentem præſtolatura. Hunc locum vnicum aſſeruandæ coronæ dicarant. Atqui in arcem, vbi conuentum eſt, omnes qui aderant Optimates, Regina fefellit: quippe quæ dum futura diſcrimina veretur, quam recondere ſimu-

Vladiſlaus Rex Poloniæ ab Hungaris vocatur.

Ladiſlaus Rex Hungariæ naſcitur.

Ladiſlaus coronatur. Vide effigiem infra nu. 26.

Regina coronã ſubtrahit.

Ann. Sal. 1440. ſimularat, coronam iterum ſubtraxit, & præſtigij dexteritate freta, ſpectatorum lumina eluſit: mox reconditorium, obſignato ab Optimatibus theſauro, iuſſit occludi.

XXI. *Natalia Frid. Imper.* Deinde regni diſſidium cauſata, ad *Fredericum* iam Romanorum Regem electum, in Auſtriam contendit (quem pueri fratrem aliqui prodidere, non ex *Erneſto* ſed ex *Alberto* progenitum dicentes *Fridericum*) huius fidei filium, coronamque commiſit, vnde æternæ diſcordiæ, ac aſſidua cum Germanis bella promanarunt.

XXII. *Bohemiæ legatio ad Reginam Eliſabetham.* Dum hæc geruntur in Hungaria, Bohemi Pragæ conueniunt, monentque Reginam, vt Legatos mittat ad comitia, qui *Ladislai* infantis partes agant. Mittuntur legati *Procopius Rabenſtainius* Reginæ, Regique *Ladislao* fidus, & *Ptarſco*, vtrique ob *Alberto* Cæſaris memoriā, priuataſq; cauſas infenſus. *Ann. Sal.* 1440. Hic Collegæ ſtudia euertit, in Bohemorum ſententiam concedens negantium expedire Bohemis, pueri ætatem incertam, longamque expectare; male eſſe regno, cuius Rex puer ſit. Erant tamen qui *Ladislai* cauſam, auctore *Procopio*, tuebantur. Illorum ſententia poſt longam diſceptationem præualuit, qui negabant *Ladislao* Bohemiæ coronam deberi, quippè cuius patri Bohemi non paruiſſent. Infantem fore inutilem regno, cui diuturno Rectore adhuc opus ſit. Regem regno dari, non Regibus regna. *Fridericum Auſtrium* Rom. Regem Bohemis indulſiſſe, vt quem vellent, Regem ſibi adſciſcerent: XXIII. *Albertus Bauarus eligitur Rex Bohemiæ. Vide effigiē symbolum nu. 23.* *Albertum* Ducem Bauariæ *Erneſti* Ducis Bauarię filium. Principem regno factum, linguę Bohemicæ peritum, aſſuetumq; in *Vvenceslai*



aula, apud *Sophiam* reginam amitam, gentis moribus: eum virum eſſe, à quo moderata imperia, inter nondum ſatis compoſitas Bohemiæ diſcordias, poſſint expectari. *Procopius* horum non ignarus, ijs, quos è Proceribus in ſua vota traxerat, clam ad *Fridericum* Cæſarem profectus, rogat, ne tam nobile regnum auferri patiatur pupillo, cuius tutelam

Ann. Sal. 1441. lam ſuſcepiſſet. *Fridericus* per *Procopium* edoctus, miſſis ad *Albertum* nuncijs, ſignificat, ſe Bohemis nullam cooptandi Regis facultatem feciſse nec eſse facturum, nefas eſſe *Ladislao* infanti paternum, auidumque regnum eripere. Dehinc *Procopium* in Bohe-
XXIV. *Cæſar tutor Ladislai.* miam remittit, qui denuntiet, Cæſarem *Ladislai* ius minimè neglecturum. Bohemi nihilo ſecius ad *Albertum Bauarum* ſplendidam legationem exornant, cuius princeps *Vlricus Roſenſis*, qui *Alberti Bauari* ad regnum vocandi author fuerat. Legati amicè accepti, Bohemorum in ipſum ſtudia ampliſſima oratione deprædicare, Regni opulentiſſimi potentiam, honores extollere, exponere ſuffragia Procerum, qui eum Regem renunciaſſent; rogare, nè tam honorifica gentis
XXV. *Albertus Bauarus Bohemiæ coronam renuit.* addictiſſimæ vota fruſtraretur. At *Albertus* ea virtute & animi moderatione vſus, quæ à regnis conditis, rariſſima ſemper fuit, legatis gratias egit, iuſſitque renuntiare Bohemis, *agnoſcere ſe præclarum nobiliſſimæ gentis ſtudium, quòd præ omnibus ſe Regem optaſſent. Nihil non ipſis pro tanto beneficio à ſe debe*ri: *ſi par iſtis meritis nihil referre poſſit, ſeruaturum ſe tamen eiuſce memoriam, nec defecturum occaſioni, ſi quæ aliquando naſcatur, Bohemiæ proceribus, gentique vniuerſæ gratificandi. Verùm cum Alberti Cæſaris proles Regno nata ſit, fore ſibi nimium quantum vile, ac indecorum, cum infantuli iniuria alienum captare diadema: pacta Bohemiæ cum Auſtriæ ducibus ſancita vetare, ne quem externum regno Bohemi adſciſcant, donec ſupererit ex ſanguine Auſtriaco Princeps natus regni habenis. Hæreditatem paternam innocenti puero ſine crimine adimi non poſſe: numquàm impune fuiſſe pupillos ſpoliare: Deo, atque hominibus eſſe inuiſos, qui id facinoris audeant: execrabilem eſſe vocem, quæ regnandi cauſa affirmat ius eſſe violandum*. Ita *Albertus*, ſpreto regno, ſe Rege regnoq; maiorem orbi terrarum oſtendit. XXVI.
Huc forſam alludunt ſymbola eiuſdem *Alberti* cognomento *Pij*. Vrſus, qui dum linguá alueario admouet, examem opus in ſe concitat, & *papiliones* circa lumen volitantes ſub lemmate, *tanti non emo perire*.

FRIDERICVS CAESAR A BOHEMIS IN REGEM EXPOSCITVR.

XXVII. *Æneas Syluius c. 58. Hiſtor. Bohem.* Bohemi ab *Alberto* repulſi iterum conuenientes, *legatos ad Cæſarem mittunt, petentes tutorio nomine* vti regnum accipiat. Is in Belgium ſe iturum dicit, coronæ ſuſcipiendæ gratia, cum redierit de re ipſa tranſacturum. Reuerſum potentiſſimi ex Bohemia proceres adeunt. Inter quos Ptarſco cum eſſet *Alberti* filio infenſus, ſeorſum *Fredericum* alloquitur, regem vt ſeipſum faciat hortatur, facile id futurum, ſi tutelam pupilli reijciat. Nam cum cæteri deſint, Bohemos ſuopte ingenio regnum ſibi oblaturos, cui ex fœdere tanquam ſeniori Auſtriæ principi debeatur. Negauit *Fredericus* orphani, cuius tutelam gereret, hæreditatem ſe quoquo pacto inuaſurum, nec tamen Bohemiam tutorio nomine adminiſtrare voluit, quam ſine profuſio ne magna pecuniarum retinere non poterat. Nam Bohemi niſi ex regibus quotidiana munera accipiant, ab officio recedunt. Neque eſt regnum, cuius fiſcus abundat. Regiæ poſſeſſiones in priuatas manus peruenere, ar-
E *Berna.* gentifodinæ vnde opes regiæ in immenſum creuere, maiore ex parte perire. Diſtrati cenſus, vectigalia prorſus extincta, niſi populares in ſumptus regio pecuniam conferant, quam vocant bernam, aut rapere, vnde viuat regem, oportet; aut precaria regentem mendicare. Suaſit igitur imperator ipſi vt per ſe prouinciam regerent, donec pupillus adoleſceret, donatoſque oratores à ſe dimiſit. Domum reuerſis, gubernatores eligere placuit, inter quos *Ptarſco* & *Mainardus* priores habiti. Non diu inter eos concordia ſeruari potuit, qui diuerſa in religione ſentiebant. Ea enim diſſenſio, hominum animos tanto magis diſtrahit, quantò maior cuique de animæ ſalute cura incumbit. *Ptaſcone* poſt è viuis ſublato, qui Taboriticæ factionis erant, nè *Meinardi* opes nimis ſtabilirentur, *Georgium Podiebradium* illi collegam, aut æmulum potius adiunxere. Neque maior in Hun- XXVIII.
garia tranquillitas erat, quò cum *Eliſabetha* rediiſſet, fluxam ſuorum fidem, multaque ſibi contraria, inuenit. Poſtquàm enim, decretà *Vladiſlai* coronatione, non inueniretur corona, & reginæ dolus appareret, bellum erupit ciuile, quo *Vladiſlaus* à *Coruino*

Ann. Sal. 1441. *Vladiſlaus coronatur Rex Hungariæ effigiem vide ſupra num. 23.* adiutus. Reginæ factionem opprimere nitebatur, *Vdalricus* contra *Cilienſis* pro illa pugnans, non minora ijs damna inferebat, qui cum *Vladiſlao* ſentiebant. Ne verò coronationi longior mora obijceretur, *Vladiſlao* corona D. Stephani Hungarorum olim regis impoſita eſt, quam ex calua mortui ablatam; quidam in funeſtum augurium trahebant. *Sal. Ann. 1441.*

SCHISMA IN ECCLESIA.

XXIX. Difficilia *Friderico* imperij initia fuere. Præter alia angebat ipſius animum Eccleſiaſticorum diſſidium, quorum nonnulli cum *Eugenio* contra Synodum Baſileenſem ſtabant; reliqui *Amedæum Allobrogum regulum*, Pontif. Max. agnoſcebant. Ex hoc ſchiſmate, cum magna in Remp. incomoda redundarent, nihil non attentabat *Fridericus*, vt diſſentientes ad concordiam redigeret. Itaq; antequàm ad coronam imperij accipiendã, Aquiſgranum iret, Moguntiæ conuentum indicit, quò plerique aut ipſi venturi, aut ſuo nomine legatos miſſuri ſperabantur. Inuitauit etiam *Carolum VII.* Franciæ Regem, vt Legatos ad Moguntina comitia mitteret, ſequentibus literis. XXX. *Moguntinus Conuentus.*

AD REGEM FRANCIÆ prò tollendo Schiſmate.

Fridericus, Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Auſtriæ, Stiriæ, Karinthiæ, & Carniolæ Dux, Comes Tirolis, &c. Sereniſſimo Principi, Carolo Regi Francorum, Fratri & Conſanguineo noſtro Chariſſimo Salutem, & fraternæ dilectionis affectum.

1. *Dum ad ſacri Imperij faſtigia diuino vocati munere, tantæ moli grauiſſimæ gubernationis humeros noſtros in Dei nomine, ne ſuæ videremur ordinationi reſiſtere, ſyncero corde ſubmiſimus. Inter innumera mala, quibus vndique orbis terrarum concutitur, hoc maximè, quo certamen agitur, vt æuo noſtro ſancta ſcindatur Eccleſia, animum noſtrum eò premit ardentiuſque ſolicitat, quò eidem Eccleſiæ matri noſtræ, filiali dilectionis amore & nobili aduocationis officio, fortiùs conſtituimur obligati, vt illi ſæua nunc iacula patienti, pro viribus nobis diſtributis ab alto, diligentia celeri ſuccurramus, atque ad concurrendum in hoc tam neceſſario ac ſalutari opere Reges & Principes Chriſtiano nomine gaudentes pura ſynceritate hortemur. Nihil verò ad id æquè patrocinaturum conſpicimus, quàm ſi Catholici ſimul conueniamus Reges & Principes Eccleſiaſtici & Sæculares, ut ſentiant quicunq; diſſidentes vnam eſſe vocem omnium. Tunc enim ſperandum, quòd nemo vſquam illam irridebit, aut ſpernet; nemo non reuerebitur, neque non timebit.*

2. *Vnde Venerabilium & Illuſtrium virorum, & Sacri Imperij Principum Electorum Oratoribus, qui pridem decretum electionis de noſtra perſona ad culmen Imperij celebratæ, conſpectui noſtro attulerant; alijs quoque Prælatis, Principibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus, & viris Conſularibus, noſtris fidelibus & dilectis, deliberatè conſulentibus, conuentionem ſeu dietam ſolemnem pro communi conſtituimus omnium ſalute in ciuitate Moguntina, rebus gerendis pluribus ex cauſis accommoda, in diem feſtum Purificationis Glorioſæ Virginis Mariæ proximè futurum, quæ erit ſecunda mẽſis Februarij. Ad quam dextera Dei nobis aſſiſtente propitia intendimus perſonaliter nos transferre, Chariſſimam fraternitatem veſtram puro cordis affectu rogantes, quatenus Orthodoxorum progenitorum veſtrorum imitantes veſtigia pro laude Dei, pro conſolatione Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ac totius populi Chriſtiani ſalute, ad conuentionem ſeu dietam huiuſmodi idoneos veſtros oratores de veſtræ fraternæ dilectionis propoſito, vijs quoque & modis, quibus ab imminentibus calamitatibus ſancta poſſit reſpirare Eccleſia, diſtinctè inſtructos, & ad tractandum, conſulendum, cooperandum, & concludendum in his plena veſtra poteſtate fulcitos, illic deſtinare velitis. Si autem fraternitas veſtra conuocationem & dietam eandem accedere poſſet & vellet propria in perſona, id profectò ingentem gloriam & rebus gerendis fructum vberiorem afferret.*

3. *Hortamur denique Fraternitatem veſtram, aduertere velle mente fideli, quæ ſit noſtra exhortatio, quantaque Eccleſiæ ſubſit neceſſitas; & quàm periculoſum eſſet noſtrum ſilentium; & agere libeat, quod expetimus, propter ſalutem*

populi

Ann. Sal. 1441.

populi ac decus veſtrum, reſpicientes ad illum, cuius cauſa agitur, qui de cælo deſcendit, vt moriturus homo crucem aſcenderet, in quo militans fundaretur Eccleſia, quatenus in ea ſuborta tollantur diſſidia, & à grauioribus periculis eruatur. Datum Viennæ, Anno Domini MCCCCXL. die XXI. menſis Maij: Regni noſtri anno primo.

Ad Mandatum Domini Regis
Conradus Præpoſitus Viennenſis
Cancellarius.

XXXI. *Fridericus recuſat filiam Amedæi.* Amedæus interim nonnihil omittebat, vt Cæſarem in ſuas partes aſſumeret. Adhoc, filiam formâ & moribus præſtantem in matrimonium obtulit, ſimulque dotis nomine, auri minimum ducenta millia, ſi *Eugenio* relicto, ſe Petri ſucceſſorem appellaret. Horruit Cæſar; minimèque Sacramento ſuo, Eccleſiæ Sacramenta fœdare voluit; atque ad ſuos conuerſus, *Vendere* (inquit) *alij Pontificalia ſolent; hic libenter emet, ſi venditorem reperiat.* Cæterum, quòd multi Principum Electorum non ſatis *Eugenio* æqui, multa contra Pontificem iactarent, nec non Concilij Generalis auctoritatem magnifacerent; non ita facilè *Fridericus Eugenio* adhæſit, ſed indiferens, & vtrique ſuſpectus permanſit. *Iacobus* namque *Treuirenſis* ad Cæſarem profectus, ex certis quibuſdam argumentis cum vereri ſe diceret, ne ea diſceptatione, animi quorundam magis exaſperarentur, dilatum fuit negocium, iterumque nouus conuentui dies in annum ſequentē indictus Frācofurti.

Ann. Sal. 1441.

XXXII. *Neuter ſtat in cauſa Pontificium.*

Leguntur porro, quædam auiſamenta ibidem in Moguntino Conuentu ædita, ſi *Goldaſto* fides.

AVISAMENTA EDITA A STATIBVS IMPERII.

XXXIII. Cap. 1. *ANno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, Moguntiæ in materia declarationis animorum ſuper facto diſſenſionis in Eccleſia Dei exortæ, per Dominos Electores facienda, & de cautione facienda Nationi Germanicæ, de ſublatione grauaminum eiuſdem Nationis, fuit auiſatū in dieta inibi habita circa feſtum Purificationis Mariæ Virginis, quòd cuicunque parti adhærendum eſſet, ante omnia prouideri deberet, ne authoritas Conciliorum generalium infirmetur, & * Grauamina, quæ dudum præfatæ Nationi fuerunt illata, tollantur è medio, & contra ea caueatur in futurum.*

* quæ habes in hoc opere inſerta.

Cap. 2. *In primis, quia Baſilicæ hucuſque non eſt nominatus aliquis locus pro futuro Concilio celebrando, iuxta formam conſtitutionis frequens, ita quòd iam (non) pendeat terminus alicuius Concilij; expedit, quòd ille, cui facienda eſt hæc † adhæſio, omnes & ſingulas conſtitutiones olim in Conſtantienſi Concilio ſuper authoritate, honore, & reuerentia ſacrorum generalium Conciliorum promulgatas approbet, recipiat, & prouideat: & mox in eiſdem literis Bullatis, conficiendis ſuper præmiſſis promittat ſeu polliceatur, ſe Oecumenicum vel ſaltem generale Concilium indicere velle, quantocyus id fieri poterit, in loco rebus gerendis accommodo, vbi perſonaliter, ſi poterit; alioquin ſi nequeat, per Legatos Apoſtolicos plena poteſtas fulcitos. Concilium ipſum proſequatur cum effectu. Promittat inſuper, operam ſe daturum, quòd in huiuſmodi celebrando Concilio per Nationes procedatur, ſicut in prioribus Concilijs reperitur obſeruatum.*

† negatiua videtur delenda.

2. Et præmiſſa omnia videntur honeſtè & iuſtè peti poſſe. Nam per hoc veritas prodibit in lucem; & illi, qui ex alia parte, ſeu ſub alia obedientia remanebunt, poterunt aptiſſimè nobis conſolidari. Papa etiam cui adhærebitur, ex hoc authoritatem ſuam & Apoſtolicæ Sedis augebit & confirmabit, quando videbitur ab omnibus ſynceritas ſua in factis Eccleſiæ Dei.

Item de præſenti non poteſt de loco vel de tempore ſpecificè tractari, neque poterit hoc alicuius arbitrio committi, ne alij fortaſſis indignentur, quaſi non ſit habita ratio commoditatis eorum, quantum ad ſitum vel aliam aptitudinem loci, & ideò non poterit negotium, quo ad hoc, melius ſpecificari. Cap. 3.

Deinde quo ad releuamen grauaminum, auiſatum eſt, quòd cùm dicta Natio plus cæteris nationibus ab Eccleſia Romana ſit honoranda, propter auxilia, quæ Eccleſiæ Romanæ multipliciter præſtitit, ac propter Imperium Romanum, cuius vis & poteſtas in eo conſiſtit, quòd Eccleſiam Romanam multis dotibus exornauit; ut illi, cui facienda eſt adhæſio, eidem Nationi in retributionem meritorum ſuorum pro ſe & ſucceſſoribus ſanctaque Sede Apoſtolica, de con- Cap. 4.

Ann. Sal. 1441. *conſenſu Cardinalium, propria etiam manuum ſuarum ſubſcriptione ſubſequente conſtituat, ordinet; & in ſingulare priuilegium concedat, per ſe & ſucceſſores ſuos perpetuis temporibus inconcuſsè ſeruandum, &c. vt inferiùs ſeriatim annotatur.*

Cap. 5. *In primis ſiquidem caſſet, annullet, & irritet omnes & ſingulas reſeruationes, tam generales, quàm ſpeciales ſiue particulares Eccleſiarum Metropolitanorum, Cathedralium, Collegiatarum, Monaſteriorum, dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, quibus pro electione prouideri conſueuit, ſiue per extrauagantes* Ad regimen, & Execrabilis, *aut per regulas Cancellariæ, ſeu quaſcunque alias conſtitutiones aut ordinationes introductæ ſunt, reſeruationibus in Corpore iuris clauſis duntaxat exceptis. Et quòd huiuſmodi beneficia in corpore iuris clauſa Romanus Pontifex infra vnius menſis ſpacium, ab ipſius vacationis notitia computandum, conferre teneatur: deinde is, cui collatio facta fuerit, eam infra tres menſes continuos ordinariè teneatur inſinuare. Si verò collatio vel inſinuatio ampliùs retardetur. Ordinarij perinde habeant diſponere, ac ſi nulla reſeruatio præceſſiſſet.*

2. Beneficijs autem & dignitatibus electiuis in corpore iuris non reſeruatis, iuxta diſpoſitionem iuris communis debitè prouideatur, poſtulationibus etiam in diſpoſitione iuris communis remanentibus.

Cap. 6. *Item ſi Epiſcopus aut Abbas fuerit eligendus, conueniant eligentes, audituri miſſam Spiritus Sancti: & confeſſi & contriti, ſuſcepta Euchariſtia, ad eligendum ingrediantur. Et primò iurabunt in manibus Præſidentis Capituli, & rurſus Præſidens in manibus immediatè ſequentis, ſub hac forma:* Ego N. iuro & promitto omnipotenti Deo, & tali Sancto vel Sanctæ, ſub cuius vocabulo dedicata eſt Eccleſia, eum eligere, quem credo futurum Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus vtiliorem; & non illi vocem dare, quem veriſimiliter ſciuero promiſſione aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece per ſe vel alium interpoſitam, aut aliàs qualitercunque directè vel indirectè pro ſe electionem procurare.

*2. Item iuramentum præſtet, confiteaturq; & communicet, qui conſtituit procuratorem ad eligendum certam perſonam: necnon & procurator conſtitui poteſt, quòd etiam iuramentum præſtetur ab iis, in quos continget ſuper electione futuri * Epiſcopi vel Abbatis fieri compromiſſum: qui etiam confiteri & communicare teneantur. Quod ſi prædicta non fecerint, pro illa vice eligendi ſint ipſo iure poteſtate priuati.* Ann. Sal. 1441. * al Archiepiſcopi.

3. In inferioribus verò dignitatibus eligentes, ad confeſſionem & communionem nullatenus ſint aſtricti, ſed in alijs formam ſuperiùs traditam obſeruare teneantur.

4. Finita autem electione, decretum electionis immediatè ſuperiori, ad quem ius pertinet confirmandi, præſentetur, qui in electionis negocio procedat, formam electionis, & electi merita, omneſque circumſtantias diligenter examinaturus, ita vt ſi electio confirmanda ſit vel infirmanda, iudicialiter confirmetur vel infirmetur.

5. Confirmatores autem ratione confirmationis nihil exigere, ſed neque etiam ſponte oblata recipere ratione confirmationis, ſub nomine ſubuentionis, ſubſidij, gratitudinis, aut alio quouis exquiſito colore, prætextu conſuetudinis, priuilegij, ſuperioritatis, aut reuerentiæ, aut alia quauis ratione præſumat.

6. Notarijs autem cæteriſque miniſtris emolumentum moderatum taxetur, laborum & operarum habito reſpectu, non autem Prælaturæ valore.

7. Confirmationes aliter factæ ſint ipſo iure nullæ, & confirmantes ipſi confirmandi poteſtate ſint ea vice priuati.

8. Electiones autem & confirmationes (vt præmittitur) factæ, neq; per Papam aut Sedem Apoſtolicam, ſeu illius aut alia quauis authoritate infringi valeant, ſeu quomodo libet impediri, niſi fortè in perturbationem Eccleſiæ aut priuatæ ſeu publicæ vtilitatis electio aliqua vergere timeatur. Quo caſu Summus Pontifex, cùm ad ipſum confirmatio delata fuerit, ſi talem vrgentiſſimam cauſam ſubeſſe agnouerit, ea priùs maturè diſcuſſa, & parte plenè defenſa, accedente ratione Eccleſiæ Cardinalium vel maioris partis ſubſcriptione, cauſam huiuſmodi veram ſufficientemque fore atteſtantium, tali electione reiecta, ad Capitulum vel Conuentum remittat, vt infra competens tempus, iuxta loci diſtantiam, ad aliam, ex qua talia euenire non formidentur, electionem procedant.

9. Omni autem caſu, quo electio per mediatum

Ann. Sal. 1441. *tum Superiorem fuerit confirmanda, remittatur conſecrandus aut benedicendus ad ſuum Superiorem immediatum, * nec præſens fuerit in Romana curia. Quo caſu poſt benedictionem aut conſecrationem ſimiliter remittatur, immediato Superiori debitum iuramentum præſtiturus.*

Videtur aliquid deeſſe.

Cap. 7. *Rurſus auiſatum eſt, quòd cùm ex ineffrenato gratiarum expectatiuarum Concurſu, & antelationum prærogatiuis à principio vocationis beneficiorum ſub gratijs huiuſmodi cadentium ſciri non poteſt, & ex hoc Ordinarijs, ſubtractionem miniſterij ſui modeſtè ferentibus, intruſionis datur occaſio, ex quo lites innumeræ ſuſcitantur: auiſatum, inquam, eſt, quòd ille, cui adhæſio ſit facienda, omnes gratias expectatiuas ac reſeruationes particulares de beneficijs vacaturis in noſtra Natione tollat, & de cætero non concedat, niſi pro toto tempore Pontificatus ſui in qualibet collatione, in qua decem fuerint beneficia, de vno; vbi quinquaginta, de duobus duntaxat habeat diſponere: in quibus diſpoſitionibus indigena alienigenæ præferatur.*

Cap. 8. *Item vt nullum beneficium noſtræ Nationis exteris perſonis commendetur, aut de ipſo penſio concedatur, ſine aſſenſu Ordinarij.*

Cap. 9. *Item vt quæſtio de vna præbenda in qualibet Eccleſia Metropolitana Theologo aſſignanda, etiam ad Cathedrales Eccleſias noſtræ Nationis extendatur, ita vt collationes præbendarum huiuſmodi teneantur Canonicatũ, & præbendam Magiſtro, Licentiato aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in Vniuerſitate priuilegiata ſtuduerit, & onus reſidentiæ ac lecturæ & prædicationis ſubire voluerit: quique bis vel ſemel ad minus per ſingulas hebdomadas, ceſſante legitimo impedimento, legat. Quod ſi neglexerit, arbitratu Capituli in ſubtractione diſtributionum totius hebdomadæ puniatur: & ſi reſidentiam deſeruerit, de alio prouideatur. Nil tamen perdat, ſi abſens fuerit à diuinis.*

2. Porrò poſt collatam, vt præfertur, huiuſmodi præbendam, duæ immediatè vacantes liberè conferantur: tertia verò poſteà vacans, & deinceps ſemper poſt duas liberè collatas tertia conferatur Magiſtro aut Licentiato ſeu Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in aliqua Vniuerſitate priuilegiata ſtuduerit; Doctori ſeu Licentiato in altero Iurium ſeu Medicina, qui per ſeptem annos; vel in vtroque aut altero Iurium Baccalaureo, qui per triennium, ſi Nobilis ex vtroque parente, & ex antiquo genere; aliàs autem per quinquennium, in aliqua Vniuerſitate priuilegiata ſtudium ſuum fecerit: qui de gradibus, tempore, & nobilitate ſuperadictis fidem facere teneantur Collatori per legitima documenta. Ann. Sal. 1441.

3. Hoc etiam in dignitatibus non electiuis, perſonatibus, adminiſtrationibus, & officijs dictarum Eccleſiarum obſeruetur.

4. Et qui duas præbendas Cathedrales obtinuerit, aut aliàs vnum vel plura beneficia in quo vel altero reſidente ab illo vel ab vtroque in omnibus obuentionibus ducentorum florenorum Cameræ valorem habere valeat, inter perſonas prædictas non numeretur.

5. Item in Eccleſijs Parochialibus oppidorum muratorum inſtituantur perſonæ, quæ ad minus per tres annos in Theologia, vel altero Iurium, Magiſter in artibus, in aliqua Vniuerſitate contiguò ſtudentes, ſi poterint inueniri.

6. Item vt quolibet anno in Quadrageſima qualificati ſua nomina Collatoribus ſupradictis exhibeant: alioquin diſpoſitio aliter facta non irritetur.

7. Sin autem tales reperti fuerint, diſpoſitio per quæcumque, etiamſi Cardinalatus, Patriarchalis, Pontificalis, aut alteriùs cuiuſcunque dignitatis, aliter, quàm præmittitur, facta, eo ipſo irrita ſit & inanis: collatio verò, ſeu prouiſio, ſeu quæuis alia diſpoſitio ad ſuperiorem proximum deuoluatur, qui perſonæ tali habeat prouidere. Quod ſi non fecerit, ad alium ſuperiorem proximum gradatim vſque ad Summum Pontificem deuoluatur.

8. In Eccleſiis autem, in quibus Illuſtres, aut Militares, ſeu certo modo genituræ procreati duntaxat recipi conſueuerunt, quod ſuprà de literatis aut ſtudioſis perſonis eſt expreſſum, ita intelligatur, ſi perſonæ, modo præmiſſo qualificatæ, inter huiuſmodi Nobiles ſeu Generoſos reperiri poſſunt, qui etiam nomina ſua Collatoribus habeant exhibere. Quo ceſſante, prouiſio aliter facta irritetur.

Item ne Romanus Pontifex, aut quiuis alius Eccleſiaſticus vel Secularis, pro confirmatione, electione, admiſſione, poſtulatione, aut collatione, prouiſione, præſentatione, ſeu qualibet alia diſpoſitione circa Eccleſiaſtica beneficia, ſecularia vel regularia, & pertinentia ad ea, nec non Cap. 10.

ordi-

Ann. Sal. 1440. ordinibus, ſacra benedictione, ac pallio, de cætero quicquam antè vel pòſt exigat, ratione literarum pro ipſorum labore competentium ſalario ſoluendum.

2. Si quis autem exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, Simoniacorum pœnam ipſo facto incurrat, & in beneficio taliter obtento nullum ius nec titulum acquirat. Obligationes quoque, promiſſiones, cenſuræ & mandata, & quicquid contra iudicium huiuſmodi ſtatuti, quacunque etiam Apoſtolica authoritate contigerit attentari, nullius ſint roboris vel momenti.

3. Caueatur, ne illa, quæ tempore receptionis beneficiandorum pro fabrica, ornamentis Eccleſiæ, vel diuini cultus decore dare conſueuerunt, in principio receptionis per hoc aboleantur: dum tamen non ad perſonarum, ſed Eccleſiarum vtilitatem conuertantur.

Cap. 11. Item quòd is, cui fiat adhæſio, nullam impoſitionem vel exactionem faciat in natione noſtra, occaſione prouiſionis ſibi olim in Concilio Baſilienſi promiſſæ, niſi in alio generali Concilio de expreſſo conſenſu nationis.

Cap. 12. Item quòd in partibus noſtræ Nationis, quæ vltra quatuor dietas à curia diſtant, omnes cauſæ, maioribus necnon electionum Eccleſiarum Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectarum exceptis, in partibus terminentur.

Cap. 13. Item ne grauati per ſaltum, etiam ad Romanum Pontificem, omiſſo medio, ſed ad immediatum Superiorem duntaxat, nec à grauamine in quacunque inſtantia ante diffinitiuam appellent, niſi grauamen ipſum in diffinitiua reparari nequiret: tunc enim ad Superiorem immediatum ſemel tantum liceat appellare. Quæ appellatio ſi friuola fuerit, appellans appellato vltra expenſas in quindecim florenis auri de camera condemnetur.

Cap. 14. Item ne poſſeſſores non violenti ſed colorato titulo beneficia proximo triennio hactenus poſſidentes, vel qui in futurum poſſidebunt, neque in petitorio neque in poſſeſſorio etiam ratione iuris nouiter quæſiti moleſtentur, niſi actor legitimè impeditus, & de hoc proteſtatus iuxta Concilium Vviennenſe duxerit intimandum.

2. Lis autem mota intelligatur, ſi ad citationem, executionem, iuriſque ſui in iudicio exhibitionem, & terminorum omnium obſeruationem fuerit conceſſum.

3. Ordinarij autem inquirant, & quem beneficium iniuſtè poſſidere perſpexerint * pridem, & alteri legitimè prouideant, vel ipſi poſſeſſori, ſi voluerit, niſi ſit intruſus violenter vel aliàs indignus. Ann. Sal. 1440. *Videtur aliquid deſiderari

Cap. 15. Quia verò proteſtationibus Dominorum Electorum, &c. durantibus, plures electiones & prouiſiones factæ, plurima beneficia authoritate ordinaria collata, ſententiæ interlocutoriæ diffinitiuè prolatæ, pluraque alia geſta ſunt, ſuper quibus poſſunt ad Papam vel Concilium recurrere, obſtantibus proteſtationibus: ne igitur confidentia proteſtationum decipiamur, caueatur, quòd ille, cui fiat adhæſio, geſta huiuſmodi confirmet ex certa ſcientia, ac ſi de verbo ad verbum expreſſa eſſent: ita quòd nullus ſuper huiuſmodi beneficijs aut alijs geſtis ſiue actis in Romana curia vel extra moleſtetur, etiamſi lis ſuper eis alibi penderet quàm coram Ordinarijs, etiamſi alicui alteri quæſitum diceretur; quibus talibus (ſcilicet ius habere prætendentibus) ſilentium perpetuum imponatur: & ipſorum poſſeſſorum tituli, ſiue iuris ſint ſiue facti, quos durante proteſtatione authoritate ordinaria acquiſiuerunt, confirmet, & authoritate Apoſtolica approbet; ipſiſque poſſeſſoribus ſeu detentoribus, in quantum opus, de illis de nouo prouideat.

Cap. 16. Lites verò coram ordinarijs Iudicibus pendentes, apud quos iuxta formam proteſtationis licuit litigare, coram illis tantummodò proſequatur & terminetur.

2. Sententiæ verò ſub authoritate Papali vel à Conſiliarijs durante proteſtatione collatæ & nondum executæ, non exequantur; ſed acta & quicquid ad hoc vnaquæque partium habeat, allegare coram Ordinario perducatur; quæ ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſola facti veritate inſpecta, procedens, negotium ipſum vnica ſententia valeat terminari.

Item de cauſis durante proteſtatione motis, & adhuc mouendis, pendentibus, quas aduocet Papa, ſimiliter in eodem ſtatu committat Ordinarijs ſimili modo terminandis. Et quod ibi cognitum fuerit, Papa ratificet, & authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmet. Contrà facientibus, ac etiam ijs, qui a eos authoritate ordinaria beneficia b poſſidentibus ſunt aſſecuti, impetere præſumpſerint, ſeu quomodolibet moleſtare, perpetuum ſilentium imponat. a. f. ea. b. f. poſſidentes.

Ann. Sal. 1441. Cap. 18. *Inſuper omnia & ſingula, quæ dicta proteſtatione durante in præiudicium, grauamen, ſiue læſionem iuriſdictionis, iuris, vel poſſeſſionis Metropolitanorum, dioceſium, dominiorum, terrarum, Prælatorum, Collegiorum, perſonarum, ſeu rerum quarumcunque eorum, qui huiuſmodi proteſtationi obediunt, obediuerunt, quomodolibet vergentia, Apoſtolica vel alia quauis authoritate impetrata, ſeu quomodolibet conceſſa, vel in poſterum concedenda, aut in iudicio vel extraiudicialiter quomodolibet obtenta ſeu obtinenda, caſſet, irritet, & annullet, & pro infectis penitus habeat: ac illi vel illis, qui taliter impetratis, conceſſis vel obtentis, concedendis vel obtinendis quomodolibet niterentur, etiamſi ipſis & cuiuis eorum ius ex illis quæſitum foret, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ex certa ſcientia perpetuum ſilentium imponat.*

Cap. 19. *Vt autem præmiſſa firmiter obſeruentur, polliceantur Papa pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, ſe omnia præmiſſa & ſingula inuiolabiliter obſeruaturum, & contra ea vel ipſorum aliquod in toto vel in parte nullo vnquam tempore innouaturum, decernendo initurum, &c. Pro firmiori ſubſiſtentia committet Romano Regi & Principibus Electoribus, & alijs, quos ſecum duxerint aſſumendos, ſuper eorum obſeruantia Pragmaticam ſanctionem conficiendi, ac pœnis & cenſuris vallandi & corroborandi poteſtatē.*

Ann. Sal. 1441. Cap. 20. *Item committet vniuerſis Archiepiſcopis noſtræ Nationis, quòd ſi vmquam per eum vel ſucceſſores, aut eorum ſeu alia quauis authoritate, per obliuionem fortaſſis vel inaduertentiam d lapſos, vel importunitatem dicentium, aut aliàs qualitercunque in præiudicium vel leſionem eorum, quicquam ſtatui ſeu concedi contingat, quòd quiuis eorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum id caſſet, &c. & pœnas, ſi quæ forte deſuper quacunque authoritate prolatæ forent, ſeu proferri contingeret, relaxandi, & omnia in priſtinum ſtatum producendi, concedat eis & cuilibet eorum plenam poteſtatem: & vt præmiſſa, & omnia poſtquàm ſic ſtatuta fuerint, conſeruent, manuteneant, & defendant, contradictiones per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendi, totiens quotiens ipſis viſum fuerit, inuocato etiam adhoc, ſi opus ſit, auxilio brachij ſecularis &c.* d. al. lapſis.

Concluſio *Super præmiſſis auiſamentis concordent, Sereniſſimus Dominus Romanorum Rex, Illuſtriſſimi Domini Principes Electores, inuicem velle aſſiſtere, & alterutrum ſe defendere contra omnem hominem, eos vel alterum eorum coniunctim vel diuiſim, occaſione præmiſſorum moleſtare, inuadere, ſeu quomodolibet perturbare conantem.*

FRIDERICI, ET ALBERTI FRATRVM DISSIDIA. Ann. 1441.

XXXIV. DOmeſticum interim turbauit quietem diſſidium. *Albertus VI.* cognomento *Prodigus*, iniquam paternæ hæreditatis diuiſionem cauſatus, *Vdalricum Cilienſem*, & alios quoſdam ſibi adiunxerat, quorum viribus adiutus, *Labacum* primarium Carniolæ oppidum, ad fluuium eiuſdem nominis ſitum, obſidione cinxerat, ac omne genus telis oppugnabat. Ab oppidanis verò, & ſubmiſſo ex Auſtria milite, profligatus, caſtra cum reliquo bellico apparatu, prædæ relinquere, coactus abierat. Cumque exercitui ſoluendum ipſi non eſſet, milites ab eo dilapſi, vt pecuniam à *Friderico* extorquerent, Auſtriæ fines rapinis infeſtabant. Ex his initijs, maio-
1442. ra poſt incomoda extitêre. Simultas primùm
XXXV. *Tigurini diſſident, & Suitenſes.* inter *Tigurinos*, & *Suitenſes* eorumque confęderatos, ex qua cum multis ſe ſe damnis & incōmodis affici viderent Tigurini, vt opes ſuas non deſererent, de fędere cum Auſtriacis ineundo, cœpere conſilium. Et quanquàm ob priores, & veteres offenſas, ipſos ſibi non ſatis propitios fore putarent, magnam tamen fiduciam in eorum clementia collocabant, quos ſciebant, multis antè hac poſt graues acceptas iniurias, lenes ſe ac exorabiles præbuiſſe. Medio itaque *Guilielmo Hacbergico* Marchione, Auſtriacorum præfecto, de propoſito ſuo Principes certiores faciunt. Conſulem ſuum *Henricum Schuendenum*, equeſtris ordinis virum, cum *Archigrammateo* obuios miſere *Friderico* cum munere honorario. Oeniponti eum conuenêre. Fęderis capita hæc receſentur. *Fateri Tigurinos ſe, multa Auſtriacis incommoda attuliſſe, quo tempore inimici fuiſſent, nunc verò culpam deprecari, amicitiam & fœdus cupere, in quod ſi recipiantur, fidos impoſterum ac obſequentes iiſdem fore: Præterea* Kyburgi *comitatum, quem oppignoratum ſibi habebant, Auſtriacis, certis* XXXVI. *Tigurina legatio.*

qui-

Sal. Ann. 1441. *quibuſdam conditionibus tradere, paratos eſſe.* Auditis eorum poſtulatis Cęſar, vti ſe Aquiſgranum ſequerentur, iuſſit. Conuenerant ibi maiores Germaniæ principes. Horum in-
XXXVII. *Fridericus Aquiſgranum ingreditur.* greſſum *Roo* deſcribit: quòd Primus inter Principes ingreſſus ſit, *Fridericus* Dux Saxoniæ, qui *Margaretam* ſororem Cæſaris in matrimonio habebat, cum mille quingentis equitibus, inter quos plurimi nobiles aureis *Ordo ingrediendi.* ornamentis, famuli ipſorum argenteis culti, viſebantur. Hos ſequebatur *Ludouicus* Bauarus Palatinus Rheni, mille equites ornatiſſimos adducens. Tertio loco *Leodienſium* Antiſtes, mille quadringentis equitibus comitatus, ingrediebatur. Hunc ſecutus eſt *Montenſis* regulus cum octingentis equitibus. Poſt hos Eccleſiaſtici cum ſacris reliquijs, qui Cæſari antè vrbem obuij venerant, longo ordine procedebant. Sequebatur hos aulicus Cæſaris comitatus, in cuius medio ipſe, aureo ſupra loricam baltheo cinctus, equitabat. Proximè ipſum anteibat Elector Saxoniæ nudum manu gladium geſtans. Latera ſtipabant Colonienſis & Moguntinus præſules. Ponè ſequebantur Treuirenſis, principeſque alij, reguli, & ex equeſtri ordine quamplurimi. Vltimum agmen claudebant Eccleſiaſticorum Electorum aulici pulcherrimo ordine. Aderat inter alios
XXXVIII. *Ludouicus* Cardin. S. Cæciliæ, à Baſilienſis Synodi patribus eò miſſus, vti electionem ratam haberet, ac coronationem præſens condecoraret. Hunc, exorto diſſidio, an *Baſileenſis* ſynodi eſſet, vel *Eugenij*, Cæſarem confirmare, *Leodienſis* Antiſtes prò *Eugenio* conſurgens, *Ludouicum* extra vrbem concedere iuſſit, ſed mox eum *Colonienſis* reduxit. Poſtero die *Brandeburgicus* Elector cum ſuis aduenit. Ante coronationem Cæſar inſtituta ad Principes oratione, *cum vno omnium Electorum conſenſu, nulla ſua ambitione, Imperium ſibi delatum eſſet; propterea non debuiſſe ſe ipſorum iudicium contemnere, quominus, etſi priuatis negotijs domi occupatus abundè quod ageret, haberet, Reipublicæ ſui copiam faceret. Sperare viciſſim, ipſorum ſibi opem & conſilia, in rebus neceſſarijs non defutura. Scire ipſos, multa Sigiſmundi temporibus Auſtriæ domui ablata eſſe; quæ, ut recuperentur ſibi curæ futurum: quod ſi adhæc, & ad alia imperij munia ipſum iuuerint, tum ſe* *Ann. Sal. 1441.* *Rempub. pro dignitate, & publico comodo benè geſturum, quod Deus adiuuet.* Poſtea die dominico, qui fuit XVII. Iulij peracta eſt coronatio, ſacra procurante Archiep. Colon.

Poſt coronationem, ictum eſt fœdus inter Auſtriacos & Tigurinos, quod literis conſi- XXXIX. *Fœdus Tigurinum cum Auſtrijs.*
gnatum, legati, quibus datus eſt comes *Iacobus Dapifer Vualdpurgicus*, Imperialis Sueuiæ præfectus, ad ſuos attulere. Heluetij, qui hactenus, quid Tigurinis apud Cæſarem negotij eſſet, cogitare non potuerant, re iam vulgata, ægrè ferebant, eo maximè, quòd Cæſar Francofurtum profectus, ciuitatum legatis priuilegia, de more confirmauit, præterquàm Helueticis. Norimbergam inde ventum circa Idus Iulij, & de componendo actum Eccleſiæ diſſidio. Variæ erant Principum ſententiæ. Erant, qui Baſileenſem ſynodum continuandam, eoque plures viros doctrina, ac pietate claros, eſſe conuocandos, quorum diſceptatione omnis controuerſia decideretur. Alij neque XL.
huius, neque Ferrarienſis Conſilij ab *Eugenio* collecti decretis ſtandum, ſed tertio quodam loco nouum denuò inſtituendum, ac de integro omnia eſſe inſtauranda, iudicabant. Horum in conſilio præualuit ſententia. Mittuntur itaque Baſileam legati, inter- *Legati Principum ad ſynodum Baſileæ.*
quos erat *Thomas Haſelbachius* Theologus. Hi Cæſaris ac Electorum nomine, patres exhortantur, vt intra anni tempus, aliud generale Concilium, alibi in loco ab illis denominando, celebrandum decernant. Non aliter rem Chriſtianam ſaluam fore. Dum enim alter Pontificum honoratur, vterque in contemptum adducitur. Scire ipſos *fidei normam, ac regulam ab vno Oecumenico pendère Concilio, quod ſi ſubtrahas, nil certi amplius ſperari. Orare itaque ad pacis ſtudia.* Hæc vbi legati expoſuiſſent, reſpondère Patres. *Probari ſibi Principum voluntatem, eximiamque in Eccleſiam Dei, communem fidelium matrem adfectionem. Baſileenſem ſynodum, iam initio fuiſſe, ac eſſe generalem, cuius auctoritatem nemo catholicus contemneret. Locum verò abſque magno rerum incomodo mutari non poſſe; neque videre ſe, quænam alia ciuitas Baſileæ præferri poſſet, ſiue aeris ſalubritatem, ſiue loci regionem ſpectes, Italis*

iuxta

Sal. Ann. 1442. *iuxta à Germanis acceſſu percomodam. Paratos ſe nihilominùs, omnium actorum rationem dare, & ne calumniandi ſe ſe occaſio ſit, quamcumque ciuitatem Germaniæ adituros, ſi de certis conditionibus caueatur.*

XLI. *Cæſar ablata repetit.* Cæſar nil proficere videns, ad res Helueticas animum conuertit, & præſens adire. Eò præmiſerat *Guilielmum Grunenbergicum*, & *Turingum Halouilium*, iiſque in mandatis dederat, vt loca quæ *Friderico Seniori* patruo ſuo ablata fuerant, reſtitui poſtularent, ac Heluetijs dicerent: quærere Cæſarem, *vtrum imperio illa, an ſibi ipſis vindicaſſent? Si imperio, iam ea ad ſe pertinere: ſin ſibi, non licuiſſe id ipſis, durante fœdere, quod dato vtrinque Sacramento, cum* Friderico *pactum erat, à quo nulla iniuria læſos fuiſſe ſe faterentur. Velle igitur Cæſarem, omnia ex integro ſibi reſtitui, neque iniurias magna cum contumelia illatas, neglecturum, niſi ſoli Romanum Imperatorem legitimè electum, ac coronatum agnoſcere, recuſarent.* Heluetij hac legatione perculſi, conuentum fœderatorum Lucernæ cogunt: legatos ad Tigurinos mittunt, capita fœderis nuper facti, in ſcriptis ſibi exhiberi poſtulant; ea illis ſemel atque iterum perlecta ſunt; exemplar quod ſecum ferrent, non datum. In ijs fędus Heluecicum exceptum erat. Interim Tigurini fluxæ fidei apud Cæſarem accuſantur. Hi moniti, ſe purgant ſolicitè, ad ſe veniat, Cæſarem orant, ſe ſuaque omnia in ipſius poteſtate fore. Ineunte itaque Septembri, eorum vrbem *Fridericus* ingreſſus,

XLII. *Tigurum venit.* magno cum honore excipitur, obuijs cum Sacrorum apparatibus, Sacerdotibus. Habuiſſe in comitatu dicitur, equites mille, currus ſex ſupra triginta. Quarto poſt aduentum die, Tigurini *Friderico* vti Rom. Imper. fidem & obſequium iurant; deinde eidem vt Auſtriæ Principi, Alberto item fratri, ac Sigiſmundo patrueli adſtantibus, initum ſe fœdus Sanctum, ac inuiolabile conſeruaturos, facto itidem iuramento, promittunt. Poſtridiè Cæſar, triginta nauium claſſe, per lacum nauigauit *Raperſuillam*, eum proſequentibus Tigurinis, quibus Raperſuillenſes reconciliauit. Tigurum inde reuerſus, oppida inuiſit Heluetia. Mirabantur

XLIII. *Conſtantia Cæſaris.* multi, quod Cæſar cum paucis tam ſeuerè per Heluetiorum agros iter faceret, imprudentiæ adſcribentes. Ipſe verò innocentia fretus (quæ animum auget etiam apud ſuſpicaces) etſi ob negatam hactenus priuilegiorum confirmationem, multos non ſatis æquos haberet, neminem tamen metuens, nec ipſi metuendus vlli, per Heluetios liberè iter agebat. Bernam, Friburgum abijt, vbique honorificè acceptus; Friburgenſes quaſi Deum vidiſſent, nihil prætermiſère quo lætitiam declararent. Friburgi iterum adfuerunt Heluetiçarum aliquot ciuitatum legati, qui commoda ſua & immunitates à Cæſare comprobari ſupplices orabant. Reſponſum ijs: *nihil à Cæſare obtineri poſſe, niſi prius omnia Auſtriacorum dominio ablata, reſtituantur; quod ſi* iniquè ſecum agi putarent, integrum ipſis eſſe, iure coram principibus agere, qui ad proximum D. Martini feſtum, Conſtantię conuętum eſſent celebraturi. Poſt hæc Cæſar in Allobroges profectus, Loſanam atque Geneuam venit; vbi ei Sabaudiæ princeps filius *Felicis* Pontif. cum ſororibus adfuit. Inde Biſontium pergens, Burgundiæ ducem conuenit; mox alio itinere, quàm venerat, per agrum Montiſpeligardicum ad Germanos reuerſus, III. Id. Nouemb. Baſileam ingreſſus eſt, deducentibus ipſum Eccleſiaſticis, cum magna ſacrorum pompa, longoque Epiſcoporum ac procerum Eccleſiaſticorum ordine. Quanquàm verò Cæſar in tanta animorum diſſenſione, vtrà cum parte ſentiret ipſe, non apertè proderet, *Felici* tamen, vti Pontif. Max. honorem præſenti habuit. Plurima habuit cum *Felice* colloquia, adduci tamen non potuit, vt *Eugenium* damnaret, & ſynodo ſubſcriberet. Tantùm concordiam exorabat. Cumque nihil proficeret, Conſtantiam abijt, fiduciæ tabula Heluetijs data, vt venirent. Venerunt eò Bernenſium, Lucernatum, Suitenſium, Glaſonenſium, & Tugianorum Legati. Cum Cæſare aderant Auguſtanus, Brixinenſis, Curienſis, & Chiemenſis, Epiſcopi, *Rudolphus* Dux Sileſiæ, *Iacobus* Badenſis, & *Guilielmus* Rotelenſis Marchiones. Comites præterea multi ac proceres, principumq; aliquot & ciuitatum legati. Coram his ad Cæſarem intromiſſi Heluetiorum legati, ac dicere iuſſi, verba communi omnium nomine faciente *Rudolpho Erlachio*, ſupplices orant,

Ann. Sal. 1442.

XLIV. *Felicem Cæſar honorat.*

XLV.

Ann. Sal. 1444. orant, vti Cæſar, more à maioribus vſurpato priuilegia ſuarum ciuitatum rata eſſe iubeat, quod eius beneficium in ſe collatum gratis animis ſint proſecuturi. Cæſar, re cum ſuis deliberata, per Brixinenſem reſpondet; eos frustra orare, ni priùs Auſtriacas ditiones iniuſtè occupatas reſtituant. Ijs reſtitutis, facilè à Cæſare æqua imperaturos. Ne verò contra leges procedi arbitrarentur, permittere ipſum, vti ad æquam iuris diſceptationem Tiguri ad Calend. Februarij inſtituendam deueniatur, vbi ex imperij principibus deligantur arbitri, aut ſi malint, coram præfecto prætorij Rhenani, vbi omnes Imperatoris cauſæ controuerſæ, decidi ſolent. Quod ſi hoc nimis longum videatur, nè moram ipſe quæſiuiſſe putetur, ſtaturum ſe principum illorum arbitrio, qui tum præſentes aderant. *Erlachius* adhæc reſpondet, nulla ſibi collegiſque hac de re, mandata abeuntibus data, nihil igitur tranſigi poſſe, de ſola priuilegiorum confirmatione nunc agi, quam vbi obtinuerint, tum ſe de reliquo negocio ad ſuos eſſe relaturos. Sic re infecta, abierunt, graſſantibus paſſim rapinis & latrocinijs, nedum enim *Alberti* milites, quos ad Labacum in fugam actos fuiſſe diximus, quieti ſe ſe dederant. Fratrem itaque huius incendij fomitem opus fuit placare pecunia, vt in Sueuiam & vicinas Heluetijs ditiones, ad ſex annos ſecederet: eiuſque militibus ſeptuaginta aureum numum ſoluta ſunt, vt quieſcerent.

Negat ſubſcribere priuileg. Heluet.

Sal. Ann. 1444.

XLVI. *Cæſar fratri reconciliatur.*

BOHEMORVM TVMVLTVS.
Anno 1444.

EXtincto *Ptarſcone*, cœpit collega *Meinardus* aduerſæ factioni terror eſſe. *Georgium Poggiebracium* Ducem hæc elegerat, armorum peritia, rebuſque ſtrenuè geſtis inſignem. Orabant nè iacère ſuas partes ſineret, Pragam regni metropolim *Meinardo* non permitteret, Georgius ipſe, qui ſuapte natura magna cupiebat, collaudatis ſuaſoribus, *nonnullos in vrbem ire iuſſit, qui pertentatis ciuium animis, quæ* inuenerint, ad ſe referant, poſtquam multi aures adhibent, coniuratione facta inuadendæ vrbis dies conſtituitur. Coniurati incendium in parte vrbis admodum remota excitant, concurritur ad reſtinguendum ignem. Interea Georgius ex aduerſa parte cum copijs muros inuadit, nec mora proditores in inſtanti portas aperiunt, extollitur clamor, vt capta vrbe ſolet. Hinc tremor ſuprema timentium, inde exultatio victorum exaudiri. Trucidantur paſſim reſiſtentes. *Meinardus* in eo tumultu captus in carcerem coniectus, ibique tandem obijt, ſiue tædio diutini carceris, ſiue, vt plerique putauerunt, exhauſto veneno. Ex illo tempore ſine controuerſia Praga in poteſtate *Georgij* fuit, neque poſthac aduerſari palam voluntati eius ex Baronibus quiſquam præſumpſit, quibus poteſtas ſuſpecta viſa durum imperium, in concionibus laudare hominem, probare regimen, blandiri, adulari, eum eſſe dicere, qui tandem regni calamitatibus modum ponat. Id nulla vi rectius fieri poſſe, quàm ſi res in regnum veniat, precari, numen obteſtari, id patriæ non deneget, legatos ad Cæſarem mittat, inſtet, vrgeat, facturum tutorem denique quod in pupilli rem ſit. Si pergat aduerſari, nihil Bohemis imputandum, alium regem quærentibus. Sententia quamuis ingrata *Georgio*, accepta in auribus populli refelli non potuit. Miſſi ad Cæſarem oratores nihil impetrauere, pupillaris ætas excuſationem præbuit, quàm ſæpius idem tentaretur. Venere plurimi ex Bohemis ad *Fredericum* viſendi regis gratia. Inter quos *Georgius* nomine Giſcra, armorum gloria clarus, qui partes eius vnus fermè defenderat in Hungaria, cùm rex Poloniæ regnum inuaſiſſet, prædones ſæpe acie fuderat, *Ioannem Huniadem* bis caſtris exuerat, rebellantes Hungaros magnis cladibus affecerat. Is vbi ad conſpectum regis intromiſſus eſt apud Nouam ciuitatem, quo in loco tunc aderamus, aſtantibus plurimis illachrymans *Ladiſlai* manum exoſculatus, in hunc modum verba fecit: Video te tandem teneoque mi rex, ſi ſcires quæ pericula propter te audiui, quibus me laboribus implicui, quot aduerſo corpore vulnera accepi. En

XLVII.

Eneas Syluius. Boh. c. 58.

Praga per proditionē capta.

Meinardus in carcere vitam finit.

A

Sal. Ann. 1444. En cicatrices teſtimonio ſunt, patri egò tuo tibique vitam deuoui. Nulla vis eſt, nulla fortuna, quæ alienare animum à te meum poſſit, officium meum ſola tibi auferet mors. Sed tu hæc per ætatẽ non intelligis. Et ſubridens, Quod inquit, mihi præmium fidei ac laboris erit? & quod das militi tuo ſtipendium? Sextum tunc annum agebat *Ladislaus*, qui poſtquam Giſca finem dicendi fecit, oculos huc atque illuc circumuoluens, loculos Ioannis magiſtri cameræ ſuſpiciens ex philecteria pendentes, qua ille nummos more Theutonico pauperibus erogando; aſſeruabat, hanc tacitus arripuit, æraque ſex tantum, neque enim plura inuenit, illinc deprompta Giſcæ dono dedit. Admirati omnes pueri factum, & prouidum, & liberalem futurum iudicauere. Giſca innexos poſtmodum auro nummos è collo ſuſpendit, regiæ gratitudinis monimentum. Sal. Ann. 1444. B

TVRCARVM VICTORIA IN CHRISTIANOS. Anno 1444.

XLIX. CVm iam in Hungaria *Iulianus* Cardinalis ſequeſter pacis inter *Eliſabethã Ladislai* matrem, & *Vladislaum* rem ad concordiam perducere conaretur, diem ſuum Regina obijt, non abſque veneni ſuſpicione. Poſt Reginæ obitum Hungari propè omnes, qui cum illa ſenſerant, ad *Vladislaum* defecère, ea res, magna eius factioni momenta attulit. Bohemi contra, qui ſub *Giſca* alijſque præfectis Caſſouianæ prouinciæ, loca quædam munita tenebant, ad *Fridericum* regis poſthumi tutorem reſpiciebant. Stabat

L. *Io: Hunniades Coruinus.* in partibus *Vladislai* Ioannes *Hunniades Coruinus* Tranſyluanæ regionis (quam Germani ſeptem caſtra nuncupant) regulus; qui rem bellicam contra *Amuratem* Turcarum tyrannum ea cum animi fortitudine adminiſtrabat, vt ſolus ferè ex Chriſtianis, ferociſſimæ genti terrorem incuteret, multaque Turcarum millia, paucis admodùm inſtructus copijs, fuderit. Cuius victorijs inſiſtens *Vladislaus*, maiori ſtipatus exercitu, & ipſe in hoſtem profectus, magna cum clade adfecit, adeò vt *Amurates* ad pacem vltrò petendam animum inclinarit, quam, *Deſpote* Seruiæ adnitente, faciliùs *Vladislaus* admiſit, quod inteſtinis bellis fluctuare Poloniã nunciaretur, & *Fridericum* Cæſarem aduerſarium haberet, à cuius amicitia Hungari plerique non erant alieni.. Pax igitur in decem

LI. *Pax Hungar. cum Turcis.* annos facta eſt, Hungaris in *Euangelium* Chriſti, Turcis in ſuum *Alcoranum* iurantibus. Hanc pacem *Iulianus* legatus Pontificis, (quam, ne fieret, impedire nequiuerat) factam diſturbare omnibus modis nitebatur. *Franciſci Cardinalis Florentini*, qui in Helleſponto Latinæ claſſis præfectus erat, literæ aduenerant, quibus ſignificabatur: *Amurathem*, exinanitã ferè Europa, cum omnibus copijs in Aſiam aduersùs *Caramanum*, traiecíſſe: occaſionem maximam oblatam eſſe, facile recuperandi quidquid in Europa amiſſum fuerat. Monere deinceps, vt cum ſuis quamprimùm in Macedoniam erumperent. Se ad Helleſponti fauces adfuiſſe, ne Turci redeant, facile prohibiturum. Aduenerunt etiam Byzantini Imperatoris tabellarij, per quos feſtinandam is, ob Turcarum abſentiam, expeditionem orabat, efflagitabatque, ac opportuniorem quidem vllam occaſionem vindicandæ à fœdæ gentis imperio Europæ vnquàm adfuturam: & poſtulatam ſe à Turca pacem repudiaſſe ſignificans. Recitatis vtriuſque in ſenatu litteris, tanta Regem cunctoſque proceres facti pęnitentia mox inceſſit, vt nullius vnquàm rei vehementius puderet, quaſi proditores Chriſtianæ Reipublicæ, & ſacri fęderis violatores.

Animos hac pœnitentia fluctuantes, *Iulianus* tempeſtiuè adoritur: pacem nec rectè nec ordine factam, atque adeo irritam eſſe debere, Violatæ paci prætendi poſſe, quod ſine Pontif. Max. aſſenſu, ac Principibus Criſtianis inconſultis, non licuerit *Vladislao*, cum hoſte omnium communi, pacem vllam aut fœdus facere, fidem vtriſque datam, Chriſtianis *quàm Turcis ſeruari æquius eſſe, cum illis quàm cum his fœdus & antiquus & ſanctius intercedere. Addebat porrò, non eſſe negligendã pulcherrimam rei benè gerendæ occaſionem, teneri à noſtrorum claſſe pelagus, Turcarum vires bellis ſuperioribus attritas, tota Europa depelli, aut hoc tempore: aut nunquàm aliàs poſſe. Quod verò ad promiſſorum fidem attinet, omnem ſe ſcrupulum, omnem conſcientiæ labem eximere.* His victus *Vladislaus*, & ſpe LII. *Iulianus Legatus Papæ ſuadet pacto deficere.*

adpro-

Ann. Sal. 1444. adprobationis Pontificiæ de corona Hungariæ in Turcas ducit. Hoc præſenſerat Cæſar, vnde ad Eugenium ſequentia ſcripſit. *Ann. Sal. 1444.*

FRIDER. III. IMPER. AD PONTIF. ROM.

De Regnis legitimo hæredi non auferendis, aut in alium transferendis.

FRidericus *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Sanctiſſimo Patri, Domino Eugenio Papæ Quarto S.P.D. Etſi non dubitemus, Apoſtolicam Sedem, tamquam veritatis doctricem, iuſtamque vitæ magiſtram, quorumlibet iuribus fauorabilem eſſe, nullique prorſus iniuriam facere, quia quicquid ab eius ſolio manat, iuſtitiæ lancibus libratur & æquitatis: non tamen ab re fore putamus aliqua per nos ſcribi Beatitudini tuæ, quibus ius Sereniſſimi Principis Ladiſlai Vngariæ Regis, patruelis noſtri chariſſimi, pueri pupilli & orphani commẽdatum efficiamus, & eorum qui ficta pro veris referunt, impijs reſiſtamus conatibus. Scit enim tua Beatitudo, patruelem noſtrum præfatum, qui poſt obitum vitæ (divæ memoriæ) patrui & anteceſſoris noſtri Alberti Romanorum atque Hungariæ, Bohemiæque Regis, in vtero materno poſthumus remanſerat, vt primum natus fuit, & ſacri fontis vnda renatus, adhibitis ex more ſolemnitatibus, veram Vngariæ & ſacram ſuſcepiſſe coronam. Nunc autem, ſicut accepimus,* *Vladiſlaũ Poloniæ Regem.* *magnopere quidam inſtant, vt tua Sanctitas titulum Regni huius in * alium transferat, multa illinc emolumenta tum Sanctitati tuæ, tum Regno præfato prouenientia dicentes; quæ licet nullatenus Apoſtolicum mouere credamus, quia nullum commodum eſt tam ingens, pro quo bene vendi iuſtitia poſſit, mirandus tamen eſt eorum conatus, qui ex alieno incommodo ſuum quærentes commodum, altiſſimi ſanguinis puerum & paterno & auito Regno cupiunt ſpoliare. Iniquum profecto & abominabile ſcelus. Fecerit enim alius quiuis magnalia, ſit potens, ſit aptus regimini, ſit per aliquos accerſitus; volumus iſta diſcutere; nec cum iniuria volumus loqui cuiuſquam: nulla tamen ratio ſuadet, huic puero ſuum adimi regnum, qui ſi propter ſe non eſſet magni putandus, ei tamen propter facta paterna, vniuerſa Chriſtianitas fauorabilis eſſe deberet. Quis enim noſtri temporis homo eſt, qui patris huius glorioſos conflictus, tum contra Turcas, tum contra Huſſitas non audiuerit?* *Sigiſmũdi Imp.* *Debent præterea & huic puero fauorem præbere, * aui ſui clariſſima geſta, & illa Eccleſiæ vnio Conſtantiæ reparata, tum vero & Caroli Quarti, & Henrici Septimi: quorum vltimus hic ſanguis eſt memoria Cæſarum. Tacemus inclytæ Domus noſtræ Auſtralis opera, tam pro Imperio, quàm pro Eccleſia, in fauorem fidei per noſtros & huius pueri progenitores edita. Quis tandem non compati deberet innocenti puero parentibus orbato, vero Vngariæ Regi ac hæredi? Inſanæ profecto mentis & animi trucis ſunt, ac totius hoſtes iuſtitiæ, qui tam generoſum puerum Regno priuare, & ius tam clarum conculcare nituntur. Sciunt tamen & illi ipſi, qui talia petunt, inhumanum eſſe quod optant, atque idcirco extinctum puerum & nuſquam inueniri confingunt, vt vel hoc colore Regni titulus in alium deriuetur. Sed aliud reperitur. Viuit enim Rex Ladiſlaus, ac fauſta & felici fruitur ſoſpitate: ſcitus puer atque formoſus. Is eſt in Nouaciuitate vicinus Vngariæ, adirique ab hominibus poteſt, qui eius viſendi ſunt: cupidi. Spes & noſtra & omnium eſt, anteceſſorum ſuorum virtutes in hoc puero reuicturas. Quæ omnia tuæ Beatitudini recenſemus, ne per ſiniſtras ſuggeſtiones aliquid ex Curia tua valeat extorqueri, quod huic patrueli noſtro poſſit eſſe nociuum, vtque puerum iſtum omnibus Imperij Principibus ſanguine iunctum, Apoſtolicæ Sedis fauore tua Sanctitas proſequatur. Sit igitur hic Rex pupillus in tuo conſpectu recommendatus, ſit ante oculos tuæ mentis ſua generoſitas, ſua ætas, ſua puritas, ſuorum memoria prædeceſſorum, & huius iuſtitiam, ex qua non inanis & ficta, ſed vera & ampla vtilitas Apoſtolicæ Sedi redundare poteſt, amplecti atque tueri velis. Datum Viennæ.*

Pergenti Vladiſlao ad Nicopolim occurrit *Dracula* Valachiæ montanæ regulus, vir non parua iuſtitia, & æquitate pollens, & fortiſſimus in quoque bello Imperator ſemper habitus: quippè qui modicis copijs, magnitudine animi, & ſapientia, Turcarum bellum, vix Chriſtianis omnibus tolerabile, præter omnium opinionem, ſine vllis externæ gentis auxilijs, diù tolerauit, tantamque LIII. *Dracula.*

G aſſiduo

Ann Sal. 1444. aſſiduo bello prouincialium iacturam fecit, vt vix ſupereſſent, qui agros colerent. Hic ne in Turcarum ſeruitutem caderet, quando iam nimis attenuatis erat opibus, ad hanc expeditionem, veluti ad præſentem ſalutem, euolauit: conſpicatum Regis exercitus, & militum paucitate conſternatus, eum continuò, cæteroſque Principes orare, ac obteſtari cępit, nè vltra contenderet, pedem referret: quando non ſinè magno ſuo malo ſat exploratas Turcarum vires haberet: quippè qui cum longè maiore ſeruorum manu venatum prodire ſoleret, quàm Hungaricæ nunc forēt copiæ. Habebat *Vladiſlaus* ad quindecim millia equitum ex Hungaris, & Polonis, peditatum ex cruce ſignatis non ita magnum.

LIV. *Suadet Vladiſlao retrocedere.* His copijs fretus, reiecto prudentis viri conſilio, iter eſt proſequutus. Nonnulli Draculæ verba in malam partem interpretabantur, vati illum, quia ictum cum Turcis fędus haberet, præter animi ſententiam, ita fuiſſe loquutum. Res tamen ipſa teſtabatur, nil *Draculam* dixiſſe à veritate alienum. Verū quùm fata Regis inſtarent, vrgente *Iuliano*, ſaniori negauit aures conſilio. At *Dracula* poſtquàm Regem ab itinere ſe reuocare non poſſe cognouit, loco auxiliorum, filium cum quatuor millibus equitum cum eo miſit, item duos ſtrenuos iuuenes locorum peritiſſimos: & in digreſſu, ad belli vſum, duos miræ pernicitatis equos dono dedit. Adauxerant *Draculæ* metum, Bulgaræ cuiuſdam aniculæ reſponſa, quæ ad Sullonum vicum, belli exitum ab eo rogata, reſpondit. *Vladiſlaum* Regem malis auibus ad *Varnam* pugnaturum, & profligati exercitus reliquias aduerſus Turcas deindè feliciùs pugnaturas. Ad Varnam itaque cum Turcis congreſſus, in Ianizerorum phalangem, in qua *Amurathes* ipſe erat, incidit, ibique fortiter pugnans, occubuit. Ann. Sal. 1444.

LV. *Vladiſlai cædes.* Ferunt *Amurathem* inclinata ſuorum acie, *Chriſti* numen inuocaſſe; depromptum è ſinu codicem initi ſanctiſſimè fœderis, explicaſſe: & intentis in Cœlum oculis dixiſſe:

LVI. *Amurathes Chriſtum inuocat.* *Hæc ſunt Ieſu Chriſte fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſere: per numen tuum ſanctè iurarunt, datamque ſub nomine tuo fidem violarunt, perfidè ſuum Deum abnegarunt. Nunc Chriſte, ſi Deus es (vt aiunt, & nos hallucinamur) tuas, meaſque iniurias, te quæſo, vlciſcere: & his, qui Sanctum tuum nomen nondum agnouère, violatæ fidæi pœnas oſtende.* Vix hæc dixerat, qui vltimum in ſe impetum expectabat, quum prælium quod anceps, ac dubium diù fuerat, inclinare cœpit. Vtitur ſanè Deus malorum opera in corripiendis ſuis, cuius tum vindictæ, hanc cladem omnes adſcribebant. Etſi enim illa, quæ *Iulianus* in conſilio dixerat, ſpeciem aliquam Iuſtitiæ viderentur habere, conſultius tamen erat, pacem aut non feciſſe, aut factam ſeruaſſe. Fuit Turcis non incruenta victoria, ita vt *Amurathes* dixerit, actum de ſe fore, ſi iterum ad eum modum vincendum ſit. Incidit hæc pugna Sal. Ann. 1444.

BELLVM TIGVRINVM. Ann. 1444.

LVII. PEr idem tempus Heluetij, qui Suitenſiū partes in Tigurinos ſequebantur, hos ſollicitabant, vt fœderi quod cum Auſtriacis habebant, renunciarent. Tigurini in nullius iniuriā fędus ab ſe factum reſpondent, quod peierare non auderent. Hinc ad arma. Erant apud Tigurinos *Iacobus Horbergicus* Marchio, & *Ludouicus* comes *Helfenſtainius*, cum multis nobilibus ad 845. equites. Peditum duces erant *Io: Rechbergicus*, *Thuringus Halouilius*, & *Burcardus* Monachus. Acceſſerant auxilia Auſtriaca, Heluetijs omnibus ex aduerſo conſpirantibus in Tigurinos. Excitan-

LVIII. *Tigurum obſidetur.* tur vtrinq; prædiorum incendia. Arces, vel deditæ, vel expugnatæ. Tandē ſub Iunij finē, Heluetij omnes Tigurum obſidione cinxère. Paulo poſt *Ludouicus*, *Caroli* Galliæ Regis filius (*Delphinus* erat) cum triginta pugnatorū

LIX. millibus, rectà Baſileam ire perrexit. Aduentus cauſæ duæ feruntur. Sunt qui ab Auſtriacis accerſitum affirmant, vt Tigurum obſidione ſolueret, ac Heluetiorum contumaces ſpiritus frangeret. Alij *Eugenij* artibus euocatum, vt Baſileenſe diſturbaret concilium. Huic obuiam profecti Heluetij, dum pauci cum plurimis ægregiè pugnant, propè ad vnum cæſi, victoriam multo ſanguine emptam reliquère. Ad Tigurum quoque malè pugnatum ab Heluetijs, & obſidione vrbs ſoluta eſt.

L A-

Ann. Sal. 1445.

LADISLAI NOVA ELECTIO IN REGEM. Anno 1445.

LX. Cæſo *Vladiſlao*, domum profugit *Coruinus*, vt conuulſum Reipublicæ ſtatum reſtitueret. Cumque & ab *Amurathe* & à *Friderico* metueret, ſtatuit illi priùs obuiam ire. Nouo itaque milite auctus, ad *Sauum* amnem magna cum celeritate hoſtem aggreditur imparatum, quo fuſo, victor in Pannoniam redijt. Vbi à regalibus comitijs, ad campum *Racos* habitis, omnium ſuffragijs in regem Hungariæ denuò eligitur, & confirmatur *Ladislaus*. Et quia puer erat, placuit Pro Regem dari, donec ille ad maturam

LXI. *Coruinus Pro Rex Hungar.* perueniſſet ætatem. *Coruinus* inter competitores citra inuidiam elatus, extemplò legatos ad Cæſarem mittit, Regem ſimul & coronam regiam repetituros, *neque regnum abſque rege eſſe diutiùs poſſe, & ſacram coronam alibi quàm in regno aſſeruari, nefas eſſe dicentes*. Fridericus auditâ legatione reſpondet: *Quòd Hungariæ proceres regem tandem ſuum agnoſcant, rectè id ab ijs fieri, eamque ſe mentem ipſis perpetuam precari, noua electione nihil aliud, quàm coronationem iam antea ritè pera-*

LXII. *Puerum repoſcit.* *ctam, denuò adprobari in eo, qui naſcendi lege rex eſſet. Puerum verò regni impotem, nuſquàm meliùs aſſeruari quàm apud ſe cui illum mater non ſine grauibus cauſis commendaſſet. Nam in regnum ea ætate mittere, qua in tam varijs hominum ſtudijs abuti facile quis poſſet, quid aliud eſſe, quàm diſſenſionibus materiam præbere? Habere Hungaros, Pro Regem, virum prudentia, ac fide inſignem, ei rerum gubernacula, vt commiſſa ſint, ita relinquenda videri: donec Rex ad ætatem rebus maturam adoleſcat. Sibi interim curæ fore, ne quid in eius educatione ad optimam corporis & animi informationem deſiderari poſſit. Coronam verò apud Regem manère, cui ſemel impoſita eſt, æquum eſſe.* Hæc referentibus legatis, illicò *Coruinus* LXIII. *Mouet in Cæſarem.*

ex S. C., contracto duodecim millium exercitu, in Auſtriam hyberno tempore irrumpit, ad Viennæ montes vſque & Hamburgum prædas agit. Cæſar à militibus imparatus, Neapoli ſe continuit, ciuitate, natura ſatis & arte munita. Pro Rex igitur Neapoli fruſtra tentata, cum & hyems inſtaret, neque à Cæſare quicquam extorquere poſſet, præda grauis domum redijt. Sub anni exitum Raccolsburgi conuentum fuiſſe, vbi adnitente LXIV. *Induciæ inter Auſtrios, & Hũgaros.*

Vdalrico comite *Cilienſi*, induciæ ad biennium inter Hungaros & Auſtriacos factæ ſunt, arce *Rabi* reddita, & *Ladislao Bano*, quem Cæſar captiuum tenebat, liberato, *Roo* ſcribit. Magis interim gliſcentibus odijs inter Tigurinos, & Heluetios, poſt mutuas clades pax tantem interpoſita eſt, arbitro Vlmenſi LXV. *Pax Tigurina.*

Senatu, ſequeſtre pacis *Ludouico* Electore Palatino. Pari arbitrio *Alberti Brandemburgici* ſublata eſt quæ de *Sigiſmundi* Tirolenſis hæreditate paterna inter *Fridericum* Cæſarem, eiuſque fratrem *Albertum* & Tirolenſes LXVI. *Sigiſmundus tutelæ exemptus.*

interceſſerat diſceptatio; & *Sigiſmundus* tutelæ exemptus, prouinciæ ſuæ gubernationẽ ſuſcepit. *Albertus* verò Auſtriacus vxorẽ duxit *Methildem Ludouici* Palatini filiã, *Ludouici* Vvirtembergici viduam, fœminam diuitẽ, quòd percomodè *Alberto* ceſſit, cũ iam pecuniam omnẽ à Cæſare aſſignatam expendiſſet.

MORS EVGENII PAPAE. Anno 1447.

ARrchiepiſcopos Colonienſem, & Treuerenſem Baſileenſi fauentes concilio, cum depoſuiſſet *Eugenius*, commoti Electores Imperij, *occultum* (ait Pius Papa II.) *inter ſe fœdus percuſſerunt, niſi Eugenius irritam de-*

Lib I. Comment. *depoſitionem* hanc decerneret, nationis onera tolleret, & auctoritatem conciliorum, vt Conſtantiæ declarata fuerat, profiteretur, ſe ſuam depoſitionem in Baſilea factam amplexuros: legatoſque ad Cæſarem miſerunt, qui hæc ei ſoli, & ſex iuratis conſiliariis exponentes, vt fœderi ſe adiungerent, atque cum eis Romam mitteret, orarent. Cæſar vt audiuit electorum mentem, miſſurum ſe ad Eugenium dixit, rogaturumque, vt eorum petitionibus morem gereret. Fœdus autem ſpreuit, indignum atque impium dicens, niſi Papa, quæ petuntur, conceſſerit, ab eo deſciſcere. Miſit igitur *Aeneam* ad Eugenium, vt ſuaderet ei ne principes electores contemneret: maximè vero, vt depoſitis archiepiſcopis priſtinam ei redderet dignitatem. Sic enim futurum, vt Germani omnes depoſita neutralitate ad eius gremium redirent. Quod

Sal. Ann. 1445. ſi durior in ſententia perſeueraret, timendum eſſe, nè ſcandalum perpetuæ diuiſionis oriretur: quicquid autem electores inter ſe concluſerant, iniuratus Cæſar aperuit *Aneæ*, atque vt Papæ referret, imperauit. Et quia rurſus Calendis Septembris apud Frankfordiam electores habituri conuentum erant, vt audito reſponſo Papæ ſecundum fœdus neutralitatem exuerent, *Aeneam* monuit, vt recta via Frankfurti peteret, vbi legatos alios conuenturus, animum Eugenij eis notum efficeret. Legati inter hæc Apoſtolici quid rerum principes electores Frankfurti concluſiſſent, quid ex Cæſare peterent, quid Romam mitterent, cum diu quæſiſſent, nec certum aliquid excutere poſſent, vt alter eorum Romam pergeret, decreuerunt. Et quia Ioannes Caruaiales languens apud veterem hoſpitem ſuum Ioannem Gers mordacem, & inuidæ mentis hominem, acutis incenſus febribus iacebat, Thomæ Bononienſi Epiſcopo hæc prouincia ceſſit, qui *Aeneam* itineris comitem accepit.

LXIX. Cum Romam veniſſet, *Eugenius* admonente *Thoma*, priùs *Aeneam*, quàm legatos electorum audiuit, facturumque omnia promiſit, quæ Cæſar ſuaſit; atque indè ad *Philippum* Burgundionum Ducem direxit, conſenſum vt Archiepiſcoporum reſtitutioni præberet; cum nepos eius in Colonienſis, & frater eius naturalis in Treuerenſis locum vocatus eſſet. Iuit *Thomas* in Burgundiam.

LXX. *Aeneas* Francofurtum, vbi fruſtrà *Io: Caruaiales*, & *Nicolaus Cuſa* nitebantur placare Electores, cum legati Principum, qui Romæ fuerant, *Eugenium* duriſſimè ſibi reſpondiſſe referrent. Itaque deſperata res Eugenij videbatur, quia ſolus Imperator aduersùs omnes Electores declarationem facere non audebat. *In eo conuentu* (Pius II.) *egregium* facinus *Aeneas* auſus eſt, quod negligere nulla ratione poſſum. Moguntinus, qui fœderi aliorum electorum & pro ſe, & pro *Federico* Brandeburgenſi ſigillum appenderat, rogantibus oratoribus Cæſaris, vt ſententiam mutaret, non erat inuitus, id ſi certa poſſet ratione tueri, nè promiſſi violator videretur. Tunc *Aeneas* bono animo collegas eſſe iuſſit, quod Moguntino facile ſatisfaceret: noctem ipſe inſomnem duxit, atque ex notulis principum ſecundum quas Eugenium litteras dare volebant, alias notulas compoſuit, omni expreſſo veneno, quod Eugenius abhorrebat, ſententiaſque omnes extendit, per quas & nationi prouideretur, & archiepiſcopi reſtituerentur. Quibus peractis eas oſtendi Moguntino iuſſit, ſibique dici voluntatem Cæſaris eſſe ſecundum eas notulas: Eugenium notioni prouidere: neque dubitandum eſſe, quin illa ex eius ſanctitate poſſent impetrari; ſi rurſus ad eum mitterentur oratores. Viſa eſt res Moguntino & ſufficiens & iuſta: moxque cum imperialibus, & archiepiſcoporum Magdeburgenſis, Bremenſis, & Salburgenſis, & *Federici* marchionis, multorumque aliorum principum legatis fedus inijt, vt notulæ, quas *Aeneas* confecerat, ſigillis omnium munirentur, mitterenturque Romam. Quod ſentientes electores, cęterique principes, animo conſternati, non ſunt auſi contra niti; nationis enim pars maior notulas ſequebatur *Aeneæ*. Ludouicus cardinalis Arelatenſis, vbi ſpe deiectum ſe nouit, accerſito *Aenea*, qui ſibi Baſileæ notus, & inter familiares dilectus fuerat, mutatam eius ſententiam multis verbis accuſauit. Cui *Aeneas* non ſe mutatum, ſed Baſileenſes non eſſe dicebat, qui olim fuerant: qui cum primo pacis cauſa transferre concilium ex Baſilea in alterum locum promiſiſſent, poſtea negauiſſent, tanquam extra Baſileenſes muros veritatem tueri nequirent. Ioannes quoque Lyſura vir prudens, & iure pontificio conſultiſſimus, obuius *Aeneæ* apud Ioannem Caruaialem datus, Et tu, inquit, ex vrbe Senenſi daturus legem Theutonicis adueniſti? vtinam domi manſiſſes, & nos noſtram regere terram dimiſiſſes. Cui *Aeneas* tranſiens nihil reſponſi reddidit, inuidiam nè ſibi maiorem pararet. *Ann. Sal.* 1445.

Finito conuentu, Thomas Bononienſis antiſtes, & Ioannes Caruaiales per nouam ciuitatem Auſtriæ tranſeuntes, actis Cæſari ingentibus gratijs, qui magnos & fideles legatos Frankfurtum miſerat, dum Romam pergunt, vt qui res benè, feliciterque geſſiſſent, ad Cardinalatus eminentiam prouecti ſunt. Cæſar paucis poſt diebus *Aeneam*, & nobilem equitem Procopium Rabenſteynũ Bohemum ad Romanam curiam legatos inſtituit,

Sal. Ann. 1445. ſtituit, hiſque poteſtatem dedit, ſi Eugenius notulas Frankfurti concluſas acceptaret, concurrente præſule Moguntino, & Brandeburgenſi marchione, neutralitatem deponerent, ac nationis nomine ſanctæ ſedi Apoſtolicæ obedientiam reſtituerent. Interea Ioannes Lyſura, vt res ſuas minimè propitias animaduertit, rebus mentem aptauit, ſummitenſque ſe Moguntino archiepiſcopo, legationem eius ad Eugenium obtinuit, quē cum pluribus aliis oratoribus principum apud Senas legati Cæſaris inuenerunt, atque ſimul Romam euntes, ad primum lapidem familiam Papæ & Cardinalium, & vniuerſos curiæ prælatos obuiam habuere: ac veluti duces recipi ſolent, cum victis hoſtibus domum repetunt, in vrbem ſunt intromiſſi. Tertia die ad Eugenium vocati in conſiſtorio ſecreto auditi ſunt, quo in loco nomine omnium *Aeneas* orauit: quem cum Papa, tum Cardinales mirum in modum laudauerunt: at Eugenius ea ipſe die correptus ægritudine in lectum ſe dedit: Cardinalibuſque rem tractandam commiſit. Cum iam res ad calcem deducta eſſet, plerique ex Theutonicis pedem retrahebant, obedientiamque Pontifici, medicorum iudicio infra decimam diem morituro, præſtandam negabant: quibus *Aeneas* magnis rationibus aduerſabatur, multumque nationi conducere affirmabat, accelerari declarationem debere, cum Eugenius iam voluntati principum beneuolus eſſet: nam quod ipſe feciſſet, ſucceſſorem eius gratum habiturum. Quod ſi ante moreretur Eugenius, quam declaratio fieret, timendum eſſe ne ſucceſſor nationi durus inueniretur, quamuis ſiue aſper, ſiue mollis ſucceſſor ei daretur, nihil cum eo tractari poſſe, quorum mandata in Eugenium ſonarent: ab Vrbe vero ſi rebus infectis decederent, omne fœdus principum ſolui, nationemque nunc maiori ex parte concordem in magnas diuiſiones, contentioneſque dari: quoque grauiſſimum videri deberet, ad ſolidandum, roborandumque ſchiſma periculoſiſſimum, in Eccleſia viam, quam præcluſerant, aperiri. Nec Ioannes Lyſura alterius ſententiæ fuit, qui tantopere faciendam declarationem ſuadebat, vt mortuis omnibus Eugenij membris ſatis eſſe diceret, ſi vel digitus ſiniſtri pedis minimus viueret. Ob quam rem perſuaſis omnibus collegis, cum iam notulas omnes Eugenius approbaſſet, atque litteras ſuper his decreuiſſet, ad cubiculum eius omnes legati intromiſſi ſunt, qui iacenti Pontifici obedientiam præſtiterunt. Ille confeſtim bullas apoſtolicas in manus *Aeneæ* dedit: nec mora, rurſus in conſiſtorio publico præſidentibus Cardinalibus, publicatis Cæſaris & aliorum principum mandatis repetitæ ſunt cæremoniæ. Inde tota vrbe ob publicam lætitiam ignes facti, & campanæ, tubæque ſine modo ſonuerunt: ſequenti die iuſtitium indictum, ſuperiſque rogationes decretæ: Cardinales, cęterique prælati cum populo in ordine procedentes, Silueſtri coronam, Ioannis Baptiſtæ caput, præcipuaſque ſanctorum reliquias, ex templo ſancti Marci Lateranum detulerunt, ibique ſacrificatum, atque de Federici, Eugenijque laudibus habitus eſt non breuis, neque inornatus ſermo. *Ann. Sal.* 1445.

Eugenius verò poſt obedientiam Germanorum receptam, diebus ſexdecim cum morbis ac morte pugnauit, victuſque tandem in feſto, quod *Petri cathedram* vocant, naturæ conceſſit. LXXI. Tunc Baſileenſis Concilij Patres, *An.* 1447. reliquos Cardinales, eo ſublato, *Felicem* tandem agnituros, & in gratiam ſecum redituros ſperarent, illi *Thomam Sarezanenſem* in Eugenij locum ſuffecère, nomine *Nicolai V.* *Electio Nicolai V. Papæ.* Hanc eorum electionem ratam habens Cæſar, crebris mandatis Baſileenſes vrget, vti Concilij patribus, commeatum, quem literis cauerant, renuncient, parère detrectantes, inobedientiæ accuſat. LXXII. Illi miſſis legatis ſe purgant. Cum verò Cæſar nihil remitteret, ſoluitur tandem concilium, manente nihilominùs ſchiſmate. Qui verò Baſileæ fuerant, nouam Concilio ſedem eligunt *Loſanam*, vbi anno demum nono & quadrageſimo, adnitentibus Cæſare, Galliæ, Angliæque Regibus, aliiſquè principibus. *Felix* pontificatu ſe ſe abdicans, in Cardinalium ordinem redactus eſt.

MORS

Sal. Ann. 1447. | Sal. Ann. 1447.

MORS PHILIPPI MEDIOL. DVCIS. Anno 1447.

LXXIII. DVm hæc aguntur, *Philippus Maria* Dux Mediolani ventris profluuio vitam reliquit, *Alphonſo* Aragonum Rege hærede nuncupato. Ideo *Fridericus* Ceſar *Aeneã Syluium* Mediolanum miſit, & cum eo *Fridericum*: Ep. Secouienſem, *Gaſparem Slichium* cancellarium, *Ioannem* Magiſtrum cameræ, *Iacobum Landronium* phyſicum: & *Pancratium Rinzatem* nobiles equites, vt principatum imperio deuolutum vindicarent. Vno itaque tempore Dominium potentis vrbis, & *Federicus* Cæſar, & *Alphonſus* Rex Aragonum, & *Carolus* Dux *Aurelianenſis* expetebant: nam & hic ſe ius habere dicebat ex fœdere inter ſuos, & *Philippi* maiores matrimonij cauſa percuſſo. At Mediolanenſes libertatis auidi, ſenatum ex primoribus vrbis delegerant, ac Magiſtratus aſſumpſerant, qui Rempublicam adminiſtraſſent: cumque

LXXIV. *Cæſar Mediolanum petit.* Regem, ducemque ſpernerent, audito *Aenea*, qui Cæſaris nomine verba fecit, Imperatorem Dominum ſuum fatebantur: ſed habere ſe priuilegia dicebant, quibus ciuitatem regere poſſent. Tandem *Federicum* certis conditionibus dominantem admiſſuri erant: quæ res, etſi non debito reſpondebat, *Aeneæ* tamen tempus conſideranti non aliena videbatur. At collegæ Theutones dum plurima volunt, omnia perdiderunt coacti in Germaniam vacui redire. Eodem tempore cum

LXXV. *Sfortia Mediolanum obſidet.* ad tutelam Mediol. Reipub. *Franciſcum Sfortiam*, Sfortiæ *Attenduli* filium (*Attendulo* ſua virtus, & fortia facta apud Reges gratiam, opeſque, & indè partem imperij, proprioſque exercitus, & ipſum *Sfortiæ* nomen inuenerant; Antea *Iacobus* ſiue *Mutiolus* fuerat: parenteſque eius, *Ioannes* & *Eliſia* intra *Cotoniolæ* fines honeſti, præſagium accepiſſe ferebantur, fore, vt depoſito, quod ipſi impoſuerant nomine, proles ea nomen aſſumeret aliud, quod fieret familiæ cognomẽtum, & latè cognoſceretur) aſſumpſiſſent; ipſe in Mediolanenſes tela contorquens, quæ ab ipſis acceperat, vrbem obſidione premebat, vt imperium arriperet. Iuris ſpeciem habere videbatur, quia *Philippi Mariæ* filiam *Blancam Mariam* vxorem haberet, & ſpe futuræ ſucceſſionis à *Philippo* fuiſſet adoptatus in filium. Mediolanenſes porrò exanimati, Cæſaris opem petebant. *Eò rurſus proficiſci Aeneas iuſſus eſt, & Artongus* iuriſconſultus, qui obſeſſis ciuibus auxilium promitterent, ſi ſe Cæſari ſubderent. *Lib. I. Comment. Pij II.* In eo itinere multa his aduerſa fuere: nam cum viſitato Sigiſmundo duce apud Enipontem, & ad rem Mediolanenſem perſuaſo, per altiſſimas Alpes Vormij in Vallem Tellinam deſcendiſſent, diuiſum populum, alios ciuitati Mediolanenſi, alios *Franciſco Sfortiæ* fauentes, lacum Comanum in poteſtate hoſtium magna ex parte, nihil tutum inuenere. Itaque modo noctu per aquam, modo die per abruptos & deuios montes viam fecere: vbi Comum venerunt, octo & decem dies moram facere oportuit, quoniam inter Mediolanum, & Comum omnia hoſtis tenebat: qui poſtquam legatos Cæſaris adueniſſe didicit, aditus cuſtodiri iuſſit, legatoſque, ſi comprehendi poſſent, ad ſe vinctos deduci. At illi ſuſceptis equitibus, ac peditibus admodum ducentis, cum viarum gnaros, fideles inueniſſent, circa ſolis occaſum Como recedunt Mediolanum petentes: ſed cum horis forte duabus iter feciſſent, iamque nox obſcuriſſima ſuperueniſſet, equitatus inter tenebras retrofugit; aderant & legati ducis Sabaudiæ, & plures ciues Mediolanenſes, qui negotiati per Alemaniam domum redibant. Hi vbi fugam equitum cognouere, inſidias veriti, trementeſque admodum retrocedendum aiebant: *Aeneas* vero vocatis peditatus ducibus, vbi eos conſtantes invenit, & alterum eorum Senenſem ex loquela cognouit, verſus ad negotiatores, Nolite, inquit, timere: anguſtias montium prætergreſſi patentes in campos venimus, inſidias iam euaſimus, quas in arctis locis inſtruunt: nunc mille ſe nobis offerunt ſemitæ: in manus hoſtium ſolum nos infortunium ducere poteſt, id bonitas ſummi Dei auferet: ite mecum, vos hac nocte laribus veſtris ſaluos reddam. Sic profecti ad horam decimam paulo poſt ſolis ortum Mediolanum ingreſſi, magna totius populi feſtiuitate recepti ſunt. Sed iam regimen ciuitatis ex populo Romani nominis

Sal. Ann. 1448. minis amante, dum Comi legati manſerunt, in paucorum potentia erat deductum, qui Franciſci Sfortiæ clam partes fouebant: eam ob cauſam rogauit ſenatum *Aeneas*, ſibi vt populi copia fieret, cui Cæſaris verba referret. Guarnerius Caſtillioneus iuriſconſultus genere ac facundia nobilis tum primum in ſenatu locum tenebat, Sfortiæ occultus amicus. Is per leges ciuitatis vocationem populi prohibitam dicebat, tumultum timendum in ciuitate obſeſſa, poteſtatem populi omnem eſſe ſenatui, huic dicenda quæcumque mandaret Cæſar. Contra *Aeneas* imperatoris iuſſum legibus non teneri aiebat, quæ ab ipſo robur haberent: eius mandata quietis eſſe, non ſeditionis altricia: obſeſſum, fatigatumque longo bello populum imperatoris legatione leuandum, mirum videri ſi domini ſui vocem noluerit audire: atque ſic inuito Guarnerio ſenatus populi vocationem decreuit. Is cum poſtera die in curiam frequens conueniſſet, & oblatis lectiſque publice Cæſaris litteris, *Aeneas* in hanc ſententiam orauit. Ait enim Philippo mortuo Cæſarem ad eos miſiſſe legatos, qui gubernationem ciuitatis expoſcerent, neque auditum, quamuis æqua peteret: ſed Mediolanenſes ipſos noua libertate gaudentes, magiſtratus ſibi conſtituiſſe, qui rempublicam adminiſtrarent, idque factum eſſe in eam vſque diem, Cæſare pro ſua manſuetudine quamuis indigne ſpreto, nihil tamen irato: veniſſe interim Franciſcum Sfortiam vicecomitem ex amico factum hoſtem, municipia in poteſtatem ſuam redegiſſe, ciuitatem obſeſſam magnas pati calamitates, milites ad Franciſcum defeciſſe, inopia frumenti premi populum, ex vicinis principibus neminem ferre opem, ſolum autem Cæſarem eorum commiſerari fortunam, omnis repulſæ oblitum. Quod ſi iam tandem ſacro imperio parere velint, dominumque Cæſarem recognoſcere: paratum eum auxilium ferre. Iamque cum Sigiſmundo duce patrueli ſuo vicino Inſubribus res orditas, breui magnam manum ſuperatis alpibus in eorum agrum deſcenſuram cogitarent, ne ſibi ipſis fruſtra confiderent, neque ſic libertatem amiſſuros putarent, Cæſaris dominatum recipientes: nam iuſtis & naturalibus dominis ſeruire, eam demum veram eſſe libertatem: in ciuitatibus, quæ populi nomine reguntur, inueniri ſemper aliquos, qui plebi iugum imponunt: deinde aduerterent Cæſarem ſibi, an Sfortiam imperare mallent: quoniam niſi Cæſari ſe ſubijciant, ſic res deductas eſſe, vt dominatum Sfortiæ nequeant euadere. Cæſarem, ſi ab eis recipiatur, ſingulares gratias, magna priuilegia daturum, ſuis ciuibus, quos in Alemania libere negotiaturos, auream ciuitatem facturos, & Italiæ caput aiebat. Poſt hæc, cum Guarnerius de libertatis dulcedine diſſeruiſſet, eligendos tamen ait ex populo viros primores, qui cum legatis de mandatis Cæſaris agerent. At dum res penderet, poſt aliquot noctes tres ciuitatis portæ (ſic enim par tes vocitant) ſumptis armis dominum Cæſarem vocauere. Sex portæ in vrbe ſunt, atque ad earum numerum diſtributus eſt populus: quod quatuor portarum plebibus placet, id ratum eſſe oportet: cum ergo iam tres vitam imperio peterent, ſenatores audito tumultu, prius quam portæ quartæ multitudo aſſurgeret obequitantes vrbem, ſilere plebem, ac poſitis armis domum petere iubebant, quoniam & ipſi dominatum Cæſari ſaluo ciuitatis honore admiſſuri eſſent, idque cum legatis agitent ſedulo. Poſt hęc viri delecti, qui cum legatis in hanc ſententiam loquebantur, ſi Cęſar opem ferret aduerſus Sfortiam, in has leges venturos ſeſe aiebant. In Mediolano qui ius diceret Theutonicum, in alijs ciuitatibus, quem vellet Cęſar, gubernatorem poneret: appellationes quæ ab alijs gubernatoribus interponerentur, Mediolanenſis audiret, ab eo prouocationi locum non eſſe: vectigalia ciuitatum, quæ Mediolanenſibus ſeruirent, ad Cæſarem, & Mediolanenſes æquo iure pertinere: ex Mediolano quotannis auri quinquaginta millia Cæſari, feuda Eccleſiarum & nobilium collationi Cæſaris remanere: vaſallos omnes & imperatori & ciuitati fidem iurare, ſi quod amplius oppidum, aut dominium Mediolanenſes armis acquirerent, id à Cæſare ſub decenti cenſu in feudum debere peti. Interea Carolus Gonzaga, qui tum forte vnica Mediolanenſium ſpes videbatur, magnanimus belli dux, *Aeneam* intempeſta nocte acceſſit: & Artongo vocato, iterum populi vocationem vt peterent, ſuadebat, ſpondens Ann. Sal. 1448.

ſe

Sal. Ann. 1450.

ſe illo venturum, incitaturumque plebem, quæ ſibi maxime credebat, imperatorem dominum petere: nihil ſe dubitare, quin deiectis magiſtratibus, mox legatis Cæſaris regimen ciuitatis committeretur, donec aut veniret Cæſar, aut vicarium mitteret, idque iam ſe prouidiſſe apud aliquos in vrbe potentes aiebat. Hoc quamuis erat veriſimile, tamen diſcriminis plenum *Aeneæ* videbatur: & licèt magnum facinus, & memorabile non fieri ſine periculo ſciret, tamen ſacerdoti ſibi eam rem minime ratus conuenire, quod Cæſar imperauerat, à ſe factum dixit, audiuiſſe populum Cæſaris voluntatem, poſſet iam ſi vellet, parere: vim facere, neque factu facile, neque mandatum Carolum amandum: Cæſari, qui ea cogitauerat, relaturumque ſuam fidem. Ille tamen poſt hæc *Aeneam* Sfortiæ fauentem prædicabat: vt nihil ſit, quod non ſiniſtrorsùm malæ mentis interpretentur. At *Aeneas*, & Artongus vbi aliud ex Mediolanenſibus exculpere non potuerunt, obtentis Sfortiæ litteris, ad eum in caſtra venerunt, qui ſe admodum mirari aiebat, quo pacto Mediolanum intraſſent, ſuas excubias euadentes. Plura igitur cum eo Venetorum & Florentinorum legatis præſentibus fabulati ſunt. Deinde amotis omnibus ſoli cum eo ad horam manſere, mentem ſibi Cæſaris exponentes, atque honorati ab eo dimiſſi ſunt: qui redeuntes in Alemaniam, Cæſarem apud ſanctum Vitum, quod eſt Carentanæ oppidum, inuenerunt. Placebant Cæſari, quæ Mediolanenſes promiſerant: verum illi dum menſibus duobus reſponſum expectant, veriti nè Sfortiæ viribus opprimerentur, occiſo Galeotto Toſcano, pulſiſque ceteris Senatoribus, fœdus cum Venetis percuſſere: LXXVII. atque cum ij quoque parcius ſubuenirent, trucidato per tumultum Leonardo Venerio, qui Legatus Venetorum apud eos agebat, Franciſco Sfortiæ portas aperuere, eique, vt eſt inſania populi, ducatus inſignia contulerunt. *Vſque huc Pius Papa.*

Ann. Sal. 1450.

Interim fremebant Hungari, quia Regem ſuum conſequi minimè poſſent; nouos ad Cæſarem legatos miſerant, regem & coronā reddi poſtulantes. Auſtriaci quoque de principe tutelæ eximendo ſoliciti, muſſitabant. Acriùs vrgentes Bohemi, cum audiſſent *Fridericum* Romam ad coronationem iter parare, LXXVIII *Bohemorum minæ.* *Vdalricum Roſembergicum*, *Zdenconem Sternbergicum* legatos mittunt, qui Regem ſibi dari expoſcunt, ſine cuius præſentia Regni ſtatus diutius conſiſtere nequeat; aliter ſe alium ſibi Regem creare cogi, cuius rei gratia, iam eſſe indicta comitia; Cæſar legatos ab ſe miſſos Pragæ ad comitia præſto futuros, dicit. Auſtriaci & Hungari pari reſponſo donati abiere. Verùm peſte apud Pragam mirum in modum graſſante, conuentus in villam translatus eſt, quæ *Benedicti* appellatur. LXXIX. *Æneæ legatio ad Bohemos.* Ibi cum *Aeneas* publica mandata Cæſaris expoſuiſſet, pupillumque Regem gubernationi immaturum, nullibi quàm in Cæſaris manu meliùs ſtare, eoſque breui voti compotes affirmaret, eoſque Auſtriacis, & Hungaris prælaturum, feroces mentes leniuit, nec aliū ſe poſtea vocaturos Regem dixère. Actis quoq; gratijs, quod alijs ab ipſo prelati eſſent,

CAESAR ROMAM PERGIT. Ann. 1451.

LXXX. PAcatis Bohemis, quorum motus maximè timuerat Cæſar, iter in Italiam parat, vt coronam imperij ſuſciperet, quòd hactenus ob Eccleſiaſticorum diſſidia, aſſequi non potuerat. Sponſalia inſuper cum *Eleonora Eduardi* Luſitaniæ Regis filia pactus, cum ſciret in itinere eſſe, Romam ſecum adducere ad coronationem, & conſūmandum matrimonium cogitauit. Ex Hungaria quieta omnia nunciabantur. Soli ex Auſtriacis nonnulli, cum *Ladiſlaum* iter comitaturum audiuiſſent, aliquid moliri videbantur. Sed quod multi ex proceribus, ſecum ituros cognoſceret, cæteros parum curabat. Literis itaque ad ordines imperij miſſis, iter ſignificatur. Delectæ inſuper matronæ nobiles, & innuptæ puellæ duodecim, quæ ſponſam Regiam in portu *Thalamonis* agri Senenſis reciperent obſequentes. Nominati quoque barones duo, equites duo, *Albertus Potendorfius*, *Georgius VolcKenſtorfius*, *Bernhardus Tahenſteinerus*, *Balthaſar Ratembergerus*, LXXXI. *Viri ſponſæ obuiam miſſi.* vxores item *Potendorfij*, & *Thanſteineri*, aliæque illuſtres matronæ ac virgines, in quibus *Margaretham*, & *Vualburgam Zinzendorfias*, & *Vrſulam* ac *Dorotheam Neydecceras* formæ gratia

tia

Sal. Ann. 1451.

tia præcelluiſſe proditum eſt. Diuerſo itinere miſſi etiam *Michael Magdemburgi* ac *Rudolphus* Sileſiæ Principes *Vdalricus Sternbergicus*, *Albertus Eberſtorfius*, comes *Schaunburgicus*, *Ioannes Vngnadius*, & *Vdalricus* Sumpergerus prothonotarius. Primis additi ſunt *Aeneas Syluius* Epiſcopus Senenſis, & *Michael Fulendorfius* Secretarius, qui legationis onera ſuſtinerent. Quibus commiſſum, Imperatricem apud Thalamonem poſtquàm ſalutaſſent, Senas vti deducerent, ibique Cæſaris expectarent aduentum. Verùm *Aeneæ*, & *Michaeli* ampliùs mandatum erat, Italiæ Principibus, maximè Pontifici aduentum Cęſaris renunciare, commeatibus pretia ſtatuere. Quibus cognitis Italiæ potentes trepidare, ſperare tenues, nutare principes, timeri motus, quos in aduentu Cęſaris excitatos vetuſtas nouerat.

LXXXIII. *Turbatur Papa.*

Pontifex, cui Romanorum mores cogniti erant, quique multos nouitatis auidos intellexerat, timens populi motum, iam Cæſari nunciauerat, & commeatuum penuriam cauſatus, aduentum ſuum in æſtatem vt differret, *Aeneæ* verò vt ad ſe quantociùs iret, imperauit. Ipſe autem cum ſe litteris excuſatum feciſſet, quoniã quę Cæſari nunciata fuerant, non ignorabat: mirari ſe ſe ait, mutationem Apoſtolicam, neq; videri honeſtum Romani Pontif. dictum indictum fieri; memoriæ ſe tenere Pontif. Maximum dixiſſe ſibi Cæſari, ſi venire Romam vellet, hiemale tempus eligendum, quod ſalubrius eſſet, rebuſque victui neceſſarijs magis abundaret, pręſtoq; eſſe ad coronationem omnia: vltro petitum aduentum: nunc mandari contraria indignum eſſe, quando & is accinctus itineri, & coniux eius propediem littus Italicum appulſura ſciretur: accepiſſe Max. Pontifici metum iniectum, timerique Romæ Cæſarem, & timorem vanũ, ſcire Cæſarem iuſtũ, Nicolai amantẽ, nihil ęquè odiſſe quàm turbas, moriturumq; priùs, quã fidem falleret, comitatũ habere nobiliſſimũ, quietis cupidũ religioni & Eccleſiæ fauentem. Hiſce motus *Nicolaus* Cęſari ſcripſit, ex arbitrio iter faceret. Tã Regem, quàm Reginã retardauerant, hanc venti; illũ Auſtriaci motus, tandem eodem die, quo Cæſar Florentiã ingreſſus, eodem Imperatrix Liburni portũ applicuit. Ibi cum diù de conſignanda, mittendaq; Cæſari ſponſa tractaretur, tandem Marchio Portugalenſis, qui *Leonoram* à fratre receperat, Imperatori tradendam, poſtquã de cæteris rebus trãſactum eſt, vocatis oratoribus; & qui Piſis erant, viris nobilitate claris, rogatis tabellionibus, Imperatricem dextra manu apprehendens, ad manus *Aeneæ* conſignauit: eam vt ad Cęſarem tranſduceret,

LXXXIV. *Æneas Eleonorã nomine Cæſaris recipit.*

quæ res *Vanconi* duci admodũ moleſta fuit, qui ſibi hoc honoris iure ſanguinis, quo Cęſari propinquabat, deberi putauit: ſed Luſitanis, cęteriſq; legatis Cęſaris aliter viſum fuit. Interim Cæſar Senas perrexit, vbi Spõsã opperiri decreuerat. Quę poſtquàm propiùs iam adeſſe, nunciaretur, Senenſis Magiſtratus cum tota nobilitate, ac ciuibus, obuiã primi proceſſere. Inde *Ladiſlaus Rex*, & *Albertus Archidux* cum ſuo vterque comitatu, quos ſequebantur ordines imperij, longo ordine ingrediebantur. Hos ſecuti ſunt viri Eccleſiaſtici.

LXXXV. *Sponſam recipit Cæſar.*

Cæſar verò cum Cardinalibus Rom. legatis Pontif. ad ingreſſum ciuitatis intra duas portas ſubſtitit, vbi exoptatam diù Sponſam amplexatus eſt. Ibi Senenſes ad rei memoriam, ſignum ex marmore poſuere. Verba nomine Cæſaris *Henricus Leubin* Pontificij iuris interpres fecit, Imperatricis vice loquutus eſt *Aeneas*. Poſt aliquot dies, Cæſar Romam petens, Viterbium venit, Sponſa ſubſequente.

Romam petit.

Cum Cimini montis iugum, qui Vituruio imminet, aſcendiſſet Imperator, accerſito inter equitandum Ænea, *Ecce* (inquit) *Romam petimus, videre videor te Cardinalem futurum*; neq; *hic tua fortuna conquieſcet, altiùs eueheris, B. Petri te Cathedra manet, caue ne me contempſeris, vbi hoc honoris aſſequutus ſis*.

LXXXVI. *Pontificatum prædicit Æneæ.*

Cui Æneas, *Nec Pontificatum Maximum, nec Cardinalatum mihi arrogo*. At ego, ſubintulit Cæſar, *hoc ita futurum video*. Æneas tanquàm iocantis verba ſuſcepit, & Romam cum eo profectus primus inter prælatos eius fuit, Salutantibuſque Cardinalibus, & vrbis primoribus, qui obuiarunt, reſponſa prò Cæſare dedit. Cumque Cæſar nocte extra mœnia vrbis remanſiſſet, *Aeneas* ad Pontificem lectulo cubantem vocatus, bonam Cęſaris mentem oſtendens admirari ſe ait, tanti Principis fidem in dubium venire potuiſſe. Cui Pontifex cum verba multorum expoſuiſſet, *minus* (inquit) *timentis error, quàm fidentis nocet*.

Ann. Sal. 1451. *nocet*. Poſtero die, *Albertus* ordinem ex omni equitatu inſtituit, & quo quiſque loco incedere debeat, præſcribit. Inter alia ex voluntate præceptum eſt, nè præter Imperij Aquilam vllum aliud ſignum explicaretur. Eam rem multi ægrè ferebant, in primis, Georgiani Collegij ſignifer, *Henricus* comes *Furſtembergicus* indignum eſſe dicebat, & præter collegij inſtitutum, malle ſe excluſum domum reuerti, quàm occultato vexillo intromitti. *Argentoratenſes* quoque non prohibitos fuiſſe maiores ſuos explicare vexillum, ſtrepebant, quo tempore cum *Rudolpho* in Bohemum militarunt. Has voces *Fridericus* compeſcuit, ordine ingrediens ſequenti.

LXXXVII. *Quo ordine Romã ingrederetur.*

Primi omnium *Sueui* præcedebant. Sequebantur qui à S.P.Q.R. obuiam miſſi fuerant, omnes induti purpureis ſagulis. Dein ipſe Cæſar cum Rege *Ladislao* & *Alberto* fratre, cui imperij Aquila commiſſa erat, alijſq; Principibus, Comitibus, cæteroque aulico comitatu. Proximus ab eo locus *Eleonoræ* datus, quam ſequebatur Imperialium ciuitatum equitatus. Obuiam ad portam vſque Caſteli venère tredecim purpurati Senatus patres cum multis Epiſcopis, Abbatibus, & omnium ordinum Eccleſiaſticis viris, ex quibus Pontificis vicem prærerat Spoletinus Preſul. Ipſe Pontifex, ad D. Petri ſella eburnea in gradibus collocata, ſedens, aduenientes expectabat, cuius manum ac pedem dextrum Cæſar, *Ladislaus Rex*, *Albertuſque Eleonora*, poſtquàm deoſculati ſunt, aſſurgens ordine omnes excepit. Templum ingreſſi, poſt abſolutas precationes, in deſignata ſibi quiſque hoſpitia conceſſere. Sequentes aliquot dies Cęſar, delubris, diuum templis, & vrbis terrarum olim dominæ reliquijs viſendis, inſumpſit. Ad xvj. Cal. April. Pontifex in D. Petri æde ſacris peractis, *Fridericum* Cæſarem, & *Leonoram*, adhibito ſolemni ritu, ſolitiſque cęremonijs, matrimoniali vinculo coniugauit. Tertio poſt die (quam *Dominicam Lætare* vocant) Cæſar de more vnctus, & in Rom. Imper. conſecratus, coronam & alia Rom. Imp. inſignia accepit, acclamante populo Rom. *Friderico Pacifico à Deo coronato Imp. vita & victoria*. Coronatur & ſponſa ſolito ritu, fauſtiſque omnium precationibus Auguſtorum nomine vterque ſalutatur. Coronatione peracta, & gratulationis hymno decantato, *Fridericus* Imper. ex veteri maiorum inſtituto, in ponte *Tyberino* ante palatium S. Angeli, fratrem primùm, deinde alios multos equeſtri dignitate inſigniuit. Ad trecentos fuiſſe memorat, in quibus *Magdemburgicus*, etſi antea eodem honore decorati, propter diei ac loci celebritatẽ denuò eũ ſuſcepère. Sequenti poſt coronationem diẽ Pontificẽ Cęſar adijt:

LXXXVIII *Coronatur.*

Ann. Sal. 1451.

Meminiſti Pater (inquit) *dicturum me tibi ſomnium, poſtquam coronam accepiſſem, id huiuſmodi eſt. Ex Vienna cum receſſiſti à me vltimo, vidi per quietem nocte proxima, me Romam veniſſe, tuiſque manibus meo capiti coronam imponi mirabar: inter dormiendum, neque me legitime coronatum putabam, quem non Romanus, ſed Bononienſis Epiſcopus coronaſſet; euigilans autem contempſi viſum: at poſtquam te Cardinalem creatum, deinde Papam aſſumptum,* Æneæ *primum litteris intellexi, è veſtigio ratum credidi, quod ſecutum eſt tuis me manibus coronandum. Tum Nicolaus,* ſæpe verum ſomniant qui præſunt populis. *Ego quoque (inquit) nocte, quæ mortem* Eugenij *præceſſit, ſopori deditus, in hoc me cubiculum vidiſſe videbar, quod tunc, vt tu noſti* Ænea, *bipartitum fuit*. Eugenius *pallium, deinde tunicam exuens, illis me induit, mitramque longam, qualem geſtare Pontifices ſolent ſuo capiti demens, impoſuit meo: poſtremo manu me apprehendens, oſtenſaque hac ſella: ſede hic inquit, ego ad Sanctum Petrum pergam: ſic ille in craſtinum mortuus in Aedem Sancti Petri delatus eſt, forſitan & anima glorioſi prædeceſſoris conſortio gaudet, mihi poſt duodecim dies ſummus Apoſtolatus commiſſus eſt.*

LXXXIX. *Pius II. lib.1.Comment.*

Inſpice nummos augurales, & honorarios *Friderici* Cæſaris, & coniugis *Leonoræ*. Duo primi explanatione non indigent. Alter *Friderici* leges continet & arma. Illæ regunt, hæc tuentur, ac fulciunt Imperium, iuxta id

Nummi honorarij Cæſaris, & Imperatricis.

Qui cupit æterno fundamine condere regnum;
Legibus, ac armis mœnia cuncta ſtruat:

Vel

Legibus armatur, nec non decoratur & Armis,
Imperium mundi cumque perenne manet.
Alcides Orbem non ſic, nec ſuſtinet Atlas,
Hunc veluti Leges, ac ſimul Arma regunt.

Nec

Sal. Ann. 1451. Nec diſſimile huic eſt alterum *Leonoræ*, hieroglyphicum in quo *palma* in dextera, *corona* in ſiniſtra domi pacem, foris victoriam annuunt. *Sal. Ann. 1451.*



XC. *Neapolim pergit.*

Inde *Ladislai* cura *Aeneæ* commiſſa, cum ſponſa Neapolim appulit, vbi cum Rege *Alphonſo Aragonio* (*Leonoræ* is auunculus erat) nuptias regali pompa celebrauit. Venationem ad Angianam paludem inſtruxit *Alphonſus*, vbi ſubdio locatis tentorijs, ad triginta hominum millia epulis adhibita, vini omne genus copia ex fontibus affabrefactis ſcaturiente, qui ſpectatum aduenerant, refecti, & eſculentis onerati domum rediere.
XCI. *Alphonſi liberalitas* Præ cæteris Germani humaniſſimè habiti, nullo liberalitatis prætermiſſo officio. Omnia quæ à mercatoribus emerunt, gratis data, quòd illa omnia liberaliter *Alphonſus* poſteà ſoluturus eſſet. Porrò dum Roma Imperator abeſt, *Ladislaus* ab Hungaris & Au-
XCII. ſtriacis abreptus fuiſſet, ni vigilantia Rom. Pontificis certiorem *Aeneam* feciſſet. Propterea Imperator *Alphonſo* valedicto, Romam redire maturauit, relicta apud auunculum *Leonora*. Romæ cum eſſet, noui Germaniæ motus nunciantur; quibus euocatus, eo- XCIII.
dem itinere, quo venerat, Ferrariam peruenit, vbi octauo Id. Maij, *Borſium Eſtenſem*, *Borſius Dux.*
Ferrariæ, Mutinæ, ac Rhegij Ducem, & Rhodigij comitem creat, à quo clinodium illi dono datum fuiſſe memorant, quod parens eius viginti vno aureum numum millium præ- XCIV.
ſtinauerat. Aderat præter alios, *Galeacius*, *Franciſci Sfortiæ* Mediol. Principis filius, qui non contemnenda & ipſe munera adferens, officioſa oratione Cæſaris animum, nonnihil offenſum, patri conciliauit, militarique baltheo donatus, abijt. *Vrſinis* quoque receptis quindecim ducatorum millibus principatum *Plombini* (Portum Traianum dicebant veteres) attribuit. Comitatu dimiſſo, Venetias nauigauit, Senatus

Sal Ann. 1451. amore captus; nam cum priùs ad Italiæ fines
XCV. peruenerat, propè Cornelianum oppidum, a quatuor Senatoribus *Ben. Superant o, Al.*
XCVI. *Diedo, Ber. Iuſtiniano*, & *Iac. Cornelio* ſummo cum honore exceptus fuerat; ex quibus *Iuſtinianus* luculentam & officij plenam habuit orationem. Dein ab ijs Taruiſium, Veronam, ac Patauium deductus, per omnem Venetorum ditionem commeatu liberaliter exhibito. Denuò aduentanti ad vrbem, vt in Germaniam regrederetur obuiauit *Franciſcus Foſcarus* Venetorum Princeps, Bucentauro inuectus cum trecentis Senatoribus, ac flore nobilitatis. Nam præter ingentem vim minorum nauium, quæ illi obuiam prodiuit, ſequebantur plures Triremes, Ganzariæ, Paraſchermi, aliaque grandiora nauigia, numero ad centum & viginti, auleis, auro, purpuraque adoperta.
XCVII. E Clodia ad Clementis ædem Ferrarienſi naui vectus, Federicus proceſſit, vbi Princeps occurrerat, magnoque nautarum clamore, bombardarum ſtrepitu, & tibiarum cantu, ex Eſtenſis naui in Bucentaurum tranſijt, hìc Foſcarus Princeps venerabundus, Federicum excipiens, gratulatuſque illi fœlicem acceſſum, aureo eminentiori Throno locauit, ipſeque iuxtà aſſedit: per mediamque vrbem ad Eſtenſes ædes miro ornatu cultas ingenti plauſu, & lætitia tantus hoſpes aduectus eſt. *Leonora* quoque non multò pòſt acceſſit; ei Principis coniunx, matrona inſignis, ducentæque patriciæ fœminæ eleganti forma, ac gemmis, purpura, auroque fulgentes, Bucentauro, ad Diui Nicolai vſque ædem progreſſæ occurrerunt, atque inter publicos plauſus, & gratulationes triumphalis pompæ ducta, magna totius vrbis exultatione, & lætitia ad Euſtachij fanum apud Vetturios illa deſedit. Primores autem patrum eam manè, veſperique officij gratia ſalutabant, magnificentiſſimique in Comitijs ad conſpectum eorum ludi editi ſunt; ſaltauitque vterque publicè ad tibias. Bulla ad hæc aurea tribus gemmis prædita precio duorum millium, ac ſexcentorum aureorum nummum *Leonora* à Patribus donata eſt; palliolum præterea eidem traditum, cum ſtragulo cunali, vnionibus, margaritiſque mirè intexto. Lautiſſimoque epulo Princeps *Federicum* Imperatorem Ducaria aula publice excepit; aderantque ſimul diſcumbentes primores patrum, & ex Germania, Italiaque viri nobiliſſimi. Cæſarque inter grauia, ſeriaque colloquia, ad Foſcarum conuerſus, dixiſſe fertur, ſe perpetuò Veneto nomini amicum fore, omniaque ei proſpera optare: ſed præſaga ſe mente videre, quòd multas calamitates poſteri ſui per armorum fragores Veneto inflicturi erant Imperio, id quod prorſus iuxta Cæſaris vaticinium euenit: nam ciuitas noſtra cum *Maximiliano* eius filio grauiſſimum bellum geſſit, in quo multa Reip. acerba contigere, maximiſque aduerſitatibus, infortunijſque ſunt Veneti agitati.

Poſt hęc Cæſar Portum Naonis petijt, per Carnorũ fines, Neapolim Auſtriæ profectus. XCVIII.
Admonitum in itinere inſidias cauere, dixiſſe refert *Aeneas Syluius*, nõ adeò ſuſpectam ſibi eſſe ſuorum fidem, vti periculum timeat, *Ladiſlaum* vnum peti, quo ſi vſus ferat, in medium prolato, Auſtriaci, Hungari, & Bohemi perindè atque olim proiecto Eridis pomo, tres Deæ, inter ſe ſe eſſent digladiaturi.

CAESAR OBSIDETVR. Ann. 1452.

XCIX. Redeuntem ex Italia Cæſarem Hungari adeunt, Auſtrij, Bohemi, *Ladiſlaum* Regem petentes, à cuius præſentia meliorem ſtatum ſibi promittebant. Agente adhuc in Italia Cæſare, ſeditionem mouerant Auſtrij, duce *Vdalrico Eyzingero*, cui ſe ſocium iunxerat *Vdalricus Comes Cilienſis*. *Coruini* ex Hungaria, *Roſembergij* ex Bohemia, nec non ex Morauia promiſſa erant auxilia. Vnde vbi Neapolim appuliſſe *Fridericum* audierunt, illicò legati Principem tutela ſolutum poſcunt, recuſanti bellum denunciant. Cæſar prælationem cauſatus fore diſſidij cauſam, nè ſi Auſtrijs Hungari præferantur, vel alterutri, vel vtrique ægrè ferant, animos lenire tentabat. Illi moram omnem exoſi, tumultuari cœperunt. Cadente Auguſto *Cilienſis*, ac *Eitzingerus*, cum ſuis vterque popularibus, & clientela, Viennenſibus, ac aliarum aliquot ciuitatum volun-

Ann. Sal. 1452. voluntarijs militibus vrbe egreſſi, cum vel Haimburgum, vel Frautmanſdorfium petituri viderentur, itinere conuerſo, Neapolim feſtinant. Ad primum aduentum, cruentum excitatur prælium. Viennenſes, numero quinque mille, duo ſecum adduxerant inſtrumenta bellica inſigni magnitudine, quibus ſemel, atque iterum exploſis, magnam edebant Cæſarianorum cladem; Mox vbi poſt miſſilia ad ſtatariam pugnam ventum eſt, oppidani ab ingruenti multitudine ſuperati, intra mœnia rediere; Vrgebant hoſtes, & nè ingrederētur, vnius *Andreæ Paum-Kircheri* obſtitit virtus. Is viſo periculo, hoſtium omnem impetum ſuſtinuit, quoad redintegratis ex ira, & pudore animis, oppidani repulère inſtantes. Caſtris tamen antè vrbem poſitis, obſidioni neceſſaria Auſtriaci parabant. Erant in eorum caſtris ad ſexdecim millia virorum, ex Bohemis ſolus cum ducentis equitibus, ac peditibus octingentis *Roſembergicus*, ex Hungaris nemo aduenerat. In hoc rerum diſcrimine, fidum Cæſari ſe præſtitit *Georgius Podiebradius* Pro Rex Bohemiæ, qui obſeſſum audiens, vndecim millium collecto exercitu, ad opem illi
C. ferendam accelerabat. Audito autem in itinere verbo pacis, agros Roſembergici depopulatur. Pacis arbitri fuere *Carolus Badenſis* Marchio, *Sigiſmundus VolcKenſdorfius*, Archiep. Salisburg. Eorum interuentu, Cæſar *Ladislaum* ſe *Vdalrici* comitis tanquàm auūculi poteſtati commiſſurum, promittit ea lege; vt Berchtoldorfij interim eſſet, neque Rempub. antè capeſſeret, quàm in publico conuentu, agnati inter Hungaros tranſigerent, & Bohemos. Conuentus Viennæ III. Id. Nouemb. indicitur. Vndè obſidione ſo-
CI. luta, *Ladislaus* à Salisburgico, Magdemburgico, & *Vdalrico* Schaunburgico Berchtolſdorfium deducitur. *Ladislaus Auſtriacis traditur* Ciliensis verò, & Auſtrij promiſſa peierantes, non expectato conuentu, *Ladislaum* Viennam adducunt. Ad Viennę montem cum veniſſet *Ladislaus*, obuios habuit pueros ad quatuor millia: eorum ſinguli vexilla manibus præſentabant, in quibus gentilitia principis inſignia depicta erant, feſtiſque cantilenis eum excipiebant. In planiciem deſcendenti occurrit *Eliſabetha* ſoror, cum frequenti lectiſſimarum virginum, ac matronarum aulicarum comitatu, *Ladislaus* equo deſiliens, ſororem amplexus: *Ann. Sal.* 1452. tentorium illic tenſum ingreditur, vbi nonnihil refectus, cum vlteriùs paulò progrederetur, Viennenſium ciuium vxores ſertum quodam ex vnionibus artificiosè concinnatum, ei obtulère. Poſt eas præſto fuit Academiæ rector cum ſuis, quos longo ordine ſequebantur. Ad D. Stephani deductus, poſt Deo grates in palatium aſcendit. Interim conuentus dies aderat, quò venère *Ludouicus* Bauariæ, *Gulielmus* Saxoniæ, *Albertus* Marchio Brandemburgicus. Prælati quoq; *Io: Friſingenſis*, *Frider. Ratisbonen.*, ac nonnulli Principum legati; Bohemiæ, ac Morauiæ Reguli. A Cæſare legati aderant, *Carolus* Marchio Badenſis, *Ioannes Stubenbergicus*, *Ioannes Vngnadius*, *Aeneas Syluius*, *Vdalricus Riderus*, *Leopoldus Asbachius*. Ex Hungaria aduenerat *Coruinus* Pro Rex, qui omnium oculos maximè in ſe conuertebat: cui proximus à Rege locus in comitijs eſt attributus. Primi inter cæteros querebantur legati Cæſaris in Auſtriacos, quòd hi in contumeliam Cæſaris optimè de ipſis, & *Ladiſlao* meriti, Neapoli conuenta non ſeruaſſent. Quibus ſuperbè reſpondit *Cilienſis* (cuius arbitrio tunc omnia agebantur) pacta illa, quæ detento adhuc *Ladislao*, legitimo ipſorum Domino, feciſſent Auſtriaci, non tenere, cui iam tutela exempto, & victori, ſuorum armis in libertatem vindicato, nullas poſtea leges à Cæſare præſcribi, æquum eſſe. Muſſitabant inuidi & *Friderico* infidi, conniuente Pontifice, ac Electoribus Treuiro, & Saxone, Cæſarem id moliri, vt Auſtria *Ladislaum* deturbaret, propterea magnam *Friderico* inuidiam faciebant: pacem turbabant, nè *Fridericus* pecuniam, quam prò Regis educatione impenderat, conſequeretur.
Auditus poſtea *Coruinus* eſt, qui cum graui oratione, ſuo ac Hungarorum nomine fidem Regi, & obſequium promiſiſſet; mox finita oratione, de ſedili ſurgens, munus Proregis Regi reſignauit, & in genua ſubſidens, ſeque, fortunaſque ſuas illi commendauit. Rex humo leuatum amplexus, *Patrem* appellat, gubernationis munere, aliiſque honoribus donat, ac paulò poſt ſolemni pompa cunctis fauſta adprecantibus Comitem CII. *Coruinum Patrem dicit Ladislaus.* CIII.

tem

Ann.Sal. 1452.

tem *Biſtricenſem* creat. Interim Bohemiæ *Georgius Podiebradius* conuocatis Bohemorum ordinibus, per legatos Regem in regnũ euocandum decernit. Suo verò & Roggenzanæ factionis nomine ſtatuit, capita quædam deſcripta, Regi regni limites ingredienti offerenda, quibus inter plurima Calicis vſum in Euchariſtia retinendum caueret.

Podiebradius petit à Rege vsũ Calicis.

Cum verò & Hungari Regem poſtularent, *Cilienſis* conſultiùs putauit, priùs ad Hungaros, vbi natus & coronatus fuerat, deducere. Venit itaque Presburgum, vbi Regi fidei ſacramentum dixère. Nè verò in Bohemorum crederetur iniuriam, Viennam reuertitur. Vbi fruſtra inter *Cæſarem* & *Ladislaum* de pace actum; Hungaris Sacram regno coronam,

CIV. & arces quaſdam tutorio nomine à *Friderico* retentas repoſcentibus. Imperator verò ſumptus, quos fecerat, excuſat, neque niſi numerata priùs pecunia, aliquid impetrari ab ſe paſſurum dicit. Inter hæc *Cilienſis* aſſiduis Bohemorum precibus fatigatus, diem dicit, qua coronandum Regem exci-

CV. perent. Coronationi verò non adfuit *Cilienſis*; nam *Vdalrico Eijzingero* inſimulante, aula faceſſere iuſſus eſt. Quod tanta rerum mutatione accidit, vt niſi abeuntem Marchio Brandemburgicus ad portam vſquè deduxiſſet, obrutus lapidibus cecidiſſet. *Ladislaus* porrò Pragæ coronatus, ſumptus omnes, coronationis à Bohemis recepit adeò liberaliter, vt ſuperfuerit, quo arces nonnullæ regni iam oppignoratæ redimerentur. Poſtea *Podiebradio* nonnullos articulos offerenti, vt Rex confirmaret, reſpondit. *Sigiſmundi aui, & Alberti patris ſe velle veſtigia ſequi. In religionis rebus, Papam adirent.* Ne

CVI. pauco quidem tempore *Ladislaus* in Bohe-

Dec.3.lib.7. mia manſit: *& illud* (ait Bonſinius) *adhuc puer, diuinæ prætulit pietatis, quòd nunquam, etiam ſæpe rogatus, fana hæreticorum inuiſit, nunquam eorum ſacris interfuit. Sacerdos quidam Rochezanæ factionis, in ſacello arcis ſacro habitu inſtructus, iam altare præſente Rege conſcenderat: quod vbi ille conſpicatus eſt, continuò abire, aut fortè reluctantem, è proxima rupe immiſſo equitum magiſtro, præcipitari iuſſit. At ille vitæ timens, facilè ceſſit imperanti. Rochezanam hæreticorum Principem, in Corporis Chriſti ſolemnibus Euchariſtiam publicè & longa pompa geſtantem, è feneſtra conſpicatus, nullum venerationis ſignum edidit. Percontantibus cauſam amicis, reſpondit: Auguſtiſſimum Chriſti corpus, tam immenſæ eſſe præſtantiæ, vt eius gloria, nulla veneratione augeri, & nulla dehoneſtatione poſſit imminui: ſed quum populares è Principibus pendeant, ſibi fuiſſe cauendum, ne tali veneratione, hæreticorum ſectam approbare videretur. Quum aliquot ibi menſes permanſiſſet, iam Regis mora hæreticæ multitudini grauis eſſe cœperat: quippe quæ videbat indies Regis exemplo, alios à ſuorum templorum frequentatione deficere. Quare factum eſt, vt in Auſtriam redire cupienti, ex Huſſitarum nemo perfidia interceſſerit: antequam pedem retrò referret, Vratislauiam Sleſitarum metropolim inuiſit. Pogiebrachius Bohemiæ Præfectus eum ſequebatur. Ab Vratiſlauienſibus Rex cum eximijs honoribus, & populari plauſu exceptus eſt. Regem enim, nondum è pueritiæ finibus excedentem, ſupra ætatem vſquequaque ſapientem, fauſtoque aſpectu, & venuſta facie, ſpectatorum facilè animos conciliantem, tanta populi admiratione proſequebantur, vt diuinum potius quàm humanum reputarent. Verùm ad Comitem Ciliæ redeundum. Hic enim ex aula regnoque Ladislai iam exactus, vt diximus, & à reliqua ſpe deſtitutus, in Cæſaris gratiam redire contendit, quem Ladislai cauſa grauiſſimè læſerat. Per internuncios erratorum veniam precatur, pœnitentiam fatetur: cæterùm offert perpetuam fidem, ſeque ſua opera ademptam Frederico Auſtriam, propediem (ſi ignouerit) redditurum. Cæſar, qui rebus, non verbis capiebatur, multa quæ acceperat damna commemorat: ſe indemnem præſtare, dicit oportere: quare quæcunque ille poſſideret, ſibi tradi poſtulat. Comes, vbi nullo pœnitentiæ modo conditioneque in Cæſaris gratiam reſtitui poſſe intelligit, aliò animum intendit: audit grauiſſimum Venetis cum Franciſco Sfortia Mediolanenſi Duce bellum intercedere: hic ſe cum ingentiſſimis Bohemorum copijs venturum Venetis pollicetur, ſi æqua ſibi ſtipendia penderentur. Sed quum res intercedente pace non proſperè ſucceſſiſſet, nullumque exilij præſidium inueniret, ſpe ſua fruſtratus, ad recuperandam Ladislai gratiam animum conuertit. Eyzingerum intelligit, Procerum obtrectationibus, Regi parum eſſe gratum, quum illorum*

Ann.Sal. 1452.

rum

Sal. Ann. 1455. *rum auaritiæ rapiniſque obſtinatiùs aduerſaretur. Clam cum illis agit, quos infenſum ſibi Eyzingerum habere ſenſerat, vti cum Ladislao de reuocando Comite, qui indignè fuerat eiectus, cautè tractarent: dicerent ipſum, viri ſapientiſſimi ac propinqui opera, fide & conſilio diutiùs carere non poſſe: indignum eſſe, cuius opera Rex iam pridem reſtitutus erat, eum turpiter eiectum, diutius euagari. Quare clàm Comitem Ladislao conciliant: illique Regis nomine ſignificant, vt cum honorifico pro virili ſua apparatu, Viennam redeat. Vbi gratiſſimo ſe à Principe vultu excipi ſenſerat, ab amicis is edoctus, cum expeditiſſimo mille hominum equitatu, Viennam properat: quem vbi Rex mœnibus appropinquare ſenſit, cum vniuerſa aulica & populari turba, ac honeſtiſſimo Procerum & nobilitatis ordine, obuiam occurrit: vt honorificentiùs exceptus, de turpi exilio triumphare videretur. Eyzingerum haudquaquam inſipientiùs egiſſe ferunt, qui, ne quod in alterum ſtatuit, inuitus ſubire cogeretur, intrante vrbem Comite, is vltrò cum amicis exijt in exilium. Quod poſtquam Comiti nunciatum eſt, eum non parum inuitum laudaſſe memorant, qui fortunæ ludibrio ſe ſubtraxerit: ſe quoque in poſterum aliquanto modeſtiùs egiſſe: ac eos aſſiduò ſapientes appellare ſolitum, qui aulica diſcrimina declinarint, quum nihil Principum gratia inconſtantius eſſe videatur.*

CVII. *Caſimiro Eliſabeth Hung. nubit.* Anno poſtea 1455. dicunt alij, 1454. *Ladislaus* ſororem ſuam *Eliſabetham*, *Caſimiro* Poloniæ Regi deſpondit: quo tempore Polono aduerſus Germanicorum militum ordinem bellum in Boruſſia fuit. Ciuitates pleræque de acerbo militum dominatu quærentes, opem Regis implorabant; ipſe verò regionem illam iuris ſpecie, regno ſuo adiungere ſtudebat. *Fridericus* Cæſar controuerſiæ arbitrio ad ſe euocato, ciuitatibus mandarat, vt Magiſtratibus parentes, Polonum non implorarent. Quod fruſtra, nam poſt bella diuturna, *Caſimiro* ſubiectæ ciuitates, pacis conditiones accepère, quales victi à victoribus accipere ſolent.

CVII. *Inſidiæ in Coruinum* Interim Hungari, cum primum Regem ex Bohemia reducem Viennæ audiuere, miſſis legatis, in regnum veniat, orant, ſuiſque rebus præſens conſulat. Comes priſtinæ dignitati reſtitutus, comiter legatos affatus, breui regem affuturum promittit, & hæc palàm; Clam verò regi diuerſum ſuadet. *Coruinum* in odium adducẽs, Hungarica gubernatione deijcere tentat, vti id munus ſibi traderetur. Regi ſuadet cautè agat, regnum non ingrediatur, vbi omnia non in ſua ſed *Coruini* manu eſſe ſciret, regem ipſum dici, illum regnum habere, illius auſpicijs ſacra, & prophana adminiſtrari, diutina dominandi aſſuetudine inſoleſcentem illius animum, minores contemnere, parem non ferre, neque maiorem niſi titulo tenus, laturum. Iam eò *Coruini* progreſſam potentiam, vt ad regnum aſpiciat, vel Turcarum viribus, & auxilio in hoc vſurus His calumnijs *Coruinum* licèt Regi inuiſum, & ſuſpectum Deus defendit, & vindicauit. Perſuaſus à *Cilienſi* Rex, vt periculum, quod ſibi imminèret, in auctorem verteret, per literas *Coruinum* Viennam euocat. Is iam de nota fraude ſolicitus, reſpondet: *Regi ſe in Hungaria pariturum, & dicto audientem fore, extra regni limites egredi, quando nulla officij ratio id poſtularet, nec ſatis tutum, nec integrum eſſe.* Eluſus Comes, Regi ſuſpicionem confirmare non deſtitit, prohiberi ipſum aut faſtu, aut metu, nè veniat; quorum hic ex conſcientia, concepti animo ſceleris prodiret, ille contemptum Regis, & ſui fiduciam præſeferret. Statuit deinde ſecundo experiri fortunam, & in oppidum *Coche* ad Hungariæ fines ſito, cum ſuis profectus, *Coruinum* ad ſe vocat, quò ſi veniſſet, aut Viennam pertrahi, aut in oppido occidi poſſe ratus. Venit Comes, ſed oppidum ingredi noluit, contendens *legatorum eſſe, vti eos adeant, ad quos miſſi erant, in Hungariæ regno ſe Regis perſonam gerere, nemini præterquàm ipſi cedere.* Cilienſis contrà *indignum hoc, & infra dignitatem fore contendebat, ſi princeps & illuſtri ortus familia, nouum hominem adiret.* Dixit Coruinus, *non maiorum ſed ſuam cum ipſo perſonam conferri debere, cuius virtute, & armis fæliciter in Turcas prolatis, hoc eſſet conſecutus, vti ſuæ familiæ decus ab eo exordium ſumeret, cum illo maiorum gloria finiretur.* Proinde infectis vtrique rebus abiere. Ferebant porrò iniquo animo Proceres Gubernatorem nequaquàm parere Regi, cuius beneficio, maximo munere fungebatur. Quare communes amici eum peruicerunt,

Ann. Sal. 1455.

CIX. *Ladislaus Coruino inſidiatur.*

Ann. Sal. 1455. runt,vt Viennam ſe reciperet;ſi per diplomata,promiſſam à Rege, Principibuſque ſuis incolumitatem aſſequeretur. Offeruntur poſtulata, quibus ſecurus Viennam iter intendit. Quum ad octauum vrbi lapidem appropinquaſſet, confeſtim *Lambergerus* eques occurrit: eum properare iubet, quandoquidem Regem ipſum illi occurſurum. *Coruinus* cum in plana ventum eſſet, nec regij apparèrent apparatus,neque tabulę redderentur promiſſæ, ſubſtitit dubius. Vix ibi aliquantiſper deſederat, quum *Ciliæ* Comes, occurrit, conſcendere ſtatim equum, & properare iubet, quando egreſſus Rex, inter pomaria & vineta præ feruentiſſimo æſtu latitans, in patentes campos exire non audet: literas incolumitatis apud eum remanſiſſe ſubijcit. *Coruinus* collocatas ſibi ratus inſidias, ad *Lambergerum* conuerſus, *Certo* (inquit) *mihi mentitus es, amice:* cui Lambergerus, *mandata* (inquit) *Comitis tantum ipſe retuli: ſi qua fraus ineſt, is eſt in culpa, & adeſt, ipſe qui mandauit, cauſam ſuam agat.* Coruinus intellecta repente fraude, in Comitem conuerſus, Siccine bonos viros perdere contendis? *veterator ſceleſtiſſime in foueam, quam alijs paraueras, incidiſti: & ni me reuerentia Regis, & mea probitas inhiberet, dignis te pœnis afficerem: Quando nemo eſt, ſi vellem, qui è meis te manibus eriperet. Proinde non tibi, ſed Regi vitam dono, do tuam. Si vnquàm poſthac, meum veneris in conſpectum, moriar, ni vltimo te ſupplicio mulctatum dedero.* Hæc vbi dixiſſet, multa excuſare volentem relinquens, abijt. Ab eo tempore *Ladislaus* cum videret ſui æſtimationem in ea re laborare, mitiùs cum *Coruino* agendum decreuit. *Coruinus* quoque de regis animo certior, arces nonnullas vltrò poteſtati illius permittit, ſeruatis ſibi tamen locis illis, quæ Turcarum iniuriæ oportuniora, armato præſidio opus habebant. *Matthiam* item filiorum alterum (qui Rex poſtea fuit) in aulam mittit, inter nobiles adoleſcentulos qui Regi famulantur, educãdum. Rex in Hungariam profectus. Id. Feb. Budã ingreditur. Aberat per id tempus *Coruinus* in inferiori Hũgaria, pręſidia in Turcas muniẽs. Is ſtatim atq; Regem aduenisse audiuit, nè ſuo deeſſet officio, neuè pręſentiam Regis ſubterfugere videretur, Budam venit; Rex cum aulicis eum vultu ſatis benigno accepit. Solus *Cilienſis*, tranſuerſis oculis eum aſpiciebat. *Ann. Sal. 1455.*

CX. Matthias Coruinus datur in obſtagium.

CORVINI MORS. Anno 1456.

CXI. INgruente Turcarum metu, ad finium defenſionem *Coruinus* adcurrit, rege priùs admonito, Budæ ſubſiſteret. Huic verò Hungarorum fide ſuſpecta, ſuadente Cilien-









ſi, venationis ſpecie egreſſus, Viennam redit. Ingens eo tempore bellum Chriſtianis mouerat *Mahomethus* Turcarum tyrannus, qui *Amurathi* ſucceſſerat. Deuicta

Ann Sal. 1456.

cta Conſtantinopoli, nihil iam viribus ſuis infectum eſſe putans, Hungariæ regnum iam animo inuaſerat; Itaquè cum centum quinquaginta hominum millibus ex Thracia ſuperato Hemo per Triballos, & Iſtrum mouens, *Albam Græcam* (nunc Belgradum) dura obſidione cingit. Per eos dies *Calixtus III.* Rom. Pontif. qui *Nicolao* ſucceſſerat, miſſo in Germaniam legato *Io: S. Angeli Cardinale*, multos in Turcas excitauerat, qui ſolo pietatis ſtudio ducti in hoſtem profecti, *Cruceſignati* appellabantur. In Hungaria quoquè *Io: Capiſtranus* Franciſcani ordinis frater, pijs prò concione exhortationibus exhortabatur. Mox verò, vbi obſideri *Belgradum* audiuit, cum ijs quos ſecum habebat *Cruceſignatos*, eò pergit. *Coruinus* contractis, quas poterat, copijs accurrit, ſecundo amne deducit. Quum *appropinquauère* (ſcribit Bonfinius) *vrbem aſſiduo quati, arcem iactis in altum lapidibus ſublidi, regionem ſulphureo latè fumo caligantem, perpetuas ſeruare tenebras conſpicantur. Sociorum miſeratione correpti, qui acerrima obſidione torquebantur, animos ingentes ſanè concipiunt, & ad certamen irritantur. Trecenti è Polonis erant, qui religionis ardentiſſimæ gratia, ſumpta Crucis teſſera, ſtipendia faciebant: item Germanorum ingens numerus, qui ſacram expeditionem vltrò ſuſceperant, & certatim vtrique obſeſſis accurrendum eſſe cenſebant. Tormentorum crepitus æneorum, ad Segedinum vſque exaudiebantur. Quare inſtructa claſſe, terreſtribuſque copijs in aciem eductis, ſecundo amne deſcendunt. Mahumetes his occurrere auſus, ſuam claſſem opponit, ne quid laboranti ciuitati afferant ſubſidij. Collatis in Danubio ſignis, fluuialis pugna conſeritur. Effertur immenſus vtrinque clamor, & crepitantium fragore tormentorum, Danubius intonat, ac vtriuſque claſſis grauitate ſubgemit. Chriſtiana in quadratum agmen effuſa, ripam vtranque legebat. In ripis quadrata cataphractorum equitum agmina, vtrunque claſſis cornu protegebant, in dextro Coruinus, Capiſtranus in læuo præſidere. Hic à prora crucifixum amplexus ac ſupplex, ad ſalutare prælium ſuos hortari, promittere diuinam opem, & profanis hoſtibus maledicere. Coruinus acerrimè pugnare, ac exemplo ſuo ad pugnam Vngaros incendere, iubere vt remis incumbant, & ſuffragante Danubio cominus dimicent. Quod vbi factum eſt, mutuis nauigia catenis vtrinque colligant. Coruinus in prætoriam nauim inſilijt, ſequuntur ſocij, enſem latè ducunt, Turcaſque ſaucios ſemineceſque in Danubium deturbant: idem reliqui faciunt. Feruens vbique colluctatio cernebatur, multi vtrinque cadunt, & quum dira ſe omnes cæde competerent, cruore Danubium totum inficiunt. Quum ſecundi amnis ſubſidio noſtri niterentur, Turcarum claſſem inclinant, cæduntque. Illi obſtanti fluuio cedere coacti, proras auertunt: multa inter fugiendum intercepta nauigia, vndiſque demerſa, cæteri ad ſuorum præſidia confugere. Coruinus, fuſa fugataque claſſe, quum Albæ appropinquaſſet, eam reſerat, vrbemque ingreditur, quam armis, milite, commeatibuſque complet, ſaucios ægroſque oppidanos educit, arci ſupplementum ſuggerit validiſſimum: obſeſſorum animos recenti victoria inſtaurat, & ad propugnandam ciuitatem, vnà cum Capiſtrano viro ſanctiſſimo omnes hortatur. Mahumetes ad nuncium profligatæ claſſis: Quamuis grauiùs (inquit) noſtro tamen voto omnino potiemur. Quod è claſſe ſuperfuit, incendi iuſſit, atque obſtinatiſſimum ad expugnandam vrbem animum intendit. Quum paterni ſibi amici retuliſſent, Amurathem olim ſeptem in Albana obſidione menſes triuiſſe, ac irrito tandem conatu abijſſe: multis paternos manes probris affecit, & ante quintumdecimum ſe diem vrbe potiturum gloriatus eſt. Baſſeus fortè aderat Aſiaticus, hic vt glorioſo Principi magis aſſentaretur, certam imminere victoriam pollicetur, quando Byzantium ipſe vi ceperit, veteri arte ac munitione quaque maxima præditum: neque ab Vngaris validiùs muniri, magiſque ſtrenuè protegi, quàm à Græcis oppida ſoleant: quibus non immeritò, non ſolùm eloquij, ſapientiæque, verùm etiam diſciplinæ militaris gloria, ſuo iure tribuitur: præterea multæ dirutæ turres, completæ foſſæ, & iam æquata ſolo mœnia forent, proinde haudquaquam diffidendum eſſe affirmabat. Mahumetes his verbis accenſus, in ſequenti die omnes arma ſumere iubet, ac veluti decreuerat, nunquam etiam ceſſare conſtituit, donec Alba potiatur. In tot ordines digerit exercitum, vt perpetuum prælium continuare, & ita feſſas ſubin-*

Sal. Ann. 1456.

Maumethes Belgradum obſidet.

CXII. *Io: Capiſtranus.*

Dec.3.l.8.

Ann. Sal. 1456.

ſubinde acies inſtaurare poſſit, vti nulla quiete data oppidani deficere cogerentur. Sacer diuo Sixto erat ille dies, octauo idus Auguſti, quo deturbatis dudum propugnaculis, ruderibus completa foſſa, & obrutis patentibuſque mœnibus, hoſtes in occaſu ſolis, vrbem adoriuntur. Obſtant oppidani, & quum completos innumera multitudine campos ab arce proſpectarent, conſtrataque latè męnia cernerent, ſalutem deſperare cogebantur. Nulla maior ſpes & conſolatio ſuccurrebat, quàm deſperata corporum ſalute, pulcherrimè mori. Ioannes cum diui Franciſci collegio, Crucigeros ad ſalutarem pugnam hortatur, & Seruatoris noſtri crucem amplexatus, ac ſupplex, Dei præſentiam opemque pollicetur. Illi appetere magis quàm formidare glorioſam mortem viſi, ad pugnamque promptiſſimi Turcis occurrunt. Vnum his oberat, quòd animo potiùs quàm corpore armati erant. Gladijs tantùm & lanceis obtinebantur, pauci ſe galea & thorace protexerant. Dira nimis & cruenta ſupra murorum ruinam pugna conſeritur, ſumma vi vtrinque pugnatur. Hoſtilis clamor, tympana claſſicaque cœlum ſonitu & fragore complebant. Rudera, magna cæde fœdantur, quando illi vi ingredi, reijcere iſti connittuntur. Coruinus vbicunque laboraretur accurrens, nunc verbis, nunc factis omnibus opem ſuggerit: timidis & ignauis inclamitat corripitque, ſtrenuos extollit: fortiſſimos quoſque commendat & hortatur, vt vrbem hanc Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculum, fortiſſimè tueantur: ſciant ſibi cum his rem eſſe, quos toties olim profligarint, vicerint, & ad internecionem ſæpe ceciderint, & in Danubio tot ſuperiore pugna confecerint: non deeſſe diuinum auxilium, Ieſu Chriſtique præſentiam, ſub cuius nomine, ductu, auſpicijs dimicatur. Mox cum globo veteranorum inſtructus, vſquequaque diſcurſare, inſtaurare ordines, profeſſis validos, viuos pro mortuis, pro ſaucijs integros, pro inermis armatos, veluti opus erat ſufficere: quandoque vbi plurimum laborari ſentiebat, ſuccurrere, inter confertiſſimos ſeſe hoſtes inſerere, ingreſſos reijcere hoſtes, & imperatoris militiſque optimi officium præſtare. Contrà Mahumetes à tergo ſuis inſtare, grandia militibus præmia polliceri, retrocedentes reuocare in ordinem, & quandoque falcato enſe cædere, orare, vt ſtrenuè pugnent, exclamans eam iam vrbem captum iri, & ſuos intra penetraſſe: proinde vt facto magno agmine progrederentur, hortari. Variante diu fortuna pugnatum eſt, quando Turcæ ſæpe in vrbem penetrarunt, & à Chriſtianis non ſine magna vtrinque cæde reiecti. Supra cadauera murorumque ruinas, diu nutante ancipitique victoria dimicatum. Et hinc veluti ſpes vtrinque ſurgebat, ita extremis indefeſſiſque viribus pugnabatur. Sæpe Turcæ cum maximo impetu in vrbem irruperant: ſæpe etiam reiecti, arridente ſubinde Marte, inſtaurato cuneo, amiſſam obſtinatiſſimè victoriam repetebant. Itaque cùm pari ſpe vtrinque pugnaretur, Mahumetes præſentaneum conſilium init, quàm validiſſimo poteſt agmine, in vrbem irrumpere, pertinaciſſimeque tenere. Quòd ſi nequeat, hinc reiectum, fugam ſimulare, qua oppidanos allectos in campos educat, mox irrumpente à tergo dimiſſa equitum multitudine reditum intercipiat, vti à tergo & fronte Chriſtiana gens iuxtà cædatur: quare validiſſimum agmen inſtaurat. Superata mortuorum ſtrue, quæ in ruinis excreuerat, in ciuitatem inclinatis oppidanis irrumpit. Penetrat in forum, & in medio foro prælium redintegratur. E Turcis plerique in forum ligna inferunt, altis nonnulli turribus vexilla Regis deponere conantur, quæ adhuc in mœnibus integrè ſuperfuerant. Subeuntem cum vexillo Turcam memorant, qui vt ſigna ſui Regis, ad irritandos in vrbem ſociorum animos, qui nondum intrò penetrarant, pinnaculo turris imponeret, & ad exanimandos Chriſtianos Vngarica deturbaret, turrim altiſſimam repentè ſubit. Hunc Vngarus illico ſubſequitur, ac antequam patria ſigna deponeret, cum hoſte in turris faſtigio colluctatur. Quum alio modo id prohibere non poſſet, ſe cum Turca quem apprehenſarat, ex altiſſimo vertice præcipitem dedit. Coruinus in ſummum periculum adductam vrbem conſpicatus, accito Michaele Zilagio auunculo ſuo, & Ladislao Caniſa, item Sebaſtiano Roſognio, cæteriſque fortiſſimis Proceribus Vngarorum, ab arce ruens in forum Turcas inclinat. Hi tanto furore congrediuntur, vt multis in platea, viciſque cæſis, extra mœnia extemplo reiecerint.

Sal. Ann. 1456.

Cru-

Ann. Sal. 1456. *Crucigeri diuina ſe ope adiutos rati, adauctis animis extra mœnia prodeunt, & in hoſtes ſæua cæde graſſantur. Mahumetes vbi ſe iterum iterumque reiectum eſſe cernit, extemplo fugam ſimulat, & planè terga vertit, ac eos educit. Inſtant à tergo Crucigeri, & arridente victoria pellecti, pertinaciter inſequuntur. Iamque ad Baſſei Aſiatici caſtra peruenerant, quæ in Saui ripa collocarat: Capiſtranus proſpectis ab arce Mahumetis inſidijs, confeſtim ſuos exclamat, vt retrò cedant. Quum præ ſtrepitu & tumultu magno exaudiri non poſſet, à tergo receptui ſigna dat: contra illi victoriæ intenti, nihil exaudiunt, hoſtilia caſtra adoriuntur, & incendunt. Pater cum ſacerdotum collegio, illuc per medios enſes ab arce decurrit, reuocatque Mahumetes, qui ad machinarum bellicarum munitiones confugerat, quum Baſſei caſtra cremari diripique reſpiceret, cum equitatu, quem à tergo reliquerat, vt reditum oppidanis obſtrueret, eò ſuccurrere contendit. Ad hæc iam dies inclinabat. Coruinus deſertas à Mahumete munitiones, & bellica tormenta conſpicatus, cum ſocijs ex vrbe prorumpens, repentè capit: machinas æneas, adacto mox clauo, partim obſtruit, inutileſque reddit, partim in hoſtes conuertit, intenditque Turca reiectis è caſtris Crucigeris, qui à Capiſtrano reuocati facilè ceſſerant, ad munitiones redit: eas à Coruino occupatas comperit. Cum inſtante crepuſculo, recuperandi gratia prælium inſtauraret, obuerſas in ſe machinas inuenit, à quibus quum grauiſſimè ſocij læderentur, ingruente nocte, ſe in poſteriora caſtra, non ſine fœda fuga recepit. Alij pectore ſaucium, ſub papilla, in caſtra pedem retuliſſe memorant. Coruinus munitionibus potitus eas incendit. Quum adurgente nocte, machinas æneas exportare non poſſet, obcluſis foraminibus, irritas præſtitit, victorque ac ouans in vrbem redijt. Turca vt ſe ab vrbe ſæpe reiectum, & Aſiaticis caſtris ac munitionibus exutum conſpicatur, intempeſta nocte verſus Macedoniam iter intendit. Referunt nonnulli, eum à ſagitta ſaucium, ſeminecemque in caſtra relatum, aliquantiſper iacuiſſe. Turcas ad Sarnon oppidum motis hinc caſtris Imperatorem tranſtuliſſe, veritos, ne intercedente ipſius morte, poſtero die ad interitum cæderentur. Ad Sarnum quum ille aliquantulum reſpiraſſet, de belli exitu fuiſſe percontatum: quum illi reſpondiſſent, Baſſeum Aſiaticum, & cunctos ferè Proceres oppetiiſſe, magnam partem exercitus eſſe cæſam, KurKutoam prætorianarum cohortium præfectum, ſub mœnibus fuiſſe trucidatum, item munitiones omnes ab hoſte captas: ad hæc, hominem (vt aiunt) vſque adeo ingemuiſſe, vt venenum præ vitæ moleſtia propinari ſibi iuſſerit, quod quum amici recuſarent, timidum & demiſſum, incenſis caſtris, turpem arripuiſſe fugam: neque tam elatum animo veniſſe, quàm conſternatus abijt: & qui ſe Terrorem orbis edixerat appellari, à parua manu fuſum fugatumque fuiſſe. Baſſeum Aſiæ, cui Caraciæ nomen erat, ad munitiones, paucis antè diebus ab vrbe ictum obijſſe plerique ferunt. Sexto igitur & quadrageſimo obſidionis die, diuina potiùs quàm humana ope vrbs Albana, Turcarum manibus liberata. Quanquam multi vtrinque cecidiſſent, plurimi tamen è Turcis occubuere: multi quadraginta hoſtium milia perijſſe prodidere, viginti milia nonnulli, nec deſunt qui quatuor tantùm milia fuiſſe affirmant. Sed quanta clades illa fuerit, potentiſſimi Regis fuga teſtatur. Turcæ quoque ingentem & incredibilem fuiſſe nequaquam diffitentur: quin & deorum ex ſe plures, quàm Chriſtianorum manu, eo die cæſos fuiſſe aſſeuerant: quia multa mortuorum corpora, ſine vulnere comperta fuere, quæ diuina potiùs quàm humana vi cecidiſſe reputabantur. Capiſtranus & Coruinus, inſigni victoria potiti, per ſe vterque ad Calixtum Pontificem de hoc bello ſcripſere, ſuis vterque literis tam clari facinoris gloriam ſibi vendicare nititur, quum alter mentionem alteriùs minimè fecerit. Præſtantes nimirum viri, potius ſe Regnis, quàm debita laude defraudari patiuntur. Verùm quum duo duces, alter oratione, manu alter ſtrenuè dimicarit, idcircò hoc ſanctiſſimo viro plerique factum arbitrantur, vt in eo prælio diuinæ potiùs, quàm humanæ vires, quod Turcæ non inficiantur, enituiſſe viderentur. Prælium id atrox & inauditum fuit, quando horis quatuor & viginti, ſine intermiſſione vlla, pugnatum fuiſſe tradunt. Ne quid vtriuſque Duci, fœlicitati poſſet adijci, ne multis quidem pòſt diebus, diuina vtrunq; benignitas, non modò mortali, ſed cœleſti quoq; gloria donauit: at Coruinus id prius aſſequutus eſt, quippe qui longo in-*

Sal. Ann. 1456.

CXIII. *Coruinus Turcas vincit.*

Ann. Sal. 1457. intolerabilique labore belli defatigatus, in æſtuãtiſſimam febrem incidit, qua paucis diebus abſumptus eſt. Medicorum iuſſu, quorum adminicula cuncta irrita fuere, in Semlyn oppidum amici contulere, vbi cęli benignitate, ſe corpuſque multo facilius à languore redimeret. Aderant filii duo, Ladislaus feroci animo, & robuſto corpore iuuenis, & Matthias adoleſcens diuino ingenio, & præſtanti indole præditus: item cognatorum & amicorum numerus non mediocris: Capiſtranus à latere non diſceſſit. Sæuit ipſa febris indies, & nulla medica arte ſæuitiam remittit: deſperatur viri ſalus, & medicorum eluditur opera. Capiſtranus demum Coruinum hortatur, vt quando diuinæ fortaſſe tempus euocationis inſtaret, teſtamentum edat, humana diſponat, ſaluti conſulat, & quæ ad animi emigrationem pertinent, veluti ſacra munia iubent, cuncta paret, ne minus nunc, quum opus eſt, quàm olim induſtrius & prudens ſibi eße videretur. Arriſit ad hæc vir ille fortiſſimus, & pia patris conſilia commendauit, ſe tamen cuncta multo ante hac diſpoſuiſſe reſpondit: ignauum & imprudentem illum reputauit, qui ad extremum vitæ, vbi ſui compos præ formidine mortis nemo eſſe poſſet, officia iſta diſtulerit. Ne me (inquit) velim vſque adeo incautum & imprudentem Capiſtranę putes, vt quæ probè ſuades, hæc ad mortis agonem & tempus emigrationis ipſe diſtulerim: multo antè hæc cuncta conſtitui, iam diu quæ ad emigrandum facerent comparaui: teſtamentum diu condidi, & quid liberis & amicis, quid dijs immortalibus legandum ſit, ſat bene (ni fallor) pro facultatum copia, prouiſum exiſtimo. Curam ſalutemque animi mei, nequaquam liberis delegendam eſſe cenſui, pro facultate nonnulla templa fundaui. Erogaui in pauperes, quæ humanitas & pietatis ratio iuſſerat. Et ad peragendum quod inſtat iter, viaticum quoque mihi comparatum, firma conſtanſque fides, & ſpes ingens: item & tot excepta pro fide orthodoxa vulnera laboreſque, & præſertim diuina mihi toties explorata benignitas, & præſentia me bene ſperare iubet: haud inſcium, Coruinum in hac miſera vita mortalium, tot inſidijs pretium, tot periculis & tempeſtatibus agitatum, felicem demum quietem inuenturum. Id vnum me angit & cruciat, quòd pro temporis anguſtia, nondum profuſæ in me

CXIV. Coruini mors.

diuinæ beneficentiæ mihi ſatisfacere licuit. Verùm in hac Ieſu Chriſti Seruatoris exuberans clementia pietaſque ſuccurrit: quippe qui ſine animi verſura, à me ſibi ſatisfieri patietur. Totam vitam ſub eius ductu auſpicijſque militaui: quanquam ſtipendia gratuita facerem, multo plus tamen rependit in vita, quàm merita poſtularent: fideliſſimi veterani fidem dux ille non deſeret. Vos autem filij, amicique chariſſimi, huiuſce me vitæ miſerijs exauctorari, æquo animo (quæſo) patiamini, fluxa hìc & caduca ſunt omnia: nihil eſt, quod quicquam præter vmbram habeat boni. Militauimus hìc ſatis ſuperque: militiæ præmia apud ſuperos exigemus, & ea quidem commoda à diuina liberalitate conſequemur, quæ ſunt perpetuò duratura. Si rectè ſapitis, & ſtolida mortalium charitas vos non fallit, interturbatque, fortunæ meæ fidendum eſſe potiùs, quàm miſerandum reputabitis. Dux ille præpotens gratiſſimuſque, ſub cuius auſpicijs ſacra ſtipendia feci, veterani ſui labores miſeratus, militiæ vocationem indulget: & quæ diu propoſuit, nunc emerito magna præmia tribuet: proinde hunc neceſſitatis abitum patientiſſimè tolerate. Si quid abituro muneris in hac pompa & emiſſione Coruino tribuendum eſſe cenſetis, quod ſit grauiſſimum futurum, veſtigia, dulces filij, paterna ſectamini, cum paterna virtute gloriaque certate: experiamini, ſi ſuperare liceat, quod mihi per mortem interceptum eſt, Turcarum bellum continuate, conficiteque. Id firmum, conſtans & glorioſum exiſtimate, quod honeſtatem foueat & pietatem, atque Deo gratiſſimum reputetis. In diuino cultu & religione perſiſtite. Et quod mihi aſſequi non licuit, deleti Turcarum nominis gloriam comparate. Ne indignum quidem & indecorum eſt, ſtudiorum militiæque paternæ iuxtà atque legatarum fortunarum hæreditatem accipere. Idque in primis precor, ne degenerando per negligentiam & ignauiam, paternum nomen dehoneſtare videamini. Te id in primis facere iubeo, Matthia dulciſſime, qui natu quo minor es, eo melius bona indoles de te ſperare cogit. Proinde valete omnes Coruini memores: tu quoque Capiſtrane vale: pro ſalute noſtra pias preces effunde, ſuppliciaque, & quando ſub eodem Imperatore meruimus, ad accipienda mecum ſtipendia properato. Quum hæc dixißet, præſentibus liberis Ann. Sal. 1457.

dato

Ann. Sal. 1457. *dato oſculo, benedixit, amicis circùm collachrymantibus commendauit, omniumque dexteras apprenſauit: exorauit mox eos, in primiſque Capiſtranum, vt in proximam diuæ Genitricis ædem ad rem ſacrã faciendam ſe deferrent, & quum euchariſtiam accepturus eßet, Dominum ad ſeruum, quod indignum erat, venire minimè paterentur, ſed ipſum in ædem ad Dominum introducerent: translatum in templum, & ſacris operatus, accepta euchariſtia, placatiſque extemplo nominibus, animam efflauit, perpetuum quoque ſui deſiderium Vngaris reliquit. Diem igitur obijt, Salutis anno quadrageſimo quinquageſimoſexto ſupra milleſimum, quarto idus Septembris. Corpus, ſicuti legarat, in Tranſſyluaniam delatum, & in æde, quam in Alba Iula fundarat, magnifico funere ſepultum. Vir fuit ſtatura ſanè corporis mediocri, magno capite, criſpis crinibus, caſtaneæ colore ſubnitentibus, oculi fuere magni, ſerenus obtutus, ſuffulua facies & peruenuſta: aſpectus vſque adeo pulcher & iucundus, vt ſingularem præferret gratiam, & tacitam ſibi reuerentiam poſtularet: cuncta membra corporis inter ſe ita conſentiebant, vt nil poſſet elegantius exoptari: corporis demum animique viribus æquè pollens. O felicem virum, cui cum ſingulari virtute viuere, ac ſumma gloria mori datum eſt. Dum vixit, ab omni periculo Pannoniam Chriſtianamque Rempublicam liberauit. Quare promulgata morte, non immeritò per vniuerſam Vngariam, ab omni ætate ac vtroque ſexu eſt diu publicè deploratus. Aliqui Propugnatorem fortiſſimum, milites Inuictiſſimum imperatorem, omnes Patriæ patrem certatim lugendo ingeminabant: quòd ſibi beneficijs Vngaros immortalibus obſtrinxerit, & quantum amoris & gratiæ, præ geſtarum rerum gloria ſibi conciliarit, rei exitus oſtendit: quippe quum poſt Ladiſlai Regis interitum, Matthiam eius filium, regio haudquaquam genere natum, & adhuc puerum ac rerum impotem, omnes vna voce Regem exclamarint. Quum adhuc animam ageret, Capiſtranus ingemuit: Inuideo (inquit) Coruine morti tuæ, qui conſummato quoque præſtantiſſimi ducis officio, & fuſo fugatoque hoſte, quem Terrorem orbis appellabant, ne qua tua felicitas labe inficeretur, extemplo ad ſuperos euolas, & ampliſſima vtriuſque vitæ gloria potiris. O nos miſeros, qui remanſimus, quibus ſi quid nominis recenti victoria partum eſt, ſuperſtitibus facilè id fortunæ inconſtantia periclitari poteſt.* Sal. Ann. 1457.

CXV. *Vtinam te ſubſequi ſit mihi fato datum, vt qui pariter ſub cœleſti Imperatore meruimus, vnà quoque in cœlis triumpharemus. Mahumetem aiunt, ad nuncium Coruini mortis, confeſtim oculos humi defixiße, & conuerſum in lachrymas dixiße, Neminem vnquam à mundi principio, illi ſub aliquo Principe fuiſſe, meritò ac iure ſibi indolendum, cui tantam ex accepta clade turpitudinem, amplius vlciſci non liceret. Viri fatum vniuerſa deplorauit Europa. Calixtus audita morte, non parum lachrymarum effudit, ſolennia quoque iuſta, in diui Petri baſilia, Chriſtianæ fidei defenſori perſoluit. Eius mortem prodigia multa portendere, in primis crinita ſtella, in gradu quintodecimo, menſe Iunio, triginta circiter dies apparuit: in Sabinis, Februario menſe, vitulum bicipitem fuiße natum: Romæ ſanguinem, ad portam Veneris; carnes, in Liguria pluiſſe: & in Piceno agro, infantem cum ſex dentibus editum, ac facie inſolentis planè magnitudinis fuiſſe memorant. Hæc ſigna fatum non modò Coruini, ſed multa quoque mala ſignificarunt. Is igitur fuit Ioannis Vaiuodæ finis. E Coruino, vti diximus, duo filij fuere ſuperſtites, Ladiſlaus, & Matthias: alter qui natu maior erat, militari diſciplina & virtute præſtans, item ſingulari honeſtate, & magnanimitate præditus erat: alter verò minor, ad maiora fortaſſe, quàm pater natus eſſe videbatur: patri demum vterque ſimilis, ne minima quidem in re à paterna virtute degenerans. Sed vter aut longiore vita, aut maiore gloria functurus eſſet, Capiſtranus veluti diuinitus afflatus, optimè auguratus eſt: nam quum eum Coruinus aditurus, vtrunque ſecum filium duceret, Capiſtranus Matthiam ſemper ſibi ad dextram, ad ſiniſtram Ladiſlaum maiorem natu collocabat: admiratur huiuſce rei pater inſolentiam, cauſamque ſciſcitatur: reſpondet ille, Haud ab re id à ſe fieri, quando alter immatura morte præreptus emergere non poterit, alter Vngariæ Regnum ſortietur, virtute ac gloria cum Alexandro certabit, & Chriſtianæ plebis propugnator erit acerrimus: cui ſi diu viuere licuerit, omnes orbis Principes, ſui admiratione conficiet. Capiſtranus defuncto Coruino nunquam* CXVI. Capiſtrani prædictio.

Ann. Sal. 1456. *quam amplius ridere viſus eſt, veluti qui ſub iiſdem auſpicijs militaſſet, & inſigni victoria potitus, triumphante collega, ipſe debito triumpho fraudaretur. Noctes aliquot inſomnes exegit, inter contemplandum cum Deo ſæpe conqueſtus, quare cum collega ſibi obire non liceret: in languorem ſubinde corporis incidit, quem ex illius lethi dolore contraxerat: eluſis medicorum adminiculis, ad triumphandum accitus, paucis pòſt diebus in Domino obdormiuit: ad Vilachum, in Syrmienſi agro, in Diui Franciſci æde collegioque ſepultus eſt. Inter Deos, ex hominum opinione relatus, quotidianis in humana auxilia votis inuocatur, miracula templo affixa, magnitudinem numinis planè teſtantur. Iacobus Picens vir ſanè ſanctiſſimus, defuncto ſocio, & amplificata diui Franciſci religione, in Italiam reuerſus eſt: vbi quum diu vixiſſet, Neapoli demum exceſſit humanis: quot viuus & mortuus miracula ediderit, vniuerſa Italia planè teſtatur.* *Ann. Sal. 1456.*

Capiſtrani mors.

CAEDES LADISLAI CORVINI. Anno 1457.

CXVIII. Ladislaus Rex audita inſigni Turcarum clade, admodùm exhilaratus, conſternatum reſumpſit animum, non ea tamen qua debuit pietate, *Coruini* mortem honeſtauit, à *Ciliæ* Comite malè ſuaſus, lætitiam diſſimulauit, veluti regno abſquè diſcrimine potiturus. Comes autem *Coruini* morte lætatus, Pannoniam ſe prò arbitrio temperaturum confidebat. *Cæcum* (ait Bonfinius) *profectò humanæ mentis iudicium, quæ dira quandoque libidine ita rapitur, vt pro bonis mala, pro malis bona deſideret: fuiſſet Vlrico nimirum longè ſalubrius, vixiſſe Coruinum: quippe qui necem ab Vngaris illi deſtinatam auertiſſet.*

CXIX. *Ciliæ comes molitur in poſteros Coruini.* *Atqui liuor eius & odium, vnde mortem ſibi comparauit, non modò in patrem, verùm etiam in filios amicoſque profunditur. In cauſa non ſolùm ambitio maxima, ſuperbum ingenium, & inuidia fuerat. Verùm etiam alia interceſſere: in primis ægerrimè tulerat, Coruinum ignobiliori genere natum, totius Regni gubernatione fungi, pro Rege haberi, quo quidem munere ſe Ladislai Regis auunculum multo digniorem eſſe cenſebat. Neque vaſtationes, incendia & rapinæ, quas à Coruino in pueri & coronæ repetitione quondam acceperat, quia Regno infeſtus, Cæſaris partibus adhæſiſſet, memoriæ exciderant. Neque vindictam in vlla vnquam oblata occaſione præterire potuit. Quãuis inimicum mors è medio ſuſtuliſſet, æquo tamen animo pati non poterat, ſuperſtites filios paterno munere ac poteſtate potiri, magnæ auctoritatis & gratiæ adhuc eſſe, ab Vngaris tantùm diligi & obſeruari, retinere oppida multa, villas, prædiaque ampliſſima, & amicitijs, opibus, & clientelis cæteris Proceribus longè præſtare. Quare cum filijs eius ſimultates & odia inſtaurare, nouas moliri in hos inſidias, & quum principatum apud Regem ipſe retineret, cuius conſiliarius & moderator erat, in vtriuſque cædem omnia tentare cœpit. Quinetiam ſæpe gloriatus eſt, Secaninum hoc genus propediem è Pannonia extirpaturum. Ne latebat quidem iuuenes, ac cæteros Optimates, infeſtus Vlrici animus. Neque incautè cum Vlrico verſandum eſſe cenſebant. Quid ſibi cauendum eſſet, ſui patris olim exemplo didicerant. Exacto igitur Coruini mortis anno, Ladislaus Rex, Vlrici ſuaſu, Vienna proficiſcitur: & frequenti Procerum ordine, magnaque Crucigerorum manu ſtipatus, Danubium conſcendit, vt Vngariam inuiſat. Budam ſecundo amne delabitur: quum dies in arce aliquot exegiſſet, conſilio ac libidine Comitis agitatus, eadem claſſe ad Futhacum defertur: quod quidem oppidum in Bachienſi agro, & Iſtri ripa ſitum eſt. Hìc Rex ex arte Comitis, frequentiſſimum conuentum indicit: conueniunt vndique Principes, ac ingens nobilitatis numerus: Ladislaus, qui Albanam arcem, & inferioris Vngariæ oras, eadem qua pater poteſtate tenebat, vbi Regem appropinquaſſe ſenſit, ad Futhacum, non ſine validiſſimo equitatu obuiam occurrit, ne quid ab inimico mali pateretur. Excipitur à Rege grato vultu, auditque eum ad Albam propediem eſſe venturum, vt hoſtium ſpolia & caſtrorum veſtigia recognoſcat. Hic etiam, vt ſibi caueat, admonetur à multis, quos Regis conſilia non latebant, ac edocetur à Ciliæ Comite Regis animum infeſtum ſibi eſſe redditum, Regem idcirco Albam venire, cum Alamannorum Crucigerorum manu, vt eiecto ipſo, protegendam illis arcem tribuat, omnia oppida, præfecturas & magiſtratus, qui in manu ſunt*

Vn-

Ann. Sal. 1457. *Vngarorum, his exactis, Alamannis committat; atque illud potiſſimum peragat, vt Coruini liberis paternam omnem abroget poteſtatem: Vlricum demum malorum omnium eſſe autorem. Perturbatur his dictis miſerè Ladislaus: tamen pro virili ſua odium diſſimulat, & ſe coercet. Communicat hæc amicis, Vngarorumque Proceribus, quibus infenſum Comitem intelligebat, & ad quos hæc pertinere ſenſerat. Commouentur nihilo ſecius illi, & inimicum ex occaſione omnino perdendum eſſe cenſent. Ad Albam tandem peruenitur, quam validiſſimo Ladislaus præſidio tenebat, aduentanti arcem Regni patefacit, ipſum cum purpuratis & togatis excipit: reliquis verò armatis, qui circiter quatuor milia fuerant, portas obcludit: præſidiarios admonet, die noctuque clandeſtina arma non deſerant, ne quid ab Alamannis ſibi infenſis detrimenti patiantur. Claues arcis ad Regem defert, atque, Accipe, inquit, Rex optime, tuæ arcis claues, quam tanto ſudore ac ſanguine pater dudum meus à Turcarum faucibus aſſeruit, liberauitque. Quantæ molis id fuerit, mors inſequuta teſtatur. Satis equidem maieſtati tuæ ac vniuerſo orbi paternam virtutem, fidem & integritatem ſpectatam eſſe puto: nos qui ex eo ſuperfuimus, ne degeneres videamur, non minus paternæ virtutis ac fidei, quàm cæterorum bonorum hæredes eſſe ſtudemus: inuidia clàm apud te nos Vlricus oppugnat, Princeps clementiſſime, & non modò dignitate, ſed vita, ſi liceat, nos exuere conatur. Proinde ſi nemini inimicoue noſtro claues daturus non es, accipe: quando nos ipſi, & hæc omnia tua ſunt. Si inuidi obtrectatoris conſilio ac libidini auſcultaturus, te Rex quæſo, & obteſtor, ne Coruinam prolem, quæ ſuo iure mortalium cuique fidelium, tibique in primis ſat commendata eſſe debet, præter fas & æquum, tam citò dehoneſtandam eſſe cenſeas. Me igitur (vt par eſt) Maieſtati tuæ ſemper pariturum, ſed paterno nunquam inimico ceſſurum eſſe, ſcito. Rex extemplo primùm recipere claues, arcem curare, paternum munus gerere, & bono eſſe animo iubet: dum mora illic trahitur, Comes Ciliæ, Regem in Ladislaum irritare, ſolicitare cuncta non deſinit. Ob non admiſſam in arcem armatorum multitudinem, audax Ladislai facinus criminatur. Quotidianis contrà iuuenis criminibus irritatur, de interficiendo Comite paternos amicos conſulit:* Ann. Sal. 1457. *in primis Ioannem Veteſium Epiſcopum Varadienſem, Coruini quondam conſiliarium, qui deinde à Matthia Rege, ad Strigonienſem Archiepiſcopatum euectus eſt: is religionis gratia, ne cædis auctor haberetur, ſe, vt id fiat, nequaquam ſuadere; ſi factum foret, improbare non poſſe reſpondit: trucidandum inimicum cæteri ſuadent. Verùm detectæ recentiores inſidiæ, deſtinatum facinus maturarunt. Ladislaus gnatam Palatini Comitis, è nobiliſſimo Gararum genere nati, nuper deſponſarat. Vlrico, Deſpotis filia vxor erat. Ad Deſpotem is dudum literas ſcripſerat, pòſt vbi cum Rege Albam applicuerit, ſe duos propediem globulos eſſe miſſurum, quibus optimè ſibi ludere licebit. In his, amborum filiorum Coruini capita pollicebatur. Intercipiuntur à pueris Ladislai literæ, quæ ad dominum relatæ ac perlectæ ſunt. Fortè Rex à ſacris aberat, ac Proceres eo die qui diuo Martino ſacer erat, in abdito conclaui Senatum habebant. Comes mali conſcius, eò vocatus, an ne prodiret, aliquandiu hæſitauit: mox loricata tunica munitus, antequam prodeat. Ladislaus tunc literis incenſus occurrit, ac poſtulato colloquio, proditorem oſtentatis literis exclamat, qui patri quondam necem, & nunc filijs indignè moliatur: infenſum quoque ſibi Regem fecerit, ſuppliciorum iam diem veniſſe ingeminat. Nonnulli Comitem, prius Ladislaum probris laceſſiſſe dicunt, & quòd prætorianas cohortes in arcem non admiſerit, eius audaciam admodum incuſaſſe. Illud planè conſtat, Vlricum arrepto ex armigeri manu gladio, in Ladislai caput eum contorſiſſe, Ladislaum obiecta repentè manu, in vertice ſimul & digitis vulnus accepiſſe: oborto confeſtim clamore, Vngaros irrupiſſe, & Comitem acerrimè reluctantem,* CXX. *multiſque confoſſum vulneribus obtruncaſſe.* Ciliæ comes occiditur. *Vlrico cæſo, hi cum Ladislao Regem adeunt, interfectum Regni hoſtem, & ocij paciſque inimicum exclamant: ſcelerum omnium auctorem debita ſupplicia dediſſe dicunt, Regem nihil timere iubent. Quando nunc Rex & dominus verus eſt, nunc pacatiſſimum ſibi patet imperium. Eum dudum non Regem fuiſſe, ſed Ciliæ Comitem pro libidine ſua imperaſſe. Rex quamuis dolorem, iram & metum æquè diſſimularet, etiam ſupra quàm ætas toleraret, & iure cæſum Comitem profiteretur, audaci* ta-

Ann. Sal. 1457. *tamen facinore nimium commouetur: quum ad tolerantiam hortarentur amici. Ferendum eſſe (inquit) quicquid imperioſa neceſſitas attulerit: Ademptam Vlrico vitam reddi non poſſe, nunc ſuperſtitum ſupereſſe fata, quæ Deus meliora faxit. Corpus etiam Ciliam deferri, & in maiorum monumenta recondi iuſſit. Fuit Vlricus proceritate decenti, valido corpore, macilenta facie, vultu haudquaquam indecoro & periucundo: fœmineæ Veneri nimis obnoxius, quare barba raſa, & excultis crinibus, molli quoque habitu ſemper inceſſit. Quum immaturum diem obijt, quinquagenarius ferè habebatur. Rex ob Vlrici caſum, non longa in Albana arce moram traxit, hinc profectus, ad Themeſuarum iter intendit, Turcis obiectum, ſitum in amœniſſima regione, ad Themeſi fluenta, excultum ædificijs, ac multa arte munitum. Ladislaus eum comitatur, multique Pannoniæ Proceres, in primis Ladislaus Garæ, Palatinus Comes, & Ladislai ſocer: præterea Michael Orzagus, de Guttho editus, Paulus Banffij filius, cui de Lyndua cognomen erat: ianitorum Regalium Magiſtri, & honeſtiſſimus aulicorum ordo. Quum ad oppidum perueniſſent, quod Ladislaus cum præſidio tenebat, Eliſabetha, Coruini vxor, vnà cum Matthia filio, lugubri veſte amicta, & cum pullato ancillarum ordine, quæ vultus præ domini morte demiſerant, Regi occurrit: & eum præuenerata, vt par eſt, ſupplex ac lachrymabunda filios*

CXXI. Coruinum laudat Ladislaū. *commendat, & Ladislao veniam precatur, & ne illuſtria Coruini beneficia mente excidant, obſecrat, & obteſtatur. Rex matronam amplexus, Funeſto, inquit, habitu, quotidianiſque lachrymis tui viri anatheoſin celebrari, ſummum (crede) nefas eſt Eliſabetha. Coruinus tuus de Deo ac hominibus æquè bene meritus, inter Deos relatus eſt, vbi iure felici ac ſempiterna vita perfruitur. Chriſto Vngariam, mihi Regnum ſeruauit. Inteſtino & externo bello Pannoniam liberauit: fudit, fugauitque Turcas, & ad internecionem ſæpiſſime cecidit: cum quibus, decies collatis ſignis, quaterdecies tumultuario & improuiſo prælio, feliciter dimicauit. Bis victus, pernicioſam hoſti victoriam reliquit. Tot templa fundauit, magnificeque donauit. Tantum pro ingenitæ benificentiæ ac liberalitatis imperio, calamitoſis & miſerabilibus erogauit, vt Regias*

Ann. Sal. 1457. *in eo genere vires ſuperarit: fidelibus, prophanorum metum abſtulit, Vngaris pacem pepererit, vtriſque ſalutem genuit, vitæ ſanctitatem, geſtorum gloriam, immortalia beneficia, & triumphorum ſeriem, omnes gentes ac cuncta ſecula memorabunt. Talem vitam duxit, tot clara facinora geſſit, vt totum orbem, in ſui admirationem planè contraxerit, ac eius obitum non magis amici, quàm hoſtes deplorarint. Domi æquus & mitis, foris ſtrenuus & fortis. Nec armis ab hoſte, nec officijs ab amico, vnquam ſuperari potuit. In vita hoſtes, in morte ſe ipſe ſuperauit. Quum vltimam vitæ horam inſtare ſenſit, haudquaquam à ſuo domino viſitari paſſus eſt, ſed labentibus iam membris, & defecto corpore, in templum ſeſe detulit: vbi à domino ac Deo ſuo, ſub cuius ſemper ductu & auſpicijs meruerat, delictorum facilè veniam implorauit, imperatori ſe ſuo reconciliauit, ſumpſit Euchariſtiam, & ea ſumpta, ab duce gratiſſimo, ad immortalia mox præmia, felix ac ouans euectus eſt. Quare Coruinæ ſorti congaudendum congratulandumve potius, quàm indolendum eſt: quum optimè ac glorioſiſſimè vixerit, pulcherrimè diem obierit, & optata nunc immortalitate fruatur. Proinde dolor omnis abeſto, procul eſto mœror, & lugubres habitus deponuntur. Superſunt tibi duo filij, qui cum paterna virtute certabunt:* *CXXII. Impunitatem Ladiſlao Coruini donat.* *hos ego fratres, & te matrem adopto: Ladiſlaum Cilianæ cædis impunitate dono, ſacroſanctam initi fraterni fœderis Euchariſtiam teſtem eſſe iubeo: pullas ergo veſtes vos omnes exuere iubeo, impero ac edico, ac hunc feſtum diem vobiſcum vnà celebrabo. Vix hæc dixerat, quum purpureas veſtes, auro contextas, in medium afferri præcipit. Eas viduæ ac Ladislao, Matthiæque dono dedit. Inſigni omnes pietate amplexatus, ancillarum ordinem indonatum nequaquam prætermiſit, quas mox habitum mutare iuſſit, lætitiæ ac hilaritati diem indixit, opipara celebrata conuiuia, quæ carminibus, nimis & ſalutationibus excoluere. Ladislaum cum Matthia ad genua in media Procerum turba, inſtantiſſimè ſupplicantem, vt patratæ cædis venia, vt dudum promiſerat, donaretur, ad pectus erexit: graui aſſeueratione, cum iuramento ſuper Euchariſtiam ſanctè ac reuerenter inito, omnes iniurias ac inimicitias, ex Vlrici morte conceptas, remiſit: ambos fratres*

adopta-

Ann. Sal. 1457. *adoptauit, ac Eliſabetham pientiſſimæ parentis loco ſe ſemper habiturum eſſe recepit. Fraternæ adoptionis diem publica cuncti lætitia celebrarunt.* CXXIII. *Iuuenum imperium præceps.* *Verùm quemadmodum in ſequentibus ritè referetur, quum Rex initi fraterni ſanctè fœderis iura aliorum impulſu facinoroſo violarit, antequam annus poſt læſam fidem exigeretur, extremi ſupplicij pœnas expendit. Ex quo facilè colligitur, quàm præceps ac formidoloſum eſt, adoleſcentium imperium: qui quum ſibi conſtare nequeant, ſæpius ad alienum arbitrium in diem ſententiam mutare coguntur. Ad diuerticulum reuocetur oratio. Ladislaus & Matthias, regijs donis & blandimentis allecti, abeuntem Budam Regem, depoſita omni ſuſpicione, ſequuntur: familiariſſimè cum Rege verſantur, & habentur inter primos. Non ſolùm ab eo diliguntur, verùm etiam obſeruantur. Hos Vngaria tota paternæ memoriæ gratia ſequebatur, à matre tamen perquam ſollicita his mandatum fuerat, vt nunquam ſimul curiam adirent, ne vnà periclitari cogerentur: quod ſi ſeruaſſent, non fortaße fuiſſet tantopere laboratum. Vt Budam peruentum eſt, cum honeſtiſſimo vterque comitatu, Regiam frequentabant, fauebant apud Principem amicis, & patrocinia clientibus promptiſſima accommodabant: at contrà, Vlrici Comitis amici, qui illius interitum ægrè tulerant, regias quotidie aures ſollicitare, inconſtantem & credulum adoleſcentis animum à bona mente diuertere, dicere, præclarum Principem, Regis auunculum, à furioſo iuuene indignè cæſum: læſam hinc Maieſtatem conqueri, audaciſſimum ſcelus nullo pacto inultum eſſe relinquendum. Ingentem iuuenis audaciam, ni præſenti ſupplicio coerceatur, eò euaſuram, vt patris exemplo Regnum anhelet: qui Regi proximum obtruncarit, Regnum quandoque auſurum. Quod pater concupiuit, & præ rei grauitate conſequi minimè auſus eſt, iuuenili hunc temeritate facilè adoriturum: malum antequam increbreſcat eſſe curandum, & ab initio incendijs occurrendum. In Ladislao quotidie vltimi ſupplicij anſam deprehendi poſſe. Rex tandem ſiue per ſe auunculi cæde ſuccenſus, ſeu talibus dictis irritatus, ambobus inſidias molitur: in horum numero, qui vindictam affectabant, inter primarios Comes Palatinus erat, Ladislai ſocer, & Vlrici nepos, qui vt auunculi necem vlciſceretur, generi mortem, qui nondum filiam duxerat, contempſit.* Sal. Ann. 1457. *Item Paulus Banffi, & pleriquè alij, qui aut præ liuore Coruinum olim obtrectarant, & filios infenſos habebant, aut aſſentando, regiæ iræ vindictæque deſeruire ſtudebant. Obtenduntur iuſſu Regis ambobus inſidiæ. Quum in Regiam veniſſent, ex compoſito portæ clauduntur, & à prætorianis militibus capiuntur, conijciunturque in carcerem: capti quoque cum his primarij ſunt amici, veluti Cilianæ mortis conſcij, & inſidiarum quæ Regi pararentur artifices:* CXXIV. *Io: Varadienſis. Carceri dātur filij Coruini.* *ac in primis Ioannes Varadienſis Epiſcopus, à Coruino per omnes ordines ad hanc dignitatem euectus, ac filiorum quoque moderator & magiſter: vir quidem ea tempeſtate ſummæ virtutis & prudentiæ, & non mediocris eloquentiæ. Nonnulli quoque ſecum Proceres in vincula conie cti, ex quibus Sebaſtianum Roſgonium, Ladislaum Caniſam, præſtanti genere natos, ac domi militiæque pollentes: item Bodo Gaſparem inter Coruini liberos educatum, virum quidem nobilitate, conſilio, eloquentia, & multarum rerum cognitione præſtantem. Præterea Georgium Modracem, virum ſanè locupletiſſimum: duos Paulos, Hornath & Fradnahar, Alamanna gente natum fuiſſe dicunt. Hi nanque militiæ à Coruino educati, militaribuſque munijs & honoribus adaucti, à Ladislai & Matthiæ latere nunquam recedebant. Si Ladislaus matri paruiſſet, vt nunquam ſimul curiam adirent, iniquitatem huiuſce fati fortaſſe declinaſſet. Ipſe dudum, quum Turcas in Myſiis noua moliri rumor eſſet, è ſuperioribus Vngariæ partibus exercitum euocarat: quum propediem in prouinciam profecturus eſſet, deprauato Ladislai Palatini ſoceri ſui conſilio obediuit: qui conſulebat, ne inconſulto Rege abiret, neue Matthiam à curia procul abeſſe pateretur, ne qua eius obliuio contemptuſque ex abſentia oriretur. Poſthabitoque matris prudentiſſimæ conſilio, perfidiæ ſoceri credidit infelix. Vt cum grata miſſione à Rege diſcederet, atque ſuæ amicorumque dignitatis patronum, ac veluti ſuæ fidei pignus in aula relinqueret, cum Matthia & honeſtiſſimo amicorum ordine, in Regiam vnà conceſſit, & idibus Martijs periclitatus eſt. Aliqui, eo die ad Regium colloquium ex induſtria vocatum,*

K

Ann. Sal. 1457.

catum, veniſſe dicunt. Quum veniſſet, obſtructis à tergo foribus, captiuitatis cauſam occurrens ſocer expoſuit. Aderat Paulus Banffi filius, Ioannes Giſcra, Benedictus Thurocius, & Lambergerius Alamannus. Mox rumor effunditur, Coruinos fratres cum principibus amicorum eſſe captos. Conſternatur admodum rei nouitate populus, & omnes vltrò commiſerantur. Nicolaus Vilachus Vaiuoda (vt aiunt) Tranſſyluanus, alto genere natus, Coruinæ quondam virtutis & gloriæ ſummus æmulator, in curiam feſtinauit, quem talium inſidiarum

CXXV. Ladislaus ceditur.

haud inſcium fuiſſe volunt. Comperit ex conſulto rem ſucceſſiſſe, omnia in Ladislai necem conſilia intenduntur. Matthias à fratre ſeorſum cuſtoditur. Tertio die Ladislaus capitali ſupplicio mulctandus, prætori traditur: & inclinante iam ſole, prælato pullo lugubrique vexillo, in plateam reuinctis poſt tergum manibus educitur, quæ ante Sigiſmundi palatia latè diffunditur, demiſſis crinibus, arduo capite, & aurea veſte, quam fortaſſe à Rege acceperat, incedens, ad necem prodit. Huc & illuc gemebundam plebem impauidus inſpicit. Quum ad locum morti præſtitutum proceſſiſſet, lictorem crines colligere iubet: mox pauca pro ſui purgatione loquutus, & genua flectere iuſſus, paruit: nullumque trepidationis vnquam indicium prætulit. Præco qui damnatorum facinora ex more publicat, nil aliud impetrato ſilentio enunciauit, niſi, Reges tales pœnas è perfidis infidelibuſque ſuis exigere oportere. Lictor à prætore gladium in ceruicem formoſiſſimi iuuenis ſtringere iuſſus, commiſeratione ac metu iuxtà correptus, ictus tres intulit, & nondum caput abſciderat, immo ne lethali quidem vulnere læſus erat. Conſtanter generoſus ille iuuenis, tria in ceruice vulnera exceperat: ſed quum ad tertium procubuiſſet, mox vi magna erectus, deorum hominumque iuſticiam appellat, ſe non vltrà à lictore petendum exclamat: quartum lictori ictum, ex lege interdictum eſſe: miraculum pro læſo innocentiæ numine, interceſſiſſe. Ad hæc nonnulli Proceres, qui è Sigiſmundi palatio præſidente Rege ſpectabant, & Ladislai necem anhelabant, lictorem increpitant, enſe ceruicem repetere iubent. Quare vix quinto ictu obtruncatur infelix, annos natus quatuor de triginta. Fuit robore corporis & ſtatura patri non diſſimilis, ferocia ingenti, audaci ingenio ac exorabili, item rotunda facie, colore fuſco, crines demiſſi, & caſtaneę colorem imitantes. Præterea venuſtus erat aſpectus ac liberalis, neque expers Pietatis. Promptus ad officium, ad iram & vindictam non difficilis: belli potius, quàm ocij appetens: venuſtatem corporis latitudo humerorum adauxit. Supplicium de ipſo, neque in foro, neque ad Gradus gemitorios, neque legitima & vſitata denique hora, ſumptum eſt. Rex, populi, ac ruſticorum, quorum colendarum gratia vinearum, innumera multitudo Budam confluxerat, furorem expauit, haud inſcius, plebem eius mortem ægerrimè laturam, & propter indignitatem rei in tumultum facilè ruituram: corpus haud mora, atro panno inuolutum, ad diuæ Magdalenæ baſilicam effertur, & ante lucem clàm euectum, in ædicula corporis Chriſti, quæ in ſuburbij cliuo ſita eſt, in paricidarum Regaliumque proditorum monumenta relatum eſt. Id quamuis ad confirmandam necis cauſam factum eſſet, vt iure cæſus eſſe videretur, populi tamen indignitatem nimis auxit, quum ad iniquitatem mortis infandæ, etiam infamia criminis accenis accederet. Verùm ne minor quidem nota, non ſine ſupplicio, huic Regi, & huiuſcemodi auctoribus inuſta. Rex, perfidiæ turpitudinem, infamiam periurij, violatæ fidei & execrabilis inconſtantiæ crimen ſubiuit: illi, crudelitatis, inuidiæ, ac iniquitatis perpetuam ſibi notam inuſſere. Hinc intercipiendæ Regis vitæ, qui annum non circumegit, anſam fata ſumpſere: qui autem adoleſcentis probitatem malis conſilijs coinquinarunt, pœnas non immeritas dedere. Vt igitur ad captiuos redeamus, Epiſcopus Varadienſis, intercedente Cardinali ſancti Angeli, Legato Pontificio, Dionyſio metropolitæ Strigonienſi, Cardinalique ac ſuo iure perpetuo Pannoniarum Legato, traditur iudicandus. De cæteris quæſtio prorogata, qui poſtera nocte poſt Corporis Chriſti ſolennia, fracto carcere, clàm ex arce delapſi, euaſere. Matthias duntaxat Comes, & Paulus Madaratz in arce remanſerant. Matthias in turri, quæ ad Calidas aquas pertinet, aſſeruabatur. Paulo ab alijs ſeiuncto, euadere non licuit. Nunciata prima luce captiuorum fuga, Rex nimis angi & ſollicitari cępit, Varedienſis liberatur.
ne minore quidem metu cęteri, qui id ſuaſerant, vexari cœpere. Sebaſtianum namque Roſgonium, & Ladislaum Caniſam, multis opibus,

affini-

Ann. Sal. 1457. *affinitatibus, & clientelis in Pannonia: præterea conſilio, auctoritate, & animi magnitudine pollere nouerant: ne quid iam liberi molirentur, admodum formidabant. Quare comparatis copijs, rapto ſecum Matthia Pauloque, Viennam proficiſcuntur. In eodem ambo curru vehebantur. Solutum ætatis commiſeratio & innocentia fecerat alterum, alterum præ magnitudine diuitiarum, ſpes magnæ prædæ, graui compede ſanè deuinxerat. At vbi Strigonium Rex venit, Ioannem Varadienſem Antiſtitem, quem Dionyſii iudicio fecerat obnoxium, ad ſe accitum, bonis quidem verbis hominem triſtem conſolatur. Bono (inquit) animo Varadine pater eſto, in carcerem (mihi crede) me inuito incidiſti. Nunquam tanti viri grauitatem probitatemque aliqua turpitudine afficiendam eſſe, meo iudicio, cenſuiſſem. Id Budæ factum eſt, vbi quod dira Principum libido tulit, non ſolùm conniuere, ſed tolerare neceſſe fuit. Ibi nequaquam mei iuris eram, nunc Buda profectus, in propriam me libertatem aſſerui. Alieno facinore in carcerem coniectus es. Nunc quando ſat mihi virtus probitaſque tua ſpectata fuit, non tam beneficio, quàm iudicio meo liber eſto: priſtinam dignitatem recipito, & Varadienſium epiſcopatum eadem qua paulò antè auctoritate gerito.*

CXXVI. *Magdalena Galliæ Regis filia nubit Ladislao.*

Dum hæc in Hungaria geruntur, *Fridericus* Imperator audita Cilienſis cæde, quòd eius ditiones ex veteri quadam conuentione ſuas eſse contenderet, (neque enim prolem reliquerat *Vdalricus*) Cileiam primam regionis urbem profectus, fidelitatis ſacramentum à ſubditis exigebat. Indignè eam rem ferebat *Vdalrici* vidua, *Georgij Seruiæ* Reguli filia, & qui cum *Ladislao* Rege ſentiebant, inter quos præcipuus erat, *Cunradus Holzerus* Hubarum præfectus. Hi clam literas mittunt ad *Ioannem Vitobitium* Bohemum, qui antea ſub *Vdalrico* ordines duxerat, omniaque viarum compendia & diuerticula, multo vſu cognita habebat, quomodò res ſe habeant, docent, ſi cum paucis aduolet, vel ipſum Cæſarem, vel præcipuos eius conſiliarios à defenſoribus imparatos capi poſſe, rem *Ladislao* gratam, nec ſine præmio. *Vitobitius* occaſione vtendum ratus, cum fida ſuorum manu accurrit, clàm oppidum ingreſsus, *Friderici* hoſpitium perſcrutatur, ipſum non inuenit, nam paulò ante monitus in aliud hoſpitium tranſierat, *Gurcenſem Epiſcopum, Io: & Georgium Vngnadios* & alios quoſdam capit. *Lazius* narrat *Fridericum* D. Maximiliani martyris beneficio ſeruatum: Filio poſt genito id nominis impoſuiſse. *Vitobitium* ferunt ab *Vdalrici* comitis obitu Cæſaris partes ſecutum priùs, inſtinctu eorum, quos dixi, fidem illi per literas renunciaſse, quas nondum redditas ipſum preueniſse. *Fridericus* poſtea Cilienſem comitatum in ſuam poteſtatem redactum, Stiriæ partem eſſe iuſſit.

Sal. Ann. 1457.

1458. *Cæſaris periculum.*

Maximiliani nomẽ cur inter Cæſares.

LADISLAI REGIS OBITVS. Anno 1458.

INterim Viennæ de vxore Regi deligenda, proceres conſultabant. *Præpotenti* (ait Bonfinius) *nobiliſſimo formoſiſſimoque adoleſcenti, ex toto orbe, à maximis Regibus, puellæ quotidie offerebantur. Virtus, forma, genus, & poteſtas faciebat, vt certatim gener ab omnibus expeteretur. Nulla, Magdalena dignior, omnium iudicio viſa eſt, Caroli Regis Galliæ filia, cui par ætas, genus, ac forma, morumque præſtantia ineſſe videbatur. Egregia legatione puella petitur, & affectata vtrinque affinitas approbatur. Sed de nuptiarum loco eſt oborta contentio: Vngari Budæ, Auſtrales Viennæ, Bohemi Pragæ nuptias celebrari cenſent oportere. Suam quiſque ſententiam, haud inualida ratione confirmat: Rex anceps & diuerſus aliquandiu tractus. Quamobrem Georgium Pogiebrachium, Bohemiæ Gubernatorem, cum octingentis equitibus, in Auſtriã ad Danubium vſque veniſſe memorant, magna ſe habere dictantem, quæ Regi communicaret. Traijcere Danubium, ac vrbem intrare iuſsum, continuò recuſaſſe, ac dixiſſe, Se Viennenſes ſemper ſuſpectos habuiſſe. Rogatum per internuncios, arcana quæ haberet Regis nunciaret, pertinaciùs abnuiſſe, ac affirmaſſe, Nemini ſe illa, præterquam Regi tãtùm, eſſe crediturum. Rex tandem victus, in tanta pertinacia, præter dignitatem Maieſtatis ſuæ, cum togato ferè trium millium equitũ exercitu, potiùs quàm ſagato, Danubiũ ad Gubernatorẽ traijcit. Inter bina caſtra, in vlteriore Danubij ripa, tabernaculũ ad ſingulare colloquium paratur. Dies quatuor colloquium habitum: primus dies, in ſalutatione ac obſequij & officij celebratione actus: altero, ac*

Sal. Ann. 1458.

tertio die, colloquio ſunt duo teſtes adhibiti: quarto demum, ſingulare colloquium celebratum eſt, vbi Rex cum Georgio tantùm fuit: de tranſitu

CXXVII. *a Bohemis vocatur in regnum.*

Regis in Bohemiam, agitatum fuiſſe putant. Quare quum nihil inter eos conueniret, Gubernator iratus & minabundus, in Morauiam receſſit. Rex ea nocte Viennam ſe recepit: cumque mox pœnitentia non parua ſubijt, Gubernatorem, in cuius manu Bohemici Regni ſumma foret, indignabundum dimiſiſſe. Quoſdam ex Optimatibus repentè dimittit, qui aut hominem reconciliatum traherent, aut ſi non poſſent, omnia Regem poſtulata facturum pollicerentur. Quum in Morauia Georgium adhibuiſſent, nec ab itinere reuocare, nec quicquam ab eius ſententia extorquere valuerunt. Regis igitur tranſitum in Bohemiam promiſere, celebrationem quoque nuptiarum, Pragæ futuram nunciarunt.

CXXVIII. *Bohemiã petit.*

Compoſitis in Auſtria rebus, cum ſingulari quodam apparatu, & longiſſimo Procerum ordine, Ladislaus in Bohemiam contendit. Quum Pragæ ad ſecundum lapidem appropinquaſſet, Rochezana cum frequenti impiorum ſacerdotum collegio, & multa hæreticorum turba, gratulabundus obuiam occurrit: de fauſto feliciqúe eius aduentu accurata oratione congratulatur. Limis contrà toruiſque oculis prophanam illam multitudinem Rex inſpicit. Quinetiam ſubmonente Pogiebrachio, vix gratias egit, & quaſi Maieſtatis ſuæ vultum eo incæſtaſſe ſpectaculo viſus eſt. Ad primum lapidem, Pragenſis baſilicæ ſacerdotes, Romanæ Eccleſiæ aſſertores, qui impia hæreticorum factione diu exularant, in occurſum venere, crucem & ſacra ferentes, diuinos gratulabundi rhythmos concinebant: quorum poſtquam congreſſum attigit, Veros, inquit, Dei miniſtros agnoſco. Saluete Patres ſacroſancti, quorum ſacris ac precibus humana ſcelera remittuntur. Mox equo proſiliens, oſculatam crucem præreuerenter adorauit: hæreticorum id animos admodum offendit, quippe qui non æquum ſibi futurum hunc Regem auſpicabantur, & hi præſertim, qui Rochezanæ fauebant: odium tamen pro tempore diſſimulatum, compreſſum eſt. Variæ deinde Pragæ Legationes decretæ, quum varia magni momenti negocia impenderent: in primis nuptiarum ſolennitas & apparatus, curandus hæreticorum morbus, Turcarum metus, & neceſſaria Imperatoris reconciliatio. Itaque legationes duæ à principio mißæ: vna, ad Cæſarem placandum, cuius princeps Eyzingerus erat: altera, ad Carolum Gallorum Regem, ſponſam ductura.

Ann. Sal. 1458.
CXXIX. *Legatio ad Cæſarem.*

In hac principatum Vdalricus geſſit Patauienſium Pontifex, opibus, auctoritate, moribus & doctrina præcellens. Hæc omnium quæ tempeſtate noſtra ſpectari potuere, præſtantiſſima eſt habita, cùm honeſtiſſimus hic Procerum nobiliumque ordo fuerit: in hac enim ex Principibus Vngarorum ducenti, ex Auſtralibus quoque ducenti, ac totidem ex Bohemis delecti ſunt: qui forma, habitu, nobilitate apparatuque pollerent, & quiſque Regno dignus videretur. E Patauienſibus, centum delegit Vdalricus: quare ſeptingenti equites, in Galliam, purpura, auro, gemmiſque ornatiſſimi abierunt. Item virgines & matronæ, quæ Regiam ſponſam ducerent, quadringentæ: ſplendidiſſimo cultu ac venuſtate omnes, præterea quadrigæ auratæ, gemmatæque: inaudita inſuper veſtium, donorumque luxuria. Tertia quoque Legatio, ad Calixtum Pontificem maximum deſtinata, quæ Sacerdotum lites in religione dirimeret, & ad Romanorum dogma redigeret Huſſitas. Quarta denique generoſi Regis ſollicitudo fuit, comparandi tanti in Turcas exercitus, quantus ad vindicandam à prophana ſeruitute iam Europam ſat eſſe videretur. Iam cum Imperatore conuenerat, ac regiæ inſano ſumptu nuptiæ parabantur: Auguſtus cum Auguſta, item ſorores ambæ cum viris, Hymenæi ſolennibus adfuturas ſe receperant. Præterea multi è Germaniæ Rhenique accolis Principes, è Gallia quoque complures Reguli: qui quidem omnes non ſolùm ad nuptias ſua præſentia honeſtandas, ſed ad decernendum in Turcas bellum, conuenire promiſerant. In tanta rerum omnium expectatione apparatuque vario, ô ſpes hominum fallaces, & inſtabilem humanæ vitæ conditionem, decimo calendas Decembres, duodecima noctis hora, ſæuo ac repentino morbo Rex corripitur. Aliqui peſtilentiæ ſigno, inguen intumuiße ferunt: nonnulli huiuſce morbi nullam ſuſpicionem fuiſſe affirmant. Cubicularij ac medici rem ita referunt: Regem, eo die in iudicio, non regali cultum habitu, ſed lintea ſubucula, & veſte Perſica præſediße: vt contentionem, quæ inter Pogiebrachium Coruahoramque

CXXX. *Moritur Ladislaus.*

Morauum interceßerat, ſanè dirimeret (quippe qui ea cauſa fuerant irritati, vt ad ſingulare certamen vltrò ſeſe prouocarint) neque in auditorio

torio

Ann. Sal. 1458.

torio vnquam ſubriſiſſe: fuiſſe triſti vultu, vnde futuram omnes ægritudinem auſpicabantur. Inter ſatrapas dimiſſo tribunali accubuiſſe, nonnulla grauiter & compoſitè loquutum: relatum in cubiculum, quinta noctis hora oblatas ſibi rapulas qui in Bohemia dulciſſimæ ſunt, auidè deuoraſſe, bibiſſe ſicerã: & prius quàm ſe lecto deponeret, nonnulla cum amicis verba, relaxandi animi gratia, lepidè ſalſeque feciſſe. Mox oratis ex more numinibus, dixiſſe: non mediocri ſe ſtomachi dolore laborare. Et quum illi ad ſomnum hortarentur, quem ad abigendum dolorem nimium valere dicebant, ad horam dormiuiſſe. Iam decimatertia noctis hora agebatur, quum ægritudinis grauitate experrectus, nullam ſibi quietem poterat inuenire. Verùm quum mitiſſimus foret, ne cubicularijs moleſtus eſſet, in lucem vſque dolorem pertulit. Conuocantur medici, omnemque operam in deſperata ſalute fruſtrantur. Georgius & ipſe quoque accitus, quum veniſſet, & morbi cauſam percunctatus, bona ſpe Regem eſſe iuberet, Tua iam pridem (inquit) mi Georgi, fides ac virtus ſpectata fuit, tuo me Regem beneficio Bohemi vocant, tenentque: ſperabam quod paraueras, vnà me tecum diu potiturum: obſtant diuorum numina, in quorum manu ſunt omnia iura Regnorum: proinde mihi moriendum eſſe ſcito, & conditionem melioris vitæ ſubeundam. Ita vixi, vt optimè ſperare liceat, intempeſtiua morte haud quaquam plus æquo commoueor, quando pro terrenis mihi cæleſtia rependentur. Quum omnino mihi moriendum ſit, duo ſunt, quæ à te peto, antequam ex hac vita decedam: quæ quidem, quamuis mihi beneficij maximi loco ſint habenda, fas tamen & æquum, ac mea in te priſtina charitas, te facere iubet. Alterum eſt, vt Regnum à te recuſatum, iuſtè pieque gubernes: pupillis, viduis, cæteriſque miſerabilibus, iuſticiam & patrocinium promptum accommodes. Alterum eſt, vt quicumque me à Pannonijs, Auſtria, cæteriſque prouincijs hucuſque ſequuti ſunt, inuiolatos incolumeſque dimittas. Quod ſi feceris, quo referenda gratia, me propitium Seruatoris noſtri tibi numen apud ſuperos redditurum eſſe polliceor. Quum apprehenſa ſemper hæc manu dixiſſet, Pogiebrachius lachrymas continere non potuit, & aliquantiſper eum conſolatus, ſe poſtulata facturum, data fide promiſit. Iam increbreſcente morbo, mors inſtans, ſacra humanæ emigrationis officia feſtinabat. Acciti ſunt illico ſacerdotes, qui emigraturam dudum animam ſancto viatico, & myſtico apparatu ritè communirent. Omnia ornamenta Regia, Pragenſi baſilicæ legantur; aureos crines, quos ad huiuſce hucuſque vitæ vanitatem, ſe geſſiſſe fatebatur, omnes amputari iuſſit, ne quo in nouo itinere offendiculo præpediretur: qui adſtabant, varias ſubiecere cauſas, quibus mandatum eluderent.

Sal. Ann. 1458.

CXXXI. Eius pietas.

Is autem, vt animam iamiam emigraturam intellexit, ſacram facem petijt: qua prompta manu iam apprehenſa, propoſitam noſtri Seruatoris imaginem intuens, dominicam orationem exorditur: & quum ad nouiſſima verba perueniſſet, nil vltrà loquutus, ſpiritum veluti quieturus efflauit, nullamque diræ mortis indicium edidit. Ladiſlaus igitur, quem Delicias orbis appellabant, maxima quaque nobilitate præcellens, adoleſcens fauſta & incomparabili pulchritudine, ſapientia præcoci, tot Regnorum & prouinciarum dominus, tantis opibus & honoribus præpollens, in ſummo omnium rerum faſtigio collocatus, manſuetudine & clementia ſingulari, caſtitate, rara, annos natus duodeuiginti, horarum ſex & triginta ſpacio, poſtquam ægrotare cœperat, anno verò Salutis quadringenteſimo quinquageſimooctauo ſupra milleſimum humanis exceſſit; non ſine perpetua cunctarum gentium commiſeratione. Ad decentem corporis proceritatem creuerat: facies illi fuit venuſtatis inauditæ, oculi nigri, ſerenus ac felix aſpectus, candidus color & ſubrubeus in roſarum morem, coma vſque adeo aurea, promiſſa, criſpaque vt cæleſtem quendam ori decorem adijceret: naſus addecens & ſubaquilinus, lineamenta corporis & membra cuncta formoſiſſima. Nihil in ipſo fuit, quin aliquid raræ præſtantiæ redoleret: in inceſſu grauis, in loquendo perhumanus & benignus eſt habitus. Aliqui morbo, veneno alij, ſubreptum fuiſſe affirmant, & Teuthones præſertim medici, qui præcipuam curam corporis gerebant, hi euidentiſſima veneni ſigna in eo deprehendiſſe, poſtquam in Auſtriam rediere, pertinaciter aſſeuerabant: in aliena terra ſe nihil dicere auſos, ne illorum animos læderent, quorum ſcelere ille perierat. Quinetiam ſe Regi clàm dixiſſe affirmabant, veneno eſſe potionatum: illum contra reſpondiſſe, Se id non latere, immo ſilentium

Ann. Sal. 1458.

lentium indixiſſe, ne vnà cum ſuo Rege enecarentur. Senatus Viennenſis edicto grauiſſimo, ne Bohemicam in ſe ferociam irritaret, eam famam inhibuit, medicos admonuit, ne ſua dicta confirmarent. Res tamen vbique veneni ſuſpicione non caruit: cuius quidem auctorem, Georgium fuiſſe rumor erat: qui Viennam profectus, quum ſuſpectum Regem haberet, vrbem iuſſus ingredi noluerit, & Coruini, Ladislaique filij exemplo, ſibi præcauendum eſſe intelligebat. Accedebat Rochezanæ odium, quem publicè ſacra ferentem, Rex (vt ſuprà dictum eſt) aſpernatus, non mediocri affecerat ignominia. Quibus quidem coniecturis, vterque Regiæ mortis crimine carere non potuit. Quin & illam ea tempeſtate famam nemo eſt, qui ignoret latè diffuſam, Regem Pragæ ideo nuptias celebrandas eſſe decreuiſſe, vt quum in illa celebritate, frequentiſſimus illic potentiſſimorum Principum conuentus futurus eſſet, inita conſpiratione, hæreticos omnes facilè caperet, & profanam Huſſitarum hæreſim prorſus extingueret. Quod quum Pogiebrachio & Rochezanæ nunciatum foret, audaciſſimum pro ſalute ſua facinus molitos, extemplo Regi inſidias obtendiſſe, vt pari dolos arte fruſtarentur. Vtrum potius affirmem, haud facilè dicere auſim: ea in medium afferenda cenſui, quæ alij dicerent, & ſentirent. Illud tamen omnibus manifeſtum eſt, Georgium ac reliquos Bohemiæ Proceres, præter Rochezanam, ingenti mœrore fatum regium deploraſſe, vniuerſamque Bohemiam publico luctu & triſtitia celebraſſe, quem ad ſeptimum calendas Decembres continuatum fuiſſe memorant. Funus regali pompa elatum, neglecta per vrbem circumectio, ex more maiorum: corpus demum in antiquorum ſacellum relatum eſt, & in diui Caroli Quarti Romanorum Imperatoris gremio collocatum. Promulgata Regis morte, omnes ferè Europæ Principes, aut in commiſerationem, aut in triſtitiam conuerſi ſunt. Hos ætatis, potentiæ, expectationis & fortunæ commiſeratio ſubibat: illos autem, ad quos luctus propius attinebat, priuatio boni, iuſti & ſancti Principis ſummo dolore cruciabat: & in primis Auſtrales, qui natiuum dominum, quem cruento bello repetierant, per mortem immaturam amiſerint, item in Frederici manus recidere cogerentur, quem prius hoſtem habuerint. In Vngaria non pari mœrore certatum, iniquus enim Ladislai Comitis interitus, hunc è pectoribus omnium abegit: præterquam eorum, qui Coruinus infenſi, regias olim partes ſequuti fuerant. Carolum Galliæ Regem, præ cæteris, grauiſſimus dolor inceſſit, Ladiſlai ſocerum, & nuptias propediem fauſtiſſimas celebrare ſtudentem: eo quo Pariſium die, ornatiſſima illa Legatio ingreſſa eſt, antequam conſideret, repentino de Regis interitu tabellario admonetur. Quo nuncio conſternata, quum clam Regi Carolo generi necem ſignificaſſet, tanto Principem illum dolore correptum fuiſſe aiunt, vt neque reſponſum dare, neque triſtiſſimam illam abeuntem alloqui potuerit. Nec fortaſſe minor in Gallia, quàm Bohemia luctus, ex corde agitatus eſt. Soluta Legatione, ad domum quiſque ſuam mæſtus redijt.

Ladiſlao vita functo, tres omnino hæ-
redes ſupererant, pari ipſum agnationis
iure contingentes; *Fridericus* Imperator CXXXII
Albertus VI. eius frater, ac *Sigiſmundus* Ti-
rolenſium Princeps, vtriuſque patruelis.
Inter hos de diuidenda hæreditate, magna
excitatur controuerſia, *Fridericus* enim na-
tu maximus, Auſtriam ad ſe trahere niteba-
tur. *Albertus* verò ſuorum conſilijs inſtru-
ctus, ſatis illi prouinciarum eſſe dicebat,
primigeniorum iura in paternæ hæredita-
tis diuiſione prò eo nimium valuiſſe, ſui in
alijs & *Sigiſmundi* rationem eſſe habendam; CXXXIII.
ad hæc tranquiliorem Reipub. ſtatum illic
eſſe, vbi princeps ſuis adeſſe poſſet, neque
ob multitudinem prouinciarum nunc hos,
nunc illos adire, & maximè ferè negocia
per præfectos adminiſtrare cogeretur. *Fri-
derico* præter paternam hæreditatem, im-
perij molem incumbere, cui vni, parem
ſi præſtiterit, ſatis in ea laboris ac nego-
tij inuenturum. Hæc agebat *Albertus* com-
muni *Sigiſmundi* nomine, autumans quòd
Sigiſmundo miti ac placido ingenio, Ti-
rolenſium gubernatione, Sueuicis, ac Hel-
ueticis negotijs impedito, Auſtria ſibi fa- CXXXIV.
cile cederet. Interim Auſtriaci, coacto *Auſtria nulli paret*
conuentu, cum de obſequio Principibus
præſtando, exquiſitæ eſſent ſententiæ, om-
nes vno ore pronuntiarunt, nulli eorum

obe-

Sal. Ann. 1458. obediendum eſſe, quoad ipſi eſſent diſcordes. Igitur prouincia nulli commiſſa domino, rapinis crudelius quàm antea vexari cœpta. Dum hæc in Auſtria, Bohemi
CXXXV *Ambitus pro corona Boemiæ.* Pragæ comitia Regi creando habuere. Competitores fuere, *Fridericus* Imperator, *Albertus* & *Sigiſmundus* Auſtriaci, *Caſimirus* Rex Poloniæ, & *Gulielmus* princeps Saxoniæ. Aderant & Gallorum legati, quibus ſpem fecerat *Idenco Stembergicus* legatus. *Georgius* verò *Podiebradius* ad regnum aſpirans, prudenter cauerat, ne quiſquam legatorum in concilium admitteretur, antequàm Rex eſſet declaratus. Iam enim quid peterent, non latebat. Imperator ex veteri pacto inter Bohemiæ Reges, & Auſtriacos, regnum non tam ſibi, quàm aut fratri, *Ann. Sal. 1458.* aut patrueli quærebat. Polonus, & Saxo, quod minorem hic, maiorem ille *Ladislai* ſororem ambo haberent, vxorum ius hæreditarium aſſerebant. Galli nullum ius, nulla fædera, ſed ampliſſima ferebant promiſſa, ſi Regis ſui *Caroli VII.* cognomento *Victoris* filium *Ludouicum XI.* eligerent, omnia regni CXXXVI. *Gallorum oblatio.* debita perſoluturum, ante finem ſeptimi anni, nihil tributi exacturum, omnia regno ablata ſuo Marte, ſuiſque ſumptibus recuperaturum. Hos ſi comitia audiſſent, ob gloriam *Caroli*, qui felix à confinibus ſuis Anglos propulſarat (à quibus ipſis dicebatur *Gloria Francorum, lumen, & reparatio*) voti compotes receſſiſſent.



Antequàm in ſuffragia ventum eſt, quibus in domo Prætoria veteris ciuitatis deſignatus erat locus, in proximum templum ordines ſupplicatum iuere, vbi Rochezana clamitare factio cœpit, *non peregrinum, ſed indigenam Regem eligendum; ſi nemo tanto munere dignus inueniatur, Hebræorum ad iudices, aut Romanorum more, ad decemuiratum eſſe redeundum*. Poſtquam regalia aduenere, *Georgius Podiebradius*, domi foriſque præ- CXXXVII *Podiebradius Rex.* clarus, iam ætate grauis, & conſilij compos, Rex Bohemiæ declaratur: quod patrati paulò ante veneficij crimen confirmauit.

MATTHIAS CORVINVS REX HVNGARORVM. Ann. 1458.

CXXXVIII *Matthiæ Coruini effigiem vide ſup.* POſtquàm in Hungaria nunciatum eſt, *Ladiſlaum* repentina morte fuiſſe ſubreptum, & *Matthiam Coruinum* ad *Georgij Podiebradij* manus perueniſſe, fluctuabant Hungari, & aduerſus Germanos vindictam de *Ladislao Coruino* meditabantur. Aderant inter eos *Michael Zilagius* Coruini auunculus, *Thomas Zechel* Auranæ præfectus, *Sebaſtianus Roſgonius*, *Ladislaus Caniſa*, *Pancratius Zentmiclus*, qui *Ladislai* ſupplicio non conſenſerant. Qui ex altera factione erant, Budæ in arce ſua & ipſi conſilia agitabant,

Ann. Sal. 1458. bant, quorum Principes fuiſſe memorant. *Ladislaum Garam*, comitem Palatinum; *Nicolaum Vilachum* Croatiæ præfectum ſumma nobilitate pollentem, & Coruini nominis æmulatorem: *Paulum Linduanum*, Bani filium. *Michael* verò *Matthiæ* auunculus, magno exercitu Peſthum adducto, ſi qui minùs vellent, eos vi & mortis metu facile adigebat, vti nepoti *Matthiæ* ſuffragium darent: Is tum Pragæ apud *Podiebradium* in libera cuſtodia erat, necdum ſuæ libertati reſtitutus. Viennam à *Ladislao* Rege deductum, antea meminimus. Ibi cum relictum ſciret *Georgius*, quo tempore Rex animam agebat, detracto illi ſigillo literas ſignauerat, quibus Viennam miſſis, *Matthias* Pragam perductus eſt. Sciebat enim *Georgius* non paruo pretio à ſuis redimendum, iamque per internuncios ſexagies mille aureum offerebant. Vbi verò ab Hungaris Regem electum *Georgius* ſciuit, menſæ ſuæ adhibitum, ac (vt *Bonfinius* refert) ſupra ſe collocatum interrogare cepit, *ecquid tandem præmij accepturus eſſet, ſi fælici ac inſperato ipſum nuncio bearet?* Mathias re ſubita perculſus, *nil mihi Rex* (inquit) *libertate lætius eſſe poteſt, quam ſi conceſſeris, perpetuam, ſi potero, gratiam, etiam quamcunque petieris, me recipio relaturum.* Qui in aliena manu ſunt, quando cogi poſſunt, iuberi, non exorari debent. Tunc iſte, *Salue* (inquit) *Mathias Rex Hungarorum, ſalue Pannoniæ Princeps, diuino potiùs quàm humano ſuffragio declarate. Te Hungari Regem, propter immortalia diui patris tui beneficia, propter generoſam tuam indolem, & ſpem ingentem, quam ex te conceperunt, vltrò Regem ad campos Rachos declararunt, vt à Coruino quondam liberati fuere, ita nunc à Coruinis etiam reliquijs, in poſterum liberentur. Te ſub diuina tutela fuiße non ambigo, te Deus ad tanti Regni faſtigium idcirco reſeruauit, vt non modò paterna veſtigia imitari, ſed data tibi maiori poteſtate, illius gloriam ſuperare poſſes. In menſa te mihi idcirco præpoſui, vt te Regem longè potentiorem factum eſſe intelligeres. In pari hoc anno fortunæ dexteritate verſamur, vix menſes tres interceſſere, poſt Ladislai Regis obitum, vtrunque noſtrum, ad dignitatem Regiam diuina clementia (vti vides) euexit: vtranque domum tanti decoris expertem, vſque adeo illuſtrauit, vt immortales Deo gratias debeamus: atque ſi viri eſſe voluerimus, perpetuæ comparandæ gloriæ occaſione non caremus. Proinde age (quæſo) perpetuum inter nos fœdus, Matthias, percutiamus, percußumque ſacroſancti coniugij vinculo ac pignore ſanciamus, mutuis noſtra Regna conſilijs & auxilijs tueamur. Quippe turbulenta ſunt ſtudia hominum, varia, voluntateſque admodum inconſtantes, ambitione, inuidia nouitateque nobilitas & plebs iuxta laborat. Quare gnatam, Coruini thoro non indignam, nunc data fide, te vxorem ducturum eſſe recipito, cum dulciſſima coniuge imperato, ad extremum Matthias fili liber eſto: & quando Regnum adeptus es præpotens, & opulentiſſimum, tuum ſocerum, tuæ ſalutis & libertatis auctorem, quo fauſtiſſimi coniugij graues ſumptus faciliùs ſubire poſſit, ſexagies mille aureum, à tuis me patienter accipere tolerato. Poſtulatis Matthias annuit,* & maiora quoque conceſſiſſet, dummodo ſe in libertatem aſſereret: quin & gratias egit, cuncta quæ petierat, inuiolata ſe fide præſtiturum eſſe recepit.

Mathias Coruinus Rex.

Dec. 3. lib. 9.

Ann. Sal. 1458.

PAX INTER AVSTRIACOS. Ann. 1459.

CXXXIX. MAthia Hungaris Rege dato, Auſtriaci proceres, Principum animos in concordiam redigere omni ſtudio conabantur. Cumque Viennam veniſſent, Imperatori priuatæ *Petri Straſſeri* ædes, *Alberto* Pragenſis domus aſſignata eſt, *Sigiſmundo* Laurentius Haydemus vrbis conſul, & antiquæ familiæ patricius hoſpitiũ præbuit. Arx Vienneñſis, propria Principis ſedes, firmo prouincialium tenebatur præſidio, nulli aperienda, priuſquàm conuenirent, ſed in caſſum *Friderico* iure ætatis præcedentiam aſſerente, *Alberto* autem ex iure gentium, ſanguini ęquam deberi hæreditatem orante. Dilato itaque conuentu ad finem Ianuarij, ſelecti ſunt præcipui nominis viri, quorum arbitrio componeretur diſſidium. Quo minùs id fieret, in cauſa fuit exaſperatus *Alberti* animus, qui in arcem admitti poſtulans, cum nihil impetraſſet, minitabundus ad Rhenum abijt, copias paraturus, vt quod minus iure poterat, armis tentaret.

C AE-

Ann. Sal. 1459. CAESARIS EXPEDITIO IN HVNGAROS. Ann. 1459. Ann. Sal. 1459

CXL. TRia ab initio Regni *Mathiæ* fortuna propoſuit. Alterum cum Romano Cæſare, alterum cum Turcarum tyranno, tertium cum Bohemis, qui initis inter ſe ſocietatibus, quas (*Fratrias*) appellabant, duce *Giſcra* vlteriorem populabantur Pannoniam. Ad Cæſarem legatos *Mathias* miſerat, qui ſacram regni coronam, eaque loca, quæ ab illo tenebantur, repeterent, reddere nolenti bellum nuntiarent. Inſtigabant *Fridericum* aſſiduis literis reguli quidam, qui *Mathiæ* electioni aduerſabantur, vt nobiliſſimum Hungarorum regnum ab ignobilis *Mathiæ* dominatu vindicaret. Erant hi, *Nicolaus Vilachus*, *Graphnizer*, *PaumKircher*, *Hilderbon*, *Paulus Banffi*, *Ladislaus Palezius*; Item Comes *Sigiſmundus*, cui *Sancto Gregorio* cognomen erat, genere, opibus, clientelis clariſſimus: quum inter Hungaros, & Auſtrales dominatum teneret, Cæſari adhæſit.

CXLI. *Fridericus eligitur Rex Hungariæ.* Sunt qui *Fredericum* ab illis Neapoli regem Hungariæ creatum affirmant; eo die quo canitur *Lætare Hieruſalem*, Imperij, poſtea eodem die Hungaricam ſuſcepiſſe coronam. Hæc vbi *Mathias* accepit, *Simonem* cognomento *Magnum*, vt *Friderici* inhibèret conatus, in Auſtriæ fines imittit. *Fridericus*, huic *Vdalricum Grauennegerum* oppoſuit, cui *Nicolaus* ac alij ſeſe coniunxère. Qui cum ad oppidum *Kermend* in Caſtri ferrei comitatu metati eſſent, *Simon* non explorato hoſtium numero, celeritate vſus, & nec opinato aduentu obrui poſſe ratus, in ea loca venit, vti cum periculo pugnandum, aut cum flagitio fugiendum eſſet. Statuit igitur prælio decernere, cum hoſtis pugnam non detrectaret. In ſiniſtro cornu *Sigiſmundus*, in dextro *Nicolaus* curabat, medium agmen ex Germanis erat. Magno vtrinque impetu concurrère, non minùs prò gloria, quàm prò ſalute. Tandem *Simon* dextrum ſuorum cornu inclinari videns, mediamque aciem à Germanis grauis armaturæ equitibus vrgeri, fugam coactus inijt, equitatum à tergo hoſtibus obijciens, qui perſequentium impetum nonnihil tardaret. Quo pauciores in fuga cæderentur, in cauſa erant *Nicolaus* ac *Sigiſmundus*, qui nè à Germanis in Hungaricum ſanguinem ſæuiretur, receptui ſignum canere iuſſerunt. Non incruenta tamen Cæſarianis victoria ceſſit. CXLII. *Hungaros. Cæſar vincit.*

Non multis diebus poſt, naſcitur *Friderico* filius, XXII. die Martij, qui eo anno cœnæ domini ſacer erat. *Cuſpinianus* duodecimum eius menſis ponit, quo *D. Maximiliani* recurrit memoria. 1459. Sacro de fonte à *Nicolao Vilacho* ſuſcipitur, ſacra peragente *Sigiſmundo VolcKenſdorffio* Præſule Salisburgenſi, & *Maximilianus* appellatus. *Maximilianus naſcitur.*

Simon fuſus, fugatuſq; ad *Mathiam* redijt. Cæſarei victoriâ elati in Auſtriam ſolutis caſtris redière. Quum Regij milites, *Simonis* ductu parùm proſperè pugnaſſent, tantâ verecundia correpti ſunt, vt ſe à Rege decimari poſtularent. Hos ille hilari vultu excipiens, conſolabatur, fortunam eſſe inconſtantem, meliora ſperarent. Rex nequaquàm animo conſternatus, auxilium ab arte quærit, conſpirationem diſſoluere curat, ratus funem ex pluribus contortum funiculis, niſi diſſoluatur, non facile abrumpi. Potiores conſpirationis Principes, *Sigiſmundum*, & *Nicolaum* per legatos admonet, *nè vltra Rempublicam perdant: honeſtiùs congentili ac legitimo Regi, quàm peregrino fauendum. Domi ampliſſima munera eſſe, & commune cum Rege imperium: ſe Regalem præter titulum à Repub. traditum nil ſibi reſeruaturum*. Aſſiduis huiuſcemodi legationibus ſollicitati, vincuntur tandem, & Regiam redeunt ad fidem. CXLIII. *Reconciliantur rebelles.* *Mathias* ab ineunte ætate callidum ſortitus ingenium, *Nicolai* ambitum promiſſa Boſſonienſis regni corona expleuit. *Sigiſmundum* præfectura ſuperioris Pannoniæ ſibi conciliauit. Bellum deinde inſtaurat, *Sigiſmundum Simoni* collegam adiungit, qui Cæſarianos aggreſſi, ſatis fæliciter rem gerunt. *Fridericus* nouas & ipſe copias parat, bellum pergere ſtatuit. *Mathias* de regia corona ſolicitus, noua iterum legatione, Imperatoris animum ſibi conciliare experitur. Moderato, ac leni ſermone legatus *Fridericum* orat, *Hungaris coronam reddat, Mathiam vt filium agnoſcat, regni tutelam ſuſcipiat, pacem & fœdera colat, neque poſt*

Ann. Sal. 1459 hac *Hungari, diſſonent & Germani*. Imperator reſpondet, *pacem ſibi ac fœdus cordi eſſe, Mathiam ſe filij loco habiturum, coronam æquis conditionibus redditurum, damnis ac belli incomodis, ſumptibuſque prò Ladislao factis ſi ratio reddatur, bello temperaturum. Interim Mathias & ipſe nihil hoſtile admittens, veteres amicos per Hungariam regia humanitate proſequatur*. Eo demùm pacto Legati dimittuntur, vt de rependendis impenſis, ac redimenda corona, cum Rege agerent. Sal. Ann. 1459.

CXLIV. *Induciæ inter Cæſarem & Mathiã.*

CAESARIS ET ALBERTI FRATRVM DISSIDIA. Ann. 1459.

VIennam profectus *Fridericus* vt fratris *Alberti* arcana confunderet, obuium habuit *Ludouicum Palatinum*, vt fratres conciliaret, ſed fruſtra, *Alberto* ac *Sigiſmundo* æqualem Auſtriæ diuiſionem vrgentibus. Quorum poſtulata non æquis auribus accipiebantur, quia pleriſque Auſtriam diuidi non placeret. Quod animaduertens *Albertus*, quò ſuos confirmaret, ac reliquis metum incuteret, mille quingentos equites, quos in agro ſuburbano habebat, effractis portis, intromiſit. Cæſar id futurum veritus, antequàm in vrbem veniret, cum Viennenſibus nè permitteretur, pactus fuerat. Igitur nouitate motus in Viennenſes expoſtulat. Hi ſe ſe excuſant, præſidia & vigiles ex ciuibus aſſignant, diſcedere volentem exorant, omnia tuta fore promittunt. Cæſar contra ſubitos incurſus, proximas plateas catenis munit, præſidia diſponit. Prouinciales maiore ſtudio concordiam ſollicitantes tandem eò rem adducunt, vti Cæſari Auſtria inferior vſquè ad Anaſum relinqueretur, ea quæ ſupra eſt, *Alberto* cederet; *Sigiſmundo* ſuperior Carinthia, Tiroli contermina; in arce Viennenſi ſuum quiſquè hoſpitium, ſeorſim ab alijs haberet. Non diù tamen ibi Cæſar conſedit, quia ſatis tutum ſe eſſe non putaret, noua *Alberto* moliente. Neapolim redijt. *Albertus* verò quietis neſcius *Vdalricum Eitzingerum* tumultus improbantem, ad colloquium vocatum, capi iubet, crimina fingit, vt violentiæ fucum imponeret. Fruſtra intercedentibus prò *Eitzingero*, Hungariæ ac Bohemiæ Regibus, bellum per *Eitzingeros*, indicitur. Ad quinque hominum millia in ſuppetias Bohemi venerant, & cum maiore exercitu, Regem aduentare, rumor erat. Proinde *Albertus* concordiam cum Cæſare ſibi expedire ducens, ei interpellanti de *Eitzingeri* cauſa? *Albertus* totam eam rem ipſius ſe arbitrio permiſſurum pollicetur. Miſſis itaque Viennam legatis, Viennenſes iuramento ſoluti, quo *Alberto*, & *Sigiſmundo* obſtricti erant, *Friderico* Cæſari, eiuſque hæredibus fidem iurant & obſequium. Interim Rex Bohemiæ in Auſtriam progreſſus, propè Cremeſium caſtra metatur. Ad eum Cæſar mittit, Sciſcitatum, cur illæſus hoſtilia ageret? Ille nihil ſe Imperatori incomodare reſpondet, *Alberti*, qui hoſtis eſſet, ditionem inuadere. Legati iam iure cecidiſſe *Albertum*, Imperatori omnia renunciaſſe demonſtrant. Tum Bohemus interlocutiones ad Danubij pontem petit: annuunt legati; & die conſtituto, Cæſar cum *Georgio* Rege congreſſus, omnia componit. Numerantur Regi ſexdecim aureum millia, pro *Cunrado Holzelio*, quem is Pragæ captiuum habuerat, vt Auſtriæ finibus excederet. Quod vt minus prouinciæ damni inferretur, in tres exercitus diuiſi receſſere Bohemi. Inde cum *Eitzingeris* tranſactum, vt vtrinque redderentur captiui, arces, pagi, prædia bello capta ad veteres redeant iure domnios. *Vdalricus* abſque lytri perſolutione liber fratribus exhibeatur, vindicta remittatur, idque literis caueant. Si ipſi, aut *Albertus* iure experiri malint, liceat ſecundùm leges Auſtriæ, & Imperij. *Alberto*, vt tandem quieſceret, duo inſignes comitatus *Styræ* ſcilicet, ac *Neoburgi* ad Oenum, cum oppido *Pontis* ad Leytam veluti corollarium adiecti fuere.

CXLV.

CXLVI. *Pax inter Auſtrios.*

CXLVII. *Albertus Eitzingerum capit.*

CXLVIII. *Podiebradius meruet in Auſtriam*

CXLXIX. *Pax cum Eitzingero.*

BEL-

BELLVM IN TVRCAS.

CL. *Æneas Syluius Papa.* MOrtuo *Calixto* Rom. Pontif. *Aeneas Syluius* in locum eius electus eſt Sal. Ann. 1458. & dictus *Pius II.* Inter curas, quæ animum eius inuaſere, nulla maior fuit, quàm vt in Turcas Chriſtianam excitaret Rempublicam. Quamuis enim ſedente *Calixto* Mahometes à *Coruino* magnam ſtragem perpeſſus eſſet, & caſtris deiectus, non tamen aut animum, aut odium in Chriſtianos remiſerat, ſed nouos in diem comparans exercitus, nunc *Albanos*, nunc alios, qui Chriſtum colerent vexare adortus, vt S. Euangelium deleret prorſus. CLI. *Conciliū Mantuanum.* Timuit *Pius*, & nè peſtis graſſaretur vlteriùs, Concilium Principum cogere decreuit, in quo de communi ſalute conuenirent. Mantua ſelecta, Profectionis vulgato decreto, Romanos ingens mæror affecit, ſuſpicantes Mantuanum fingi conuentum, vt in itinere Senis remoraretur, & Senas patriam ſuam ditaret. Reddebant etiam iter Præſulis difficilius ac periculoſius, res Siculæ nondum compoſitæ.

CLII. *Ladislaus Rex Neapol.* Mortuo *Carolo Dyrrachino*, eius filius *Ladislaus* cognomento *Superbus* decenni maior, Rex Neapoli proclamatur (Iſille, qui plerîſque Francis *Lancelotus* dicitur) *Thomas* autem *Sanſeuerinas* caput partis Andegauenſis, vnà cum fautoribus *Ludouicum* filium *Ludouici* in Apulia mortui Regem, & *Clementem* Papam plaudentes, (*Margareta* Ladislai matre Caietam ſe ſe cum liberis recipiente) tam Neapolim, quàm regnum vniuerſum in ſuam poteſtatem redegerunt. CLIII. *Ludouicus Andegau Neapol. occupat.* Morte poſtea *Vrbani*, ſorte mutata, *Bonifatius IX. Ladislaum* corona redimi, mandauit Cardinali *Acciaiolo*, regnum tamen occupante *Ludouico II. Andegauenſi*, qui Anno 1401. proditus à *Sanſeuerinatibus*, regnum deſerere coactus eſt; non tamen ſine puſilli animi nota, cum etiam poſt deditam à ciuibus *Ladislao* Neapolim, maior pars regni ab eo ſtaret; quod poſt eius in Prouinciam abſceſſum, totam in poteſtatem *Ladislai* peruenit. *Ladislao* infeliciter mortuo, ſoror *Ioanna* huius nominis *Secunda* regnum tenuit, fœmina effrenatæ impudicitiæ. CLIV. Hæc *Ludouicū Andegauenſem* in filium adoptauerat, quem poſtea cum aſpernari cæpiſſet, atque *Alphonſum Aragonum* Regem ex Hiſpania in regni ſucceſſionem vocaſſet, plura inter *Ludouicum* & *Alphonſum* prælia fuere.



CLV. *Renatus Andegauenſis & Alphōſus Aragon.* *Ludouico* tandem febribus extincto, ius eius ad *Renatum* fratrem deriuatum eſt. Regina modò *Alphonſum* diligente, modò habente odio: ea defuncta Anno Sal. 1435. *Renatus* in regnum veniens, non paucis annis aduerſus *Alphonſum* dimica-

 uit,

Sal. Ann. 1459. uit, victus tamen abijt, & ab *Eugenio* Papa *Alphonſus* regnum conſecutus, in gratiam Romanæ Eccleſiæ, quæ ei regnum tradiderat,
CLVI. *Franciſcum Sfortiam*, qui Picentes ab Eccleſia deficere coëgerat, armis expulit, & Prouinciam *Eugenio* pacatam reddidit. Cumque *Alphonſo* vnicus eſſet, ſed adulterinus filius *Ferdinandus* nomine, quem ex nobili femina, ſed coniugata procrearat, natalium defectum ſupplente *Eugenio*, regni declaratur ſucceſſor. Idem confirmauit *Nicolaus*
CLVII. *Ferdinãdus Aragonius.* Papa, cui *Calixtus III.* ſucceſſit, à quo cum *Alphonſus* plura quàm par erat, peteret, iſte negaret, graues exortæ ſunt inimicitiæ, quæ ad finem vſque vitæ vtriuſque durarunt. Obijt prior *Alphonſus* quadraginta diebus, quod audiens *Calixtus* humanæ illacrymatus conditioni, cum Propheta riſit, dicens, *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*. Ferdinando verò regnum petenti paternum, negauit, iam deuolutum Romanæ aſſerens Eccleſiæ; eratque eius animi, vt illud armis vindicaret, ni fuiſſet morte præuentus.
CLVIII. *Picininus.* Interea *Iacobus Picininus*, bello clarus, qui *Alphonſo* & *Ferdinando* militauerat aduerſus *Sigiſmundum Malateſtam*, hoſte dimiſſo, Aſſiſium occupauit, munitam Vmbriæ ciuitatem. Gualdenſes, & Nucerini quoque ad eum defecerunt. Tota Vmbria tanto imminente hoſte trepidabat. *Pio* autem electo, ſubitò hominum animi erecti, & paucis diebus vniuerſum Petri patrimonium iam venditũ, & ab hoſte occupatum, vel ferro, vel auro redimeretur. Non deſiſtebat tamen *Picininus* in Eccleſiam contumaciter agere. Hunc vt reprimeret *Pius*, militum, & pecuniarum inops, quia *Calixtus* Pontifex in vnum *Borgiam* theſauros Eccleſię conſumpſerat,
CLIX. *Franciſcus Sfortia Eccleſiam defendit.* *Franciſci Sfortiæ* Ducis Mediolanenſis implorauit auxilium. Alacer is accurrit, & *Thomam Thebaldum* Bononienſem oratorem miſit, hortatum, vt à cœptis deſiſteret, Eccleſiæ oppida reſtitueret. Non enim paſſuram Societatem Italicam, Romanam Eccleſiam iniuria affici. Quod ſi cæteri eſſent paſſuri, ſe ſolum vindicaturum. Simul & *Ferdinandum* admonuit, vt rebus ſuis apud Pontificem non deeſſet. *Picininum* rebus Eccleſiæ excedere iuberet, ſi regni poſſeſſionem exambiret. Miſit Romam *Ferdinandus* legatos, oratum nè *Pius* amici *Alphonſi* filium ſperneret, nec paternum regnum negaret ei, quem populi omnes peterent. Reſpondit Pius, *cenſum debitum Romanæ ſoluat Eccleſiæ. Eius amicis* CLX. *Ferdinãdus à Papa regnum petit.* *pacem donet. Picininum agro Eccleſiæ iubeat excedere. Beneuentum reſtituat. Terracinam poſt annos decem tradat. His factis, propitiam habebit Eccleſiam Ferdinandus.* Duræ leges videbantur Regi; ſæpè miſſi oratores, vt Pontificem ad pauciora inclinarent. Quibus reſponſum, *Pium haud quaquam mercatorem eſſe, qui multa petat, vt parua reportet*. Victus itaque *Ferdinandus* cum Pontificis vna ſemper vox eſſet; In Collegio Cardinalium res CLXI. *Æneæ conſtantia* deducta, Ferdinando regnum concedi, vtile crediderunt. Galli ipſi conſenſere, non ſubſcribere tamen impetrarunt. Obſtabat *Decanus Carnotenſis*, Regis Franciæ legatus, vnà cum Maſſilienſi Epiſcopo, qui à *Renato* miſſus erat, & ingentibus promiſſis Curiam replebant, ſi audirentur: ſin minùs ruituram Curiam affirmabant. Audiuit ſæpè eos *Pius*, interrogauit tandem: *Poſſet nè Renatus, Picininum Eccleſiæ ceruicibus imminentem armis expellere?* Quod cum negaret: *Quid ergo eſt* (inquit) *quod expectemus ab eo, ſi nobis pereuntibus, opem nullam valet afferre? Nobis in regno neceſſarius eſt, qui ſua poſſit, & noſtra tueri. Vos regno carebitis, donec vires ſuppetant, quibus hoſtem (nobis) indulgentibus, poſſitis eijcere.* Decretum itaque Ferdinando regnum CLXII. *Ferdinãdus Rex Apuliæ.* eſt, ea tamen conditione, nè vlli fieret præiudicium.

Ad Concilium reuertamur, quod pro communi ſalute indixerat Papa. Priuſquam Roma excederet, *Baptiſtam Brendum* ciuem Romanum ad Cæſarem miſerat, qui eum ad Concilium inuitaret Mantuæ, vel Vtini. Reſpondit Imperator, ſibi apud Auſtriam gra CLXIII. *Cæſar negat intereſſe Concilio.* uia incumbere negotia, quæ negligere haud poſſet: nec vocatum in vnum ex duobus locis alternatim nominatis, ad veniendũ aſtringi: cui Pontifex in hanc ſententiã reſcripſit. *Quamuis in Auſtria multa eſſent, quæ præſentiam Imperatoris exigerent, non tamen idcirco Fidei Orthodoxæ negligenda negotia. Nam & Roma Pontificis præſentia egeret, reliquiſſe ſe tamen & Vrbem, & omne regnum Eccleſiæ, vt conuentum peteret pro Chriſtiana ſalute indictum: nec minus à nominatis locis Romam*

diſtare,

Ann. Sal. 1457. *diſtare, quàm vel Græcium, vel ciuitatem Nouam Auſtriæ Imperatoris Sedem: Pontificem annis plenum, & morbis grauem, longius iter acturum: indecorum videri, Cæſarem validum, & florenti ætate recuſare breuiorem viam. Conſulat honori ſuo, conſulat Chriſtianæ religioni: neque committat, vt ſua negligentia Chriſtianam rempublicam perijſſe aliquandò dici poſſit: neque cauſidicorum ineptias audiat, qui ſubtilitate quadam iuris, negant eum obedire oportere, qui ad ea loca vocetur alternatim nominata. Sciat ſummum ius, ſummam eſſe iniuriam: neque vtendum cauillationibus, vbi bona fides requiritur, & Chriſtiana res in diſcrimine ſita eſt. Neque ad incertum locum ſe fuiſſe vocatum, qui priùs quàm domum relinqueret, edocendus erat, ex duobus locis, quem deberet accedere: parceret his excuſationibus, quæ apud viros graues ridiculæ viderentur; neque Vlricum audiret Iuris Interpretem, magis, quàm ſuam conſcientiam.* Exin, quia ſcripſerat Imperator manu ſua ſecretiores litteras, in quibus Pontificis conſilium expoſcebat, An regnum Hungariæ acceptandum ſibi eſſet, ſi, vt ſpes erat, Regni Proceres eum eligerent: in hunc modum reſcripſit: *Qui te Regem Hungariæ ſunt electuri, ſi fides ijs habenda eſt, & regnum dare poſſunt, non diſſuademus accipere, quod offertur. Sin litem offerunt, & belli materiam; contrà ſentimus; maximèque cauendum cenſemus, nè quid agas, quod expeditioni aduersùs Turcas inſtituendæ ſit impedimento: Vale.*

Sanctum hoc Pontificis euanuit conſilium; domeſticis namque Principes bellis impliciti, frequentem rei benæ gerendæ occaſionem in communem hoſtem amiſere. Parcat Deus *Mathiæ*, Regi, & *Friderico* Cæſari. Quorum arma ſi iuncta *Maomethi* occurriſſent, actum erat illo ſæculo de Turcarum cauſa.

CLXIV. *Auſtriæ noui motus.* Pace inita inter Cæſarem & *Albertum* fratrem, à ciuili bello reſpiratura videbatur Auſtria, niſi milites, quorum opera vſus erat *Albertus*, ob ſtipendia integrè non ſoluta, latrocinia exercentes, nouas diſcordiarum ſemina ſuſcitaſſent. Erant inſuper in ea Auſtriæ parte, quæ *Marchæ campus* vocatur, pagi aliquot, quos Cæſar *Ladislai* tutelam agens, *Eitzingero* dederat, hos ille fidei ſacramento obligatos habebat. Ægrè id ferebant nonnulli ex ordinibus, contra libertatem id factum aſſerentes. Erant alij, qui prædia poſſidentes, ad poſſeſſionis ſuæ titulum, diplomata à *Ladislao* ſibi oſtendebant indulta. Ea Cæſar nulla aſſerebat, quia *Ladislaus* nondùm ſui potens, nec rectè, nec ordine feciſſet. Cum illis cauſam ſociabat. *Conradus Fraunauerus*, qui communicatis inter ſe conſilijs, conuentum indixère in *Geleſdorffi* in octauum Idus Ianuarij. Prouinciales cum conueniſſent, nè quid contra moliri viderentur, per internuncios orant, vt eò legatos mittat, qui acta notaret conuentus: quod ſi minus videretur, tum ſe ex ſuis ad ipſum miſſuros, qui acta referrent; interim de libera commeandi ſecuritate, caueretur. *Conuentus Geleſdorffii.* Cæſar, priore poſtulatorum parte reiecta, alteram approbauit, Miſit itaque conuentus, qui communi nomine orarent, vt libertatem Auſtriæ, veteraque priuilegia ab *Alberto*, *Ladislao*, & maioribus conceſſa firmet, abuſus reuocet. Cumque Cæſar minimè votis reſponderet, nouum indixère conuentum Vvolderſdorfij, vbi audaciores facti, plurima grauamina literis exarata, vti ex plano legi poſſent, templorum valuis affigebant. Erat hoc præcipuum *de Moneta*, qua per nonnullos malè adminiſtrata, rerum pretia augeri in oppreſſionem pauperum, grauiter querebantur. Cæſar porrò vt nouatoribus occurreret, *Fraunauero* diem dixit, quo coram *Vdalrico* Patauienſi Epiſcopo (& Aſſeſſoribus ex Auſtria datis) iudice ad hoc conſtituto, de controuerſijs omnibus reſpondèret Procuratori Cæſareo. Cum dies adueniſſet; & iudicio ſtare detrectaret *Fraunauerus*, quia ad præſidem Prouincialem (*Mariſcalcum* vocant) cognitionem pertinère diceret, in hunc modum exaratum eſt decretum: *Indiciũ in Fraunauerum.* *Cum Conradus Fraunauerus legitimè vocatus, nec comparuerit ipſe, nec per alios ad obiecta reſponderit, arcis occupandæ Imperatori Friderico ius fas eſſe.* Hinc Cæſar conductis duobus mille Bohemis, militem ex Auſtria, ac Stiria conſcribi iubet, arcemque niſi deditionem faciat, vi in poteſtatem redigi. Oppugnatur arx (*Ortha* dicta) pinnæque & murorum ea pars, quæ vallo altior erat,

Ann.Sal. *1459.* erat, vi tormentorum deijcitur: non propterea victi oppidani, qui valli obiectu tutati, magno oppugnatores afficiebant incomodo. Nouum interim in Carnis excitabat tu- CLXV. *Henricus Goritius.*
multum *Henricus* Goritiæ comes (cauſa incerta diſſidij) Pagum *Greiffenburgum* cum arce vicina expugnatum, incendio deleuerat, vicinos depopulatus agros, *Ortemburgam* obſidebat arcem. Occurrit *Ioannes Vitobitius* mandante Cæſare; *Ioannes Poſingicus* cum nouo milite in ſubſidium mittitur. Hi iunctis viribus *Goritium* abire compellunt, dein hoſtium fines ingreſſus *Vitobitius*, quinque arces capit, *Goritium* propè debellatum pacem petere cogit. Sed *ſerò ſapere*, reſpondit Cæſar, *iamque alijs eam arces eſſe attributas*. Goritio iam quieſcenti, *Poſingicum* ad obſidionem *Orthæ* Fridericus legat, quò *Vdal*
CLXVI. *ricum Graueneuerum* & *Andream PaumKircherum* cum alia militum manu mittit, à quibus arx tam arctè tenebatur, vt neque dolo neque vi commeatus ferri poſſent. Facto itaque colloquio inter *Poſingicum* & Præfectum arcis, ita tranſactum, quòd ſi *Cunradus intra quatriduum obſeſſis auxilium non attulerit, arcem Cæſari traderet, ſtipendia prò ſe, ſuiſque ab eo acciperet*. Vt pactum, ita ſeruatum, *Cunrado* non adueniente, præſidium arci impoſitum eſt. Indè templum (quod *Cunradus* non longè ad ſuorum præſidium munierat) oppugnari cęptum, ſed fruſtra; nam obſeſſis itineribus, captis iumentis, ad inediam Cæſariani redacti, obſideri potiùs quàm obſidère videbantur. Diſcrimen augebat genus pecuniæ, negotiationi, & commertio, inutili. Vndè Cæſar nullum operæ pretium illic fieri videns, militem domum reuocauit. In hoc rerum ſtatu exploraturus Viennenſium animos, per conſiliarios interrogat, *an denuò in eius verba iurare velint? ſibi verò in animo eſſe, eorum confirmare priuilegia, monetæ id remedium adferre, nè quid incomodi ſequeretur in poſterum*. Hæc vbi propoſita eſſent, exorto (incertum vndè) tumultu, omnes alius alium impellentes, extra palatij portam irrumpunt, cumque ad S. Michaelis ventum eſſet, clamor ab inquietis tollitur, vicinas Cilienſiũ ac Mariſcalchi domos armatis hominibus plenas, qui Magiſtratus comprehenderent, impetum in reliquam multitudinem facerent. *Ann.Sal.* *1459.*
Hinc trepidi domum refugiunt, ianuas, ac tabernas occludunt, defenſionem parant, cum offenſionem nec Cæſar cogitaret. Paucis diebus, errore cognito, & facinoroſorum fraude, pœnitentia ducti, *Friderico* eiuſque poſteris, fidem iurant & obſequium. Poſt Viennenſes cum *Vdalrico Eitzingero*, & alijs CLXVII.
quibuſdam proceribus, coram legato Pontificio, & legatis Regis Bohemiæ tanquàm arbitris honorarijs agi cæptum eſt. De Moneta, vini, frumenti, ſalis, aliarumque mercium portorijs querebantur, quia eorum imminuerentur priuilegia. Re diutiùs diſceptata nihil tranſigi potuit, præterquàm de CLXVIII.
reformatione monetæ. Venerat & *Fraunauerus* Bohemorum fiducia, qui præſtita à *Fraunauerus.* Cæſare fide, ſuam fidem interpoſuerant. Rogatus in concilio *Conradus*, quid in arce *Orthæ* iuris haberet, & num literas emptionis oſtendere poſſet? reſpondit, Cæſaris tenère mandatum, quibus is mandabat eius loci hominibus, vti *Gerardo* fratri ſuo obedirent. Hoc eſſe validum emptionis argumentum: nequaquàm enim mandaſſet Cęſar, non domino obedire; emptionis literas aut temporum iniquitate deperditas aut fraude ereptas. Reſpondebant procuratores Cæſaris, *Gerardo* tanquàm fiduciario arcem tradidiſſe, nè ad *Ladislaum* peruèniret. Id ita factum *Conradus* diſſimulans, abijt. Mox *Terbenſeium* Epiſcopi Patauienſis municipium occupat; & inter fratres recrudeſcente diſſidio, in partes deſcendit *Alberti*. Pa- CLXXIX
truelis *Sigiſmundus* cum *Alberto* ſentiebat, ſed in ipſum arma gerentibus Heluetijs, cauſam *Alberti* parùm iuuabat. Diſſidium illinc venerat, quòd Anno quinquageſimo Brixinenſes, adſtipulante *Sigiſmundo*, epiſcopum creauerant *Leonardum Vviſmaierum*, Parochum Tirolenſem; hunc confirmare nolens Rom. Pontifex, *Nicolaum Cuſanum*, virum literis clarum ſubſtituit. Huic *Sigiſmundus* circa annum LVI., arcem *Taufers* cum ſubiecta ditione oppignorauerat. Porro quia, ſe inuito, electum Epiſcopum ægrè patiebatur, cauſam ſemper quærebat diſcordiæ. Eò CLXX. *Nicolũ Cuſanum carcerida[t] Sigiſmundus.*
res venit, vt *Sigiſmundus* captum in oppido Brunegga, epiſcopum, aliquandiù in cuſtodia habuit; Pontifex verò *Pius II.* illi ſacrorũ

vſu

Ann. Sal. 1460. vſu interdicit, & in ipſum Heluetios excitauit. Hi nulla priuata cauſa irritati, ſegniùs negotium adminiſtrabant. Soli *Bernardus*, ac *Vigilius Gradleri* tunc temporis Eliſgouij Domini, antiquam cum eo ſimultatem gerebant, à quo pulſi, ad tutelam Tigurinorum confugierunt, inter eos ius ciuitatis adepti. Ab illis adiuti, *Fuſſacum* arcem expugnant. *Virodurum* tentant ſed fruſtra. *Ludouico* tandem Palatino arbitrium gerente, pax fit in annos quindecim.
1461. Anno porrò primo & ſexageſimo ineunte, *Georgius* Rex Bohemiæ, Cæſare annuente, Olomucium, Auſtriæ prouinciales ad ſe vocatos, curauit ſed in caſſum componere. Sunt qui Regem, ab ipſi conſultum, dixiſſe ferunt, *nunquàm ſe ſe ipſis auctorem fore, vti noua cuiuſquam imperia ſequantur, ſi Fridericum ferre nequeant, ſupereſſe duos ex eadem familia principes*; Proceres poſtea ex ſuis ad *Sigiſmundum* legant, conſilium & opem petunt.
CLXXI. Is ſiue domeſticis rebus occupatus, ſiue Auſtriacos abhorrens tumultus, ad *Albertum* eos ire iubet. Albertus non negligendam occaſionem ratus, ſe non defuturum reſpondet Reipublicæ. Arma itaque reparat; iniquam hæreditatis diuiſionem cauſatus, ob violata à *Friderico* Auſtriæ priuilegia, cauſam bello prætexit. *Ludouicum Palatinum* ſibi adiungit, & præter Auſtrios, Hungariæ & Bohemiæ Reges ſibi non defuturos promittit. Mox procerum receptis auxilijs, Tulnam mouet Viennenſium legatos ad ſe prouocat, fœdus cum ipſis in fratrem percutit. Miſerrima id temporis erat Auſtriæ conditio, nec tam iuſto bello, quàm latrocinijs vexabatur, templis pagorum iam in prædonum aſilla commutatis. Plures coacti ſunt ad pacem conuentus, quos omnes ambitio, & ſpes noua diſſoluit; donec.
CLXXII. *Vdalricus Holzerus* Viennæ Conſule, & Senatoribus vinctis, ipſe populari multitudine fretus gubernationem arripuit. *Cæſar Viennæ excluſus.* Cæſar verò, nè maiora incrementa acquireret ſeditio, quatuor equitum Styriorum millibus ſtipatus, Viennam accurrit. Sed vrbe excluſus, ad D. Marci diuertit. Mox ciues verecundia adducti, ob vindictæ metum, vel à melioribus moniti, impunitatem pacti, eum intromittunt. Curauit protinùs Cæſar plebem componere cum optimatibus; vndè nouum Conſulem, & Magiſtratus, ſe præſente, *Ann. Sal. 1461.* creari iuſſit. Offendit ea res nouatores, quos vt placaret, prioribus obliteratis comitijs, & hoc eorum peruicaciæ dedit, vt
CLXXIII. *Vdalricus Holzerus.* *Holzerus* ſeditioſorum corijphęus ſufficeretur in conſulem, exacto tantùm à nouo conſule, & reliquo ſenatu, fidei iuramento, quod cum præſtitiſſent vt peruicacibus omnem ſuſpicionem adimeret, Styrios abire iuſſit. His ægreſſis, noui iterùm motus in plebe. Incurſabant agros milites aliquot, qui *Alberti*, & *Friderici* ſtipendia fecerant, quia ſolutio non fieret in tempore. In eos aſſiduæ erant apud Cæſarem quærelæ. Is vt Viennenſium pertentaret animos, ſex aureum nummum millia ab eis mutua petijt, quibus de ſuo tantumdem adijciens, Latrones auerteret. Negata ea pecuniæ ſumma, ad dimidium deſcendit; negatum & hoc. Vndè iratus Cæſar, neque cum militibus tranſigere curauit, nec rapinas inhibuit, ſed memorem ſe futurum eſt minatus iniuriæ. Iamque illi vindemiantibus, moleſtiam exhibentes, vinum in vrbem importari minimè permittebant. Igitur qui *Alberto* fauebant, clam colloquia miſcent, mox aperta in conuicia erumpunt, renunciandam eſſe fidem, ac vectigalia in ſuum ærarium redigenda. Audita ſeditione,
CLXXIV. *Cæſar obſidetur.* accurrunt *Vdalricus Riedererus*, & *Grauenecerus* monentes, nè fidem violarent iuratam, homines, Deum, rogant, ne aduerſùs ſe periurio excitent, ſi quid moleſtiæ eos afficiat, Cæſarem adeant. His dictis, in furorem plebs concitatur, *proditorem patriæ Fridericum* inſimulant, legatos trahunt è ſubſellijs, in carcerem conijciunt, mortem minantur. Porrò *Holzerus* conſul, & qui cum
CLXXV. *Literæ Holzeri ad Cæſarem.* eo ſentiebant, nè crimine notarentur periurij, literas ad Cæſarem dedêre ſequentes, quæ facti rationem perpetuò teſtarentur. *Non ignorare ipſum, multoties ſe de militum iniuria ac latrocinijs conqueſtos, cum nihil remedij adhiberetur, ipſos illorum conatibus obuiam iuiſſe, aliquot latibula ſuis ſumptibus diſturbaſſe. Interim ex fraterna diſſenſione, prius hoc hominum genus increbuiſſe, neque etiam nunc poſt factam pacem, abs quoquam prohiberi, ſed impunitate permiſſa, quiduis audere. Iamquè ſubditos vini aliorumque fructuum prouentibus ſpoliatos, nouis inſuper vectigalibus*

Sal Ann. 1461. *bus & exactionibus grauari, priuilegia à maioribus parta negligi, agros, prædia, vicos, pa-*
CLX. *goſque diripi, ac incendio corrumpi, authores iniuriarum non ſolum prophiberi, ſed nouos ſupra ceruices induci: hæc omnia grauiora eſſe, quàm quæ ferri diutiùs vel poſſint vel debeant. His coactos ſe fidem illi ac obſequium renunciare, neque vectigalia, vti prius, & portoria deinceps ſoluturos, quoad vnitis tandem ordinibus, paceque ac tranquillitate rebus reddita, meliora ſperari poſſint. Interim ita ſe omnia moderaturos, vti neque de ſalute, neque de fama, periclitaretur.* Cæſar verò miſſis ad omnes Imperij ordines litteris, grauiſſimè de Viennenſium querebatur iniuria, arcem prò præſenti diſcrimine muniri iubens. Audito
CLXXVI. *Io: Tenitzius.* Cæſaris periculo *Ioannes Tenitzius* Orthæ præfectus ad comparandos milites, mille aureos numerauit, tantumdem intra diem XV. ſoluere iterum promittit. *Andreas PaumKircherus* & *Hinco Bohemus*, copijs non contemnendis freti accurrentes, agros populantur Viennenſium; vt ab arcis obſidione retraherent. Viennenſes verò magna agreſtium hominum manu conducta, mœnia tutabantur, & hoſtibus propulſatis, quantum vini poterant, inducebant in vr-
CLXXVII. *Nomina eorum qui cum Cæſare obſeſſi erāt.* bem. Stabant in arce cum Cæſare ducenti ferè viri, maiori ex parte nobiles, inter quos præcipui erant *Vdalricus*, & *Hugo Vverdembergici* fratres, *Io: Preiſingus* Mariſcalcus, *Sigiſmundus Febriachus*, *Georgius Kunachius*, *Sigiſmundus Spaurerus*, *Hartnidus Buchaimius*, *Matthias Vvitrelmarus*, *Mathias* & *Chriſtophorus à Spaur*, *Io: Rorbachius*, *Io: Sibenhirterus*, *Chriſtophorus Morſtegerus*, *Vvolfangus Kadauuerus*, *Vvilhelmus Bebringerus*, *Fridericus Vngerſpacherus*, *Iuſtus Hauſerus*, *Henricus Vogtius*, *Georgius Teufenbachius*, *Vvilhelmus Saurauerus*, *Antonius Himelsbergicus*, *Georgius* Poſonienſis
CLXXVIII Præpoſitus. Cæſar ipſe præter omnium opinionem, ſuorum animos confirmans circumibat, oportuna hoſtibus loca muniens, & cuſtodias ſuis locis diſponens. Identidem alta voce, vt ab hoſtibus audiri poſſet, clamitans, *arcem eam, ſuum cœmiterium fore, neque Deum iuſtæ cauſæ vindicem ſibi defuturum.* Erat apud Cæſarem *Zirchendorffius* cla-
CLXXIX. rus natalibus, tormentorum in hoſtes dirigendorum peritiſſimus, qui ex editioribus murorum pinnis collimans, quoſcumque ſe incautius exhibentes, nè quis temerè muros ſubiret, prohibebat. Iamque trepidi ciues, obſidionem in longum trahi videntes, vini ac aliarum rerum iactura, moti oppugnatione dilabebantur, in proximis ædibus ſe continentes, & cum ægrederentur, dolia ante ſe agebant. Tertio obſidionis die, tres ex terra tumulos aggerunt, bellica tormenta imponunt, vt & in *Viti Eberſdorffij* ædibus fecerant. Poſtridiè miſſo ad portam nuncio, bellum, contra ac ſcripto promiſerant, indicunt. Saxa indè & pilas in piſtrinum maximè eiaculantur, quo deiecto, CLXXX. *Quoſſius.*
fontem obruerent. Curabat illic *Chriſtophorus Quoſſius*, ne ruderibus, aut maceria illapſa obſtrueretur fons. Sed cum nihil incomodi ab hoſte eueniret, domeſticum Cæſar vix euitauit periculum. Turrim quandam ingreſſus, machinam bellicam à *ZircKendoffio* conſtitutam inſpiciebat, *Vdalrico Vverdembergico* oblatum fortè fomitem, quo incendi illa ſolet, temerè ventilante, ignis in proximum dolium puluere plenum incidit, trepidantibus cunctis, & de ſalute ſollicitis, Cæſar leuiter in ſummam faciei cutem vſtulatus, ſe ex turri proripuit. Viennenſes verò, admotis vndique machinis, omnes expugnationis modos experti, inſolentiam miſcebant. Nullum enim ex maioribus tormentis exonerabant, priuſquàm ingens clamor, tubarumque ac tympanorum clangor exaudiretur. Audiebantur interim & alia inſtrumenta, cantantium, & iubilantium voces, quas alij in aliorum locum ſuccedentes, plerique ebrij nec nocte quieſcebant, nec alios quieſcere patiebantur. Cæſariani verò omnia ex militari diſciplina agentes, taciti munera obibant, ad omnem hoſtium ſtrepitum intenti. Suadebant pyrotechnitæ, ignita ex puluere pice, oleo, reſinaque, ac ſimilibus tela, in domos vrbanas conijcienda. At Cæſar prohibuit, nec eò deſcenſurus videbatur, niſi vis maior ab hoſte ingrueret. CLXXXII.

CLXXXI. *Cæſar in vitæ diſcrimine.* *Ann. Sal. 1461.*

In Bohemiam obſidionis iam fama peruenerat; & citò *Victorinum* filium *Georgius* Rex in Auſtriam miſerat. Qui per fæciales bellum omnibus in Cæſarem arma gerentibus, ſuo & Regis nomine indixit. Ortham profectus, *Georgius Rex Bohemiæ ſuppetias Cæſari fert obſeſſo.*

tranſ-

Ann. Sal. 1463. tranſmiſſo illic Danubio, Stirios, Carinthios, Carnos, Auſtriacos expectabat, quorum integra in Cæſarem fides manebat. Horum ſpe forti animo aduerſa omnia Cæſar ſuſtinebat, vxorem, ſocios confirmabat. Fuit Viennæ quidam *Cronbergerus* natione Francus, qui iniquam Cæſaris miſeratus fortunam, præcipuè *Maximiliani* pueri ætatem; auiculas, quas habere potuit, & carnes per occulta viarum compendia in arcem detulit, nec ſinè præmio. Interim *Victorinus* adueniente *Vitobitio*, Viennam mouet. Viennenſes trepidi *Albertum* euocant. Is ineunte Nouembri, accurrit, & cum prouincialibus ad biennium fœdus percutit. Icto fœdere, *Holzerus* conſul omnes, qui Cæſaris partes ſequebantur, in cuſtodiam ducendos ſtatuit. Fugère plurimi, capti *Sebaſtianus Ziegelhauſerus*, *Iacobus Richuuinius* cum *Io: I. Cto., Iacobo* & *Martino* filijs. Complures alij capti, quorum pretioſa ſupellex ſtabat prò crimine. Iamque vidère erat, plurimos ære alieno grauatos, togatos & ſplendidè ornatos incedere. Inter hæc *Albertus*

CLXXXIII *Cunradus Fraunauer.* fratri bellum indixerat. Cum eo erant plurimi comites, & Barones, *Fraunauerus* præter omnium opinionem in patribus ſtare noluit, quod diceret: cum Cæſare de bonis & fortuna controuerſum eſſe, de vita & honore certamen iniquum videri. Nouis tormentis arcem quatiebat *Albertus*, at cum aperto Marte progredi haud poſſet, actis clam cuniculis, murum ſuffodere incepit, & in arcem penetraſſet, ni literis, quas *Thomas Septemcaſtrenſis* ſagittis alligatas in arcem coniecerat, moniti obſeſſi ad murum iam perfoſſum aduolaſſent. Pice, tædis incenſis, aggreſſores fumus fugauit, anſamque dedit obſtruendi foramem. Adeo vicini pugnabant, quod & in tenebris, & in vmbra mortis, ex ſermone ſe inuicem agnoſcerent, ac compellarent, & laboribus fatigati, ſpatium interquieſcendi paciſcerentur, obſtrepentibus interim

CLXXXIV *Cæſar fame laborat.* muſicis inſtrumentis, Vrgebat obſeſſos cibarioriam penuria, vt hordeum exdimenſo acciperent, vel furfuraceo pane vterentur: vinum parcè diſtribuebatur, nonnulli aqua contenti erant. *Sigiſmundus Schauuenbergicus*, rerum humanarum memor, puero *Maximiliano* oua aliquot, farina, & alia quibus ea ætas gaudet, ad portam arcis miſerat, nemine prohibente præter Agreſtes conductitios, qui ſtationem illic habebant, omnia illa famulo erepta, ſolo illiſa pedibus conculcarunt. Poſt hæc *PaumKircherus* miſſo *Matthia NaKauizio* CLXXXV. cum literis in arcem, *Victorinum* adeſſe, eiuſque patrem Regem ſubſequi indicat. Is in palatij foſſam ſaltu ſe demittens, nuncium expediuit. Cæſarem edocet, quem habeant exercitum, regem expectari; quòd ſi neceſſitas vrget, ignes excitaret, vexillum album expanderet, ſe paratos præſenti rerum copia vrbem aggredi. Cæſar ad ſuos relato conſilio, nuncios in caſtra mittit, aduentum maturari iubens. E tribus nuncijs *Pet. Althamerus*, *Chriſt. Spaureri* famulus ab hoſte capitur reliqui duo *Laurentius* Poſonienſis Præpoſiti, ac *Vitus Cadauueri* famuli, in arcem reuerſi, poſtridiè auxilium venturum annuntiant. CLXXXVI *Victorinus fert ſuppetias Cæſari.* Medio itaque Nouembri *Victorinus Schauuenburgicus*, & *PaumKircherus* Gumpendorffium ducentes, ad D. Vdalrici venère ſuburbium, ſumma alacritate, & hoſtium contemptu vallum oppugnantes. *Holzerus* agreſtes ad arma vocatos, ad viginti hominum millia, prò vallo conſtituit. Pugnatur vtrinquè acriter, *Infeliciter pugnat.* Cæſariani magno clamore ſublato, in vallum inſiliunt, repulſi iterum fortunam tentant, à tergo *Henrico Bucchaimio* vrgente, nè cederent. Qui in arce erant, iniquam ſuorum conditionem ſpectantes, exire cupiebant, ſed paucitate deterriti, ignem in vrbanarum ædium tecta coniecère, ſed fruſtra, obſtante niue. Cæſariani multis occiſis, reliqui Gumpendorffium abiere, duobus tormentis amiſſis, quæ alacres in vrbem adduxere Viennenſes, iam de victoria ſecuri. At cum paucis poſt diebus, *Georgius Podiebradius* Bohemorum Rex, octo hominum mille inſtructus, ſuperueniens fortunam mutauit. Ad hunc *Albertus*, fide data, profectus, causā ſuam in fratrem multis exornauit, in arbitrum rogat. Rex, niſi audito priùs Cæſare, nil ſtatui poſſe reſpondit, & reliquis ſe iungit Bohemis. Neoburgi conuentus indicitur, quò legatos *Sigiſmundum Sebriacherum*, & *Georgium Kainahium* Cæſar miſit.

Ann. Sal. 1463. ſit. Adfuit *Holzerus* conſul. Ibi *Georgius*, qui id agebat, vti Cæſar nec hoſti ſuccumberet, neque ſinè æmulo Auſtria potiretur,

C LXXXVII. pacis leges tanquàm arbiter honorarius ita confecit. *Captiui vtrinque reſtituantur: Albertus arces, oppida, ditioneſque omnes bello occupatas fratri reſtituat; Auſtriam inferiorem vicario nomine ad annos octo regat, quatuor ducatorum millia quotannis fratri exoluat.* *Pax Cæſaris cum Alberto.* Leges has vt iniquas Cæſariani repudiabant. Rex non aliter Cæſarem

C LXXXVIII obſidione eximi poſſe, dicebat. *Obſidio ſoluitur.* Id vt quamprimùm fieret, Rex iuſſit *Alberto* permitteret in colloquium venire Cæſarem. Neganti *Alberto*, arma Rex minabatur. Vndè illo annuente, Cæſar arcem ægreſſus, coniugem *Eleonoram* cum puero *Maximiliano*, in D. Theobaldi ſuburbium comitatus, Styrijs & Carnis Neapolim traducendam commiſit, ipſe Corneoburgum ad Regem pergit, deducente eum *Victorino* cum mille equitibus. Vbi ad Regem veniſſet, poſt gratiarum actionem, de liberandis captiuis tranſactum eſt. *Albertus* coram Cæſare multa dicere voluit, ſed nec æquis auribus auditus, nec vllum à Cæſare meruit reſponſum; tantùm *Georgius VolcKendorffius* nomine Cæſaris verba fecit. Poſtridiè ſummo

C LXXXIX. mane cum Rege Enſeldorffium concedens, triduo venationi indulſit; *Noua diſſidia.* inde in Bohemiam Rex, Cæſar Neapolim ſe contulit. *Albertus* Viennam reuerſus, articulos pacis oſtendit, palatium ſibi tradi poſtulat, fidem iuramento exigit; & vtrumque D. Stephani ferijs obtinuit.

Interim neque bello occupata Cæſari reſtituuntur, neque hic illi iuxta pacta gubernationem attribuit. Imò conuentum cogente *Alberto*, Cæſar edicto prohibet omnibus, nè frequentent, cuius indicendi ius nullum penès *Albertum* eſſet. Adfuere tamen, qui cum *Alberto* ſentiebant: ex ciuitatibus ſolæ, Tulna, Ibiſſa, & Neoburgum, quia eius tenerentur præſidijs. Ibi à prouincialibus pecunia *Alberto* decreta ex fructibus vinearum,

CXC. qua cum dignitate præeſſet, latrones profligaret. *Cæſaris in fratrem queſtus.* Cæſar verò miſſis ad Imperij principes litteris, in fratrem queritur, quòd *violato iure gentium, adiudicatam ſibi eriperet hæreditatem, ſubditos in legitimum principem armaret, totius Imperij contemptu, cuius negotijs quantumuis arduis, domeſtico implicitus bello, cogeretur deeſſe. Compeſcendam eſſe hominis audaciam, & dominandi libidinem nè exemplo noceat.* *Ann. Sal. 1463.*

Eodem tempore *Andream PaumcKircherum* Corneoburgum cum copijs mittit, cui ſex aureum nummum millia ex loci redditibus aſſignat. Is præocupato oppido, arcem excitat præſidio firmat, excurſione vicinos infeſtat. In armis quoquè erant *Bucchaimius* alijque Cæſaris Duces *Albertus* & ipſe auxilia parabat. Cadente Ianuario, curiam vrbanam ingreſſus, litteras quaſdam Hebraico charactere protulit exaratas (quas *Io: Berchtolſdorffij* prætor dicebat cuidam eripuiſſe Iudæo) quibus nonnulli primarij ciues inſimulabantur, in *Alberti* vitam moliri. Itaque Maieſtatis poſtulati, in vincula fuère coniecti *Simon Potlius, Nicolaus Teſslerus, Oſuualdus Reichuuolſius, Georgius Angerfelderus, Stephanus Kislingus, Thomas TencKius, Chriſtianus Prennerus, Io: Odenaccerus*, quos omnes addictos Cæſari eſſe conſtabat. Etſi verò de obiecto crimine nil poſſet probari, ſolum tamen mutare coactis, eorum bona fiſco adiudicata.

Ex àduerſo circa feſtum Paſchale, habitis Ratiſponæ comitijs, Cæſar ex conſilio Principum Imperij, fratri aqua & igni interdicit. CXCI. *Alberto aqua & igni interdicitur.* Apud proceres non tam Cæſar, quàm Vienneſes ab *Alberto* proſcripti, odium concitabant, iniuriam, carceres, exilia, rapinas in publicis exaggerantes comitijs. Proſcriptus *Albertus* ad Pontificem appellauit *Pium II.* *Ad Papã appellat.* Sed is, tantùm aberat, vt patrocinaretur *Alberto*, quòd ipſi & cæteris omnibus, qui Cæſarem Viennæ obſederant, Sacrorum vſu interdiceret. *Albertus* verò conuocatis ſenatoribus, ac Gymnaſij magiſtris, ad Pontificem *meliùs informandum* denuò prouocat, Principum cauſatus inuidiam, quorum omnium exactè rationem ſe daturum breui exhibet. Non propterea Papa quicquam mutauit. Iam fortuna declinabat *Alberti*. Milites nonnulli, quibus non erant ſoluta ſtipendia, propè Medlingam cætum agentes, *Alberto* bellum denuntiant, & *Vuenceslao Vettauio* Duce, ſuperato CXCII.
monte Viennenſi in vineatores irrumpunt, ad

Ann. Sal. 1463. ad quadringentos capiunt, Medlingam adducunt, cellis vinarijs incluſos, fumo enecant, pecuniam extorquent, oppidum diripiunt. Dein in agrum excurrunt Tulnenſem, Herzogburgum cœnobium cum pago captum, aggere muniunt, agreſtes capiunt, pecunia multant. Hæc quotidiè Viennam nunciabantur, nemine occurrente; *Alberto* ludis equeſtribus, & comeſſationibus indulgente. Tandem multorum animos ſuſpicatus offenſos, ad ſui præſidium, ducentos ex ſupradictis militibus conducit, quibus ſtipendium ſoluit, cæteris Ibiſſi vectigalia, quoad ſoluerentur, oppignorat. Mox exploratis ciuium animis per quadruplatores, cum omnia referrent pacata, dimiſit milites, ſtipendia ſoluit, poſtea ad ſolita vitæ oblectamenta recurrit. Opportuna viſa eſt Cæſarianis occaſio, vt *Holzerum* in ſuas partes adducerent, hominem ſordidæ auaritiæ, qui de Cæſaris animo plurima ſibi promittebat, ſi *Alberto* renunciaret. Tentauerit ipſe, vel fuerit tentatus? incertum. Venia promittitur, & ſpes au-

XCIII. *Holzerus ad Cæſarem deficit.* rea. *Georgio* præpoſito Poſonienſi (qui ità ſe geſſerat, vti Cæſari fidus, nec *Alberto* haberetur ſuſpectus, ad Reipublicæ gubernacula aſſidebat.) Sèx aureum nummum millia nomine Cæſaris promiſſa ſunt, ſi vrbem in eius obſequium reduxiſſet. Hæ.ebat is, ob populi in *Albertum* ſtudia, & iuramentum. Sed ſcrupulum eximente *Holzero*, ita conuenère. Vt equites quadringentos, quos *Graueneccerus* haud procul tenebat ab vrbe, introducerent. Ne verò *Holzerus* priuato commodo videretur ſtudère, miſſis clàm nuncijs ipſo paſſionis die Senatores, ac Opificum præfectos ad ſe vocat, eſſe quæ de Repub. cum ipſis agat. Conuenère plerique, alius alio tardior. Interim

Vienneſes concitat Holzerus. iuxta conditionem perſonæ hypocauſtum aſſignat. Mox ad illos ingreſſus, bono animo eſſe iubet, *abeſſe adhuc iudicem cum paucis quibuſdam, quos ſemper minùs obſequentes inuenerat, & qui dolosè acta Senatus ad Principem detulerant*. Ad hæc Vuolfangus Holobrunnerus *ciuiles omnes tumultus ex eo eueniſſe; propterea in exemplum cæterorum proditores illos eſſe multandos*. Hæc colloquentibus, ad fores pulſat, & cum eo tres Senatores, quos *Hol-*

Tom. VII.

zerus ſeorſum in cubiculum ducens, paululùm expectare iuſſos, includit. Ille verò ad reliquos ingreſſus, huiuſmodi orationem habuiſſe. *Confidenter ego apud vos dico, Viri Vienneſes ciues cordatiſſimi, quibus mearum actionum rationes cognitæ ſunt, me pro meo in vos veſtramquè ciuitatem ſtudio, nihil hactenus ad ſummam diligentiam reliquum feciſſe, quò in hac temporum iniquitate, turbulentòque rerum ſtatu reipublicæ, mihi commiſſæ, quamoptimè conſuleretur. Ea de re ne quid mutem, magni momenti rem vobis communicandam duxi, ſumma fide ac ſilentio, quæ in vobis eſſe non dubito, tegendam: quare & eos quos ſuſpectos habeo, ne quid turbarent, ſecluſi. Certis ego indicijs cognoui, Albertum principem conſilia cum ſuis agitare, quo pacto introductis in vrbem militibus, iura omnia & priuilegia veſtra ſibi vindicet, ſuoque arbitratu omnia adminiſtret, quæque illi facere libitum erit, de fortunis noſtris deque corporibus ſtatuat. Cogitate iam cum animis veſtris, quæ ciuitatis facies, quiſque vniuſcuiuſque noſtrum priuatus rerum ſtatus futurus eſt, cum milites iſtos, famelicum hominum & rapinis inſuetum genus, domibus noſtris manipulatim immiſſos, pro ſua quiſque facultate, hic denos, ille vicenos alere, & quaſi ſerpentes in ſinu fouere cogemur. Neque enim illi quotidiano ac parabili cibo, aut collata ſtipe contenti erunt, ſed genio benè curato, noſtriſque benè partis ſaginati, niſi exactæ militiæ ſtipendia acceperint, nunquam abibunt, neque cutim noſtram, vti hirundines ante relinquent, quam ſanguine ſe expleuerint. Id verò ita futurum, ex anteactis & præſenti rerum ſtatu conijcere, facilimum eſt. Vidimus enim, poſt exactam à nobis pecuniam, militibus agros & vineas noſtras populantibus, non modo non perſoluta fuiſſe ſtipendia, ſed oppida inſuper & vectigalia oppignorata. Quid ergo nunc ab Alberto expectandum, qui & ipſe pecunia caret, neque vlla regum aut principum auxilia, quæ oſtentabat, habere poteſt? Atqui bonus eſt princeps, dicat nunc quiſpiam, ſeque noſtræ fidei commiſit; imò nos ipſius fidei noſque & rempublicam noſtram tradidimus: qua in re nè vnà vobiſcum ego ſpe mea deceptus ſim vereor, & conſideratiùs porrò agendum video. Nec eſt, quod maiorem mihi in deprahendendo induſtriam fuiſſe, quam in declinando, aut ſi vſus poſcet, propulſando peri-* Sal. Ann. 1463.

M 2 *culo*

Ann. Sal. 1457.

culo fore quiſquam arbitretur. Iam enim conſilium mihi inueniſſe videor, quo quicquid hoc tempeſtatis impendet, id abſque vllo tumultu depellatur. Quadringenti equites viri ſtrenui, operam nobis ſuam offerunt, Germani omnes, quibuſcum nobis linguæ, cognationis, aliarumquè rerum coniunctio eſt. Hi à fidis principibus miſſi, ad menſem vnum atque alterum, ſuo ſtipendio, commodis noſtris, inſeruire parati, ſi in vrbem admittantur, facilimè Alberti conatibus obuiam iri, atque ipſe in officio retineri poterit. Nihil equidem addubito, quin is, cumprimùm hæc à nobis tam prudenter eſſe præuiſa animaduerterit, ad quietiora ſe conſilia conuerſurus ſit, & de pace nobis reddenda, aliquando cogitaturus, quæ vtique inteſtino huic bello anteferenda eſt. Si verò prauis ſuorum perſuaſionibus potiùs quam noſtris conſilijs obſecutus, ita ſe geret, vti nihil æqui impetrari ab eo poſſit; in manu nobis erit, excuſſo eius iugo, ad Cæſarem redire, cuius, ſi nihil aliud, conſilia omnia, vti firmiora, ita & moderatiora ſunt. Ego ſanè, ſi eò deuenire res coget, & veniam nobis, vt ante hac quoque, apud eum paratam, & Pontificis Romani regumque ac principum animos, æquiores fore ſcio.

Hæc cum dixiſſet, annuère cæteri, fruſtra nonnullis, qui *Alberto* fauebant, flagitantibus rem priùs ad populum referri. Silentij itaque fidem à ſingulis ſtipulatus, appetente iam die, cætum dimiſit. Ipſe obuiam militibus profectus, quos à Prepoſito immiſſos, in urbem induxit, gladium manupræferens euaginatum. Cum in aulam veniſſet, ciues qui cætui nocturno non interfuerant, vrbanaque plebs, *quid cauſæ ſit?* exquirunt. Omnia tuta eſſe conſul, & *Odenaccerus* reſpondent. Principi etiam epiſtolam miſerant, indicantes venire aliquot equites, qui ipſi & ciuitati præſidio forent, nec dubitaret. Is omnia ſuſpecta habens, quoſdam ad *Holzerum* miſit, quibus vt antea reſpondit, nullam vim parari, bono animo eſſet. *Iacobus* verò *Storchius*, & *Liebhartus* Prætores, & alios quoſdam ab *Holzero* ſcientes incluſos, ſibi timentes ad *Albertum* perfugiunt. Hunc nouitas agebat, & quod amnis imparatum ſe videret, vel vnius diei annona abundaret. Semidiruta arce, prior illi videbatur conditio, quam fratri ſubeunda. Nunquàm de *Holzero* tale quid ſperaſſe, dicebat, vtcumque tamen res caderet, moriturum ſe priùs, quàm in cuiuſquam poteſtatem viuum eſſe venturum. *Ann. Sal. 1463.* Adſtabat *Alberto Rembertus Ebersdorffius*, qui popularium fidem implorandam ſuadens, quos *Alberto* impenſiùs fauare. Sciebat, nec tam ſubitò potuiſſe corrumpi, dimiſſis in proxima compita præconibus, ſignoque ex turri Michaelis campana dato, ciuitas omnis ad arma procurrit. Ciues, & incolæ quid ageretur, aut quid agerentur, ignari; maior pars in forum ad conſulem, vbi equites ſtationem habebant, pauci accurrebant ad principem. Errore cognito, *Ebesdorffius* vexillum ad portam Stubarum excitat omneſq; eò conuocat, qui vitam Principis, ipſamque Rempub. ſaluam velint. *Holzeri* detecta fraude, ipſumque execrati, ad *Albertum* conuolant. Inde in equites facto impetu, ad quid venerint? quærunt. *Holzerus* intromiſſos ad vrbis tutelam reſpondet, & Principis. Cui ſi minus id probetur, dimitti iterum poſſe. *Auguſtinus Triſtamus* equitum præfectus, abſque maleficio, eadem qua venerat, abiturum promittit. Sed armata vrgente multitudine retrocedere coacti, ad portam perrexère; qua clauſa, deditionem facientes, cuſtodiæ dati ſunt. Vrbe profugit *Holzerus*, ſed dum vinitoris habitu vagatur, à Lanione primùm agnitus, à ruſticis captus, in vrbem deducitur, tertio die quàm exierat. Interrogatus ab *Alberto*, audacter reſpondit nullius ſe criminis inſimulari poſſe, cuius ipſum non haberet auctorem. Equuleo tortus neminem indicauit ex ſocijs, neque arcana pandit. Plurimi ex Senatu capti? quorum ſupplicium maturè gladio ſumptum. *Holzerus* vti à carnifice intellexit, corpus auibus lacerandum futurum, miſerabili voce exclamauit: *Ego* (inquit) *cum recordor Chriſtum dominum innocentem prò me immolatum, cuius memoriam ante dies octo celebrauimus, mortem hanc patienter feram, etſi meritis meis attrociorem.* Corporis partes, ante quatuor vrbis portas, palis alligantur, caput ad ſuburbium ſuffixum eſt, per quod equites introduxerat. Reliquos multa pecuniaria, vel capitalis correxit. Curabat interim *Dominicus Torcellanus* Legatus à Pontifice in Germaniam miſſus diſſidia pacare, ſed *Alberto* iniqua expoſcente, vix induciæ dierum aliquot datæ

ſunt

CXCIV. *Albertus in vitæ diſcrimine.*

A plebe liberatur.

CXCV. *Holzeri ſuppliciũ.*

Ann. Sal. 1463. ſunt, *Leonora* Auguſta rogante. Ante exitum, adnitente in primis Legato Pontificio, ex vtriuſque Principis mandato, conuentus

CXCV. quatuor ordinum Tulnæ indicitur ad diem D. Mathæo Sacrum. *Vdalricus* Gurcenſis

Tulnæ conuentus. præſul, *Georgius VolKensdorfius*, Hartungus Capella, & *Georgius Kainacherus* ſtabant prò Cæſare. Prò *Alberto Rotelenſis Marchio, Hartnidus Traunius, Chriſtophorus Pottendorffius*, & *Stephanus Geumanus*. Cum legato Pontific. erant Epiſcopi Salisburgenſis & Badenſis conſiliarij. Cum conueniſſent, ab imminenti Turcarum exorſus periculo legatus, occurrere rogabat in tempore, ne noſtris diſſidijs fortiores ſurgeret immaniſſimus hoſtis. Fraterna diſcordia ſola eſſet, quę Imperatorem eiuſque exemplo cæteros principes diſtraeret, nè ad communem conuenirent ſalutem. Priuſquàm verò de cōcordia ageretur, Prouinciales interrogauit, an adprobaturi eſſent, quæ à mediatoribus annuente parte, ſancitum eſſet? Reſponderunt Prouinciales eis ſemper bellum diſplicuiſſe ciuile, nil maius in votis habere, quàm pacem. Hæc vt citra fraudem fieret, nullum obſtaculum allaturos. Collaudauit Legatus voluntatem, & protinùs reliquis annuentibus, duos & triginta viros ſpe-

Leges pacis. ctatę fidei elegit, qui nulli parti obnoxij, quicquid communi conſilio ſtatuerent, non tam Prouinciales, quàm Principes ratum haberent. Electi poſt varias conſultationes, ſequentia vulgarunt. *Literæ vltrò citroque miſſæ, quibus fœdera iuncta erant, in medium allatæ dirumperentur. Præteritorum omnium amneſtia eſſet. Tabernæ, receptacula à militibus excitata deſtruerentur. Viarum graſſatores communibus armis ab Auſtria expellerentur. Vectigalia, portoria, aliæque gabellæ poſt obitum Alberti Cæſaris impoſitæ nullæ eſſent. Captiui abſque pretio liberi dimitterentur: neque pacta prò alicuius redemptione pecunia exigeretur. Arces, oppida, agri cum fructibus vero domino reſtituerentur. Principes militi emerita ſolucrent ſtipendia, nè eo nomine moleſtiam exhibeant. Iudex Prouincialis (quē* Mariſcalcum *dicunt) crearetur, qui more maiorum, nullo perſonarum diſcrimine, infimis, & potentioribus ius diceret; imò coram eo liceret ſubditis in Principem ipſum actionem inſtruere. Moneta iuſti ponderis cuderetur, adulterina nullo eſſet in pretio. Purgatis itineribus, cum vicinis reſtituerentur*

commercia. Merces probæ inferrentur. Iudæi *Sal. Ann.* 1463.

ab Alberto Cæſare pulſi, iterum expellerentur. Vina præter patrium, non importarentur. Arces, aliaque loca à Ladislao Rege oppignorata, quamprimùm liberarentur. Nè in fraudem creditorum literæ (ferreas *vocant*) *indulgeantur. Peregrinis publica non darentur officia, ſed domeſticis perſpectæ fidei.* Hæc *Friderico* & *Alberto* tranſmiſſa ſunt; quis militibus ſatisfaceret, non occurrebat, vnde tamen pacis exordium, & vinculum ſperabatur. A Subditis iam malè afflictis exigere, nimis durum. Principes cogere, vanum erat. Communi itaque conſilio decretum, ex vino ad biennium certam penſionem ſoluendam, quæ à ſuis hominibus collecta, ſolūmodò in militū ſtipendia cōſumeretur. Exactio verò nō antè firmam inter Principes pacē, inciperet. Poſt hæc Viennenſes poſtulata quædā ſcripto obtulere, quę (ſi pax coiret) à *Friderico* ſibi cōfirmari volebant. Ea cū nimis dura viderentur, reſponderunt illi ſeſe rationibus ſuis moueri, ſed ſi ordinibus aliter videatur, non reiecturos ſaniora conſilia: id vnum excipiebant, nullas pacis admiſſuros leges, niſi *Alberti* Principis confirmatas. Cum itaque nil conuenire poſſent, in alterum conuentum dilatum eſt negotium. Bis conuenère ſed in caſſum, vſquè dum *Stephani Hohenbergici*, qui à *Friderico* ad Albertum, modò iterum ad Cæſarem deficientis motibus Vienna eſt agitata. Conſpirarunt cum eo *Vitus Eberſdorffius, Chriſtophorus Portendorffius, Rembertus* & *Albertus Eberſdorffij*, qui priuata *Sigiſmundi Poſingici*, & *Vdalrici Grauenecceri* fide interpoſita (nam Cæſar hoc facere recuſarat) Neapolim ſe conferunt, vbi coram Cæſare in genua procidentibus, veniam exorantibus, fidem, & obſequium promittentibus, Cæſar exurgere iuſſit, & de venia benè ſperare. Non propterea ad pacem inclinabat *Albertus*, quamuis Legatus Pontificis ſedulò excurreret, & Cæſarem ad iniquas etiam conditiones induxiſſet, vti recepta omni Auſtria ingentem fratri pecuniam certis penſionibus ſolueret. Cumque homines CXCVI. *Alberti mors.*

pacem deſperarent, Deus dedit. *Albertus* enim ſubito quodam morbo correptus, obijt IV. Non. Decemb., & quinto die poſt ad D. Ste-

Ann. Sal. 1464. Stephani maiorum ſepulchro illatus eſt. Veneno, vel apoplexia ob vitæ incontinentiam perierit? dubium. Vltio forſan diuina ad ſe euocauit eum, cuius culpa Chriſtiana diſſidijs irretita Reſpublica, in communem fidei hoſtem armari non poterat. Veneni quæſtione inſtituta, Pharmacopola quidam in carcere habitus, vt innocens eſt tandem dimiſſus. Vixit *Albertus* annos XLV. prolem ex *Mecthilda*, quam vnicam habuit vxorem, nullam ſuſcepit. Vidua annos XX. ſuperſtes viro vixit. Viennenſes ſerò agnoſcentes tempus inſtare vindictæ, quomodò Cæſarem iuſtè iratum placarent, meditabantur. Ab ipſo *Sigiſmundo* deſtituti, qui tertiam

1464. CXCVII. *Sigiſmundus donat Auſtriam Cæſari.* Auſtriæ partem ex *Ladislai* Regis morte ad ſe deuolutam, Cæſari patrueli dono dederat, in ſola *Friderici* clementia ſpem habebant. Ferè omnes Prouinciales admiſſorum veniam fuerant conſecuti, ſoli ſupererant Viennenſes, quos vt contumaces prò merito caſtigandos, plurimi ſuadebant in aula. Abhorrebat tamen *Fridericus*, nec quid ipſis, ſed quid ſe dignum cogitabat. Deteſtabatur ob ſcelera paucorum, aduersùs innocentes ſæuire. Hæc cum minimè laterent Viennenſes, quaſi de pietate ſecuri, Neapolim miſerunt

CXCVIII *Viennenſium legati ad Cæſarem.* *Fridericum Ebmerum* conſulem, *Iacobum Storchium*, *Io: Kirchaimium Valentinum Liebarthum* cum alijs ciuibus ad ſeptuaginta, qui vbi illùc venère, quaſi Iudæi, eſſent, & genus damnatæ memoriæ contumelijs, & probris à vulgo ità afficiebantur, vt Cæſar graui denunciata pœna, id prohibere cogeretur. Intromiſſi in aulam, vbi primum ſub aſpectum Cæſaris fuere, in genua ſubſidentes, manuſque protendentes, miſerabilem exhibuère aſpectum. Cumque dicere iuſſi, Conſul inter lacrymas, & ſingultus verba colligens, *à Clementia Cæſaris exorſus, omnem culpam in vnum reiecit*. Holzerum, *cuius dolo ad perfidiam excitati, Deum homines aduersùs ciuitatem ſuam prouocaſſent, ſed etiam emeritas pęnas ſoluiſſent; nam bonorum, ac vitæ iactura eò miſeria eorum peruenerat, vt niſi Cæſaris clementia iam perditos redimeret, de noua ſede cogitarent. Viennam itaque maiorum ſuorum ſedem nè deſereret, rogare, neque error, vel furor alienus Auſtriacæ domus gloriam euerteret. Fateri crimina, non excuſare, hoc vnum petere ne infantium, coniugum innocentia pęnam lueret malignantium. Aduersùs eos fulmina vibraret iuſtitiæ, & Nemeſis faces accenderet. Iam victimas iacère libentes, quandò tamen Cæſaris Maieſtas mallet ſacrificium non pœnitentiam. Venerantes in eo celſitudinem Dei, ageret vt ea opinione recederent, quòd in Cæſare nihil inuenerint humani.* *Ann. Sal.* 1464. Hæc vbi Conſul peroraſſet; *Vdalrico* præſule Gurcenſe interrogante, *ſi quid aliud in mandatis haberent?* petitiones quaſdam protulere, quas à Cæſare concedi orabant. Erant, *Vti ab Alberto, & Senatu decreta firma haberentur. Ciues in exilium acti, ne inuito reuocarentur Senatu*(quod ad vitanda eflagitabant diſſidia) *Excomunicatio in eos lata tolleretur.* His acceptis, *Gurcenſis* nihil reſpondens, in hoſpitia iure iubet. Paucis diebus poſt, in aulam reuocati, iterum in genua procidentes, veniam orant, fidem iurant, quæ conciliandæ pietati credunt idonea, pollicentur. Reſpondet *Gurcenſis*, minimè pęnis Cæſarem oblectari, propterea vbi primum ei, ac eius hæredibus maſculis fidem iurauerint, iniurias omnes condonaturum: de reliquis tempore opportuno viſurum. Viennenſes gratias agentes, inſigni *Friderici* laudata clementia, Viennam redeunt: ſed obſeſſa à Bohemis audientes itinera, ſecuritatem emercari coacti ſunt. Iuère cum ijs duo legati Sedis Apoſtolicæ, *Georgius* item *VolKenſdorffius*, *Herdenricus* dapifer, *Io: Mulffelderus*, *Hartungus Capellius*, & *Ioannes Pottendorffius* Cæſari à conſilijs. Magno omnium Vienneſium gaudio recepti, poſt acceptum ſacramentum, veniam, hi confirmarunt; illi ab anathemate abſoluerunt. Ciues poſtea qui ab *Holzero* pulſi fuerant, medio Cæſare reſtituti, bona recuperarunt, quæ necdum perierant. Supererant milites prædam agentes, qui eò audaciæ peruenerant, vt ipſi Cæſari bellum indicerent. Stipendia is offerebat ſoluere omnibus, qui ea ſibi deberi aliquo probarent argumento; reliquis, præter verba nil adferentibus, non teneri. Quòd ſi æquo iure decidi vellent, arbitrum eligerent. Spreuit conditiones *Smicoſius* eorum ductor, populabundus irruens in Stiriam. *Fridericus* nè diutiùs in bona & corpora ſubditorum ſæuirent,

Ann. Sal. 1465. rent, Prouincialibus iubet arma ſumere.

CXCIX. *Papa reconciliatur. Sigiſmundus.* Hoc tempore Cæſar Pontifici *Sigiſmundum* patruelem reconciliare curabat; *Sigiſmundus* cum nil de iure ſuo remittere, neque Pontifici ſupplex fieri vellet, ſed à Pontifice ad Generale Concilium prouocaret, & cauſam ſuam ab omnibus Chriſtianis Principibus cognoſci poſceret: Pontifex contra & præter maiorum inſtituta, & infrà dignitatem ſuam eſſe contenderet, non agnoſcentem crimen, nec veniam flagitantem, cenſuris exoluere. *Fridericus* verò nè quid ex tam longâ ſimultate maius aliquod oriretur incõmodum, *Sigiſmundum* Cuſano priùs reconciliauit, quo non multò poſt vita functo, à *Rudolpho* Epiſcopo Lauentino (mandante Pontifice Max.) eſt abſolutus.

CC. Interim *VolKenſdorffius*, ex Cæſaris mandato, Viennæ arcem ingreſſus, ſenatui indicauit, illic ſe commoraturum, vt ſi quid cum Cæſare agendum eſſet, ipſo vterentur interprete; revera, vt Viennenſium geſta rimaret; & forſan tempeſtiuè occurrit Viẽnenſium quorundam motibus. Literis quidam ciues ſe *Alberto* obſtrinxerant, in vrbem non redituri. Eas cum Cæſar ſibi reſtitui peteret, qui extorrum bona poſſidebant, ſenatui auctores erant, nè mitterentur. *VolcKenſdorffius* vbi id agi reſciuit, properè in ſenatum venit, aduersùs conſulem ac reliquos queritur magiſtratus, quòd remiſſiùs agant, conſpirationes in Cæſarem foueant. Se ſe illi excuſant, reos carceri tradunt, abſq; mora literas mittunt. Pariter *Iacobus Storchius*, & *Schonbergerus* prætor, quia in ſenatu coram *VolcKenſdorffio* mutuis ſe petierant conuitijs, abſque tumultu in aula retenti, annuente Senatu ad Cæſarem, Neapolim deportantur. Hiſce verò molitionibus nè Cæ-
1465. ſar irritatus, toti ciuitati ſuccenſeret, nobiliſſima ad Cæſar inſtruitur legatio. Primates ordinis eccleſiaſtici, opificum decuriones, alij ciues non pauci cum Conſule, & Magiſtratu Cæſarem adeunt, nouitatem accuſant, excuſant, veniam rogant. Is per Patauienſem præſulem reſpondet; *Obſequio, fide vetera purgent, meliora cogitent. Se erga illos eo animo futurum*, vt proauos implorare opus non eſſet. Ann. Sal. 1465.

Feruebat interim adhuc inter Prouinciales, & graſſatores bellum acerrimum. *Smicoſium* prædonum ductorẽ *Sigiſmundus* comes *Poſingicus* in ſocietatem ſibi iunxerat, quia repetente Cæſare arcem Berchtolſdorffium, negabat comes arcem tradere, niſi numerata priùs pecunia, quam ab *Alberto* ſibi deberi dicebat. Arx itaque à Cæſarianis obſidetur, vbi *Smicoſio* glande traiecto, arx Cæſari traditur. CCI. Venerat tunc Neapolim *Erneſtus* cognomento *Religioſus* Dux Saxoniæ, & Elector, cum *Alberto* fratre, vt ab auunculo (erant enim ex *Margarita* ſorore *Friderici* Cæſaris prognati) titulum, & dignitatem ob obitum patris *Friderici II.* qui fuit filius *Friderici I.* cognomine *Bellicoſi* primi ex hac ſtirpe Ducis & Electoris Saxoniæ, de more ſuſciperent. Amantiſſimè eos habuit, & *Erneſtum* ad Viennenſes legauit cum Epiſcopis Patauienſi, & Gurcenſi, vt omnes ciuitatis ordines à iureiurando liberarent, & *Fridericum* Rom. Imper. vnicum dominum ſuum agnoſcerent, & eius hæredibus perpetuæ fidei ſacramentum renouarent. Non adhuc CCII. 1466. tamen ab inteſtinis motibus Auſtria quieſcebat. Turbas agebat *Poſingicus*: Miles excurrebat extraneus, donec *Pottendorffij* ductu, à Prouincialibus aliquot prælijs attritus, in Hungariæ fines proripiens, agros populabatur. Rex accurrit *Matthias*, cuius in ma- *Graſſatores cæſi.* nu, vrgente *Pottendorffio* cecidere prædones, quos omnes vel ſuſpendio dedit, vel ergaſtulo donauit.

GEORGIVS REX BOHEMIAE EXCOMVNICATOR. Ann. 1466.

CCIII. HÆreticorum æſtu, *Georgius Podiebradius*, qui *Ladislaum* veneno ſuſtulerat, regnum occuparat Bohemiæ. Simulatam Pontifici promiſerat obedientiam. *Legatum Põtif. dat. carceri.* Eruperat tandem in apertas blaſphemias, & Gentium violato iure, *Fantinum* legatum Pontificis carceri dederat, quia vt calice abſtinèret, ei perſuadebat. Hinc Huſſitæ audaciores facti, auctore *Rochezana*, & Pragenſibus, *Georgio* Regi ſtatuam lapideam cum enſe, & calice inaurato, Pragæ in templo maximo, honoris gratia poſuerunt. *Statua donatur.* Pontificies *Pius II.* eiuſque ſucceſſor *Paulus II.* in gratiam *Friderici* Cæſaris, excomunica-

nica-

Ann. Sal. 1466. nicationis fulmen, & abdicationem regni, quam in *Georgium* promulgare parauerant, plurimis annis diſtulère. Tandem Pontifex vana omnia reputans, dilationibus non eſſe ampliùs locum, adhuc roganti Cæſari reſpondit, perdendum amodò eſſe, quod tam *Ann. Sal. 1466.*



longo ſpatio ſanari haudquaquàm poterat. Fluctuabant purpuratorum animi, quòd vltor tanti decreti certus non apparèret. De Cæſare, quòd ad omnia eſſet præpoſterus, nulla ſpes habebatur. Polonorum, Hungarorumque Reges quòd domeſticis laborarent diſſidijs, minùs idonei videbantur. Procerum regni non ſatis in Regem robur videbatur. Iacère proindè ſententiam, illum regnare, verbis ab Apoſtolica Sede contendi. Ita fluttuantes *Io: Cardin. Portuenſis* hæreſum ſemper oppugnator acerrimus, confirmauit. *Quid* (inquit) *metimur humanis omnia iudicijs? An non relinquenda magnis in rebus Deo ſunt aliqua? Si non aderit Cæſar, non Polonus, non Hungarus, ſpondeo, aderit de excelſo ſancto Deus, & caput impium conteret. Nos iuxta noſtri muneris impleamus; reliqua ille perficiet*. Hac voce erectis omnium mentibus, die à Chriſti Natali quinta, Pontifex *Georgium* regno malè olim parto, deteriùs indè geſto priuauit. Bohemi audito Romanæ Sedis iudicio, à Georgij tyrannide plurimi receſsère. Rex tamen Polonorum, quem
CCIV. Pontifex crediderat armis vendicaturum regnum, quod vxorio nomine ad eum ſpectabat, dubius erat in fide. Imperator *Fridericus* ad omnia præpoſterus, more ſuo cunctabatur, idque vnum à *Nicolao* Pontif. flagitabat, nè Polonum aduocaret, rebus ſuis in vicinitate tremendum. Imò palam dixerat: *Et ſi maximè damnandi Regis, Apoſtolicæ Sedis iudicium fuerit, non vtique poteſtatem eſſe regni tradendi; eam totam imperatoriam eſſe*. Poloniæ itaque Rege *Caſimiro* regnum ſibi oblatum detrectante; *Friderico* Cæſare in diuerſa abeunte, ad *Matthiam* Hungarorum Regem, Pontifex animum adiecit. Erant Romæ *Matthiæ* Regis legati, *Ioannes Roſgonius*, & *Io: Quinqueccleſien.* Antiſtes, per eos crebris literis ad bellum *Georgio* inferendum hortabatur, vti qui Turcarum ſæuitiam fregerat, perfidum etiam hæreticum ſibi ſumeret debellandum. Ex hoc Coruinæ Domui immortalem gloriam ſperaret; neque tam arctum eſſe affinitatis vinculum, quod ab hoc tam ſancto negotio abſterrère eum *debeat*. Conſilia armauit auro, quinquaginta aureorum millia in belli ſumptus mittens. Inſtigabat *Matthiam* quoquè *Fridericus*, auxiliares copias ſe miſſurum pollicebatur, ſic inſtante Pontifice, etſi aulici non deeſſent, quia *Matthia* neglecto, ſibi regnum illud, vel Maximiliano comparandum ſuaderent. *Matthias* verò coacto procerum conuentu, an arma Bohemorum Regi ſocero ſuo in-

CCV. *Mathias Rex Hũg. ad Bohemiæ coronam inuitatus.*

Ann Sal. 1467. inferrenda? perconctatus, Pontificis, ac Imperatoris literas in conſilio legi iuſſit. Iam enim à Bohemo apertè Cæſar diſsentiebat.

CCVI. Cauſa erat, quòd Bohemus clam in Auſtria motus fouèret vt inteſtinis Cæſarem diſſidijs diſtraheret. Linzium etiam Rex miſerat *Ioannem Stembergicum*, pecuniæ reliquum poſtulatum, quam Cæſar ab obſidione liberatus, daturum ſe promiſerat, nec ſoluerat, etſi ſolutionis dies ante biennium expiraſſet. Reſpondebat verò Cæſar, *bis ſe pecuniæ ſummam non modicam exoluiſſe, reliquum ex redditibus quibuſdam præſcripſiſſe: magnis ſe poſtea damnis à Bohemo milite affectum eſſe, conniuente, imò clàm vrgente Georgio. Exemplo eſſe Stephanum Eitzingerum, & Georgium Stainium ipſius famulatui addictos, atque auxilijs inſtructos, qui quietum Auſtriæ ſtatum tentabant. Impediri ab ipſo, nè ad communem Reipublicæ ſalutem, Romam iret: interim neque fidem eccleſiæ datam ſeruari, pacem ſuſque deque ferri: tanta incommoda non amplius toleranda*. Exaſperatus legatus duriùs & ipſe repoſuit, *Bohemiam nulli teneri, propterea Regio obſequio accedere nemo prohibetur. Poſtulatis noſtris ſulummodò cum rependantur conuicia, ad Regem remeo, cui arma haud deeruat & conſilia, quibus ſibi, ſuiſque conſulat*. Ad *Matthiam* regrediamur.

Simultas inter Cæſarem & Bohemũ.

Conſulenti *Matthiæ* de bello inferendo Bohemiæ Regi, erant qui bello hoc abſtinendum ſuadèrent, ob metum Turcarum, nè ſi & ipſe in Hungariam duceret, vtrique impar eſſet. Alij verò, quibus ſuperiorum temporum iniuriæ, & damna à Bohemis accepta, cordi & vindictæ erant, bellum ſuadebant, nè Hungari, Turca in Aſiam occupato, pacem ac ocium nacti, remiſſo bellandi exercitio, marceſcentes, hoſti aliquandò prædæ ac ludibrio eſſent. His inclinabat Rex, quem immortalitatis cupiditati ſic obnoxium natura finxerat, vt prò comparanda ſæpè gloria, grauiſſima quæquè pericula contemneret. Inſtigabat etiam religio, Sacroſanti collegij obſeruantia, orthodoxæ fidei charitas, & diuinus amor. Pontificis, ac Romani Imper. auctoritas, qui etiam vnius anni vectigalia Auſtriæ, item arma, commeatus, & tormenta quoquè bellica ad hanc vltrò expeditionem offerebat.

Ann. Sal. 1467. Variabant adhuc ſententiæ, cum legati à Turca miſſi interueniunt, pacem petentes. Id Turca fecerat, nè dum ipſe rebus Aſiaticis diſtinebatur, metus ab Europa relinqueretur. Id etſi ab Hungaris intelligeretur, in Bohemos bellum decernitur; fœdus cum Cæſare inſtauratur, approbata Auſtriacorum ſucceſſione, ſi abſque prole Regem mori contingeret. *Georgio* itaque Regi per fæcialem bellum indicit. Bohemus etiam nullam & ipſe timoris ſignificationem præ ſe ferens, è Praga mouens, in Morauiam conceſſit, vbi *Victorinus* filius, vir ſtrenuus, prouinciam regebat. Socia cum eo caſtra iungit, ac forti animo ad fines Morauiæ Hungarum opperitur. Laam profectus, in hoſtium conſpectu caſtra metatur, eaq; curribus circumuallat. Inter vtrumq; exercitum *Marus* amnis erat, qui Hũgariam ab Auſtriæ finibus, & vicina Morauia diſterminat. Menſis hìc teritur, nullo conflictu præter quædam ſimulachra prælij, quæ laſciuientes milites committebãt. Pares vires, & vtriſq; metus, audacia, numerus, robur. Par virtus ducibus, ſed diſpar ętas: quandò ſeptimum vix *Matthias* & vigeſimũ claudebat annum, quo *Georgius* ſexagenarius erat. Fortunam verebatur vterq;, & quandoq; ſuauiſſimæ affinitatis memoria recurrebat; alter filium, patrem alter appellare. Socer, & gener, pia hæc nomina bellum abhorrebant. Multa attentauit *Georgius*, quo vel per internuncios generum conciliaret, vel in ſententia perſiſtentem dolo circũueniret. His omnibus gloriæ ſtimulus aures obſtruit. Bohemus tandem, quæ ſui erant, abſumptis, retrò caſtra mouit, & *Victorino* ibi relicto, ipſe ad interiora regni loca recedens, nouum militem, quæque alia bello opportuna comparans, arces, præſidijs firmauit. *Matthias* cum *Victorinum* Trebitij relictum audiuiſſet, eò aduolat. *Victorinus* oppido egreſſus, cum præcurſoribus Hngaris manùm conſerens, rege ſuperueniente, fugã inire coactus eſt, & nè hoſtis fugientibus ſuis permiſtus, portam ingrederetur, ſuburbij domos incendit. Sed in oppidũ peruagato incendio, dum vrbani ad coercendum excurrunt, Hungari oppidum capiunt. *Victorinus* cum præſidiario milite, in proximam vrbi arcem, in edito mõte ſitã, confugit cum ſuis, qui nongenti erant, in quo ab hoſte ob-

CCVII. Bellum Bohemo à Mathia infert.

1468.

CCVIII. Victorinus fugat.

Ann. Sal. 1468. obſidetur. Expugnatio dies aliquot tentata; Dum hæc negligentiùs aſſeruatur, ecce tria equitũ millia intẽpeſta nocte à *Georgio* miſſa, clàm arcem ſubeunt. *Victorinum* cum nõgentis præſidiarijs, abſquè cunctatione ſubducunt. Secundũ *Victorini* fugam, *Mathias* arcem per deditionem accepit. Dein ad obſidendam Spilbergã ſitu, arte, validã pergit arcem. *Ann. Sal.* 1468.

FRIDERICVS CAESAR ROMAM PERGIT. Ann. 1468.

CCIX. INter hæc, Cal. Decemb. nunciatur Romæ, *Fridericum* Imper. ſoluendi voti cauſa, in Italiam deſcendere, quod ad Limina Apoſtolorum ex Germania vouerat, idque Venetorum literis certiſſimum haberetur, conuerſus Pontifex ad eum ſuſcipiendum, *vnum ex Secretariorum* (ait Bzouius hoc anno n. 9.) *ordine, quàm longiſſimè ire obuiam iuſſit, negotio iniuncto, vt crebris nuntijs de ratione vitæ, & cæteris, quæ cognouiſſet, ſine mora ſignificaret. Inde vocatis in conſilium Cardinalibus, quatuor ex diuerſis nationibus Epiſcopos deſignauit, Iudiceſque Rotæ duos, & Conſiſtoriales Aduocatos totidem, qui Secretario ſuccedentes, ſecunda ſalutationis officia exiberent. Delegit quoque Cardinalem Hoſtienſem, & Sancti Euſtachij, qui præſtarent tertia; non tamen vltra bidui viam progrederentur. Poſt hæc de ingreſſu in Vrbem agi eſt cœptum: cuius ſolennitas, cum neque ex cæremonialibus libris, neque ex omni hiſtoria reperiri tunc poſſet, (aliter enim cum coronam petit, aliter eum priuatæ rei cauſa venit, excipitur Cæſar) hæc deducendi ratio nouo exemplo eſt ſumpta.*

CCX. *Cognita via, quæ illi per Flaminiam erat, cum iam Piſauri Secretarius, & non longe à Spoleto Epiſcopi, Cardinales autem ſexto ab Vrbe milliario obuiam illum habuiſſent, die ipſo aduentus, quadruplex gratulatio à quatuor hominum generibus per interualla diei, & locorum eſt inſtituta. Primam ad mille paſſus trans Miluium pontem, ducente Procamerario præſtiterunt, Præfectus vrbis, & Conſeruatores, Regionum Capita, reliquique Magiſtratus Vrbani, in eam pompam compoſiti, quam ludis teſtacijs circumferre erant ſoliti. Secundam ad ipſum pontem Præſul Vrbinas, quem ſequebantur ſubdiaconi omnes, Iudices Rotæ, Clerici Cameræ, Cubicularij, Secretarij, Aduocati Diplomatum Scriptores, Item omnis ordinis Curiæ miniſtri. Tertiam, ad medium fere ſpatium, quod eſt inter portam, & pontem, Quæſtor ærarij. Hunc magno agmine comitabatur tota Pontificis familia Toparchæ Romani, & Duces belli; & præuntibus oſtiarijs, cuſtodibuſque Pontificum, his virgas ſericeas, illis argenteas clauas manu gerentibus. Vltimam Cardinales ante portam exhibuerunt, ad eam viæ partem ordine collocati, quæ venienti ſiniſterior eſſet. Hos cum primo aſpectu vidiſſet Cæſar, capillamento detracto, ſingulos apprehenſa manu, & dato oſculo ſalutauit, gratiæ, & benignitatis documenta oſtendens. Ingreſſo vrbem præſto fuit vmbraculum aureum, quo ſolennibus ſuis vti olim conſueuerat Pius: atque vna Romani Ciues per vicos diſpoſiti, qui illud hoſtilibus ſuſtinentes, toto itinere per vices ſuccederent. Morantibus cæremonijs, ad tertiam iam horam nox proceſſerat. Itaque antecedente ſecularium turba, quæ innumera erat, & ſequente Patrum Collegio, atque omni Clero moueri cœpit pompa, lucentibus vndique vijs multitudine cereorum, qui certatim accenſi diei claritatem præſtabant. A porta ad Aedem Marci Pontificiam itum eſt rectà. Inde ad dexteram flexum, & Pontificali via in theatrum Pompeij peruentum, denique ad Vaticanum, ad Baſilicam S. Petri proceſſum. Quacumque autem fuerat tranſeundum, imperatum erat, ad decorem, & magnificentiam vias ornari; Idque ſummo ſtudio pro ædibus ſuis quiſque impleuerat, pendentibus vtrimque verſicoloribus aulæis. Sed nox ſuperueniens abſtulit cuncta.*

Dum enim metus eſt, ne humore noctis (id quod in his ornatibus accidit) expoſita nitorem ſuum amitterent, detenſa iam erant omnino & domi recondita: paucis exceptis locis, in quibus maior fuerat honorandi Cæſaris, quam accipiendi incommodi cura. Ad ædem Sancti Laurentij in Damaſo, Præſul Vrbinas, cum omni comitatu, quem dixi, Quæſtoritem cum Palatinis Epiſcopis, & presbyteri Cardinales duo, ac Diaconi quatuor, ad Pontificem, ſicut inſtitutum erat, diuerſo itinere contenderunt, vt eſſent qui in Baſilicam deſcendenti aſſiſterent. Ad Baſilicam vero, quantum à primis gradibus ad ſummum altare repertinet, Collegia Religionum, Sacerdotiorumque, dextrra, & læua,

Ann. Sal. 1469. *& læua, in veſte ſacra diſpoſita erant, hymnos tranſeunti Cæſari concinentia. Ad primos quoque gradus Vicarius templi cum ſuo Collegio in mitra, & ſacro pluuiali religioſe illum accepit, Crucem, quæ in manu erat, porrigens oſculandam. Natalis Domini nox illa erat, & hora iam quinta. Itaque Pontifex, qui exſpectare Cæſarem, atque excipere ad portam argenteam in veſtibulo conſtituerat, indecorum iudicans id iam horæ eam rem fieri, in chorum aſcenderat, & ſacrum matutinum iuſſerat inchoari, altiori ſolio reſidens. Ad eum igitur per media hæc Collegia Imperator accedens, pedem, manum, & faciem oſculatus eſt. Sed poſt pedis, manuſque oſculum, alleuans eum altius Pontifex, & de Sede aſſurgens præcipuo affectu in vtrumque latus illum complexus eſt, moxque in propinqua Sede collocans inter ſe, Patreſque, ad dexteram media, ad complendum ſacrum ſuo ſe loco continuit. Eo abſoluto Diaconi Cardinales duo, quibus præceptum id erat, ad altare Cæſarem deduxerunt. Ad cuius ille aditum primum in genua procidens, tamdiu perſeuerauit orans, donec & votum abſolueret, & diuinæ preces ſuper eum à Pontifice mitterentur. Earum hæc fuit prima ſolemnitas. Cantauerunt alta voce duo ex choro;* Elegit eum Dominus, & excelſum fecit, præ Regibus terræ. *Ab omni choro reſponſum eſt;* Glorificauit illum in conſpectu Regum, & non confundetur. *Inde aſſurgens Pontifex ex ritu cæremonialium librorum peregit reliqua, choro, præfanti illi ad omnia reſpondente. Inde è ſolio deſcendens, dextramque Imperatoris apprehendens, in Pontificiam illum, atque indè in cubiculum, ad quietem perduxit. Cum vero non putaret hoc primo, ac pene tumultuario matutinæ laudis officio, tantæ nocti ſatisfactum eſſe, ſolennius aliud cenſuit iterandum, in quo & Cæſar, & Patres enſiſque ſacratus pro more adeſſent. Itaque ad horam duodecimam, paulo quidem ante primum diluculum, ſecundum indixit. In eo Cæſar vetuſto Sedis ritu, enſe de manu eius cum benedictione accepto, illoque vt erat nudus, armigero aſtanti tradito, camiſeum, ſtolamque albam, & pluuiale miniſtrantibus Diaconibus Cardinalibus ſumpſit, iiſdemque latus eius claudentibus, Euangelium lectionis ſeptimæ non iniucundæ cantauit, lectionem ipſam eorum alteri profequendam relinquens. Admonuerant inter veſtiendum cæremoniarum Magiſter, vt tranſuerſam ſtolam, & pluuiale ad ſiniſtram apertum acciperet. Sed ille audientibus, qui proximi erant Cardinalibus,* Non faciam *inquit: & vtrumque à collo ad pectus rectum induens, conuerſuſque ad Magiſtrum,* Sic, *inquit,* ſemper ſum ſolitus. *Suadente iterum illo, vt poſt Euangelium decantatum, pro aliorum conſuetudine, ad pedem Pontificis oſculandum aſcenderet, Germanico verbo, quod à circumſtantibus eſt intellectum,* & hoc *ait* etiam minime, *putans videlicet, vt creditum eſt, à vulgari aliorum obſequio, Maieſtatem Imperij ea in re vendicandam. Mane vero ipſo Natalis Domini ſolennibus Miſſarum operatus eſt Pontifex; in quibus poſt communicationem ſuam, Euchariſtiæ partem in hoc ipſum ſeruatam, Cæſari obtulit, ſubnixo quidem in genua, & ſuum honorem Sacramento reddenti. Ab altari ſub vmbraculo digredientes, venerandum Domini Saluatoris Sudarium, quod imperatum erat proferri, profecti ſunt. Inde pulpitum ſupra gradus Baſilicæ aſcenderunt, ex quo Pontifex ſolenni more benedicens plebi, quæ innumera ad viſendum concurrerat, ſummam peccatorum veniam tribuit. In ea denuncianda, quod ſemper Latine, & Italice per Diaconos Cardinalis fieri eſt ſolitum, cum in extremis verbis admonerentur turbæ, vt acceptæ gratiæ memores, pro Romana Eccleſia, & ſummo Pontifice orarent, additum eſt; & pro* Friderico *Imperatore noſtro, vt contra infideles, gentemque hæreticam diuinum illi ſemper ſubſidium adſit. Hæc fuit introitus ſui, & noctis, dieique Natalis Domini celebritas.* Ann. Sal. 1469.

Quarto poſt die in Conſiſtorium veniens, quod dari ſibi ob publicam cauſam popoſcerat, cum & Patres, & Germani Proceres quidam, & Regis Vngarorum Legati, & Cypri, & Venetorum frequentes adeſſent, in hunc modum per interpretem Lauentinum Præſulem locutus eſt. Iter hoc meum, ſumme Pontifex, ad reddendum Deo votum, libentius tamen ad ſalutem communem ſuſceptum eſt. Noſti clades per hos annos à Turcis acceptas, & quæ nunc imminent, vides. Egerunt Principes proximi, quod potuerunt. Curas eorum, & vigilias nouimus; non tam quidem illas felices, quam ſuo miniſterio dignas. Meis

Ann. Sal. 1469.

quoque Conuentibus, quos cum Germanis Principibus eius rei cauſa plurimos habui, ſucceſſus non fuit. Impedimentis aſſiduis vtrobique in caſſum abiere conſilia. Veni propterea ad te, vt quam ſalutis viam non cerno, ſi qua hic eſt, tuo iudicio videam. Chriſtianorum ſummus es Pater. Primam hanc curam eſſe oportet, proximam meam. Conſule in medium, & quid agendum ſit; monſtra. Ego, quæ ſuaſeris, quæque ad rem cenſueris opportuna, accipiam, libenſque iuuabo. *Ad hæc Pontifex, cum Patribus communicato conſilio (id certe, quod probatum non eſt) longa oratione, quæ ante ſe Pontifices, longiori, quæ ipſe in eam diem egiſſet, ſigillatim recenſuit. Quod vero ad poſtulatum attinuit, neſcire ſe dixit, quid amodò conſuli poſſet: ita iam conſilium omne exhauſtum cognoſceret. Rogare autem illum viciſſim, vt ſi quid attuliſſet ipſe ex Germanis prior proponeret. Dicente Cæſare, veniſſe ſe, non dandi, ſed accipiendi conſilij cauſa; Pontifice eadem iterante; in proximam ille aulam deliberaturus ſeceſſit, atque ibi horam pene continuam fuit. Reuerſus cum Proceribus, & Legatis, qui ſecum in conſilium ierant, obtemperaſſe ſe ait, neque in tanta conſiliorum inopia melius inueniſſe, quam vt Conſtantiæ, quæ Germaniæ ciuitas eſſet, Italiæ propinqua, Conuentus Principum indiceretur, ad quem, & ambo accederent, & reliquos omni diligentia conuocarent. Venturum eo, quantum crederet, Vngarorum Regem Matthiam, id, quod præſens Legatus eius ſponderet. Hunc vero laborem ideo neceſſarium duci, quod quæ commune opus requirant, hæc & communi conſilio adminiſtranda putentur. Non placuit Pontifici ſententia. Ab exemplo præteritorum Conuentuum, hunc quoque inutilem futurum contendit. Deliberaturum ſe nihilominùs amplius dixit, atque alio tempore reſponſurum. A meridie in noctem protracta iam conſultatio erat. Itaque Conſiſtorium, & Cæſarem ſimul dimiſit. Dubitatum poſt hæc à pleriſque eſt, qui penſitare hæc diligentius voluere, Cæſariſne, an Venetorum petendi Conuentus conſilium fuerit. Etenim magno ſtudio à Venetis res agebatur perſtudioſis tunc rerum Imperij. Qui fuiſſe Cæſaris arbitrabantur, cum niſi per Legatos conuenerit, numquam Cæſar, quæſitam æſtimabant, non tam proficiendi ſpem, quàm oſtentandæ religionis occaſionem: vt ſi quando maioribus ingruentibus malis, querelæ populorum de Imperio, & Pontificatu eſſent, culpam omnem deſertæ ſalutis reijcere in Sedem Apoſtolicam poſſet, amiſſamque vocante Mantuam Pio ſuam æſtimationem, vocato nunc Conſtantiam Paulo redimeret. Qui vero inuentum hoc Venetis aſcribebant, procuratam per hanc ſpeciem, priuatam eorum rem aiebant, non publicam. Videlicet, vt perlata ad Turcos tanti Conuentus fama, terrore illis iniecto, vel pacem in ſuas leges conficerent, vel ad innouanda fœdera Italorum, Pontificem, quo abſente tutiora eſſent domi omnia, incitarent. Quæ quidem nec ipſi petere, propter elationem vellent, nec præterire propter neceſſitatem poſſent. Igitur proximo poſt Conſiſtorio, vocatis iterum ad Concilium Patribus, cum de reſponſo ſententiæ dictæ eſſent, cenſuit Pontifex, quacumque ratione Conuentus is peteretur, non videri è republica eſſe; quando, & præſens temporum conditio non poſtularet, & præteritorum exempla documento certiſſimo eſſent. Placuit quoque, ne veniente ſæpius in Senatum Cæſare, (id, quod ſine grandi exſpectatione eſſe non poterat) ſtudio rerum publicarum vincere Sedem Apoſtolicam videretur, quatuor ex Patribus ad eum in cubiculum mitti, qui decretum hoc nunciarent. Ij vero collocuti diutius, cum miſſum iam eſſet Concilium, ad Pontificem rediere, ſummam hanc referentes. Placere nihilominus Cæſari conuentum monſtratum, & Conſiſtorium iterum quæri, in quo de hiſce rebus agi amplius poſſet. Id vero cum triduo poſt permiſſum eſſet, conatus eſt populari magis oratione, quam graui argumenta Patrum diluere, quibus ratio habendi conuentus non fuerat approbata. Ad quæ omnia, etſi diceret Pontifex, ex Germanorum conſuetudine, à Germano homine ſecum non agi, quorum ea lex ſit, vt poſt decreta in conſilijs, nil poſtulent vltra, eadem tamen ferme, quæ per Cardinales nunciata erant, recenſuit, argumentiſque inuicem collatis, ſua propria vero eſſe oſtendit. Orans itidem, vt quæ dicerentur, & fierent, pia voluntate acciperet, quando nec tepiditas vlla, nec metus, ſed tota*

Sal. Ann. 1469.

ipſo-

Ann. Sal. 1670.

ipſorum ratio à iudicio ſuo cogeret ſe, & Patres diſsentire. Duo tamen communi animo ſunt conſtituta: alterum, vt litteræ ad Principes vtriuſque nomine mitterentur, quibus illi ad Calendas Nouembris anni venientis, Legatos ſuos, Romam mittere rogentur, de ratione tuendæ fidei cum Pontifice acturos: alterum, vt Venetis diutino Turcorum bello exhauſtis, decimæ Clericorum, Hebræorum viceſimæ, & ſecularium trigeſimæ in ditione ſua concederentur; quales decreto Mantuani conuentus Pius olim Italis quibuſque indixerat. Et hic quoque poſtulatorum Cæſaris exitus fuit. Non multo poſt, cum totos Septemdecem dies Romæ fuiſset, in Germaniam reuerſus eſt. Multis eum interim Paulus, magniſque demeritus officijs eſt. Numquam cum proceſſerunt, paſſus eſt, niſi ex æquo eſſe; plerumque autem dextera eius apprehenſa. Bis quoque ad cubiculum ſuum deſcendit. Die, quæ Circumciſionem Domini præceſſit, peracto Laterani ſacro veſpertino, ad veneranda Apoſtolorum Petri, & Pauli capita conſtituto ponte, per quem ex æquo iretur, intra ferreos cancellos perduxit, & poſtridie ad Vaticanum rediens, albo æquo falerato, & aurea veſte donauit: volens videlicet, vt cum antea atratus Cæſar ſemper fuiſset, ſolenni illa tranſmiſſione Imperatoris ornatu procederet. Ad pontem porro Adriani, eodem itinere cum Patrum Collegio ſubſtitit, ſpectauitque amplius horam continuam, Germanos innumeros, quos ille in eo loco equeſtri ordine vetuſto ritu donauit. Præterea gratias ſpirituales, eaſque gratuitas innumeras contulit. Victum ſibi, & comitatui, qui ſexcentorum amplius equitum fuit, largiſſimum præbuit. Abeuntem denique diuerſis, duum millium aureorum muneribus eſt proſecutus, & Præſules nonnullos ire ſecum ad vſque Cæſenam iuſſit, qui totis Eccleſiæ oppidis ad impenſam itineris, & diuerſionum commoda neceſsaria imperarent. Quæ omnia eo munificentius ſtudioſiuſque collata ſunt, quod notiſſimum erat toto eius Imperio, propugnatorem eum fuiſſe Romanorum Pontificum, & nec abijſſe vmquam in impiorum conſilia, quibus trans Alpinæ nationes, ſine cauſa, ſæpe, in ſedem Apoſtolicam tumultuarentur.

GEORGII REGIS BOHEMIAE OBITVS. Ann. 1470.

POſt nouem menſium obſidionem capta
CCXI. Spilberga, *Mathias* Olomucij ab ijs or-
dinibus, qui veterem religionem tenebãt, Rex
Bohemiæ, & Marchio Morauiæ ſalutatur. In-
dè à Sileſijs vocatus, primam Vratislauiam
adit, totaque circa eam in ditionem recepta,
CCXII. in Morauiam reuerſus, *Victorinum*, qui eo ab-
Victorinũ obſidet. ſente aliquid molitus erat, in oppidulo Vveſ-
ſale obſidet, qui loco non ſatis fidens, cum
iterum fugam meditaretur, à prætoriana co-
horte captus, in conſpectum Regis adductus
Georgij obitus. mortem deprecatur. *Mathias* verò bono eſ-
ſe animo iubet, ſi abiectis paternis documen-
tis, ad ſemitam Romanæ rediret Eccleſiæ.
Georgius audita filij captiuitate, præ dolore
contabuit, nec longè poſt deceſſit, Anno
1670. *Mathias* cognito hoſtis interritu, inge-
CCXIII. muiſſe dicitur; fortunam nè animi iacturam
indoluerit, an dolorẽ ex arte ſimularit, nemo
exploratum habuit: in prouinciam properan-
dum eſſe cenſuit, vt cum Bohemis regalia in-
ſtarent comitia, per legatos ipſe coronam pe-
teret, quamuis competitores ſibi non defutu-
ros cognoſceret. Cuthnam conuenère Bo- CCXIV.
hemi, vt ex more Regẽ eligerent. In comitia
varij competitores deſcenderant: cum pri-
mis, Hungariæ ac Poloniæ Regum legati. *Competitores pro Corona Bohemica.*
Nec Imperator ambitione carebat: & clam
ſibi honorem deferri expoſcebat. *Georgij* Re-
gis filij quaſi hæreditario iure dignitatem
ſperabant. *Mathiæ* Legati ægrè auditi quùm
in Bohemos bellum gereret. *Bohemiam ab*
Hungaria ſinè detrimento ſeiungi poſſe nega-
bant. Mutuò adiuuari, coaleſcere, ſub Sigiſmun-
di, Alberti, & Ladislai temporibus viſum erat.
Mathiam ſi regali hac, et legitima electione de-
coretur, æternam libertatem, ac vectigalium
omnium remiſſionẽ polliceri. Hæc orantibus le- CCXV. *Mathias excluſus a regno Bohemiæ.*
gantis, muſſitabant hæretici, cultum obdu-
cebant, quandoque orantem interpellabant,
repulſa *Mathiæ* palàm data, numquàm ho-
ſtem ceruicibus præficiendum, clamantes.
Sic Cæſaris legati, æquis parùm auribus au- CCXVI. *Cæſar Bohemiæ coronam petit, nec auditur.*
diti; neque initum fœdus, veteraque pacta
ſubticuère, quibus Bohemos, deficiente
regia prole, ad Auſtrales principes confuge-
re,

Ann.Sal. 1471. re oportere aſſeuerabant: officij, dignitatis
& pacta admonebant. Ad *Georgij* plerique
filios, id potiſſimùm hæretici, recurrendum
cenſebant. Sed *victorini* caſu deterriti, ad-
uersùs competitorum vires, parum in eo eſſe
ſuſpicantes præſidij, remiſſiùs agebant. In-
CCXVII. *Vladiſlaus Polonus Rex Bohemiæ.* troducti demũ fuere Poloni, qui grandia pol-
licebantur. *Caſimirum* Regem, omnia Regni
debita ſoluturum (quę trecenta aureum num-
mum millia excedere dicebantur) Pontificem
ipſis conciliaturum. Polonos gentiles, atque
cognatos Bohemos, vti ex duobus fratribus *Ann.Sal. 1471.*
oriundos: ita fraternis vtroſque animis in-
ter ſeſe meliùs, quàm Bohemos cum Germa-
nis, aut Hungaris coalituros, cum quibus
neque animorum firma coniunctio, neque
linguæ commercia intercederent. Plurima de
Vladislai indole laudes congeſsère, vt Bohe-
mos in admirationem traherent, & ad *Vla-
dislaum* inclinarent. Igitur ad VII. Cal. Iu-
nias, *Vladislaum* filium *Caſimiri* Regis Polo-
niæ ætatis quindecim annorum, Bohemiæ



Regem renunciant. Moritur hoc anno *Al-
bertus Pius* Boiorum Dux, ſucceſſores habuit
Sigiſmundum, & *Ioannem* filios. Hunc pe-
ſtilentia ſuſtulit: Ille purpuræ quietem prę-
ferens, Principatum *Alberto* fratri cogno
mento *Sapienti* vltro tradidit & à publicis cu-
ris ſemotus cælebs prouixit ad Cal. Feb. Anni
CCXVIII primi ſupra Milleſimum quingenteſimum.
Cæſar Vladislao fauet. Hæc Bhoemis gerentibus, Ratisbonæ co-
mitia coegerat *Fridericus* Imp. ad commu-
nem pacem. An Bohemorum electio rata
eſſet habenda? diſceptatum. Improbabat
Pontifex vti ab hæreticis factam. Nè con-
firmaretur curabant *Mathiæ* legati, quia is
puer à Pontifice electus eſſet, & ſangui-
nis pretio prò Chriſtiana Repub. in Turcas
emiſſi, iam emeritus eſſet. Cæſaris verò
exemplum ſequuti proceres ad *Vladislaum*
inclinarunt, non ſinè indignatione Pontifi-
cis, & *Mathiæ* vindicta. Qui repulſa irri-
tatus, in Bohemos excanduit; & quamuis de CCXIX.
Turcis nuncium accepiſſet in Sauo noua mo- *Mathias*
lientibus, nihil tamen de vltione remiſit, ſed *Bohemiã populatur.*
è Morauia in Bohemiam irruens, totam in-
curſionibus, & incendijs latè vaſtauit. In-
teſtinis poſtea motibus Hungarorum, quos
Strigonienſis, alijque Epiſcopi excitauerant, CCXX.
vt *Caſimirum* Caſimiri Poloni filium, *Vladiſ-* *Caſimirus*
lai fratrem coronarent, reuocatus in patriam, *filius Caſimiri.*
proceres partim metu, partim promiſſis ſibi
recōciliauit. *Caſimirus* exhauſto ærario, vix à CCXXI.
Mathia fugiendi ſpatium, corona abiecta im-
petrauit. Curauit poſtea per legatos *Sixtus IV.* 1472.
qui Paulo II. in Pontificatu ſucceſſerat, Reges
Chriſtianos ad concordiã reducere, & in Tur-
cas armare. Vrgebat idē conſilium *Vſſumcaſ-
ſanus* Rex Perſarum, qui Aſia ferè tota minori
occupata, graui bello Turcas vexabat, quare
Chriſtianos adhortabatur, vti Græciam, mi-
lite exhauſtam inuaderent. Cum Cæſare *Ma-*

thias

Ann Sal. 1473. *thias* conuenerat, vnde ſpes aderat rei benè
CCXXII. *Mathiæ pax cum Cæſare.* gerendæ, ſi cum Polono tranſigere voluiſſet. Bellicoſi tamen animus non ferebat ſibi à Polonis ereptam Bohemiam, ab iiſdem concitatos Hungaros. Pax cum Turcis, *Caſimiri* inopia, fortuna proſpera ad vindictam offenſum Regem excitabant. *Caſimiro* offerente pacem, non ea ſibi opus eſſe *Matthias*
CCXXIII *Pacem cũ Polonis reſpuit.* reſpondit; *venturum ſe breui, & caluo reliquos crines euulſurum.* Anno ſequenti, qui fuit 1473 non bis habito conuentu, tandem controuerſia ad *Caroli* Burgundionum reguli, (aut *Ludouici* Regis Gallorum arbitrium reiecta. Exoptauerat *Carolus*) cuius ſermo incidit) diù cum Cæſare habere colloquium: Auguſtæ Treuirorum eum conuenit, vbi
CCXXIV. *Carolus Burgũdus ambit titulum Regis.* *Maximiliano* filiam ſuã *Mariam* deſpondit nuptias tamen celebrari negat, niſi priùs eum Regem, ac Imperij legatum, & vicarium Cæſar renunciet. Id ſi fieret, omnia ſe ab alijs Imperio erepta, armis recuperaturum. Tanta petitio *Friderico* improba videbatur, cui reſponderi haud poſſet, abſque Principum conſenſu. Poſt longam diſceptationem *Carolus* Cæſarem Nonis Octob. ad prandium vocauit, tanto luxu inſtructum, vt Regum inuidiam excitaret, non ſine offenſa Cæſaris,
CCXXV. *Caroli Burgundi luxus.* nam *Caroli* affectatus ſplendor frugalem Cæſaris continentiam in contemptum adducebat. Geldriæ indè ducatu, ac prò alijs ditionibus imperio obnoxijs, fide Cæſari data, cum Cæſarem minimè repulſam daturum
Regalia petit inſignia fideret poſtulatis ſuis, ſubſellia in templo, ſolium, ac reliqua quæ ad celebrandam coro- *Ann.Sal. 1474.* nationem faciunt, parari iuſſerat. Cæſar verò indignum hoc ſuæ maieſtati ducens, nec dato reſponſo, in Vbios abijt, à Colonienſi- CCXXVI. bus magno exceptus honore. Diſſidebant *Diſſidium Canonico lon.cũ Ruperto Bauaro.* Epiſcopus *Rupertus Bauarus*, & Canonici ob quædam oppidi pignori tradita. Canonici icto cũ oppidanis fœdere, *Hermannum Haſſiæ Landgrauium* ſuarum rerum defenſorem eligunt. Eiuſque frater *Henricus* iam cum exercitu aduenerat, ſed cum *Fridericum* adeſſe audiuit, maiori ceſſit. *Rupertus* ad Cæſarem vocatus, non venit ipſe, ſed per legatos reſpondit; ſibi tutorem eſſe *Carolum Bur-* CCXXVII. *gundum*, Canonicis *Landgrauium*; ipſi componerent. Cæſar vtroſque ad concordiam 1474. hortatus, Auguſtam redijt. Ibi in Senatu *Fridericum* Palatinum *Cæci* filium, quia ab CCXXVIII obitu *Ludouici Pij* fratris, tutelam gerens *Cæſar proſcribit Fridericum Palatinũ.* *Philippi* nepotis ſui, regalia à Cæſare accipere neglexerat, proſcripſit. Armiger erat, ille victorijs tumidus, nam tres ſimul principes, *Carolum Badenſem*, *Georgium* eius fratrem Mediomatricum Antiſtitem, ac *Vdalricum* Vuirtembergicum vno die captos, ingenti pecunia multauerat. Hinc ſuperbè agẽs, Ambergenſiũ Senatores duodecim, quòd in verba ipſius iurare noluiſſent, capite plecti iuſſerat. Venère quoq; Polonorum & Bohemorũ CCXXIX. legati, quibus confirmationem *Vladislai* promiſit Cæſar, ſi interim de *Caroli Burgundi*, aut Francorum Regis arbitrio, in Oppauienſi conuentu decretum irritarent.

BELLVM IN CAROLVM BVRGVNDVM. Anno 1474.

IRritatus *Carolus* repulſa, quam Treuiris paſſus erat poſt debellatam Germaniam, Italiam ingredi parabat, ac cunctis deuictis
CCXXX gentibus, ſe Orbis dominum fore ſperabat, vigilabat, vti ſub honeſta aliqua ſpecie arma mouèret in Cæſarem. Fortuna arriſit. Vo-
Carolus in Vbios mouet. catus à *Ruberto Bauaro*, in Vbios mouet. Coloniam caduceatore præmiſſo, Epiſcopo ablata reſtitui, ſe Epiſcopatus protectorem iubet agnoſci: inſignia domus Burgundicæ vbique erigit. Noueſium (quod infra Coloniam ad quatuor milliaria ſitum) arctiſſima obſidione cingit, nihilq; diu noctuque omittit, vt ciuitate potiatur. Oppidani contra, animo, viribus fortes Deum, homines implorabant, vt hoſtem eluderent. Nec defuère ſocij. Nam Colonienſes cum fœderatis, quindecim hominum millibus, inſeſſa altera Rheni ripa nè quid in hoſtium caſtra importaretur, prohibentes, difficilem *Carolo* obſidionem reddebant.

Peiora etiam in Heluetijs paſſus eſt *Carolus*. CCXXXI. *Sigiſmundus Auſtrius mouet in Burgundum.* Ditiones quaſdã ei *Sigiſmundus* Auſtriacus oppignorauerat: in quibus *Petrum Hagenbachium*, hominem ſuperbum, crudelem præfecerat. Hoc ſubditos præter ius faſquè affligente, querelam tyrannidis apud *Sigiſmundum* detulère. Is ſuorum precibus motus pecuniam acceptam à *Carolo*, numerare paratus, ditiones pignori datas repetebat:

Ca-

Sal. Ann. 1475. *Caroli* tergiuerſantibus præfectis, apud Baſileenſes depoſuit. Heluetij conuentu Conſtantiæ indicto, cum *Sigiſmundo* fedus renouant: in ſocietatem Baſileam, Argentoratum, Columbariam, Seleſtadium adducunt, cum alijs quibuſdam ciuitatibus, quibus tyrannus odio erat. Fœdus hoc *Ludouicum* Gallorum Regem habere dicebatur auctorem. *Sigiſmundus* igitur *Hagenbachio* à Briſacenſibus, (apud quos principem ſuum expectabat) carceribus dato, accepto Heluetio milite, omnes ditiones ſuas, pecunia non ſoluta, recepit; vbique eum populi vt patrem venerantes. Briſaci dein accuſatus *Hagenbachius* ab ijs, quos iniuria affecerat, & conuictus pœnas capite luit. Eo facto irritati Burgundi, numero octo millium Suntgouiam ingreſſi, agros latè populantur, ſexui non parcentes, nec ætati. Ferretani ad trecentos in proximum Burgundorum agrum excurrentes, à prouincialibus cæſi; vix Sexta eorum pars domum rediêre.

Heluetior fedus.

1475. Interim *Fridericus* à Colonienſibus ſæpè vocatus, veritus, nè *Carolus* pulcherrima

CCXXXII. Imperij parte potiretur, collecto milite, ad medium Ianuarij, in Vbios profectus, Lincium, quod *Caroli* tenebatur præſidio, obſidet; *Alberto Brandenburgico* Rimagum cum parte exercitus miſſo. Rimagenſes, poſt octo dierum obſidionem, vitam pacti, ſe ſe dediderunt, quorum bona à militibus direpta. Idem fecere Lincij. Cæſar circa Palmarum ferias ingreſſus, Iuliacenſium principem, quòd *Carolo* ſtudèret, ad ſe vocat; ſe excuſantē, quòd viribus *Caroli* reſiſtiſtere non poſſet, iterum citat ſub pœna priuationis omnium, quæ teneret ſub imperio. Hoc nuncio accepto, venit protinùs, & Cæſari conciliatur. Curabat *Chriſtiernus* Danorum Rex, cum *Io:* Saxoniæ principe, qui Roma redierat, ad pacem *Carolum* flectere, ſed fruſtrà, renuente *Carolo*. Elicurtum interim Burgundiæ oppidum obſidebant Heluetij, qui iam *Carolo* per litteras bellum indixerant. Nec eos auertere potuit Comes montis Rotundi, ex Sabaudiæ principibus, qui *Carolo* militabat, licet cum valido exercitu eos eſſet aggreſſus; imò ab ipſis in fugam actus, mille octingentos ex ſuis amiſit nullo eorum incommodo.

Cæſar mouet in Burgundum.

CC. XXXIII. *Ludouicus* quoque Gallorum Rex, ab obſidionis Noueſianæ initio, viginti millia militum in hoc bellum ſe miſſurum promiſerat, quamprimùm Coloniam veniſſet Ceſar. Inſtante itaque Friderico vt pacta mitterentur auxilia, ſpem verbis fouebat Gallus, clam tamèn à *Carolo* pacem poſcebat, vel inducias, nè cum Anglo ſociaretur Burgundus, & belli molles in Galliam incumberet. Miſſo itaque ad Cæſarem legato *Tercelino*, moras excuſat, auxilia confirmat, iam alibi *Carolo* intuliſſe arma gloriatur, pacem nè faciat, ſuadet, ſed ditiones; quæ ad Germaniam pertinent, occupet; idem ſe de Burgundia, Flandria, quæ Gallici iuris eſſent, facturum.

Ann. Sal. 1475. Ludouicus Rex Galorum fedus petit in Carolum.

Cæſar verò cognita Galli fraude, eleganti apologo legatum eluſit. *Tres olim iuuenes* (inquit) in caupona probè paſti, cum æs non haberent, promittunt hoſpiti, vrſum ſe ſe vicinos euaſtantem agros, occiſuros cuius pelle diuendita, ſymbolum perſoluturos. Egreſſi obuium habuère vrſum, ſed territi arripuère fugam; quorum vnus in arborem vicinam conſcendit, alter in oppidum, tertius cæteris tardior in terram prouolutus, retento halitu ſe mortuum fingit. Vrſus ori, auribus, naribus admoto rictu, cadauer eſſe credens, recedit. Metu depoſito, domum redeunt. Qui in arbore erat ſocium per iocum rogat; quid illi vrſus in aurem dixerit. *Monuit* (reſpondit) *nè pellem cuiuſquam feræ* CC. XXXIV. *vendamus impoſterum, priuſquàm capiamus*. Ita Gallus cum *Caroli* inhiaret ditionibus, militem verò nullum mitteret ad commune periculum: ſed inter litigantes, quorum fouebat diſſidia, gaudere ſperaret. Timebat *Carolo Eduardum* iungi Anglorum Regem, quorum fœdus anxiè formidabat.

Gallum deludit Cæſar.

Fridericum itaque Noueſium verſùs ducentem, ſequebantur Colonienſes mille quingenti, vno omnes veſtitu, albo ac rubro induti. CC. XXXV. Venère in caſtra *Henricus Scuabrzemburgicus* Epiſcopus Monaſter: cum Saxonibus, & Thuringis, ad ſexdecim hominum millia: *Chriſtophorus* Marchio Badenſis: *Henricus* princeps Haſſorum: *Adolphus* Magontinus: *Ioannes* Treuir Electores: Guillielmus Aichſtetenſis, *Matthias Spirenſis*, *Reinhardus* Vangionum epiſcopi; *Sigiſmundus* Auſtriacus, *Ludouicus Albertus*, & *Frideri-*

Cæſar mouet in Carolum.

cus

Ann Sal. 1475. cus Bauari, *Erneſtus* Saxo, *Albertus* Brandemburgicus, *Voldemarus Anhaldinus* principes Octoginta hominum millia fuiſſe dicunt in caſtris. CC. XXXVI. *Carolus pugnam offert.* Milite inferior erat Burgundus, non tamen animo, ſed quaſi ferox nec obſidionem remittebat, nec bellum detrectabat. Relictis, qui vrgerent obſeſſos, & ſuppetias ferentem prohiberent, reliquos in pugnam educit. Haſtatis præerat Comes *Chimaius*. Peditibus *Guido Himbercurtius* comes Meganus. Non. Cal. Iunij initur pugna. Cępère Itali bellicis tormentis Cæſaris caſtra vexare. *Acies Caroli cum Cæſare.* *Monaſterienſis* licet cognatione attingeret *Carolum*, cum Colonienſibus ſtrenuè rem Cæſaris gerens, aduolauit in hoſtem: vtrinque pugnatum fortiter, non tamen aperto Marte. Decimo Cal. *Carolus* iterùm eductis copijs, vt Cæſarem ad pugnam eliceret, receſſum ſimulat, vbi Cæſarianos inſequi videt, conuerſis ordinibus, hoſtem aggreditur, vrget, inclinare cogit. Iam cecidiſſent, ni *Monaſterienſis* Vveſtphalorum equitatu fortiſſimo impetum ſuſtinuiſſet, quoad cæteri Germani aciem inſtruerent. *Brandemburgicum* laudant, cuius geſta hac die præfulgent. Nox prælium diremit, vtrobique morte latè graſſante. Poſtero die, de ſumma rei iam ſperabatur certandum. Miles in Procinctu erat, cum *Alexander* Foroliuienſis Epiſcopus, Pontificis per Germaniam legatus, CC. XXXVII. *Pax inter Cæſarem & Carolum.* trium dierum inducias ab vtroque impetrauit: dein in colloquium venientes Cæſar, & *Carolus* paci ſtudentes, is quia à Gallorum Rege ſibi bellum parari; à *Renato* verò ac Heluetijs iam geri; à Lotharingo indictum cogitaret. *Fridericus* autem ſua natura à bello abhorrèret, & Galli ſocietatem *Caroli* affinitati poſtponeret. Pax itaque initur & *Ruperti* controuerſia Pontifici remiſſa, Noueſium interim Legato fideicommittitur. CC. XXXVIII. Pax ea eſt conditione inita, vt *Maria* filia *Caroli* nuberet *Maximiliano* cum omnibus hæreditarijs prouincijs, ſi nulla alia pròle auctus moreretur. Burgundus in Italiam Romano Imperio reluctantem tenderet: quam ſi ſubiugaret, à Cæſare Rex Italiæ appellaretur. Diſplicuit Gallo coniugium, nihilque non au-

ro, & ferro attentauit, vt filio ſuo nuptias illas conciliaret, etiam poſt inita cum *Maximiliano* ſponſalia. *Ann. Sal. 1475.* In fœdere non incluſi Heluetij, *Sigiſmundus*, nec princeps *Renatus*. Hinc orta contentione inter vtriuſque peditatum, vtra pars prior campo excederet. Colonienſes quoque naues aliquot *Caroli* onerarias abduxerant: hinc *Carolo* abire nolenti, niſi ablata reſtituerentur, cum iuſſiſſet Cæſar reſtitui, abijt in Brabantiam *Carolus*; in Bauariam *Fridericus* cum *Maximiliano* filio, *Sigiſmundo* Auſtrio, *Alberto* Brandemburgico, ac omnibus ferè reliquis Imperij principibus ad nuptias, quas habuit *Georgius Ludouici Diuitis* filius, cum *Heduige* Caſimiri Poloni filia. CC. XXXIX. *Georgius filius Ludou. diuitis ducit Heduigem.* Huius nuptias ſæpè à *Mathia Coruino* petitas diſtulit Cæſar, & ab *Eliſabetha* vxore (ad cuius nutum *Caſimirus* regebat) *Mathias* ſpretus *Beatricem* duxit *Ferdinandi* Neapolitani Regis filiam, latini idiomatis gnaram, atque eruditam. *Heduigem Caſimirus* parens vnà cum regina matre Poſnaniam vſquè deduxit. Indè commendatam *Caliſienſi*, & *Lenezicienſi* CCXL. *N... Mathiæ cum Beatrice Neapol.* Palatinis, cum nobiliſſimo ſeptingentorum, quà virorum, quà matronarum ac virginum comitatu, in Bauariam dimiſit. Aduenienti non modò ſponſus cum amicis Principibus, ſed & *Fridericus* Cæſar obuiam prodière. Poſt auguſtiſſimam nuptiarum pompam Haſtiludium celebratur. In hoc *Lublinenſis* dynaſta, ſpon- CCXLI. *Lublinenſis faſt...* ſam honoris cauſa ex Polonia ſecutus vaſto ac mirè robuſto corpore, Germanicæ nobilitatis palæſtras velut puerorum ludicra irridebat, auſus quemcumque ex omni equeſtri ordine, vel Principem ad ſingulare certamen prouocare. Mille aureos pactus ei, qui victor euaderet. Re vera nemo erat qui giganteam molem hominis numquàm antea viſi expendens; ſine horrore de pugna cogitaret.

Iraſcebantur tamen omnes probroſæ prouocationi. CCXLII. *Certamen equeſtre Chriſtophori Bauari.* Cæſar ægrè ferebat contemptum nominis Germanici. Eius voce excitatus Dux *Chriſtophorus Alberti Bauari* frater, intrepidè conditionem accepit certaminis. Condicta die proditur in

O are-

Sal. Ann. 1475. arenam. Ibi contra leges Agonales *Lublinius* ſubiectis locis ephippio adſtrinxerat, nè qua vi poſſet in terram excuti; quod cum comperiſſet *Chriſtophorus*, vt erat cataphractus, equo deſiliens, idem à *Lublinio* exigit, velut pugnæ præludium. Is tergiuerſando, riſum mouebat. Tandem cum diutiùs fraudem ſinè ignominia non poſſet tegere, lora iubet præſecari, ſequè ex equo deponi, ſed ſubſannantium omnium exceptus cachinnis. *Chriſtophorus* ſat præluſum inquiens, facili ſaltu, ſe rursùs librat in equum, iubetquè. *Lublinum* hoc ipſum imitari. Sed is minimè potuit; vndè à pluribus ægrè in equum repoſitus. Signo concurrendi ex lege dato, *Chriſtophorus* aduerſarij lanceam illeſus, & equo firmus excipiens, ſuam tanta deſteritate in *Lublinij* pectus impingit, vt is in terram effuſus, venis impetu ruptis, ſanguinem vomeret: Vitam protraxit ad triduum. *Chriſtophorus* ſuo tempore omnium fortior, & agilior (nam & hodiè viſitur in Monacenſi propylæo Silex trecentarum Sexaginta quatuor librarum, quem ille ſublatum facile iactabat ad multos paſſus. Fixi ſunt in pariete claui altitudinis pedum duodenum, quibus oſtenditur, quouſquè *Chriſtophorus* ſe ſoleret in aerem ſaltu librare) ex duello ſaluus rediens, fauſta acclamatione, vindex Germanæ gloriæ ab ipſomet Cæſare eſt exceptus. Ann. Sal. 1475.

BELLVM CAROLI IN HELVETIOS.
Anno 1475.

ARma in *Carolum* gerente *Friderico*: quieuerat *Mathias* Rex Hungarorum, etſi in Bohemos, ac Polonos infeſtum gereret animum, quia à Turcis bellum imminebat, inducias ad triennium fecit, ſed parùm ſanctè ſeruauit. *Mathias* namque quietis impatiens, *Petro Comorouio*, quòd *Caſimirum* filium ad ſe recepiſſet, Septem arces ad Sileſiæ fines ſitas ademit, nec Morauiam infeſtare deſijt. CCXLIV *Carolus mouet in Renatum Lotharingum.* *Carolus* interim arma in *Renatum* Lotharingiæ principem vertens, Nanceio ciuitate expugnata, tota eum prouincia excedere, & ſolum vertere coegit, adeo vt Heluetij aliquandiu neſciuerint, vbi terrarum lateret. Stabant prò *Carolo* Anglorum Rex, Dux Mediolani; non CCXLV. propterea animo deficientes Heluetij, in Sequanis Ponteclinum, Blamontium, in Allobrogum finibus Paterniacum, Romontium, Eſtauiam, Moretum, Ebrodunum, vi vel deditione cæperant. Anno porrò ineunte Septuageſimo ſexto, Heluetios adorſus *Carolus*, Granſeiam, ſub monte Iura ad lacum, primò expugnat, milites deditione facta, miſerè omnes aut ſuſpenſi, aut ſubmerſi perière. Indè abiens *Carolus*, obuios Heluetios habuit, qui ſuis auxilio miſſi, ſerò aduenerant. Sublato clamore, pugna conſeritur, Burgundi fuſi, fugatique milites non paucos, & diuitem amiſerunt ſuppellectilem, cuius precium plerique ignorabant. *Vincitur.* Hi annona, bellicis tormentis, opibus ditati Granſeiam properant, qua recepta, ſocios ſepulturæ tradunt. *Carolus* reparato exercitu, Moretum aggreditur, vbi mille præſidiarij acriter ſe defendebant. In ſuppetias obſeſſorum accurrunt Heluetij, cum Argentoratenſibus, & Baſileenſibus fœderatis; iunguntur equites *Sigiſmundi* quos ducebat *Henricus* Comes Goritienſis, & *Renatus* Lotharingius, qui *Ludouici* Gallorum Regis fruſtratus auxilio, arma Heluetiorum ſequebatur. Cruentum conſeritur prælium, in quo Burgundi ſuis ipſi iterum implicati tormentis ad triginta hominum millia perière, *Carolus* vix fuga euaſit. *Romontius* ab altera oppidi parte oppugnationi intentus, de ſociorum periculo ignarus, cum ſtragem cognouit, machinis in mœnia exploſis, & ipſe fuga ſalutem quæſiuit. *Carolo* in Sequanas profecto, paucis diebus oppida omnia recuperarunt Heluetij, quæ *Renato* donauère; Nanceio poſt tertium obſidionis menſem, in ſuam poteſtatem redacto. *Carolus* rerum vices ægre ferens, nouo delecto milite, ipſa hieme CCLXVII. *Carolus Nanceiũ obſidet.* Lotharingiam ingreſſus, Nanceium iterum obſi-

Ann. Sal. 1477. obſidet. Tentauit ſuccurrere *Renatus*, ſed viribus impar, retroceſſit, vicinos excitaturus Heluetios. Erant apud *Carolum*, qui obſidionem diferendam ſuaderent, cum fata inſtarent, conſilij tenax, & turgidus ſana ſpernebat conſilia. Fiebant interdùm leues velitationes, donec *Renatus* cum Heluetijs, aliorumque fœderatorum adueniens auxilijs, Cœli carnifex *Carolo* mortem tulit. Recta itaque ad *Caroli* caſtra ducens, quæ cum ab ea parte, foſſa ſatis profunda, munita offendiſſet, per quendam circulum irrumpens, ducibus quatuor Heluetijs domo extorribus, eum caſtrorum locum inuaſit, vbi bellicæ machinæ poſitæ erant. Attrox pugna committitur, in qua copijs omnibus exutus *Carolus*, tribus confoſſus vulneribus cecidit, non ſine proditione *Nicolai CampoBaßæi* Neapolitani, qui cum ab initio Lotaringicam expeditionem diſſuaderet, colapho percuſſus à *Carolo*, ira diſſimulata, nunc inſtigante vindicta, cum ſuis ad hoſtes transfugit. Nonis Ianuarij, Anno 1477. cæſus occubuit, ſic vrgente Fato, vel Fata vrgente *Caroli* ſuperbia, qui dum omnibus mortem intentat, ſibi adcelaret. Vxores tres habuit, *Catharinam* filiam *Caroli VII.* Francorum Regis: *Eliſabetham* Borboniam, & *Margaritam* Eboracenſem, Eduardi Anglorum Regis Sororem. ex *Eliſabetha* ſuſcepit *Mariam* coniugem *Maximiliani* Imperatoris. *Ann. Sal.* 1477.

CC. XLVIII. *Cædes Caroli.*

BELLVM IN MATHIAM HVNGAR. REGEM. Anno 1477.

VEſtra diſſidia; quàm Chriſtianæ damnoſa fidei, attendite Principes. Vnde Turcarum excreuerit tanta potentia, quæ iam formidabilis non timet hominem, *Mathiæ* & *Friderici* dico diſcordiam. Hæc ſola Hungarum à Turcarum bello reuocauit. Tueri potiùs, quàm inuadere Turcas ſimultas hæc mentem eius incendit. Sat habuit, ſi in poſterum eorum incurſiones inhibèret. Cur verò alternis peterentur armis Cæſar & Rex? ſæpè *Mathias* dicere ſolebat, neminem præter ſe, Imperatoremque futurum, qui intimam belli cauſam agnoſceret, quod ſibi cum Cæſare interceſſit. Plurimæ adducuntur: Odium prò corona coniectant, quandò Cæſar, qui ambitioſè regnum anhelabat, ſex annos *Mathiæ* coronam negarat; vindictam ex eo repetens quòd adoleſcentem procum, & victorem habuiſſet in petitione regni Hungarorum 11. Quandò *Mathias* à catholicis Rex Bohemiæ electus, à Pontifice confirmatus, & prælectus, Imperatoris obtrectatione non caruit. Porrò etiam poſt *Georgij* Regis exceſſum, cum apud hæreticos de futuro Rege ageretur, enixè laboraſſe *Fridericum*, vt *Caſimiro* Polono electo, adepti iam regni titulo ſpoliaretur *Mathias*. Egrè patiente *Friderico*, Coruinas vires ampliari. Quin milite in Hungariæ fines excurrente Germano, vel Cæſarem dicunt conſpiraſſe, vel minimè prohibuiſſe. Comminiſcuntur & eam, Imperatoris filiam, vel conſanguineam poſtulaſſe in coniugem *Mathiam*: Cæſarem, quaſi hominis aſpernatum humilitatem, non modò hunc recuſaſſe generum, ſed per contemptum neſcio quid inſolentiùs reſpondiſſe. Cauſantur etiam, abſente *Friderico*, & Romæ agente, in Auſtria *PaumKircherum* cum alijs proceribus in Cæſarem molientes, auctorem habuiſſe *Mathiam*, quem defenſorem in nouitate elegerant. Qua ab infamia *Mathiam* eximere conatur *Bonfinius*, quià ſi quid ipſe in Imperatorem moliri voluiſſet, non ſpreuiſſet Viennenſes, quùm obſeſſum in arce Cæſarem, vnà cum vrbe dedere voluere. Eam credo potiſſimam: factioſos regulos, qui in finibus oppida, vicos tenebant, odia accendebant vtrinque vt graſſarentur in turbido. Accedebat morum diſſimilitudo; æmulatio, & odium inter Hungaros, & Germanos. *Mathias* gloriæ cupidus; *Fridericus* pacis amator. Huic calliditas illi Mars apertus, in diuerſa trahebat. Vitia comitabantur virtutem, quæ memorare non duco ob comparationẽ deterrimam. Par cum vtrinq; religio eſſet par quoq; aſtronomorũ vexabat ſuperſtitio. Inter duos Imperatores

CC. XLIX. *Belli cauſa ſoculta.*

CCL. *Vita Cæſaris, & Mathiæ.*

Ann. Sal. 1477. *Coruinus* medius, de Turca iam victor, iterùm in hũc multum proficere non ſperabat: quandò Turcæ terra, mariquè plurimùm poſſent: nõ inuitus ad alterũ Imperatorem arma conuertit, inquẽ plus poſſe fidebat, quùm iſte minus virium haberet; neq; latebat eũ, quantum ſibi laudis, ac nominis inueniret, ſi cum vtroque Cæſare gloriosè pugnaſſet. Augebat huiuſce belli libidinem Auſtriæ pulchritudo, ciuitatum frequentia, quam deliciarum domum & voluptatis officinam humanæ eſſe ſenſerat. Viennenſes illecebræ nondùm mente exciderant, à quibus quandoque victum feruentiore iam ætate ſe nouerat. Hungariæ ruſticitatem ciuitatum inopia laborantis, partà bello Auſtrià reſarcire cogitabat. Arma priuſquàm tamen inferret, Senatum vocauit, in quo variè hinc indè dubitatum. *Stephanus Bator* vir maximæ nobilitatis, auctoritatis ſummæ, & ſpectatæ virtutis, rogatus à Rege ſententiam dicere, licet inuitus, ita tandem diſſeruit, teſte Bonfiinio.

CCLI. *Stephani Bathori oratio.*

Decad. 4. lib. 4. Rer. Hungar.

Silentium hodierno die, patres, mihi indixeram, ne qua re inuictiſſimi principis noſtri voluntatem fortaſſe læderem: cuius animum amplificandi regni, & comparandæ immortalitatis gratia, belli cupidiſſimum eſſe nouimus. Sed cùm dicendi libertatem, præ modeſtia & probitate ſua, ſenatui nunquam abrogauit, meque ſententiam dicere iuſſit: ingenuè, quod de Repub. ſentio, dicam: & cum regalis veniæ præfatione, de regni vtilitate diſputabo. Quicunque pacem habere poteſt, cur bellum graue, prophanum & æternum q. ærat, haud facilè dixerim: quando declinanda ſunt bella potiùs, quàm prouocanda. Alemannorum iniurias diu paſſi ſumus, & quandoque grauiter vlti: nunc amicos, nunc diſſimulatos hoſtes habuimus: inter infirmam pacem, & breue bellum tempus traduximus. Quid eſt cur poſthac pari arte, veluti antea, perpeti nequeamus? Cum Turcis, cum hæreticis iure bella geſſimus: quia ius diuinum & humanum, item ipſa neceſſitas adegit: ne cum prophana impiaque gente conſentire videremur: æquiſſimum ferè ſemper cum his nobis Martem habuimus, quando pro aris & focis, pro dijs, & Chriſtiana Repub. pugnabamus, nunc, ſi cum Alemannis bellum inierimus, qua cum gente dicite, dicite, inquam, patres conſcripti: nempe cum vicinis & Chriſtianis optimis dimicabimus, quos antiqua vicinitas, quæ cognationis eſſe loco ſolet, & ipſa religio, catholicaque fides, ſat nobis conciliaſſe debet. Nouis, inquies, iniurijs quotidie nos afficiunt, nouas indies Vngaris inſidias intendunt, nouos quoque dolos excudunt: ſat erit, pro arbitratu noſtro par pari referre: nunc propulſare iniurias, nunc vlciſci, beneficio quandoque hoſtem vincere, non vtile. Si vicinorum errata pati non poſſumus, quonam pacto externorum tolerabimus? nec minus quidem laudis promeretur ille, qui pati ſciet, quàm, qui vlciſci, multa toleranda ſunt, ſimulanda & diſſimulanda quoque multa: non parum quidem fructus affert, adhibita in loco patientia. Supputemus iniurias, connumeremus & commoda, nos quoque illis quandoque fuimus iniurij: grauiores fortaſſe intercedunt regiæ Maieſtati cum Imperatore cauſæ: quæ cùm nos lateant, æquam proferre non poſſumus in ſuſcipiendo bello ſententiam. Illud ſat nobis compertum habeamus, nil ab ea temerè fieri poſſe, in manu eius pax & bellum, nos eius ductum auſpiciaque ſectabimur. Si autem fortè cum Noricis aut Auſtralibus certandum eſt, quis animum pro Chriſto aſſiduè militantem, in Chriſti gregem obuertere poterit? Si fratres omnes in Chriſto ſumus, quis fraterno cruore manus fœdare auſit? Non Alemannicum, ſed fraternum erit hoc bellum. Quot proceres, quot ciues, quot nobiles ſunt vtrinque ſic mutuis affinitatibus neceſſitudinibuſque coniuncti, vt inito bello, inteſtinum Martem exercere cogantur? quæ ciuitas nobis eſt, quam Alemannica natio non complerit? non inſtitutis artibuſque politicis excoluerit, non domibus, & ſuperbis ædificijs exornarit? nullum oppidum, nullus pagus eſt, quem Alemannus non incolat. Vtinam potius falsò quàm verò id poſſem dicere, Vngariam eiectis Alemannis nihil eſſe futuram. Eſto belli cauſa iuſtiſſima, vtilis & neceſſaria: Num, quibus cum nobis agendum ſit, conſiderare debemus? Cum Romano Imperatore res erit, qui plus Auguſtali authoritate, quàm nos viribus, poteſt: cum Germania, omnium gentium profectò fœcundiſſima, magiſtra belli, & diuerſarum artium parente: quam per tot annos populus Romanus etiam multo ſanguine vix domitare potuit. Vbi Cæſar, vbi Auguſtus adhuc à Quintilio Varo gemebundus cæſas ad internitionem legiones repetit? cum Auſtralibus, quibus immenſæ opes, indomita ſuper-

Ann. Sal. 1477.

per-

Ann. Sal. 1477. perbia, ingenium varium, & fallax, auidum nouitatis, & aſſiduo bello exercitatum: præterea in muniendis protegendiſque oppidis vſque adeò edoctum, vt nihil ſine magna cæde, vi capi poſſit. Accedit frequentia ciuitatum, & caſtellorum natura, & quauis arte munitiſſimorum, vbi ne paſſus quidem ſine cruore parari poteſt. Quis Hamburgum? quis Viennam quis Neapolim Auguſtam expugnarit? nempe nemo, niſi qui gentis ſuæ intempeſtiuum dirumque ſepulchrum parare perrexerit. Eſto, profligemus Cæſarem, & Auſtria potiamur; quid tandem fecimus? æternum Martis ludum edemus: bellum de bello ſeremus: decies in die fuſus Cæſar, decies magnos exercitus reparabit. Hydra, mihi credite, Herculis eſt Auſtria: cæſo vno capite, ſeptena reſurgent, finitimos etiam nobis vndique irritabit. Lupum auribus tenere difficile: quinetiam ſi illa nobis hodie ſine negotio deditione fecerit, & ſeſe in noſtram ditionem aſſeruerit: profectò pro retinenda quotannis multo plus pecuniarum & ſanguinis erogabimus, quàm etiam quadrupla eius annua vectigalia patiantur. Si totidem ſumptus, quot paranda illa poſtulat, in Turcos effuderimus, quod iuſtum & fas eſt, imò quod pientiſſimum: nimirum totam triennio Europam à prophani hoſtis manibus vindicabimus. Inſuper & illud mihi nunc ſuccurrit, quod reuerentiam prohibet: quamuis libertas animi, & principis indulgentia patiatur. Quid igitur faciam? dicamne, quod futurum auguror? Dicam inquam, rex inclyte, dicam, & bona tua venia. Si Auſtria potieris, quando nihil virtuti fortunæque Coruinæ obſtare poteſt: mihi crede, rarò, heu nimis rarò te tua videbit Vngaria, ea tanquam vidua deſeretur, & frequentabitur Auſtria, hæc exhaurietur, & illa ditabitur: vectigalia noſtra vorax abſumet Auſtria. Vtinam me vanum audiatis augurem, noſtrum dominum, ac regem Auſtriales eripient. Quas ob res Alemannis bellum indicendum eſſe non cenſeo, cùm propter ea quæ diximus: tum, ne apud Chriſtianos potentatus Vngari, catholicæ fidei, æterni vindices, infames habeantur. Nolite quæſo calamitoſum & æternale bellum nunc inire, ac intempeſtiuum iuuentuti veſtræ parare ſepulchrum. Ego de me hoc habeo polliceri, nunquam aduerſus optimos Chriſtianos arma ſumpturum. Animam creatori Deo debeo, Matthiæ corpus, ſi in Alemannos caſtra moueritis, Ann. Sal. 1477. ad Turcos me conuertam: & meorum exemplo, ibi pro Deo, pro Matthia, pro me denique ipſo, haud incommodè animam effundam.

Stephani oratio Pontifices omnes ita deuinxit, vt apertè contra bellum pronuntiarent. Contra proceres belli cupidi, & gloriæ auidi magna ex parte aliter ſentiebant. Spes lucri, inclinatio Regis ad Martis emolumenta, vel damna trahebant. Cum de *Stephani* ſententia per ſubſellia muſſitaretur. Paulus Chiniſius, iubente Rege, verba fecit. *Superuacaneum eſt, patres conſcripti, non ſolùm de ſuſcipiendo bello, verumetiam de quaque re grauiſſima ante Maieſtatem regiam proferre ſententiam, latent enim nos multæ cauſæ, quas illa tantùm nouit: & explorata ſatis eſt ſapientia, altitudoque conſilij, nobis potiùs ſilentium quàm orationem indicit: diuus eius prudentiam, probitatem, & fortunam diu experti nouimus. Clementia principis liberè nos loqui iubet: ſed iſta libertas nihil eius conſilio adijcit, ſupra humani vires ipſe ſapit ingenij. Ego tamen, quando parendum eſt, dicam quod ſentio: & hanc ſenatoria militari libertate communiam. Cùm (proceres) nunc veteres Cæſaris iniurias, ſacræ coronæ redemptionem, obligationem illam infauſtam, imò iugum, præterea abnegata regi ſtipendia, quotidianaſque inſidias & incurſus mecum reputo, equitem nullo modo ab ineundo bello mentem reuocare poſſum, ſi, vti Bathor appoſitè, diſerteque locutus eſt, hoc honeſtè bellum declinare poſſemus, ocium potiùs, quàm formidoloſum hoc negotium optarem. Sed vſque adeò neceſſitate vrgemur, vt noſtros fortaſſe niſi noſtri diſſimiles fieri patiamur, nullo id iure euitare poſſimus. Diuina Cæſar inſignia noſtrorum regnum, præter æquum & fas, venalia fecit. Quintiam ſi tanti apud alios cenſerentur, iam diu in auctione, in foro Chriſtianæ Reipub. poſuiſſet. Vtinam hoc Cæſareæ ſat fuiſſet auaritiæ. Nos, & poſteritatem noſtram, per iniquam violentamque obligationem in ſeruitutem aſſeruit, ius alieni regni ſibi vindicare non puduit. Nomen ditionis Vngariæ vſurpauit, qua non alio modo quam vmbratili Romanorum imperio potitur. Quinetiam, ſi in ſua poteſtate iaceremus, ſub haſta, mihi credite, veniremus. Omittantur iſta, quando tolerari queunt: quis ab aſſiduis vltrà inſidijs*

Sal. Ann. 1477. *dijs ſe tueri poterit? malo quotidie dolo petimur. Nunc hunc, nunc illum, in nos hoſtem irritat. Sedula ſub alieno nomine nobis infert incommoda, & quandoque impudentius regni fines inuadit, & vaſtat aſſiduè: nunc ſubornatas copias immittit: querentibus legatis, bona tantùm verba dantur. Quare non emplegmate, ſed gladio recidendus eſt iſte morbus: nec ampliùs in noſtram noſtrorumque perniciem alendus. Ioannis Archiepiſcopi Strigonienſis fugam non aduertitis? quid in nos quotidie Cæſar moliatur, non attenditis? illum ſocijs carere putatis? O nos cæcos, & imprudentes: in medio ſenatu hoſtem habebamus, imò principem ſenatus, ac regni primatem, & non intelleximus? Patiamur igitur hæc omnia, quouſque ad vnum omnes Cæſarea arte ruamus. Proinde poſtquam aliquantiſper à bellorum multitudine reſpirauimus, nullumque bellum ſupereſt niſi quod nobis cum Turcis hæreditarium eſt, à quo non ſolùm induciæ, ſed pax quoque quotidie poſtulatur, ſuſcipiendam forti animo cum Friderico hanc expeditionem eſſe puto. Excutite quæſo (proceres) iugum è ceruicibus: & obligationem illam illiquè olim initam, æquo Marte reſcindite, vos, poſteroſque veſtros, vobis vindicate: donec iniuriarum finem ille non fecerit, & ius illud non remiſerit, quo nos obſtrinxit, ne à bello vnquàm ſuperſedete: non obſtabunt, mihi credite, munita oppida, Germanæ acies, & obſtrepitantes æneis fabricis cohortes. Hoſtem longè maiorem etiam cum magna gloria paſſi ſumus, & quotidie patimur: nouimus Auſtralia olim robora, & fortunam noſtri principis inuictiſſimi non ignoramus: Pannonicas vires quotidie periclitamur: non belli difficultas, non longitudo deterret. Mihi certum eſt, domi foriſque, ſiue fas, ſiue nefas rex auſpicetur, imperium ſuum vbique gentium forti animo ſequi. Quanquam igitur me iniuriarum memoria ad hoc bellum hortatur: tamen omnia principis noſtri ſententiæ poteſtatique committenda eſſe iudico: ſiue pacem, ſiue bellum mentis illa diuinitas auſpicetur, eius, quæſo, ardentes ductum auſpiciaque ſectemur.*

Pauli laudata ſententia ab ijs, qui bellum affectabant, nullo in eo diſcrepante, quòd res Regis committeretur arbitrio. Archiepiſcopi *Ioannis* facta mentio, qui cum vniuerſis facultatibus aufugerat, & principatum apud Regem obtinebat, in Cæſarem nimis animos omnium irritauit. Rogatus Rex proferre ſententiam, ita diſſeruit *Teſtor* (inquit) *Deum hominumque fidem, veſtramque in primis (antiſtites, commilitoneſque mei) Matthiam veſtrum à regni principio, quod beneficio veſtro acceperam, nihil intenſius diligentiuſque curaſſe, quàm Imperatorem, veſtrum Imperium anhelantem, quocunque poſſem officio conciliare. Legationum frequentiam nouiſtis, intellectam principis auaritiam, vti ſacram recuperaremus coronam, quam tot annos vobis abnegarat, multo ſanè auro compleui. Ne ſat quidem illud erat, me ad breue tempus interiturum ratus, vi regni ſucceſſionem ſibi vindicare voluit, ac inanem regni titulum vſurpauit: ne corona ſacroſancta careremus, iniquam illam conditionem accipere imperioſa neceſſitas adegit. Dimitto vetera, aliaque permulta. Vtinam etiam cum miſera conditione quietè viuere licuiſſet. Me, vt noſtis, adoptauit, frequentaui quandoque patris curiam inuitatus: & quacunque potui pietate, reuerentiaque parentis Maieſtatem ipſe foui: quid in me officia quæque præſtantem moliri cœperit, ipſe nouit. Ad Bohemicum cum ſummo Pontifice me bellum impulit: auxilia ampla, & vnius anni Auſtralis Prouinciæ vectigalia in belli adminiculum pollicitus, nihil expendit: in regis Bohemici electione, & in re quaque vbi de dignitate noſtra actum ſit, quantum profuerit, filioque fauerit, vtrique ſcimus. Quotidianas iniurias, ac iniquas regni vaſtationes vos ipſi ſpectatis. Nec legationes aſſiduæ, nec literæ, nec verba proſunt: nec adhibita Chriſtianorum principum patrocinia, quæ ab hac ipſum impietate reuocarent, quicquam proficere potuere. Neque tam graues iniurias, ne dicam vitæ periculum, tam diu toleraſſem, niſi impij notam filij reformidaſſem, & hæc in veſtra detrimenta verterentur. Quanquam inuitus ad arma trahor: hoc tamen bellum, mihi credite, declinare non poſſum. Vos autem eſtote bono animo, ac in primis iuſticiæ veſtræ, deinde fidei, diligentiæ, fortunæque noſtræ bene confidite. Quid Archiepiſcopi fuga portendat, quem tot honoribus exornaui, ac loco fratris habui, conſiderate, illa conſcientia rerum bene geſtarum, & præſtita vbique patri pietatis officia bene ſperare iubent. Proinde bellum æquis mecum nu-*

Ann. Sal. 1477. CCLIII.

mi-

Ann. Sal. 1477.

minibus audacter accipite, commilitones: hic ſpectatam fidem & virtutem oſtendite. Id hodie vobis Matthias obſtinatè pollicetur, & affirmat, ſe non modò vlturum iniurias, & damna repenſurum: ſed iniquam quoque conditionem illam obligationis, æquiſſimo Marte reſciſſurum: aut ſi id non dabitur, vectigales vobis Cæſaris prouincias omnino facturum.

CCLIV. *Aſtra cōſulit Mathias: mouet in Auſtriam.* Tanti Regis illecebris confirmati, ad bellum intendunt. Priuſquàm caſtra moueret, aſtra conſuluit, & expeditionis, more ſuo, captauit auſpicia: diuinam hinc voluntatem, fauſtamque horam elicere nitebatur. Poſtquàm omnia ſibi tuta fore ſenſit, comite *Beatrice* ex Buda caſtra mouit. Duplex tum ardor eum inceſſerat: alter legitimæ Veneris, Martis alter. Nè *Mithridati* quidem *Hypſicrateam*; quæ numquàm eum in bello deſeruit: neque Pompeio in ciuili perturbatione *Corneliam* tam gratam fuiſſe, quàm hanc *Mathiæ* dicunt. Primis annis nullam noctem ſinè *Beatrice* tranſegit. Antequàm Iaurinum perueniret per fecialem Cæſari bellum indixit ſequenti formula. CCLV. *Formula bellum indicendi.* *Cùm, Cæſar, præter æquum et fas initam toties nobiſcum pacem ſolueris, & icta ſæpe fœdera violaueris, nullaque promiſſa præſtiteris: quin & malo ſæpiſſimè dolo læſa concordia noſtrum agrum, pagos & oppida hoſtiliter inuaſeris: Nos Matthias rex Vngariæ, cæterique Pontifices, reguli, optimateſque, iuſtum tibi bellum indicimus: & Ieſum Chriſtum opt. max. diuam genitricem, peculiare Vngariæ numen, cæteroſque Deos patrios, violatæ iuſticiæ, ac læſæ pacis, & inexplebilis auaritiæ vindices precamur, vt propius victoria noſtra arma reſpiciant: vires legionum obfirment: & vltoribus iniuriarum, ac violatæ quietis, & fidei aſſertoribus debitam inſignemque victoriam tribuant. Proinde aut Cæſaream mentem ad reſipiſcentiam reuocent: aut ſuſcepta nobis iuſtè vota, auſpiciaque fortunent.* Cæſar cui bellum propediem indictum iri ſciebat; ipſe quoquè delectum magnum in Noricis, & Vindelicis habuerat; ciuitates, oppida validiſſimis firmarat præſidijs. *Mathias* verò rapidi torrentis inſtar, Auſtriam irruens, primo impetu Trauterſdorffium, Peterſdorffium, & alia quædam oppida capit, agros inter Viennam & Neapolim latè depopulatur, nam vrbes validiſſimo tenebantur præſidio. Viennam tamen propter nonnullorum in ſe ſtudia tentans, caſtra propiùs admouet, quibus noctu egreſſus, Clauſtroneoburgum decimo obſidionis die, cum tormentorum impetum tolerare non poſſet, capit; mox in caſtra reuerſus, pontem qui ſupra danubium eſt, occupat, nè quid illac in vrbem inferatur, prohibiturus. *Ann. Sal. 1477.* CCLVI *Viennam obſidet.* Vienneſes ad *Fridericum*, qui Lincij erat, nuncios mittunt, quo in periculo ſint, docent. Imperator, qui copias per ciuitates & oppida diuiſerat, vt longo bello Pannones eneruaret, exercitum mittere non poterat, qui obſidionem ſolueret. Spes bona dabatur: promittebantur auxilia, quæ in dies affutura dicebantur: nulla verò aut exigua ſubmittebantur. Interim Polonorum, & Bohemorum auxilia ex fœdere promiſſa ſollicitabat; quibus fiſus, nulla ab Imperij ordinibus poſtulabat. Nonnulli ferebant, id CCLVII. dedita induſtria à *Friderico* fieri: nec Vienneſes in anguſtias redigi ægre pati, vt eam illi famem paterentur, quam obſeſſum olim in arce Cæſarem pati coegère. Suſpicabantur & aliqui ex compoſito bellum Auſtrale geri, vt rebellantium ciuium procerumque ſuperbia, haud iniuſſu patris, à *Matthia* filio reprimeretur. *Caſimirus* porrò ſe bello CCLVIII *Caſimirus cum Cæſare.* Boruſſico excuſans implicitum, decem aureum nummum millia in belli ſumptus miſit, quæ *Fridericus* vel quod ei ſuccenſeret, vel quod pacem iam ſperaret, accipere noluit. Iamquè Vienneſes deditionem ſe ſe facturos, interminabantur, niſi commeatibus, ac nouo milite ſubleuarentur. *Beatrix* verò, *Mathiæ* vxor, quæ Poſonij ſubſederat, per frequentes internuncios maritum Regem vti mitiùs ageret, & Cæſarem cognatum, vti ad æquas pacis conditiones inclinaret, exhortatur. *Beatrix ſuadet Mathiæ pacem.* Pontifex, & Veneti pacem ſummis ſtudijs procurabant, vti coniunctis viribus, Turcarum violentiæ obuiam iretur, qui per id tempus maris Adriaci littus infeſtabant, & excurſione in Forum Iulij facta, ac ſuperatis præter hominum opinionem fluuijs, multas ſecum prædas, & homines abduxerant. Cæſar igitur, qui à Linzio oppido hoſtiles incurſus, & incendia proſpectabat, Chremeſienſium tandem periculo, & commiſeratione

vi-

Ann. Sal. 1477. victus, quos nimis amabat. Viennenſiumque obſidione commotus, quos ad Pannonem deficere æquo animo pati non poterat,
CCLIX. Legati Cæſarei. legatos prior ad *Mathiam* de pace legat, qui Curneoburgi erat. Cum ciuitati appropinquare accepiſſet, vniuerſum ferè Pontificum, procerumque ordinem, vt honorificè eos exciperet, obuiam miſit: ipſe quoquè è ſolio aduenientibus occurrit, ac vt legationem Cæſaris omni officio honeſtaret, ex ordine omnes amplexatus eſt. Quæ verba fecerint,
Decad. 4. El. 5. Oratio legati Cæſarei. *Bonfinius* acuratiſſimus rerum Hungaricarum ſcriptor ita recenſet. *Legati æquidem et Cæſaris, et tui patris indulgentiſſimi, ſumus, rex inclyte, quos non tam ad mitigandam iracundiam, quàm recognoſcendam pietatem, ad te miſit. illiuſque rei nos in primis admonuit, vt vtrum vti hoſtis, an vti parentis Oratores admitteremur, diligentiſſimè obſeruaremus. Nunc autem, cùm ex hoc aditu ingenitam tibi pietatem & clementiam nulla arte diſſimulari poſſe intelligamus: nos, vt Auguſtalem filium, non vt hoſtem Imperij Rom. nunc alloquemur. Conqueritur, Matthias, pater ille tuus, cur tam hoſtiliter ſecum agas, hoſtiliter dixi? imò, vt ſic bona tua venia loquar, immaniter, vicorum incendia, vaſtationes agrorum, captiuorum ac pecorum abactiones: nequaquam iſta demiratur. Patitur hæc ipſa furioſi Martis licentia, ſed templa diripere, rapere virgines, tot cædibus & incendijs ſæuire, pueros illidere parietibus, ac nihil diuini humanique iuris retinere: hanc facinorum inſolentiam pater attonitus, execratur. Quod etſi à te mandari non credit: tamen hæc omnia, te neſciente, à nobis vix credentibus, ſua ruſticorum multitudo, gens tibi vicina, accommoda, Chriſtiana & officioſa patitur. Quid illa meruit infelix? quid commiſit? quid miſera auſit? Nobiſcum haud ſecus ac cum Turcis agitur, Matthia, vindex Chriſtiani nominis, & fidei propugnator. Non equidem Turci ſumus, non inhumani, non immanes, politicis artibus ac negotiatorijs ſtudijs cuncta luſtramus: inculta excolimus: atque ſi Alemannis careret Vngaria, vt veſtra pace dixerim, aut deſerta, aut inculta inhoſpitabiliſque foret. Apud principem loquimur, cui nunquam veritas & dicendi libertas infenſa fuit. Cæſar Deorum hominumque fidem planè teſtatur, quo bellum iure ſit indictum, adhuc ſe ignorare. Multas vtrinque iniurias inter ſubditos interceſſiſſe nouit: ſed nullarum ſe autorem affirmare: ſi quid ſuorum audacia patratum eſt, id ſe inſcio factum eſſe: ſe quoque ingenuè fateri, ſuorum quandoque recalcitrantium audaciam coercere haudquaquam potuiſſe: multos contrà iniuriarum poſtulari, qui vltores potius quàm contumelioſi reuera dici poſſent. Suis plus quiſque quàm alienis credit, & ſuorum quandoque charitas æquitatem inuertit, ſi mutuarum commemoratio iniuriarum fieret, iam æquum vtrinque conſtaret examen. Satis ſuperque ab vtriſque luſum eſſet, ne tantum quidem pœnarum errata noſtra poſtulaſſent. Eſto, vaſtationis & incendij rei ſumus: nos tamen plus pœnarum expendimus, quàm fortaſſe debemus: niſi capitalium more, pro definito ſæpe ſcelere æternum exitium ſubire cogamur. Verùm quis inter finitimos, qui mutua conſuetudine fruuntur, quotidianas lites admiretur? longiſſimo tantum interuallo ſeiuncti, non litigant. Inter vicinos modò de incertis finibus, modò de vectigalibus, & promiſcua iurisditione certatur. Ille plus ſapit, & probitate præpollet, qui officio indulgentique tolerantia, vicinum ſibi conciliat: excelſioris quidem animi eſſe duco, magis proximum quemque beneficijs, quam armis vincere: alterum conſummatæ probitatis, temerariæ fortunæ alterum eſt officium. Romani, Coruine, è quorum gente te oriundum omnes vno ore fatemur, magis hac arte, quam armis imperium propagarunt: quia potius quid ſe deceret, quam quid externorum iniuriæ mererentur, animum aduertebant. Non minus pietate, quàm viribus, vtranque Pannoniam Meſſala Coruinus olim, tuus atauus (mihi crede) ſuperauit. Patiatur tua Maieſtas, rex inuictiſſime, non tam Martis aliquando, quam pietatis, à paternis Oratoribus admoneri: quando nec plus ille quidem, quàm hæc affert, cui tantopere ſtudes. Immortalitatis recentia & grauiſſima, quæ nuper accepimus, damna, nos iniurias referre coegerunt. Sed quis inter patrem & filium graue quid intercidere poſſe dixerit? niſi ab humanitate vterque, præ diro quodam furore fuerit deſtitutus? Quicquid pater in filium fecerit, haud ab re feciſſe reputatur: quicquid filius deliquerit, ex nimia indulgentia, confidentiave facit: quæ inter vtrumque temerè quandoque interce-*

Ann. Sal. 1477.

Ann. Sal. 1477. *tercedunt iniuriæ, nimiæ charitatis deliramenta vocantur. Quanquam Imper. te hoſtem & audiuerit & ſenſerit, tu tamen eum an hoſtem an patrem pientiſſimum appellare debeas, hinc intellige. In tanto belli furore ac veſania, captis tot vrbibus, & caſtellis, incenſis tot vicis, tot etiam hominibus in captiuitatem abductis, occupata denique magna patrimonij ſui parte: non ſociorum is auxilia conuocauit, non fœcundam bellicoſamq; Germaniam in te concitauit: non ſuorum cohortes, auxiliareſque Imperij Romani copias, quas gratuitò habere poteſt, educi iuſſit, non ſuas etiam vires effudit: vix tumultuariam breuemque peditum manum coegit, quam per oppidorum præſidia diſtribueret, vt aliquantiſper filij ſæuitiam coerceret: non hoſtis, non Cæſaris ſunt apparatus iſti. Proinde indulgentiſſimi parentis patientiam, Matthia, nunc tecum recognoſce. Si quam in Cæſarem, & in Auſtralem gentem iram concepiſti, iam iam compeſce, Rex inuictiſſime: ac veluti cæteros armis & virtute, ita nunc clementia & probitate vince. Cæſaream manſuetudinem & benignitatem æmulare, nec fortitudinis magis quàm miſericordiæ laudem aſſequare. Quantam gloriæ iacturam ex iſto bello feceris, facilius conijci quàm dici poteſt. Quid ſummum Pontificem, quid ſenatum Apoſtolicum, quid totam Italiam, quid vniuerſas Chriſtianæ Reip. ciuitates de te locuturas exiſtimas? Cùm à te Rom. Imperatorem, & cùm duo ſint gladij, alterum immani bello premi nouerint? Filij quoque adoptati nomen, multo plus grauitatem facinoris exaggerabit. En iſte Chriſtianæ fidei propugnator et vindex, qui Chriſtianorum principem, & humanarum rerum moderatorem, furore plus quàm humano perſequitur. Proinde, Rex inclyte, reſipiſce, hac te infamiam exue, qui perpetuæ ſtudes immortalitati. Quid æquum & fas ſit recognoſce Matthia: qui plus quàm cæteri principes, iam ſapere ſoles. Pro illatis iniurijs ſat erat vnam alteràmve ciuitatem in tuam ditionem aſſerere, non omnia miſcere: non tibi animum inducere, pro modicis erroribus licere tibi omnia occupare, diuina & humana confundere. Delicto non debet eſſe grauior pœna. Memento te mortalem, ac principem non ad exitium, ſed gentium ſalutem eſſe natum: & non ad tyrannidem, futilemque gloriam, ſed ad ſalutarem gubernationem, veramque felicitatem eſſe genitum. Neque communium incommodorum ratio prætermittenda eſt. Maiora (quis ignorat?) nos detrimenta patimur, neque vos tamen multum hìc lucri facere arbitramur. Hinc Vngaria exhauritur, hinc incenditur Auſtria. Demum, quid feceris, & quid regno vtilitatis attuleris, exitus ipſe docebit. Inuitis nemo diu imperauit: nil violentum naturæ iure perdurabit vnquam, ſic ſumptus eluduntur, & operæ: ſic cruor hinc & hinc effunditur: ſic pœnitentia mordax in animos fruſtra deſæuit. Reputa quandoque tecum fortunæ varietatem, cui nemo ſapiens nimis credendum eſſe cenſuit, & quis eius inſidias & pericula te melius conſiderare poſſit, inuenio neminem. Meditare, quemadmodum ante regnum, & poſt tecum quandoque illa fecerit: & aliorum quoque vires penſita. Paterna tibi animum tolerantia augere non debet: nec, quod pietati & patientiæ adſcribendum eſt, id imbecillitati, negligentiæ, ac animi exiguitati tribuendum. Paſſus eſt huc vſque Cæſar, finitimos vobis iniurios, & ſibi parum obtemperantes, à te haud ſecus, ac à filio caſtigari tu quoque patere, Matthia beniġniſſime, ne cæterorum innocentiam offendas, ab hoc bello paterna voce reuocari. Cæſar huc vſque veri patris vel indulgentiſſimi compleuit officium: tu probi filij decorum obſerua. Ille vt Cæſar, vt pater, vt tutor adhuc tuus, de te optimè meritus, deponere arma iubet: cæterùm hortatur, orat & obteſtatur, quando ſatis ſuperque ſæuitum eſt: tu contrà, vti filius, paterna iuſſa capeſſe: ac exoratus precibus, vltrò cæde. Nullam tibi gloriam id bellum affert, quando facile eſt vincere non repugnantem: paternus id amor, pietaſque inhibet, neque vllo modo patitur cum gnato certare: mauult pati, quàm paternum nomen exuere: mauult ex pietate quàm viribus prædicari: in externos, non in filium Roman. Imperij vires aſſeruat: quod quanti momenti ſit, tu quoque, Matthia prudentiſſime, non ignoras: non armis, ſed paterna patientia tuam iracundiam Cæſar vincendam eſſe duxit. Quinetiam & in hanc Germaniam ſuſpicionem incidit, cùm ipſe tibi non repugnet, id ex compoſito bellum geri. Quare Cæſareo, paternoque nomine te monemus, hortamur, precamurque, vt arma deponas, iniurias omnes hoſtiles inhibeas, ad ſalutarem* Ann. Sal. 1477.

Ann.Sal. 1477.

pacem animum intendas, de concordia perpetuaque quiete nobiſcum agas: & quando repenſæ ſunt vtrinque iam iniuriæ, ſecretiore colloquio de componenda pace diſceptemus.

CCLX. *Mathiæ reſpōſum.* Cum ad pacem, Hungarorum proceres, vt in Turcas arma conuerterent, *Matthias* inclinare conſpiceret, breuiter hæc reſpondiſſe (ait Bonfinius.) *Teſtor Deum, hominumq; fidē, fauſtiſſimi Oratores, me nunquam ſponte in vos arma ſumpſiſſe. A grauiſſimarū multitudine iniuriarum circumuentus, vobis bellum indixi. Quantum in me fuit, expeditionem iſtam prorogaui, ne in parentem optimum, impij more filij, ſæuire reputaret, & hanc demum infamiam declinarem. Inuitus demum (mihi credite: & veſtram in hac re conſcientiam teſtor) præ aſſiduarum magnitudine contumeliarum, & non præſtita promiſſorum obligatione, me in arma conieci: ne ex tolerantia nimia intolerabilem pernicioſumque contemptum ſubirem. Remedia cuncta tentaui, nulla profuere: poſtremò recidendum gladio morbum eſſe cenſui. Belli cauſas, iniuriaſque omnes hic ritè referendas eſſe non exiſtimo: ne infauſta commemoratione, dextera pacis auſpicia interturbentur. Abſurdum eſt, cum de pace agitur, de belli cauſis accuratiſſimè diſputare: refricantur per iniuriarum memoriam ſæpe vulnera, & remolliti dudum animi redureſcunt. De belli crudelitate quod dicitis, nihil patratum eſt. In cibaria, res & pecora, viuendi cauſa, per vicos aliquantiſper ſæuitum. Iuſtum bellum indiximus, atque geſſimus multo modeſtius: imò ne par pari referrent, inhibuimus, vt paternam vbique Maieſtatem obſeruare videremur. Illæſam honeſtatem & pudicitiam vbique eſſe iuſſimus. Verùm quæ audiuntur, quàm ea quæ cernuntur, multo maiora plerunque reputantur. Cùm nunc pacem à vobis poſtulari videam, & me ad concordiam pater animum intendere iubeat: quantum in me eſt, dabo operam, vt veſtræ inſeruiam voluntati, vt paterno paream imperio: potius armis, quàm officio, nunc à vobis patiar ſuperari. Inhumanis meritò reputari poſſem, ſi poſtulatam pacem, vtriſque ſalutarem, nunc abnegarem: & Cæſareæ, paternæque Maieſtati, vt iuſtum & fas eſt, non obtemperarem. Illud vnum adijcio, ſi ſine malo dolo petatur. Proinde viri optimi, ſi æquis pacem conditionibus poſtulatis, perbreui vos habituros eſſe confidite: ſin iniquis, & mala fraude, ſpem omnem adimite. Si inita deinde violabitur, Deum vltorem, & vindicem æquitatis expectate. Illud ſcitote, me propter pacem, bellum gerere: & non bellum, quod calamitoſum eſt, ex bello ſerere. Sed rem ipſam in ſecretiora colloquia transferemus.*

CCLXI. *Pax.* In ſequenti die de pacis conditionibus, agi cęptum. Rex bellum iure affirmabat indictum, prò inſanis in eo ſumptibus effuſis, trecentena aureum numum milia poſtulabat. Contra illi, de belli æquitate non diſſerere, prædas dicere ſumptus omnes rependiſſe, nulla vtrinque damna reſarciri oportere. Adhæc ille, præſentia detrimenta, quæ Alemannis intulerit, adhuc Hungarorum ærumnas ab Alemannis acceptas, æquare non poſſe. Oratores tandem à Rege conuicti, Viennenſium neceſſitate correpti, deditionem minitantium, ni mitterentur, auxilia, hæc conuenère: *Pacis conditiones.* *Vt Imperator ob bellum iuſtè indictum, Matthiam Regem præſtaret indemnem: centum & quinquaginta aureum millia prò belli ſumptu, ad præſtitutum anni tempus rependeret: Matthias ſtatim obſidionem ſolueret: captas vrbes & caſtella, vbi ſatisfactum fuerit, continuò redderet: pia filij patriſque nomina, & antiquæ pactiones, ratæ, firmæque manerent. Si ad ſtatum diem Matthiæ haudquaquàm ſatisfactum, ſuo iure vniuerſam Auſtriam occupare, occupatamque legitimè poſſidère, & in regni Pannonici prouinciam redigere liceret; neque vllo impietatis & iniuſtitiæ crimine alicubi gentium notari poſſet.* Cum his conditionibus inter eos conuentum foret, adiecto ſolemni iureiurando, Pontifex *Agrienſis* prò patre patrato in medium accitus: *Iubes me* (inquit) *Matthias Rex Hungariæ, pacis tabulas promulgare?* Iubeo. *Iubetiſnè vos Cæſaris Auguſti Oratores, quibus ineundi fœderis data eſt ſumma poteſtas?* Iubemus. At ille conſcenſo pulpito promulgauit, mox vtroſque in tabulas iurare adegit. Demum: *Ieſu Chriſte* (inquit) *Opt. Max. ſeruator humani generis; tuquè diuina Genitrix, ſempiterna Virgo, vnica Pannoniæ Patrona, voſque Cœlites omnes,* pa-

Ann Sal. 1477. *patrijque dij, tuque D. Stephane, & Lepolde ſanctiſſime, his quæſumus, propitij pacis auſpicijs adeſte, mutuam inter principes & vtranque gentem concordiam dudum initam, & perpetuam amicitiam confirmate, vter prius inita ſanctè fœdera violarit, non vt antiqui fœdam*
CCLXII. *porcam, ſed iactis fulminibus ferire.* Tunc Rex
Auſtria Cæſari reſtituta. poſt mutuas pacis congratulationes, nè plus armis quàm beneficentia vincere videretur, præter omnium opinionem exclamans: *Vos,* inquit, *Sacroſancti Oratores Pontifices, proceresque mei, nunc mihi teſtes adeſſe iubeo, dicta attendite: & quantum Romano Imperatori, patri pientiſſimo confidam, conſiderate. Etſi pactorum iure capta reddere non debeo: Cæſarea tamen, & paterna maieſtate adductus, cuncta ſpontè reddo, cedo Auſtria, vt obtemperantis pijque filij quandoque noſcatur animus.* Mox vulgò accitis curſoribus, cunctis præſidiorum præfectis, qui capta oppida retinebant, imperauit, vt præſidia repentè deponerent, oppida legatis Auſtralibus reſignarent, ſine mora captis cederent. At illi Coruinam magnanimitatem admirati, conuerſique in lachrymas, immortales egère gratias dexteram deoſculantes, & nullum gratæ mentis prætereuntes officium. Obſtupuit rebus cognitis Imperator, & ingentes literis *Mathiæ* gratias egit.

Interim Morte *Caroli* audita, *Ludouicus*
CCLXIII *Ludouicus Burgundiam animo occupat.* Gallorum Rex, qui illum timuerat viuentem, etſi Lotharingo ac Heluetio bello implicitum, eius tamen non auſerat ditiones inuadere, nonnullas eius poſſeſſiones quibuſdam ex ſuis, ſi mortuus eſſet, aſſignabat. *Caroli* namque vitæ rumor inceſſerat, & in Germaniam fuga elapſus dicebatur. Mox verò cum certior mortis nuncius aduènit, nulla puellæ hæredis ratione habita, (quam viuente *Carolo*, Carolo filio ſuo in coniugem expoſcerat) eos nominauit Germaniæ principes, quorum armis Brabantiam, & Hollandiam facile vindicari ſperabat. Hac via obnoxios eos ſibi reddere decreuerat, ſi fortunæ comites ſibi aſſociaret: & ad omnes ſibi acquirendas *Caroli* ditiones, hæc cæteris compendioſior videbatur. Puellæ cognatæ animum vt pertentaret, *Oliuerium Damum* ſeu *Dandum* tonſorem ſuum alij dicunt chirurgum ex infima hominum ſorte, in
Oliuerius Dandus.

vico quodam, prope Gandauum nobiliſſimam Flandriæ vrbem oriundum, ad eam miſit, qui priuatim ei, quæ iuſſus erat, exponeret, ac ciuium Gaudauenſium animos ad nouos motus ſollicitaret. Sed is, quòd aut aliquibus notior eſſet, aut nihil dignitatis præſeferret, neque ad puellam intromiſſus, & à plebe contemptus. Ea lepidè dixiſſe fertur, *Quid ſibi opus medico, cum optimè valeret? Res ſatis infirmæ videri debent, ſi medici manu curandæ.* Ille autem periculum veritus ab ijs, qui nebulonem in aquas præcipitandum dictitabant, Tornacum profugit; quam ciuitatem Gallis poſtea equitibus no-
Ann Sal. 1477. CCLXIV *Chirurgus Gallorum legatus.*
ctu prodidit. Miſſi quoquè *Admiralius*, & CCLXV.
Philippus Comminæus ad ſolicitandas ciuitates Arteſiæ; nam Abbatis villa ex tranſactione *Torcium* quendam, militarem tribunum à Gallis receperat. Atrebatenſes tentati, Burgundicæ domui ſe ſe, cum tota Arteſiæ prouincia addictos eſſe reſpondent, neque Salica lege teneri, quò minùs maſcula deficiēte prole, fœminæ hæredis imperium ferant, *Mariam* Caroli filiam dominam abs ſe agnoſci, ea inconſulta nihil cum Rege tranſigi poſſe. Colloquio intererat *Adolfus Rauenſteinius*, & *Philippus Creuecurius* Cordi dominus, quí vrbi tum præerat. Miſſis etiam alijs ad Picardos, cæteroſque vicinos, ipſe *Ludouicus* Peronam venit, vbi accerſitum ad ſe *Creuecurium*, multis, ac magnis promiſſis, in ſuas partes perduxit. Erat is ex Bellouacis oriundus, & à Carolo inter *Aurei velleris* milites adſcitus, magna dignitate & auctoritate pollebat. Huius opera Heſdinum & Boloniam, alteram Atrebati partem, quæ antiquo nomine Geſſoriacum dicebatur ſui iuris breui fecit. In Sequanis etiam omnia ad *Ludouicum* inclinabant. Quando *Renatus* qui *Carolum* deuicerat, ſtaret in partibus *Ludouici*. Delectibus agendis *Aurantiæ* principem præfecerat *Ludouicus*, qui & ipſe aliorum exempla ſecutus, ad Regem defecerat; rei verò ſummam adminiſtrabat Dominus de *Crano*. Ad *Mariam* verò *David Burgundus* puellæ patruus, Vltraiectinorum & *Ludouicus Borbonius* Eburonum Antiſtites, *Ioannes* Dux Cliuiæ, & *Adolphus Rauenſteinius* fratres, Vuolfardus Verienſis, *Ludouicus Vuitteſteinius* Hollan-

 diæ;

Ann. Sal. 1477. CCLXVI dię; Selandię, ac Friſię gubernator, Vualrauius Brederodius, Guido *Himbercurtius* & *Ludouicus Gruthuſius*. His præcipuè præſentibus, *Maria* Flandriæ domina ſalutatur. Inde legati ad Regem miſſi ſunt: *Verienſis*, *Gruthuſius*, & *Guilielmus Hugonetus*, qui apud *Carolum* Magiſter epiſtolarum fuerat. His mandatum, vt conciliata Ludouici amicitia, confirmationem peterent earum ditionum, quę Gallorum regno habebantur obnoxiæ. Reſpondente Rege, vellę ſe, vti ipſum cognatum ac dominum in tutorem agnoſceret, & *Carolo* filio ſuo nuberet, qui ſeptem annorum puer erat, illa ne verbo quidem reſpondens legatis referentibus, ſatis ſilentio indicabat, neque tutorem ſibi, neque ſponſum cordi eſſe. *Hugonetus* verò, cæteris è conſilio digreſſis, vtrunque vti faceret, inducere conabatur, non aliter Regem potentiſſimum placari poſſe. Ægrè hæc auſcultabat *Maria*, & *Rauenſteino* interprete cum Gandauēſium tribuno conqueritur: Is ad Senatum. Tum ciues irritati, ad arma concurrunt, *Hugonetum*, quique alij Gallo ſtudère credebantur, depoſcunt in vincula, inter quos ipſe, & prothonotarius quidam Pontificius, ac *Ioannes Mellius* eques auratus. Aduersùs *Hugonetum* fama erat, arcana *Caroli* palam feciſſe: literas eiuſdem *Caroli*, quibus ad Nanceium ſubſidia ſibi neceſſaria mitti iuſſerat, ſuppreſſiſſe, quæſtioni admotum non negaſſe. Propterea *Mellius*, ac *Himbercurtius* capite plexi: prothonotarius non diù in vinculis ſuperuixit. *Maria* conſcia an fuerit, & populo annuerit furenti? dubium. Iratus *Ludouicus*, ac voto fruſtratus coniugij, arma corripit, *Eduardum* Angliæ Regem in belli, ac prædæ ſocietatem vocat, ſed fruſtra. Arma *Ludouico* milites, fœdera, animus exuberabant, æquitas deerat. Cœlum viſum eſt in partibus fœminæ ſtare. *Mariæ* nuptias plurimi efflagitabāt, inter quos *Tarentinus Ferdinandi* Neapolitani filius; necnon filius ducis *Cliuenſis*. Borbonius prò filio *Ludouici* vrgebat. Cumque de *Maximiliano* nec verbum fieret, quædam matrona clariſſimis orta natalibus, ex *Halouinorum* familia exurgens; *Non puero* (inquit) *nobis ò Principes, ſed viro opus eſt. Maria iam nubilis propagationi matura, nobis principem dare poteſt, qui collapſam reſtituat Rempublicam*. Ea mulieris vox omnium plauſu accepta, *Mariæ* ipſi non diſplicuit, eiuſque nouercæ, patris viduæ. *Maximilianus* alijs præferebatur, de cuius præclara indole facundus erat hominum ſermo. Pronior ergà eum puella erat, iamque literis & regio munere ad eum miſſis, ſponſalia è patre inita, rata habuerat, nec latebat. *Fridericus* interim legatos in Belgas miſerat *Georgium Badenſem* Mediomatricum præſulem, *Ludouicum* Ducem Bauariæ, & *Haslerum Prothonotarium*, qui Bruxellas vſquè profecti, ſubſiſtere illic dolosè iubentur, quoad à puella principe Gandauum arceſſerentur. Moram moliebatur *Cliuenſis* cum illis qui Gallo fauebant, ſperantes, quòd mora irritati, omiſſa legatione diſcederent. Porrò à Mariæ familiaribus (quarum primæ Vidua *Caroli*, & *Halouina* rem *Maximiliani* promouebant) benè ſperare iuſſi, inuito *Cliuenſi*, Gandauum pergunt. *Borbonius* paulò ante offenſo diſceſſerat animo, quia Galli nuptias promouère non potuiſſet. Dies itaque legatis dictus eſt, quo Imperatoris nomine, ſponſalia à patre *Carolo* inita, à *Maria* filia confirmata literis, & arrha, quam protulerunt, ab ea recognoſci poſtulantes, & à Principibus rata haberi. Puella nullo deliberandi petito ſpatio, *& literas ſua manu exaratas, & adamantem ſe miſiſſe* reſpondens, *iuſſu patris* feciſſe, de cuius voluntate nil mutare decernebat, proteſtatur. Legati gratias agentes, receſsère læti; ægrè *Cliuenſis* non habens, quomodò iam rata turbaret. Gandauo Louanium profecti Legati (vbi tum Brabantiæ Ordines conuentum agebant) legatione expoſita, non minori excepti ſunt plauſu. *Maria* ipſa in Brabantiam profecta, prouinciæ imperio ſuſcepto, poſt fidei & obſequij receptum ſacramentum, vetera omnibus iura, immunitates confirmauit, ademptas à patre reſtituit. Horum certior Gallus cum exercitu populabundus Artebratū accurrit, ac ex ea vrbis parte, quam à Cordæo traditam, præſidio tenebat, alteram aſſiduis tormentorum ictibus verberatam, deditione accepit. Qui *Mariæ* rebus impenſius fauère credebantur, ſolum vertere iuſſi, quidam etiam capite affecti ſunt. Nonnulla etiam Arteſiæ loca ſui iuris facta; præſidijs firmauit.

Marginalia (left): *Maria ſalutatur Domina Flandriæ.* — CCLXVII. *Negat nubere Carolo Delphino Franciæ.* — *Proci Mariæ.*

Marginalia (right): *Ann. Sal.* 1477. — CCLXVIII. *Maria ſcribit Maximiliano.* — CCLXIX *Ludouicus occupat Artrebatum.*

Sal. Ann. 1477. CCLXX. *Maximilian. Brabantiam petit.* uit. Ex Tornaco in vicinos incurſans, nil prætermittebat, quò opibus, milite, caliditate nuptias impediret. Sed iam *Maximilianus* habito Francofurti Principum conuentu, ſub finem Iunij menſis, ſecundo Rheni flumine Coloniam Agrippinam deſcenderat. Comitabantur eum *Io: Badenſis* Treuirorum Elector, *Albertus Branderbugicus*, *Chriſtophorus Badenſis*, *Guilielmus Iuliacenſis* Principes, ex ordine equeſtri nobiles plurimi, pullis omnibus veſtibus induti. Indè in Brabantiam accedens, Louanij honorificè exceptus eſt. *Maria* Gandaui patri iuſtis peractis, cum Teneramunda *Maximilianum* aduentare nunciaretur, obuiauere illi Burgundiæ proceres; Senatus vniuerſus, & ciues ad portam Bauonis, nouo Principi gratulantur aduentum; ciuitas mœroris oblita, in lætitiam effuſa, fauſtis perſonabat acclamationibus. *Maximilianus* cum audiſſet iuſta *Carolo* perſoluta, mutato habitu, Germanos ſuos adducebat eximijs veſtibus, & auro cultos, ac proceritate corporum, & equitatu ſpectabiles. Aduenit cum eo *Carolus Croyus*

CCLXXI *Maria obuiat Maximiliano.* Regulus Chymaius, qui ad Nanceiũ captus, in Germaniam abductus fuerat. Cum veniſſet in aulam, *Mariam* ſponſam obuiam ſalutauit, amplexus eſt, quæ manantibus ex gaudio lachrymis, corde & ore gaudium teſtabatur aduentus. XIII. Cal. Septemb. fiunt

Nuptiæ. nuptiæ, ſacra operante Antiſtite Tornacenſi coram *Iuliano Cardinali Oſtienſi* Legato Pontificis. Poſt Venerem ad Martem *Maximilianus* conuerſus, cogitabat non tam ſubditos ſibi conciliare, quàm poſt *Caroli* obitum à Gallo occupata redimere. Ex Germanis, & Flandris octo millium exercitu comparato, vicina loca iniuriæ magis opportuna adire ſtatuit, Inſulas primùm, ac indè per Tornacenſem agrum Duacum perrexit, mox Valencenas. Vbique magnis honoribus inauguratus. Fortuna vndiquè arridebat; nam per eos dies *Friderici* duo *Barbanſonius* & *Vvitemius* Gallos, qui *Aureolo* Duce, licentiùs per Bellimontenſem agrum vagabantur, præda onuſtos nacti, in fugam egerant. *Au-*

CC LXXII. *Aureolus victus.* *reoli* vexillum *Vvitemius* inter alia ſpolia *Maximiliano* attulit, in quo pro ſigno pictus erat Leo agnum morſu ſtrangulans. *Chymaius* quoquè oppidum ſuum, Gallorum teneri indignatus præſidio, collectis clientibus ad *Ann. Sal. 1477.* ſeptingentos equites, noctu per cognita ſaltuum compendia profectus, hoſtem fefellit: admotis ſcalis, mœnia conſcendit; excubantibus occiſis, aut fugatis in forum progreditur, vbi Gallos reſiſtentes cædit. At cum arx valido Gallorum teneretur præſidio, timore *Aureoli*, qui in ſuppetias deſcendere dicebatur, relicto oppido *Chymaius* ad Principem redijt. Sequentis Anni initio, *Ann. Sal. 1478.* qui 1478. fuit, in Selandiam nauigauit *Maximilianus*; ineunte vere Hollandiam, vt diſſenſiones tolleret inter *Amatos* & *Aſellos*. CC LXXIII.

Factionum hæc nomina, vti *Guelforum* ac *Gibellinorum* in Italia, inuenta cũ *Margaretha Guilelmi III.* Batauorum principis filia, *Ludouici* Cæſaris vxor à filio diſſideret *Alberto*. Recruduit peſtis ſub *Iacoba* principe, quæ *Io-* *Iacobæ Hollandæ & Io: Brabant. diſſidium* *anni* nupta Brabantiæ fuit. Orto inter eos diſſidio, quia aulicorum conſilio, mutata omnis regiminis forma, & ſubmotis, quibus ab ineunte ætate mulier aſſueuerat pediſſequis, alias illi & ignotas dederat. Quod quàm iniquo tulerit animo, indè colligitur, quòd in Angliam traijciens, illic, viuo adhuc *Ioanne*, nupſerit *Gloceſtrio* duci fratri Regis. Is collecto exercitu in Hannoniam irrupit. Veritus *Ioannes Brabantinus*, nè ſimili caſu Hollandiam & Zelandiam amitteret, præpoſito CC

LXXIV. *Philippus Brabãtin. Hollandiæ præponitur* Brabantiæ *Philippo* fratre, in Hollandiam venit, gratiſſimus populis vt iuſtitiæ amator, & religionis cultor. Varia fuere certamina inter *Ioannem*, & *Gloceſtrium*; Anno tandem 1425. *Ioannes* Bergas obſedit, vbi tunc temporis *Iacoba* manebat. Pacti iure, vel Belli in *Ioannis* poteſtatem *Iacoba* venerit? dubium. Gandauum traducta, clanculùm ſe iterùm CC

LXXV. *Flandros vincit.* ſubduxit in Hollandiam. Quibus in Angliam relatis, *Gloceſtrius* Filuuatræ Dominum cum ingenti claſſe in Hollandiam miſit. Hunc *Philippus* Dux Brabantiæ, obiecta non modica nauium claſſe, in portu Zelandiæ, menſe Ianuario ſuperauit. Anno ſequenti Bruxellæ *Ioannes* moritur; *Philippum* verò Hannouiæ, Hollandiæ, & Friſiæ Gubernatorem *Iacoba* præpoſuit. Is alijs implicitus, quum adeſſe non poſſet, *Franciſcum Borſaliæ* Dominum, Equitem Auratum præfecit. Fue- CC

LXXVI. *Iacoba nubit Borſalio.* rat à *Borſalio* ampliſſimis *Iacoba* donata muneribus, cumque in ſumma rerum eſſet inopia;

Sal. Ann. 1478. pia; eum adamabat; nec longè proceſſit, vt clàm maritum acciperet Ann. 1433. Hoc cognito, *Borſalium* comprehendi iubet *Philippus*, & in arce Rupelmundana ad Scaldim ſita cuſtodiri. Multis cum lacrymis virum *Iacoba* ſequuta, repetit. Negatum diù, ijs tandem reſtitutus legibus, vt *Iacoba Philippo* Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam, Friſiam cederet. Vno contenta comitatu, quem vulgo dicunt Ooſteruant, oppido Brielenſi,
CC LXXVII. *Ordo Aurei Velleris.* & inſula Zuutbeuelandiæ. Is ille *Philippus*, qui An. 1429. Ordinem *Aurei Velleris* primùm inſtituit, eo ipſo die quo celebrauit nuptias cum *Eliſabetha* Ioannis Regis Luſitaniç filia. Ex hiſce parentibus naſcitur *Carolus I.* cognomento *Audax*, rerum geſtarum magnitudine patre ſuperior; & vt ille conſilio prudentior, ita hic animo magnificentior. *Ann. Sal. 1478.* CC LXXVIII *Carolus Audax.* Ab Hollandis inauguratus, non magno poſt tempore, ingenti conflato exercitu in Leodinorum agrum profectus, ob coniectum in vincula *Ludouicum Borbonium* ipſorum Antiſtitem, vxoris ſuæ fratrem, eorum vrbem acri bello expugnauit, expugnatam diripuit, direptamque euertit. Poſt Leodij excidium, hic Princeps, militari virtute nullo ſuperio-





riorum Comitum inferior, alia multa bella geſſit, mira ſemper celeritate, atque ardore, quo apud poſteros clariſſimum bellicæ fortitudinis nomen obtinuit. Hiſce motibus agitata Hollandia, ſemina adhuc ſeruabat diſcordiæ, & factiones patiebatur furentes. *Aſellorum* nomen à piſce ſumpſerant illi, qui ita aduerſam factionem ſublaturos iactitabant, vti ille piſciculos abſumit minutos, qui quòd hamo capitur, ab eo *Hamati* nomen
CC LXXIX. fuit. Hos vt componeret *Maximilianus* (nam & *Ioannes Montfortiorum* Dominus, Geldrorum opibus fretus, rebellionem moliebatur) Menſem in Hollandia degit. Indè Brabantiam inuiſens, vbique ſummo exci-
CC LXXX. *Comitia Velleris Aurei.* piebatur obſequio. Interim Brugis, *Aurei Velleris* parabantur comitia, quæ ob *Caroli* obitum, capite & defenſore carère videbantur. Fçciales itaque miſſi ab *Oliuero Marchiano*, qui Reges, Principes, cæteroſque proceres ordinis equites conuocarent. Gallus ægrè nuncium tulit; qui ab obitu *Caroli Burgundi*, principatum Burgundiæ ad ſe deuolutum contendebat, & *Aurei Velleris* ordinem à ſe ſolo poſſe conferri. Hinc *Ioannem Nouocaſtrenſem* Montis acuti dominum, *Pilippum Creuecurium*, quem *Cordæum* dicunt, *Iacobum Lucemburgicum* Dominum *de Rusburg*, & *Philippum Pottium*, equites ſibi ſubiectos prohibuit ad comitia pergere. *Antonius Burgundus* Caroli frater nothus, ad Nanceium captus, libera tenebatur cuſtodia. Cum *Maximiliano* erant *Adolphus Rauenſteinius*, *Carolus Croyus*, *Engelbertus Naſſouius* dictus *Diues Bredæ Dominus*, *Ioannes Lanoius*, *Ludouicus Gruithuſius*; quibus præſentibus vltimo die Aprilis, quo Chriſti Aſcendentis in Cœlum recurrit memoria, in æde Saluatoris, coactis comitijs, Tornacenſis Epiſcopus Ordinis Cancellarius, ſermone inſtitutionis, digni-

Ann. Sal. 1478. CC LXXXI. *Maximilian. donatur Aureo Vellere.*

dignitatis, ac incrementi præhabito, eius tutelam *Maximiliano* commendauit. Cui *Maximilianus* per *Ioannem Bouerium* ſui Conſilij præſidem, reſpondit, ad *Dei Opt. Max. honorem, Orthodoxæ fidei defenſionem, & equeſtris dignitatis incrementum, omnia ſe prò virili præſtiturum, quæ à maioribus hactenùs inſtituta eſſent.* Poſtea Cancellarius nudatum vagina gladium, à Feciali acceptum, *Rauenſteinio* dedit, qui Principi more ſolemni, equeſtrem contulit dignitatem. Indè in ſacrarium templi deductus, ſolitum Ordinis induit habitum, mox in medium templi progreſſus, loco eminentiore, vti ab omnibus videretur, poſtquàm in verba iuraſſet, *Lanoius* qui ætate collegas anteibat, catenam cum *Vellere Aureo* illius collo circumdedit, in hæc verba allocutus: *Quod fælix, fauſtum faxit Deus, Sereniſſime Princeps, ob ſummas virtutes, animique fortitudinem generis tui, ac fortunæ celſitudine dignam, equeſtris Aurei Velleris ordo in ſuum te collegium aſſumit, ſummumque & ordinis & collegij principem ac defenſorem creat.* Ritu peracto *Maximilianus* Ioanni *Bouerio* militarem dignitatem contulit. Eodem die in defunctorum locum adlecti fuère *Petrus Lucemburgicus* Comes S. Pauli, *Iacobus Romontius* ex Principibus Sabaudiæ, *Guilielmus Egmondanus*, *Volfardus Borſelius Grandiſpeati* Comes, *Iodocus Laleinius*, *Iacobus Lucemburgicus* Dominus *de Fiennes*, *Philippus Burgundus* Dominus Beurenſis, & *Bartholomæus Liechtenſtainus*.

CC LXXXII. *Ludou. Rex Gallorum Cōdetum obſidet.*

Dum hæc Brugis fiunt, obſidenti *Ludouico* oppidum Condetum deditur. Victoris fortunam ſequuntur Boſſuta, Trelona ad dextram Scaldis ripam ſitæ. Paulò tamen poſt accurrente *Maximiliano* Boſſuta, & Trelona recuperantur, ſola vita militibus pactas, inter quos Dominus *S. Marcelli* qui Boſſutæ cum præſidio ſtabat, Montes in cuſtodiam miſſus. Condetum aggredi cogitante Archiduce, oppidi præfectus *Motus*, viribus diffiſus, miſſo filio *Iacobo* ad Regem, qui Attrebati erat, vti auxilia impetraret, quæ niſi mittantur, & obſidio diuturnior futura ſit, non tantùm cum hoſte, ſed fame bellum fore, edoceat. Rex auxilia non habens, quæ mitteret, præſidium iubet abducere, exuſto oppido, priuſquàm propè

Gallorum barbaries.

Sal. Ann. 1478.

hoſtis accedat. *Moius* perlectis literis, campanas omnes pulſari iubet, procurrentes oppidanos, in templum ire iubet, gratulatum Deo, inſperata victoria Regi oblata. Illi vti animos fideles erga Regem oſtenderent, certatim ire contendunt, cuius foribus obſeratis, nè quis exire poſſet, Galli pretioſis eorum conuaſatis, igne ſex locis immiſſo, abeūt, iniquo hoſpitij perſoluto pretio. Poſt hæc *Maximilianus* per Valencenę agros Quercetum excurrens, obuios Gallos habuit Querceto ægreſſos, ac validè pugnantes. Mors *Baugimontij* equitis Gallos terrore impleuit. Is erat bellator acerrimus, Regi vnicè charus. Milites *Maximiliani* inſtruebat *Iacobus Galeotus* natione Italus, Scanterani Dominus, cuius opera & fides, non minùs *Carolo*, quàm *Maximiliano* vtilis fuit. Naſcitur ei Cal. Iulij filius, cui *Maria* auitum *Philippi* nomen impoſuit. Sexto poſt diē ad D. Donati templum, à Tornacenſi Præſule aqua luſtratur. Fideiubentibus prò eo *Adolpho Rauenſteinio* nomine Imperatoris, *Petro Lucemburgico*, & *Margaretha* Caroli Vidua nomine *Eduardi* Anglorum Regis. Agebatur interim de pace inter Regem, & Archiducem, dum propè Attrebatum cum exercitu vterque valido eſſent. Poſt auerſam ſuorum pugnam, pacem non abhorrebat Rex, ſignumque dederat, equum Archiduci dono miſſum, pulcherrimis ephippijs, & phaleris ornatum. *Maximilianus* itaque nè vinci videretur *Chymaium* miſit ad Regē, cuius fideli opera induciæ ad quartum Id. Iulij in annum pactæ ſunt, ſed parùm ſeruatæ. Rex priuſquàm in regnum rediret, Cameracenſes, à quibus receptus erat, ſuis permiſit viuere legibus: & *Ludouico Maraſino*, quem eis præfecerat, templis ablatā iuſſit reſtituere, vel religione motus, vel vt Cameracēſes, qui Germano ſuberāt Imperio ſibi deuinciret amicos. *Maraſinus* verò qui ob peculatum malè audiebat, cum aureo torque ornatus Regem adiſſet, *Briquebechum* quēdam ex aulicis reuerentiam ſe torqui, vti rei ſacræ exhibere ſimulantem, ac eam venerabundum attrectare parantem, prohibuit Rex facere, *nè ſcilicet illotis manibus ſacra profanaret*, lepidè vt ſacrilegum & templorum expilatorem *Maraſinum* arguens. Diſceſſu-

CC LXXXIII *Philippus filius Maximil.*

CC LXXXIV

CC LXXXV. *Sacra Ludouicus iubet reſtitui.*

Maraſini peculatus.

Ann. S. al. 1487. CC LXXXVI *Lodouicus in Aquilā iocatur Imperialem.*

ſceſſurus itaque Cameraco *Ludouicus*, vocatos ad ſe primores vrbis, in hæc verba alloquitur. *Defenſor ego veſtræ ciuitatis, & Vicecomes, veſtris vos viuere legibus, & à Maximiliani conſortio immunes eſſe iubeo: Imperatoria arma, quæ loco mouimus, quandò ita lubebit, reponite, & auis illa, quæ animi gratia aliquandiù euagata eſt, poſtliminio in priſtinum hoſpitium reuertatur, id quod hirundines ineunte vere ſolent.* Cum abijſſet Rex, Buchinienſes præſidio emiſſo Gallorum, Flandros recepère. Cameracenſes, cum *Maraſinus* octoginta milites præſidiarios impoſuiſſet eorum in arce, timentes nè *Ludouicus* maiore præſidio arcem aliquandò muniret, auxilio Valencena accerſito, & Comite *Boſſutio*, qui Buchaniæ præfectus erat, ſuos quoquè adducente, arcem irrito conatu inuadere tentarunt, quia ciues nonnulli cum Gallo ſentirent; vel quia res ſuas haberent in arce. Tranſactum tamen vt arx à *Iacobo Lucemburgo* teneretur, præſidium verò ex vtraque

1479. factione conſtaret. Porrò qui ex Burgundis erant, anno ſequenti, intromiſſis clam quibuſdam ciuibus, regios coniecèrunt in vincula. *Boſſutius* verò & *Habordinus* poſtridiè vrbem ingreſſi, concurrentem ad arma multitudinem, cum ſe amicos dicerent, vt aduersùs Gallos periculum facerent, quieſcere fecerunt. Ita *Boſſutius* defendendæ vrbi cum militibus ſeptingentis præfectus eſt. Galli autem qui Attrebati erant, noctu ægreſſi, Duacum per inſidias tentarunt, ſed fruſtra. Non multò poſt *Ludouicus* minimè Attrebatenſibus fidens, eos omnes in Galliam abduxit, & Pariſijs, Rotomagi, diſtribuit, Galloſque in eorum locum ſubmiſit.

CC LXXXVI *Attrebatenſes in Gallias traducti.*

Miſerrima erat emigrantium conditio, qui patrios lares, bonaque ſua non valentes ſecum adducere, poſt ſe relinquere, & ad gentem ſe conferre cogebantur inimicam. Exactis inducijs, Terouannam Morinorum vrbem *Maximilianus* copias ad viginti ſeptem hominum millia, ducit. Stabat in vrbe Baro *Santandræanus* cum equitibus quadringentis, & mille quingentis ſagittarijs. Meditanti obſidionem *Maximiliano* occurrunt Galli, duce *Philippo Cordæo*, cui aderant ex tota Gallia fortiſſimi quique, & aſſiduis exerciti bellis. Cognito eorum aduentu, obuiam hoſti *Maximilianus* mouet, & per exploratores ad ſextum Idus ſibi pugnam parari à *Cordæo* nouit. Auidus erat vterque pugnæ, vndè caſtra propiùs mouebant. Locum, qui Guynegatana dicitur, cum perueniſſet aciem inſtruxit.

Ann. S. al. 1479. CC LXXXVII *Prælium ad Guynegatam.*

In fronte ſexcentos ſagittarios Anglos poſuit ſub imperio *Thomæ Auricani*. His adiunxit tria Germanorum millia. Hos ſequebantur tormenta campeſtria. Poſt ea vexillum Archiducis, quod vndiquè ſtipabant *Philippus Rauenſtainius, Carolus Croyus, Iodocus Laleinius, Philippus Beuerenſis, Ioannes Lucemburgicus, Balduinus Lanoius, Io: Grunthuſius*. Belgarum Ordines ducebant *Iacobus Romontius* iuncto comite *Friderico Alberto à Zollern*, & *Engelbertus Naſſouius*, cui adſtabat Anglus quidā cognomento *Muſca*. Equites octingenti ad vtrunq; cornu collocati. Sic inſtructa acie *Cordæum* obuium habuit. Hora poſt meridiem ſecunda, pugnari cęptum. Vrgebant *Cordæi* militem *Maximiliani* tormenta; hæc vt effugeret. Diuiſo bifariam exercitu, circumuenire tentat, cumque equitatu ſuperiorem ſe ſciret, equites quingentos, cum magna ſagittariorum manu, dextrorsùm circumductos, in ſiniſtrum hoſtium cornu imittit. Horum impetu equites à ſuis diuulſi, cum impares eſſent, inière fugam, non ſine graui periculo, quod cum vrgère fortiùs *Cordæus* crederet, diuertit, & in ſe conuertit, dum inutili conſilio fugientes *Rauenſtainium, Guilelmum Buſentonium, Vitum VvolcKenſtainium* equites Aurei Velleris, vſquè ad Aeriam perſequitur. Galli interim ſagittarij in Flandros inciderant, quibus *Naſſouius* præerat. Ibi pugnatum acriter, multis vtrinque cadentibus, donec Galli paulatim ſe pręlio ſubducentes, in pagum ſe recepère vicinum. In altero cornu (cui *Romontius* præerat) Gallorum auaritia victoriam eripuit. Nam equites quadringenti, qui ſuis ex acie cedentibus auxilio miſſi erant, dum circumducuntur, vti hoſtem aggrederentur ex latere, currus quoſdam commeatu, & impedimentis onuſtos, à paucis & inermibus cuſtoditos conſpicati, prædæ quàm pugnæ auidiores, ſociorum iuxta ac hoſtium obliti, dum currus diripiunt, & mulierculas occidunt, victores à victis occiduntur: Spatio relicto, vt *Naſ-*

ſouius

Ann. Sal. 1479. *ſouius* à ſua parte victor, cadentibus accurreret ſocijs. *Baudecurtius* & *Santandræanus* vltimum prouocantes diſcrimen, eò irrupère, vbi erant machinæ hoſtium, ijs potiri ſperantes. *Romontius* pudore ſuffuſus, ac ira excitatus, turbatis iam accurrens ordinibus, aciem inſtaurat, & vento licet aduerſo, ſorte vſus ſecunda, hoſtem agit in fugam *Cordæus*, alijque qui ab exordio conflictus inſequuti erant fugientes, de euentu ignari, dum tardiùs reuertuntur in caſtra, hoſtem prò ſocijs inueniunt. Cum igitur & ipſi ad oppida vicina ſeſe reciperent, nonnullos, qui longiùs Gallos inſecuti, ad ſuos redibant, captos ſecum abduxere, vt *Oliuerium Croyum*, *Michaelem Condęum Dominum à Frennes*, *Antonium Barletium*, *Polahimium Germanum*, cognomento *Magnū*, & *Ligneium*. Quinque horas pugnatum eſt. Cecidere in bello ex Gallis fortiſſimi *Pureſius*, *Argenteſius*, *Beluicinus*. Ex Burgundis Præfectus Brugenſis, *Antonius Halouinus*, *Ludouicus Cornetius*, & *Carolus Salinenſis*. De Occiſorum numero ſcriptores variant. Amor patriæ veritatem ſubuertit; & Victoriam fingit. Archiducem vti victorem ſtationem in campo tenuiſſe, *Comminæus* eſt auctor. Rex vinci non aſſuetus, ægrè nuncium ferens, cępit ad pacem inclinare. *Maximilianus* verò ineunte Octobri, Romontio ad Malanoium miſſo, à *Cadeto Remonetio* arcem accepit; qui dolosè deditione facta, cum magnam vim pulueris bellici ſub ſtramine abdidiſſet, hic incenſus poſtea magna clade prædam ſcrutantes affeciſſet, in pęnam laqueo ſtrangulatur. Rex hac iniuria irritatus, quinquaginta ex ijs, quos tenebat captiuos, eodem affecit ſupplicio. *Romontius* indè Lieta, Lilerto in deditionem acceptis, in hyberna receſſit. *Maria* verò ad Id. Ianuarij filiam peperit *Margaretham*. Ann. Sal. 1479.

MATTHIAS ITERUM MOVET IN AVSTRIAM. Ann. 1480.

CC LXXXVIII Bellum hoc anno inter Cæſarem & Matthiam recruduit, pacem fruſtrà ſuadente *Proſpero Aſculano*, legato Pontificis. Belli causā alter alteri obiurgat. Centum & quinquaginta aureū millia ſibi *Matthias* exigebat promiſſa, cum plurima Auſtrię oppida lubēs, nullo cogente, reſtituit. Viennenſes audiuerat centum millia Cæſari collata ſtipe dediſſe: illum auaritia, vel peruicacia correptum, nihil eſſe ſoluturum. Vrgente Turca, & ad Drauū populāte, nil auſurus in *Fridericum* credebatur *Matthias*. Is verò vires, ab iracundia, & lęſo iure ſumens, eodem tempore Turcas prędà onuſtos retrocedentes perſequitur; & in Styriam miſſo milite Rachoſpurgum, Petouiam, & Fierſtenfeld obſideri præcipit. Initis tandem cum *Friderico* inducijs, Turcas extra regni fines perquirens; non deſtitit, donec cumulatas pęnas exigeret. Violatas indè cum à Cæſare inducias aſſereret, Marienpurgum conceſſit. Renouatis tamen, medio *Proſpero Capharello* legato Pontificio, inducijs, poſtea milite vrgente Cæſareo, obſidionem ſoluere coactus eſt. Ludere potiùs credebantur *Matthias*, & *Fridericus*, nam in dies renouata fœdera temerabantur. Qui eorum aduerſum experiebatur Martem, ad inducias protinùs cōfugiebat, non vt de pace cogitaret, ſed vires repararet. Per hos dies, cum *Fridericus* de pace Venetorum cum Turcis certior eſſet, vehementer commotus, iuſſit Imperij principes in circulis ſuis conuenire, deq; impendenti Germaniæ diſcrimine conſilia capere. Non vno in loco repetitis comitijs, præcipuè in Bauaria, exemplar initæ à Venetis cum Turca pacis perlectum magnas curas iniecit. In exitium Romani imperij vertere pax iſta credebatur. Sinè qua minus operoſum erat, potentiſſimum hoſtem à finibus arcère Germaniæ. Poſtea ei integrum copias vniuerſas in Pānoniam, Auſtriam, Croatiam, Stiriā, Carinthiā, tādēq; in Imperij Romani viſcera cōuertere.

Turcas vincit Mathias.

Venetorū pax cum Turcis.

Querebantur Veneti ſe ab Europæis deſertos Principibus, neceſſitate adactos, rebus ſuis conſuluiſſe. Quàm iuſta fuerint eorum grauamina, Ducis Venetorum literæ dabunt. *Literæ Ducis Venetorum.*

Illuſtris ac Excelſe frater noſter chariſſime. Sextus decimus annus agitur, ex quo voluntariū bellum ſuſcepimus cum potentiſſimo Principe Turcorum, ea ſola cauſa et ratione, vt incitatum curſum eius in ruinā fidei & religionis Chriſtianæ ſiſteremus, & à multorum ceruicibus, quibus imminebat, vires illius diuertimus, ad proprijq; ſtatus reuocauimus tutamentum. Et quāuis pluries de pace requiſiti fuerimus, illā tamen renuimus. Quia periculosā fore multis populis et Principibus Chriſtianis arbitrabamur, communem ſalutem propriæ præponētes, hac præcipuè innixi ſpe, vt ſummus Pontifex & reliqui Chriſtiani Principes, qui per pacem et rerum ſuarum, otium po-

Ann. Sal. 1479. *potuiſſent, rem Chriſtianam deſerturi non eſſent. Sed longè ſecùs euenit, quàm ratio fidei et pietatis ſuadere videbatur. Quoniam poſt diuturnos labores, poſt incredibilem impenſarum magnitudinem, poſt cædem magni numeri nobilium & chariſſimorum ciuium noſtrorum, poſt magnas acceptas clades & in ſtatu noſtro non vulgare detrimentum, fruſtrati ad extremum ſumus, & non ſolùm de omni dejecti ſpe auxilij à capite et ſummo Chriſtianorum Principe conſequendi; ſed per injuriam copijs noſtris illatam, ad nouum in Italia bellum prouocati & impulſi, coacti tandē fuimus rebus conſulere noſtris & bellum cū Turca componere: pacem igitur iterum nobis oblatā ſecum iniuimus. Ne vrgente hinc potentiſſimo hoſte, et quorum maximè intererat pacare Italiā, ipſam turbantibus & omnia pro libidine peruertere conantibus, res noſtræ & ſociorum noſtrorum & deinceps vniuerſa res Chriſtiana in majus prolaberetur diſcrimen. Hæc excelſæ Dominationi veſtræ declaranda cenſuimus, vt conſilia noſtra & cauſas tam belli, quod ſponte noſtra piè et religioſè aduerſus hoſtem ſuſcepimus, diuq; pertinaciter geſſimus, quàm pacis, quam inire per impiam & inhumanam nobis iniectam neceſſitatem coacti fuimus, Illuſtris Dominatio veſtra intelligat, ab qua nihil alienum eſſe poteſt, quod ad nos per amorem & beneuolentiam in ſe noſtram, aut ad rem Chriſtianam per propriam pietatē & religionē aliquo modo pertineat. Datæ in noſtro Ducali Palatio die 25. mēſis Februarij, indictione XII. Anno M. CCCC. LXXIX.* Ann. Sal. 1479.

Erant in comitijs etiam Cæſaris legati, qui illatas à Turcis retulère clades. Vndè in commune deliberatum, quæ via ſupereſſet obſiſtendi hoſti immaniſſimo. Conſulti duo fuere capita. Primum vt conſulto Rege Pannoniæ, Hungariæ fines Germano militi commendarentur. Id ſi Regi, aut Cæſari non videretur; Cæſar comitia Imperij indiceret, ipſeq; adeſſet, id acturus potiſſimū, vt quę anno ſeptuageſimo ſecundo fuerant Ratisbonæ conſtituta, nouo mandato, ac pęnis ſanciret in eos, qui imperata eſsēt negaturi ſubſidia. Poſtremum conſilium probauit Cæſar, iuſſitq; ad diem SS. Trinitatis Norimbergæ conueniri. Ibi tamen Cęſar non comparuit, ſed legatum miſit III. Cal. Octob. A ſummo Pontifice legatus aduenit, coram quo ſalutaria iudicia agitata ſunt; ſed poſt grandem expectationem, nil præter verba noſtra eſt aſſequuta calamitas: graſſante interim hoſte in viſcera Chriſtianorum. *Mathiæ* cum *Friderico* diſſida, & *Ludouici* cum *Maximiliano* vnicā agnoſco cauſā. Quis fuerit in culpa? parū refert inquirere, cū hoſtē video triūphare, & nos pęnā ſubire.

MAXIMILIANVS IN HOLLANDIA. Ann. 1480.

CC. LXXXIX ADulto iam vere pari ardore, ſed impari fortuna arma repetunt *Maximilianus*, & *Ludouicus*. Ille ineunte Auguſto cum vxore Namurcum (ad Moſam ciuitas celebris eſt) venit. Eoque in fidem recepto Lucemburgum, vbi ſopitis turbis, in Hollandiam redijt, vt motus ſedaret ciuiles. Leydam ingreſſurus, obuios habuit ciues, qui capita ac pedes nudi, ſupplices erratorum precabantur veniam. Orabant inter cętera, nè Anglos in ciuitatem adduceret. *Nonniſi iure ac merito* (reſpondet is) *ſe facturum*. Portam cum ſuo comitatu ingreſſus, multis per omnes plateas facibus ac lucernis accenſis noctem illuſtrantibus, non

CCXC. *Dordracum capitur.* abijt, priuſquàm de ſeditioſis pęnam capitis ſumpſiſſet. Dordracum ex Hollandiæ ciuitatibus ſupererat, quæ aquis circumdata hoſtiles irridebat incurſus. Hamatorum factio in ea prępollebat, & cum Geldria in *Maximilianum* moliri dicebatur. Propterea crucem erectam geſtabat prò teſſera, cum Burgundi decuſſatam. Aſtu itaque rem aggrediendam rati *Michael de Berges, Thomas Auricanus*, qui ſexcentis præerat Anglis, tres naues ſaccis fęno plenis onerant, ſub quibus armati latitabant milites, hos reliqui cum claſſe ſubſequuntur. Cum Dordracum veniſſent, à ciuibus mercatores creduntur. Milites verò è latibulis ægreſſi, portam occupant, in oppidanos ad arma trepidantes, tenent, donec adueniunt ſocij. Tum omnes ſimul ciuitatem inuadunt. Conſul ciues ad arma ciens, & primus in hoſtem pergens, in *Egmondanum* incidit, ſed cruri accepto vulnere, pugna excedere cogitur. Reliqui acriter tuentur locum, à quibus vulneratur *Auricanus*, qui cum Anglis fortis pugnabat. Ceſsère tandem ciues militibus numero & viribus impares. Cū ſe abiectis dediſſent armis, præter ſeditionis auctores, in gratiam recepti ſunt. Inuēta apud eos eſt moneta

quæ

Ann. Sal. 1482.

quæ ab vna parte lilia Gallica, ab altera Geldriæ habebat inſignia. Pacata Hollandia, *Maximilianus* Buſcumducis Brabantiæ ciuita-
CCXCI. tem literis armiſque nobilem profectus eſt; Vbi *Aurea Velleris* indicta erant comitia (quę *Capitulum* vocant) ad III. Non. Maias. Plurimi adleguntur in ordinem, loco eorum qui obierant. Quorum primus *Philippus Auſtrius* trium annorum puer, qui eò cum *Maria* Principe matre venerat. Ægrotabat tunc *Ludouicus* Rex Gallorum morbo diuturno, ac difficili. Suis minimè fidens, nè ob morbum contemptus, regno priuaretur, pacem cupiebat. Indè Pleſſio caſtello ſe includens, nullum admittebat, niſi de quibus optimè ſentiret. Cæſaris cum adueniſſent legati, eos benignè habuit, libenter audiuit, & ad annum inducias compoſuit, nec longè violauit, vel violari permiſit. Nam Bruxellæ *Maria* enixa filium, cui nomen *Franciſcus* (mortuus eſt eodem anno) poſtquàm ex puerperio confirmata, Hannoniam petijt; Valencenæ cum eſſet, Gallorum aliquot milites locis ægreſſi vicinis, Cambreſij arcem negligentiùs cuſtoditam, noctu admotis ſcalis, occuparunt, ſuburbia exuſſerunt, ita vt *Maria* Brugis abiens, incendia ac fumum eminùs viderit, iniucundo fœminæ ſpectacu-
CCXCII. lo, & mortis imminentis præludio. Hæc cum animum venando oblectaret, ex equo prolapſa, lumbos & femur grauiter offendit, & dies viginti ex eo caſu decumbens, rebus teſtamento ordinatis, deceſſit V. Cal. April. *Ludouicus* paululùm ex morbo recreatus, nuncium de *Mariæ* obitu, lætiſſimo accepit animo, rei benè gerendæ ſibi multa pollicitus. *Amiſſa vxore* (aiebat) *Maximilianum parum auctoritatis apud Belgas, minimum apud Gandauenſes habiturum, qui cæteris ciuitatibus potentiores, Burgundicæ domui minùs ex animo ſtuderent, & nouis rebus viderentur idonei.* Principum liberos hi cum
CCXCIII educarent, & quaſi in ſua poteſtate tenerent, per *Cordæum* eorum animos ſollicitare cæpit, ac de matrimonio *Margharetæ Maximiliani* filia cum *Carolo* filio *Delphino* tentare: licet eodem tempore *Eduardi* Anglorum Regis filiam ambire ſimularet. Louanij poſtea *Maximilianus Philippi* filij tutor declaratus, cum Attrebati conuenire vellent Gallorum, ac Flandorum legati, nè quid occultè ab illis geri poſſet, ex ſuis quoſdam adiunxit. Eum enim minimè latebat, iā Gandauenſes Gallo addictiores factos. Per multos dies conſultum, vtriſquè viſum eſt, pacem optimè fieri poſſe, ſi præuia iniuriarum obliuione, *Carolo* filio Regis *Marga-* CCXCIV
retha deſponſaretur. Sic rebus conſtitutis, legati vtriuſquè partis Regem adeunt, vt conditiones confirmaret. Quibus ſui copiam ægrè fecit, morbum, quo extenuatus erat, diſſimulare ſatagens. Tandem intromiſſis, triginta aureum ſcutatorum millia, præter vaſa argentea affabrefacta dono dedit, & pacta iuramento firmauit: ea conditione, vti *Maximilianus* iuramento diceret, qua die filiam vellet traduci. Itaque die dicta, Archidux *Philippo*, ac *Margaretha* præſentibus, in æde D. Ioannis conceptis verbis iurat, ſe ratum habere matrimonium, ac pacis leges, ſuo ac liberorum nomine, quibus tutor eſſet, accipere, & ad ætatem maturam, bona fide ſeruaturum. Nec fides defecit. Diſcedentibus Gallis, *Maximilianus* illuſtrem admodùm legationem ad *Carolum* Delphinum generum ſuum inſtruit, quæ affinitatem gratularetur & pacem, ac ſponſam breui aduenturam ſignificaret. Legatos paucis diebus ſubſequitur *Margaretha*, quam deduxerunt *Adolphus Rauenſteinius*, *Philippus Beuerenſis*, *Io: Ligneius*, *Vvierus* cancellarius Brabantiæ. Aderant & Geldriæ principis vxor Vidua, aliæq; illuſtres fęminæ. Beruniam deducta, obuium habuit *Petrum Borbonium* Belli ioci regulum, cum *Anna* vxore *Ludouici* Regis filia, & frequenti nobilium ac matronarū comitatu. Vbiq; maximè Pariſijs quaſi ſequeſtra pacis excepta, Ambaſiā accerſitur, quò iam *Ludouicus* Principes iuſſerat conuenire. Ibi coram omnibus matrimoniū à Rege cōfirmatum, & ſponſalia ritu celebrata ſolenni. Quibus paulò *Ludouicus* ſuperfuit.

Aureo Vellere donatur Philippus Auſtriacus. *Ægrotat. Ludouic. Rex Gallorum.* *Filius naſcitur Maximiliano.* *Mariæ obitus.* *Lætatur Rex Gallorum.* *Carolo Delphino Margaretham nuere petit Ludouicus.* *Ann. Sal. 1482.* *Nuptiæ Margarethæ cum Carolo Delphino.*

MATHIAS REX HVNG. TERTIO' MOVET IN AVSTRIAM. Ann. 1483.

CCXCV. Gliſcentibus in dies inter *Mathiam*, & Cæſarem maioribus diſcordijs, legatos ille miſit ad Bauaros, nè armis cum Cæſare ſociatis, Principes quicquam moli-

Mors Ludouici Regis Gallorum.

Ann. Sal. 1477. molirentur in Hungaros Auſtriæ inhiantes. Qua ſuper re, Boiariæ ordines decreuère, nè quis abſque Romani Pontificis auctoritate, omni ope contendentis, vt Christiani omiſſis diſſidijs, in Turcas arma conuerterent, milite, armis, auro, Cæſari ferret ſuppetias aduersùs *Matthiam*, vt Norimbergæ fuerat conſtitutum. *Hamburgum Mathias obſidet.* Ab Hamburgi obſidione (*porta* hoc dicebatur *Auſtriæ*) bellum *Mathias* exorditur. Imperator audita obſidione, cum id prouinciæ ſuæ propugnaculum foret, nè rem tanti momenti per ſocordiam amitteret, non bis valido tentauit occurrere exercitu; ſed Hungarus hoſte pulſo, eò oppidanos coegit, vt cum extremam reformidarent inediam, ſe ſe dedunt. *Capit.* Aliquot adhuc dies poterat arx propugnari; à præfecto tamen acceptis tribus aureum millibus, Regi traditur. CC. XCVI. Capto Hamburgo, Styriam populatur, ac plurimis deuictis oppidis in hyberna domum ſeceſſit. Cæſar verò auectis liberis, rebuſque chariſſimis, Græcium ſe recepit. Filiam *Cunegundem* miſit Oenipontum, vbi *Sigiſmundi Auſtrij* curæ commendata degit, donec eam *Albertus* Boius nuptum accepit. *Anno 484.* Sequenti Anno Auſtriam *Matthias* iterum ingreſſus, Corneoburgum obſedit. *Corneoburgum Mathias capit.* Cæſar verò conſcriptum ex Noricis & Vindelicis milite eò mittit. Fit pugna, ex qua cedere coacti Germani, in vicina ſe recepère oppida. Manent nihilominus in fide Corneoburgenſes, etſi in ſumma commeatuum inopia, equis, felibuſquè veſci coacti. Pugnatur quotidiè ſub ipſis mœnibus, & in foſſis, vbi *Stephanus David Hazij* non vltimus inter *Mathiæ* duces, perijt. Vi deſperata, fame oppidanos domare ſtatuit: ibique ſuis ad obſidionem relictis, ipſe in Valachos ire parat, ad liberandam Achillæam. In itinere accepto nuncio, de Achillæa & Neſtoralba iam captis, in caſtra redit. *Corneoburgum deditum.* Corneoburgenſes verò neque auxilijs, neque commeatu ſubleuati, deditionem fecere. Anno poſtea ſequenti *Mathias* Viennam arctè obſidione cingit; & nè commeatus aliunde inferretur, omnes viarum aditus intercuſit. *Ann. Sal. 1477.* Indè cum prætorianis *Eberſdorffius* mouens, dum capere tentat, propè eum mors cœpit. Dum enim in humili tugurio cum familiaribus accumbit, ferreus globus ex oppido emiſſus, perrupto pariète, proximè ipſum decidit. CC. XCVII. *Vienna dedita.* Hinc animo iam commotior, oppidum ſumma vi aggreſſus capit, ac victor in caſtra reuertitur. Eo vndique vrgente, obſeſſi omni auxilio deſtituti, execrabilique fame adacti Cal. Iunij, deditionem non ſine perpetua Cæſaris ignominia fecere. Ingens eo die terræmotus Regem non diù vrbe potiturum, ibique diem nouiſſimum obiturum ſignificauit. Capta namquè Vienna, quinque tantum annis ille ſuperuixit. Vienna potitus, in vlteriorem Auſtriam exercitum mittit, ipſe verò in Morauiam contendit ad dietam, CC. XCVIII. *Fedus Mathiæ cum Boemo.* quam ad Iglauiam ex compoſito cum *Vladiſlao* Bohemiæ Rege præſtituerat. Ad labefactandas enim Auſtriæ vires, & frangendam Cæſaris potentiam, nihil commodius eſſe cenſebat, quàm Bohemicum Regem, bellicoſſima gente pollentem ſibi conciliatum habere. Verebatur, quod antea ſemel acciderat, nè inſtituta cum *Vladiſlao* amicitia, Cæſaris arte dirimeretur, nè bellicoſum iuuenem, & ad clariſſima quæquè facinora natum, *Fridericus* magno ſtipendio conduceret. Quod ſi Cæſar auro irretiſſet, numquàm Pannones Auſtriam occupaſſent. CC. XCIX. Verùm quod Hungaris ſtudentes, id *Friderici* auariciæ adſcribunt, alij ad religionem vertunt, nè arma Christiana, *Friderici* dolo inter ſe dicerentur concidere. Ipſos Imperij principes in ſuppetias non acciuit, cum poſſet. Neapolis itaque ſola cum adhuc præſidio teneretur Cæſareo, poſt longam & duram obſidionem, deditionem fecit, in quam ouans *Mathias* ingreſſus, celebrem egit triumphum. Inter tot caſus, & diſcrimina rerum, de ipſa fortuna triumphare Cæſar voluit, & potuit. CCC. *Friderici ſymbolum.* Vndè hæc verba, loco ſymboli, paſſim vſurpaſſe referunt: *Summa fælicitas eſt, rerum irrecuperabilium obliuio.*

FLANDRI A MAXIMILIANO DESCISCVNT. Ann. 1486.

MOrtuo *Ludouico* Gallorum Rege apud Turonos, *Carolus* ſucceſſerat filius, cui *Margaretha Auſtria* nupſerat. Huius patrocinio fidẽtes Flandri nonnulli, ex Gandauenſiũ con-

Sal. Ann. 1484. conſilio *Maximiliani* detrectabãt imperiũ. Ei vitio dabant, quòd peſſundata Rep., reditus, dignitates, officia ſolis exteris profunderet. Ferendum non eſſe diutiùs, qui tutorio nomine in pupilli patrimonio graſſaretur. Tutelam principis ad ſe trahere primi nitebantur Gandauenſes. Obſtabant Brabantes, qui primi omnium in verba Archiducis velut tutoris filij iurauerant. Simultas in arma erumpens, primùm ſuſtulit mercimonia. Nam cum Antuerpienſium nundinæ inſtarent, Flandri nouas ipſi aperuère Brugis; ſed inopem vtrumque copia fecit: nam pauci ad has, vel ad illas adfuère. Brabantes vt Flandris vindictam rependerent, *Maximiliano* conſcio, Teneramundam vicinum oppidum aſtu capiunt. Tres currus milite complent, qui mutato habitu monachos, ruſticos, fœminas referrent, ac fugientium ex agris ſpeciem exhiberent. Id eò faciliùs creditũ, quòd *Teneramunda aſtu capta.* per eos dies *Romontius* Flandrorum Præfectus, Brabantiam ingreſſus, agros circa Bruxellas deuaſtarat. Ad horam nonam eò prouecti, qui in primo curru erant, populariter cum oſtiarijs miſcentes colloquia, ſpatium fecère ſuis deſiliendi, ac portam inuadendi, donec Archidux cum equitibus octingentis aduolauit. Ad arma acciti oppidani reſtitère
CCCI. primùm, mox numero victi, abiectis armis ſe ſe dedidère. Inſulas aditurus, arcem ſibi claudi audiens, ciuitatem ingredi noluit. Valencenæ, Duaci, prò tutore recognitus, Cameracum venit. Hæc Anno 1483. Sequenti, Aldenarda hoc modo potitus. In ea duæ ſunt arces, altera *Vetus*, altera Burgundica indigetatur. Illa à *Palmenſi*, hæc à *Gualtero Requenio*, & *Petro Mentenoio* tenebatur, quorum ille *Maximiliano* fidus, per filium indicarat, ſi noctu cum ſuis accederet, poſſe oppidum occupari. Princeps fortunam ſequutus, prid. Non. Ian. cum duobus expeditorum millibus iter ingreditur, paucis præmiſſis, qui accepta teſſera, in arcem euaderent. Hos cum alijs pedes ipſe ſubſequitur, negocio *Cliuenſi* dato, vti cum equitibus ſtationem antè ciuitatem tenens, euentum expectaret. Superato caliginoſo itinere, antè diei crepuſculum voti compos, admiſſus cum ſuis in arcem, tubas repentè canere, ac tympana iubet. Oppidani ſomno exciti, arma capere, clamorem tollere, alij aliorum opem implorare. Prima luce *Ann. Sal. 1484.* ex Magiſtratu miſſi in arcem, quomodo ſe res habeat? inquirunt. *Adeſſe principis* (reſponſum eſt) *patrem, filio aſſeruaturum hæreditatem citra ciuium iniuriam.* Magiſtratus renunciari iubet, *Deo & victori ſe nolle reſiſtere. Id cum non grauatim, ſed lubentes faciant, de eius clementia planè ſperare.* Sic citra ſanguinem ſalutatus eſt tutor. Poſt hæc ineunte vere *Carolus* Rex Gallorum *Antonium Burgundum* Teneramundam miſerat, vt inter partes de pace ageret. Peruicacia verò Gandauenſium, conſilium euanuit. Qua offenſus, re abijt infecta. Poſtea à Flandris excitato ligneo propugnaculo propè vicum Caloum, vt mercatoribus Hollandis, & Selandis Antuerpianas nundinas petentibus iter intercluderent, *Maximilianus* collecta Germanorum, ac Heluetiorum manu, propugnaculum diruit, defenſoribus aut cæſis, aut captis. Flandros dicebatur excitare *Cordæus*, à Rege miſſus, vel ſpe lucri euocatus. Fauebant ei Gandauenſes; Tornacenſes verò admittere eum recuſarunt, ab vtriuſque commercio immunes viuere profitentes. Anno poſtea octuageſimo quinto, Flandriam cum exercitu *Cordæo* ingreſſo, *Romontio* etiam validas ducente copias; opus ducens *Maximilianus* vtrique occurrere, tria equitum, ac duodecim millia peditum contrahens, *Aloſtum* firmiſſimum Flandriæ oppipum ducit, *Aloſtum.* & miſſo feciali id ſibi tradi poſtulat. Præſidiarij reſpondent, fœdus ſibi cum ciuitatibus initum temerare non poſſe. Tunc Archidux retrò mouens in Flandros, qui numero ſeptem mille propè Gandauum in loco ſatis munito caſtra habebant, cum ad pugnam elijcere non poſſet, templum non longè ab Aldenarda, in loco (cui nomen *Caſtra Ciceronis*) vbi opulentiſſimas prædas Galli, ac Flandri depoſuerant, expugnat: arcem Halſeleam deditione capit. Poſtea in agrum irruens Gandauenſium, vrbi appropiat, ſuburbia populatur: Ciues exeuntes ad opem ferendam ſocijs reprimit: fugientes inſequitur, portam occupat, in ipſo vrbis ingreſſu ſtrenuè pugnatur, donec demiſſa crates penſilis, vtramque aciem diremit.

Venit interim *Cordæus* cum ſeptem hominum millibus, quos *Carolus* Rex Francorum

ſuis

Sal. Ann. 1484.

ſuis alebat impenſis. Hos ſequebantur duo mille honorarij Aurelianenſes, & Angoliſmenſes, maiori ſpe prædæ, quàm adducti ſtipendij. Gandauum cũ veniſſet Cordęus ad Principẽ *Philippum*, qui ſub cura *Adolphi Rauenſteinij* educabatur, multa Regis nomine promittens, *Principem inuitauit in caſtra, multum momenti dicens, ſi is à ſuis conſpectus, animos eorum confirmet, neque ſanitati incomodum fore, ſi in liberioris Cœli aerem prodeat, non in vmbra educandum, ſed caſtra, viroſquè armatos vidère, decère Principem.* Non latebat Flandros *Cordæi* arcanum, velle Principem in ſui traducere poteſtatem.

Philippus libera cuſtodia retinetur.

CCCII. *Galli Regis literæ ad Brabantos.*

Per eoſdem dies ex Gallia in Brabantiam, & Hannoniam literæ miſſitabantur, quarum erat ſententia. *Audiuiſſe Regem, cum ſumma animi moleſtia, diſſidium eſſe exortum inter Maximilianum ſocerum ſuum, & Philippum eius filium, fratrem ſuum, & cognatum, iamque Flandros huius partes fouere, ab illo ad arma concitari reliquos. Id cùm anteà per legatos componere ipſum voluiſſe, tum nunc quoque ſua intereſſe ratum, ne quid Flandria ex ea re detrimenti capiat, ſumma ope niti. Philippum quidem, & pro eo ſentientes Flandriæ ordines, totius controuerſiæ arbitrium, iam anteà Regis cognatorumque principum cognitioni detuliſſe, ſed à Maximiliano neque hoc, neque aliud quidpiam æqui impetrari potuiſſe. Nunc verò Cordæum ab ipſo cum mandatis miſſum, vti eius nomine, amica diſceptatione, omnem controuerſiam dirimat, quem à Maximiliano reijci cum dolore audiret. Hortari igitur, ac orare Brabantos, & Hannonios, ne poſthac Maximiliano in filium legitimum, ipſorum principem, auxilia præbeant, neque enim ex fide regis eſſe, vti fratris ſui commodis deſit, iamque ingentem parari exercitum, quem, niſi monitis obſequantur, propediem intra limites ſuos viſuri ſint. Itaque malo caueant, & quietos ſeſe continentes, pacem iniuſto bello præferant.*

Maximil reſponſio.

Maximilianus lectis literis, quæ paſſim ei tradebantur, Scripſit Carolo, *mirari ſe factum, neq; eo auctore credere alienos ſubditos in Principem ſollicitari, ſed priuatorum ope, qui ſpe lucri bella fouerent. Filium ſuum à ſeditioſis detineri, intoleranda audacia, & exemplo ad poſteros pernicioſo. In Deo tamen ſpem habere, vt breui perduelles ad ſaniora redeant conſilia. Quare deſineret inſidis author eſſe, vt filium armarent in patrem, cui filij ſalus ſola eſſet in voto. Literas tanti non eſſe, nè ab officio ſubditos poſſint remouère. Nubem diſſiparet inanem & fidei candore, ac conſanguinitatis vinculo, aliena libraret vt ſua.*

Ann. Sal. 1484.

Cordæus Gandauo diſcedit.

Diſſentiebant etiam *Cordæus* & Gandauenſes. Gallorum libido, & rapinæ adeò eos concitauerat, vti cum exercitu Landreſium remitterent. Tormenta tamen, & milites nonnullos reliquit: & ne quis de Rege calumniari poſſet, vbique impenſarum pretia perſoluit. Cum receſſiſſet *Cordæus*, cæperunt Gandauenſes inter ſe diſſidère, & de Gallo minùs ſperare. Artifices præcipuè nauicularij, pacem ſuadebant, iam bello attriti. *Guilielmus* verò *Rhenenſis*, ac alij nonnulli, bellum ſibi fructuoſius rati, ſuppellectilem Principis auream ac argenteam vendi debere, vt Gallis ſtipendia perſoluerent.

Gandauij ſeditio.

Indignum cæteri id ſuſpicantes, clamorem excitarunt. Plebs arreptis armis, in forum aduolat, ex ſuis Magiſtratus creat. Hi, mandante plebe, *Rhenenſem* & *Danielẽ Auredonum* carceri datos, Reipublicæ iubent adminiſtratæ reddere rationem. Accuſati & conuicti pacem ſubuertiſſe, capite luère pœnas. *Romontius* qui Aloſti cum præſidio erat, inter turbas periculum veritus, negato per Gandauum tranſitu, alia via *Cordæum* adit in agro Tornacenſi. Ibi cum & oppidanos videret infenſos, ex Flandria receſſit. Poſt horum diſceſſum, Flandri *Maximiliano* reconciliantur; Primi fuere Brugenſes. CCCIII.

Pax cum Flandris.

Conditiones initæ pacis fuere: *Vbi Flandri, principis ſui patrem, legitimum eiuſdem tutorem agnoſcerent, iureiurando Gandauij confirmarent. Ille vetera eorum priuilegia rata haberet; nihil immutaret quæ ab obitu Mariæ,* Philippi *nomine acta erant. Vrbem ingreſſus, non abducturum ſecum principem antè pubertatis annos, ſanctè iuraret. Erratorum tempore belli, veniam daret. Exules reuocaret, exceptis nonnullis, cum quibus iure ageret.* Annuit pacto *Maximilianus*, & ad ſextum Id. Iul. Gandauum itinere arrepto, cum ad ſacellum ſuburbanum perueniſſet, obuium habuit *Philippum* Filium, qui patrem aperto capite, propiùs aduenientem honorabundus excepit. Inde in amplexus vterque ruunt, non

CCCIV. *Philippus Maximiliano patri obuiat.*

ſinè

Sal. Ann. 1486. ſinè multis & ipſorum, & ſpectantium lachrymis. In æde Ioannæ iuriſiurandi religione firmata pace, *Mathiam Paiardum* Tribunum plebis, *Magnum Decanum* dicunt) militari baltheo donauit. Inde *Fenninus* nothus militari fretus fiducia, Principem vltrò accedens, veniam admiſſæ culpæ in eum orat. *Maximilian. clemens.* Is ad veniam promptus, quamuis ignoto manum porrigit, mox edoctus, Gandauenſibus ſtipendia in eum proximo bello feciſſe, ſed cætera eggregium, multa ſæpè in Gallos edidiſſe facinora, *lubens* (inquit) *illi ignoſco, neque factum muto, cum eo in Gallos animo ſit.*

CCCV. *Noua ſeditio Gandaui.* Itaque cum omnia crederentur pacata, noua excitatur ſeditio. Quatuor milites cuſtodiæ dederat Prætor Vrbanus, qui famulæ cauponis vim intentaſſe dicebantur. Hos alij commilitones, ereptis lorarij ancillæ clauibus, educere tentant. Clamat ancilla, herus accurrit, dehinc alij, donec vagante rumore, à Germanis vim inferri, ciues ad arma concurrunt, tumultuosè militem ad ſupplicium poſcentes. *Maximilianus* re ſubita exterritus, ex ſuis mittit, vti quieſcant, hortatur, ſed in caſſum. Circa horam decimam, ſeruato ordine, ad hoſpitium Principis ducunt, pontes occupant, loca muniunt. Ille Germanos iubet arripere arma, periculum facere. Intercedunt proceres, & Magiſtratus in genua prouoluti, inconditæ multitudinis culpam rogant, nè innocentibus afferat. Non minori pauore dilapſuram, ac temeritate conuocatam. Horum precibus *Maximil.* aſſenſus, vim inhibet. *Beuerenſis*, & *Chymaius* plebem adeuntes, ad quietem prouocant. Non tamen auditi, ſed faceſſere iuſſi, etſi inermes eſſent, vix ab armatis euaſerunt. Flandri, quaſi in vltimo eſſent diſcrimine, *Maximilian. Gandauenſes vincit.* campanæ ſonitu (*Magnum Rolandum* vocant) ſocios ad pugnam euocant. Princeps Germanorum aliquot emiſſis manipulis, eorum vires explorat, cæteros in armis retinet. Illi poſt leuem pugnam, Flandros loco pellunt, tormenta quædam eripiunt. Hinc plebs conſternata, pacem poſtulat, modò lectis vtrinque arbitris, rei æquitas expendatur. Non renuit Princeps, vndè circa ſextam matutinam, quiſque Domum dilabitur. Princeps Prætorium ingreſſus, re diſceptata, ſeditionis auctores noxæ dedit: dein vt tutiùs apud ipſos ageret tormentis, quæ ibi *Cordæus* reliquerat, in poteſtatem redactis, opportuna vrbis loca occupauit. Ciues verò aulæa quædam, libros, & reliquam ſuppellectilem reſtituerunt, centum & viginti ſeptem aureum numum millia, intra annum, multæ *Ann. Sal. 1486.* nomine exoluturos ſe promittentes. Theatrum cum in medio foro eſſet, cuius quatuor CCCVI. *Inſignia Gallica deponi iubet.* angulos leones ex oricalcho, ſingula ſuſtinētes inſignia Regi Gallorum puta, *Philippi* Principis, Flādriæ, & Gandaui vrbis, ſtipabant, iuſſit *Maximil.* videntibus cunctis, in populi frequentia arma Gallica deijci, & ſua in eorum locum attolli. Tandem *Philippum* filium, per mediam vrbem deductum, *Rauenſteinio* comitante, alijſque proceribus in Brabantiam mittit. Ipſe XII. Cal. Aug. Sedens prò tribunali magiſtratus omnes, Senatum, opificum decuriones in atrium intromitti iubet in modum reorum. His toties repetitam obijciens clementiam, tandèm non vti iudicem in reos, & victorem in victos, ſed vti patrem in filios velle agere promittens, liberam omnibus dicendi indulſit facultatem, vt quibus legibus viuere profiterentur, exprimerent. Illi humilitèr reſponderunt. Eius in manibus ſtare vrbem, ciues, aras; *Agnoſcere ſe veteres offenſas; in nouo ſcelere paucorum culpam ſtare, qui iam pœnas dederint: reliquos veniam precari; paci ſi nouas vellet adijcere conditiones, ſe paratos recipere.* His dictis priuilegia vrbis exhibentes, *ſi ea minùs probaret*, irritandi facere poteſtatem. Quod ab eo in aliquibus factum. Cæterum pacem petentibus, dedit. Rempublicam verò vt in meliùs ordinaret, octo viros ſpectatæ fidei creauit, qui Magiſtratum legerent ex ijs, qui numquàm publico munere functi eſſent. Hi coram Principe, impoſitis S. Cruci digitis primoribus, in eius verba iurarunt. *Dominum de Motte* Gandauenſibus cum præfeciſſet, Bruxellas ſeceſſit. Ibi agenti, de nouis Leodienſium motibus, nuncius ad fertur, qui à *Guiliermi* filijs concitati, *Hornanum* epiſcopum repudiabant. Cum exercitu itaque Centronum aduolans, legatos obuios habuit, cum quibus in vrbem miſit *Epiſcopum Cameracenſem*, *Abbatem S. Bertini*, & *Oliuerium* Marchianum, vt fœdus inſtaurarent. Horum conatus reddebant irritos

qua-

Ann. Sal. 1482. quatuor vrbis præfecti, qui paucos poſt dies in populari tumultu trucidati, pacem, quam non habebant, ſuperuenientibus legarunt. *Ann. Sal. 1482.*

MAXIMILIANVS ELIGITVR REX ROMAN. Ann. 1486.

CCCVII. OCto iam elaberant anni, quod tempore *Maximil.* filius *Fridericum* Cæſarem nō viderat patrem. Propterea Aquiſgrani, vbi indicta erant comitia, magno gaudio, nec ſinè lachrymis conuenere. De filio in Regem Romanorum eligendo, *Fridericus* conſilia agitabat. Hoc enixè impedire conabantur. Gallorum legati, donis, promiſſis, animos principum allicientes. Occupauit literas *Maximil.* iuſſu Regis ad id exaratas, has cum *Virodunenſi* præſuli, legationis principi multa excuſanti, oſtendiſſet; ille turbatus, nil vlteriùs mouit. Conſortem itaque Imperij *Maximilianum* pater *Fridericus* fecit, cunctis Septemuirorum ſuffragijs adprobantibus die XVI. Februarij. Aderant præſentes Electores omnes, ſed duorum ſumma erat auctoritas, *Erneſti Saxonis*, & *Alberti Brandemburgici*, qui cognomento *Achilles Germanicus* dicebatur. Is in ipſis comitijs Francofurti vitam finijt, anno ætatis 72. relicto ſucceſſore filio *Iohane* Electore IV. Renunciata filij electione, exuberauit in lachrymas *Fridericus*, forſan molem pendens imperij, futuraque mala, quæ *Maximiliano* imminebant. In eiſdem comitijs pax per omnes imperij ditiones indicitur ad decennium ſeruanda, vt prohibito armorum vſu, diſſidia omnia iure diſceptarentur. His conſtitutis, venere Aquiſgranum, vbi ſecundum morem coronatus eſt *Maximil.* die X. Aprilis. Indè in Brabantiam, Bruxellis honorificè excepti in palatio *Caubercanorum*. Vbi cum cœnam vnà caperent, graue diſſidium inter ſatellites Regios, & Bruxellenſes ortum, in quo vtrinq; aliquot vulnerati ceciderant, Rex ipſe è conuiuio ad clamorē prouolans, ſuo iurgantes terruit aſpectu, vt ferrum deponerent. Luſtrata poſtea Flādria, adulto autumno, *Fridericus* relicto filio in ſuperiorē abijt Germaniam.

Maximilian. eligitur Rex Roman.

CCCVIII. *Fridericus plāgit.*

Maximilian. ſolo aſpectu placat altercantes.

NVPTIAE CVNEGVNDIS, ET ALBERTI BAVARI. Ann. 1487.

CCCX. COrdæo apud Morinos infeſto agmine peruagante, occurrere *Maximil.* ſtatuit. Collecto itaque milite obuiam pergit. Illo autem copiam ſui non faciente, in Batauos abijt. Dum in Germania *Albertus* Bauarus cognomento *Sapiens* captata occaſione Ratisbonenſis diſſidij, orti, quia Magiſtratus liberæ ciuitatis ærarium decoxerant, vndè Ratisbona publicis facta impar oneribus, accipiendo iugo, quàm tuendę libertati aptior videretur, credidit adeſſe tempus, Ratisbonam redimendi, quæ olim Boicæ gentis caput fuerat, & à *Friderico Ahenobarbo* Imper. erepta Boico principatui, liberis Imperij vrbibus adſcripta fuerat. Arriſit fortuna votis, & partim dolo, partim muneribus allecti Ratisbonenſes, Boicæ ſe tradidère poteſtati. Accidit hoc Anno Salut. 1486. Cęlebs tunc erat *Albertus* cognomine *Sapiens*, cū ętatis an-
CCCXI. no quadrageſimo de propaganda ſtirpe cępit cogitare. *Cunegundem Friderici* Cæſaris filiam habebat in votis, ſed cum Cæſarem ſibi ob recuperatam Ratisbonam non ignoraret offenſum, periculum proſpiciebat ferendæ repulſæ, ſi nullo interprete, filiæ nuptias ambiret. *Sigiſmundo* Auſtrio, qui iuſſu Cæſaris Cunegundem educabat, intercedebat cum *Alberto* ſingularis neceſſitudo. Ad eum profectus Oenipontū *Albertus* vota aperit, & benignè auditur. Nouo porrò beneficio vt deuinciret amicum, *Sigiſmundo* bello Veneto implicato præſtabilem vim offert pecuniæ. Ille CCCXII.
verò nihil moratus *Alberto Cunegundem* addicit, quæ lubens volens aſſentit, rata *Sigiſmundum* nihil iniuſſu Cæſaris eſſe auſum. Oeniponti celebrantur nuptiæ, thorus initur genialis. Imperator re cognita, mirum excanduit. Auxit iras, quòd *Sigiſmundus* prolis expers, & expes, Tirolim *Cunegundi* dotem, inconſulto *Friderico*, & *Maximil.* Roman. Rege, dixiſſet. Nihil erat propius, quàm vt Cæſar *Alberto* bellum inferret. Belli exuberabant cauſæ. Ratisbona inſcio Cæſare, ab Imperio auulſa: Ignorante patre filia abducta: *Friderico* inuito Prouincia Auſtriacæ domui à Boijs detracta. Protinùs itaque dotis pactionem reſcindit, eamque reuocare iubet *Sigiſmundum*. Tempus tamen iras leni-

Albertus Boius Ratisbonam acquirit.

Alberti, & Cunegundæ nuptiæ.

Ann. Sal. 1487. leniuit Filiæ interceſſio, *Alberti* Demiſſio, vltionis omittendæ neceſſitas, cum Cæſar longè honeſtioribus bellis vrgeretur, præcipuè Hungaricis. Redeamus ad Belgas. *Ann. Sal.* 1487.

FLANDORVM MOTVS.
Anno 1487.

CCCXIII. IN Hollandia agente *Maximiliano*, *Cordæus* iterùm ad Morinos, Terouannæ ſolicitabat præſidium. Sed *Maximiliano* accurrente (ex Hollandia reuerſus erat) receſſit Gallus, & Odomarifanum munitam ciuitatem noctu ſcalis admotis, capit. Ciuibus creditur conſpirantibus, nam ſoli quadringenti viri comitabantur *Cordæum*. Dolo poſtea occupata Bethunia, *Carolo* Geldriæ principe, *Naſſouio*, & *Boſſutio* captis, quos pecunia multatos poſtea dimiſit, cum Gandauenſibus, & Brugenſibus inito fœdere, exauctorato, quem Rex iuſſerat, Senatu: alium nouoſque Magiſtratus, & opificum tribunos creauit. Hoc nuncio accepto, *Maximilianus* filium Bruxellis Mechliniam migrare iuſſit (vbi ſub *Ægidio Buſſidio*, viro genere, & doctrina nobili adoleſcentiam egit) cum expedito agmine Brugenſe oppidum irrumpere conſtituens, accepto cum quibuſdam oppidanis (quos conſcios habuit) die (quæ eſt vigilia S. Matthiæ) quo applicaret, priori fertur aduolaſſe die, quum eſſet biſſextilis ille annus, idque à Duce minus aduerteretur: ſtetitque explicitis ſignis, & agminibus extra portam, vt iam conuenerat. Sed rebus in vrbe imparatis, ſtetit ipſe otioſus: in vrbe verò excitato tumultu, plurimi rapti ſunt ad ſupplicium. Paucos poſt dies, cum placida omnia nunciarentur, cum quingentis duntaxat viris Brugas ſe *Maximilianus* contulit perſuaſus à *Petro Longicollio*, homine Belga, ſi quis fortè motus exiſteret in vrbe, præſto fore tria fidorum armatorum millia, qui ad quemuis Regis nutum eſſent parati. Dolus erat cuſus à Brugenſibus, & Gandauenſibus, qui in *Maximilianum* conſpirarant: in-

CCCXIV. *Maximilian. custodiæ datur Brugis.* greſſus, contra ac *Longicollius* retulerat, omnia reperit ſeditionibus plena, tandem ipſe à ciuibus in cuſtodia habitus, multiſque ab inſolenti plebe affectus ludibrijs, hoſpitio ſemel iterumque mutato per ciuium inſolentiam. Multa pluſquàm barbara feritate acta leguntur. Tragicum atque crudele de quodam referunt Scutario. Is plebe fretus furente cum vrbis ſe venditaret præfectum, *Ioannem Grachthium*, *Ioannem Vtenhouium*, & *Petrum Gerſonem* viros adprimè nobiles, & alios decem vrbis primores ad ſe vocat, quaſi ab imminenti eos liberaturus periculo. Ea nocte apud ſe manère ſuadet, poſtridiè liberos fore iurat: & quo minùs ſiniſtri quidpiam ſuſpicarentur, vxores ipſorum vocari iubet, cœnaque ſatis lauta omnes excipit. Poſt, dimiſſis domum vxoribus, dormitum cònceditur. Nec longè adſumptis duobus Auguſtinianæ familiæ religioſis, & carnifice, dormientes excitat, vitæ nuntiat periodum, peccata ſi velint, confiteantur. Confeſſos, nulla ampliùs hora permiſſa, decollari iubet. Sanguinem eorum per tabulata diſtillantem, nullo modo elui potuiſſe, memoriæ proditur. Capita dehinc, & truncos feretris impoſita, ad cœmeterium Auguſtinenſium deportantur. Eò, orta luce, vxoribus properare iubet. Interim *Innocentius* Pontifex, miſſis in Flandriam litteris, Brugenſibus eorumque ſocijs, ſacris omnibus interdicturum ſe ſe minatur, niſi Romanorum Regem libertati reſtituant. *Crudelitas Scutarij Gandauen.*

Magis verò eos mouit, quòd *Fridericus* Imperator cum valido Germanorum exercitu auxilia ferre nuntiaretur. Rex cum ſummo metu ageret, quem loci augebat ſolitudo, & ſuorum aulicorum captiuitas; ante patris aduentum, paſſus eſt propoſitis ciuitatis legibus ſe conciliari. Captato itaq; cum primis Flandorum colloquio, ſermone placido, temporis magis quàm dignitatis memor, ad placandum parentem iturus promittit; qui iam cum exercitu, in Brabantiam ingreſſus erat. Ad quem iturus *Maximilianus*, ſum- CCCXV. *Frideric. Flandriã petit.* *Liberatur Maximilian.*

Sal Ann. 1488. pto in edibus Domini de *Brieres* pran-
dio, extra portam ægreſſus obuios habuit
Chriſtophorum Bauariæ principem, & *Fri-*
CCCXVI. *dericum Zollerenſem* ab Imperatore cum ex-
pedita equitum manu præmiſſos. Horum
erectus fiducia, Magiſtratus Brugenſes,
& opificum tribunos ad ſe vocatos monuit,
operam darent Imperatori pacando, de
quo meritò ipſe Rex ambigeret, quo ani-
mo Brugenſium actiones eſſet laturus. Hoc
dicto ſollicitos illos, ac multa dicere pa-
CCC. XVII. rantes reliquit, & Hulſtum Flandriæ Teuto-
Intercedit Maximilian. apud patrem prò Brugenſibus. nicæ oppidum, atque indè Mechliniam
abijt, vbi Auguſtus cum *Philippo* de bello
conſilia miſcebant. Hic *Maximilianus* oran-
do, iram patris lenire curauit; parceret inno-
centibus, ſinè quorum ſanguine, ſontes
nequeunt bello caſtigari: vltionem difer-
ret, quæ alio tempore vtiliùs ſumi poſſet.
Philippi ætatem eam eſſe, vti ad firman-
dum eius in Belgas imperium, pace potiùs
quàm bello opus ſit. Flandros irritatos,
qui ſemper cum Gallo arcana agitabant, no-
ua poſſe ſuſcitare diſſidia. Vicit tamen
Fridericus, eorumquè ſententia, qui ſen-
tiebant tam inſignes iniurias non *Maximi-*
liano tantùm, ſed toti Imperio illatas eſſe
acriter vindicandas. Rebus itaque ad vim
inferendam comparatis, Flandri accerſito
Gallorum auxilio, copias contraxère. Pri-
CCC. XVIII. mo conflictu Brugenſes, ſubacto caſtro
Frideric. Brandeburg. Brugenſes vincit. Coquiſeio, domum redeuntes, à *Fride-*
rico Brandeburgico, ad mille cæſi, ſeptin-
genti ſexaginta ſex capti, inſtrumenta
bellica cum militantibus ſarcinis in caſtra,
quæ tum in agro Gandauenſi habebantur,
reuecta: Hinc Brugis luctus, & trepi-
datio. Erantque ex ciuibus non pauci, qui
miſſis in caſtra legatis, deditionem facien-
dam eſſe ſuaderent. Id nè fieret, *Perne-*
ſius cum mille equitibus Gallis ex agro In-
ſulano Brugas accurrens, prohibuit. Iam
Iprenſes *Cordæum* receperant. Inſulani ve-
rò Regi addicti, denuo in eius verba iura-
runt. Tentauit Rex Dama oppidum, in
cuius obſidione cecidit *Albertus* Marchio
Badenſis. Cum itaque bellum diutiùs opi-
nione protraheretur, detrectante certare
Gallo; *Fridericus* in Germaniam redijt,
quem fugere iactitabant Flandri. Ganda-
uenſes poſtea Brugenſibus ſociati, cum *Ann Sal. 1489.*
octo pugnatorum millibus, in quibus du-
centi Galli cataphracti cum Huſtenſibus im- CCCXIX.
minerent, *Chriſtophorus* Dux Bauariæ, ni-
hil ſuorum paucitate trepidus, venientes
ſtatuit adoriri. Partem equitum cum octin-
gentis legionarijs, *Georgio* comiti *Eberſtai-*
nio attributos locat in inſidijs: reliquos
trifariam partitus, quà parte Hullto pe-
riculum imminebat, duxit ipſe: paucos,
qui ſupererant, iuſſit eruptionis ſignum
in portis expectare. Agebatur ſexta dies
Martij, cum feruente iam vrbis oppugna-
tione, *Chriſtophorus* cum *Befortio* & *An-*
nebergio portis errumpit. Data teſſera
erat, vt ex alta turri fax luculenta expo-
neretur, vt *Erbeſtainius* à tergo, *Chri-*
ſtophorus hoſtium latera peteret. Conſtitit
conuento fides. Hoſtes tot partibus peti-
ti, non ad pugnam ſed ſtragem curre-
bant. Mille centenni & ſupra ex Flan-
dris, armis abiectis, exitium ſunt depre-
cati. Hos etiam iratus milles cum macta-
tos vellet; *Chriſtophorus* ſeruauit, Regiæ
conſulens clementiæ. Fælicitas hæc non
diuturna; nam *Pilippus Raneſteinius* Ipram
ad *Cordæum* profectus, ſpem ei facit, Bru- CCCXX.
xellas, Louanium Buſcum Ducis, aliaſque
Brabantiæ ciuitates facili momento, ſi cum
exercitu eò accederet; partibus adiungi
poſſe. Facilè aures *Cordæus* præbuit, vndè
immiſſo milite, fœdus inijt. Quod Gra-
uelingenſes, Dunkirchiani, eorumque
vicini adprobarunt. Horum tamen po-
ſtremi militem recuſantes externum, col-
lectum ex vicinis ruſticis præſidium recepè-
re. Quod illis exitio fuit. *Nam Diony-*
ſius MorbeKius, vigilum inertia fretus,
oppidum aſtu capit, diripit, & valido
impoſito præſidio, occaſionem præbuit
reliqua redimendi Flandriæ oppida, quæ
omnia præter Neoportum ad Gallos defe-
cerant. Habebant. Neoportenſes ſatis
inſtructam claſſem, qua, nè vitæ ſub-
ſidia reliquis ciuitatibus inferrentur, im- *Anno 1489.*
pediebat. Anno ſequenti ad Cal. Februar.
Tornaci coacto conuentu per legatos trium CCCXXI
ordinum Flandriæ, *Cordæus* acerbè in ipſos *Cordæus Flandros inſimulat.*
inuectus, in hunc modum verba fecit. *A ve-*
ſtra exordiar incoſtantia Flandri, qua non tàm

Re-

Ann. Sal. 1489. *Regem Gallorum, quàm principem veſtrum, & Dominum fefelliſtis, & toties religionem iuriſiurandi temeraſtis. Flandria auctore affinitas, & pax inter Carolum, & Maximil. conciliata eſt, ſed eadem vrgente diſſoluta. Militem Gallia miſit, ad tutelam fœderis non ad iniuriam Principis. Vos autem humana, ac diuina lege poſthabita, infidi Dominum veſtrum Maximilianum cuſtodiæ dediſtis, & veluti homuncionem omni contumelia affeciſtis. Quid tandem ſperatis? nullis forſan viuere legibus? vel vnus veſtrum principatum vſurpare? Spes eſt inanis. Subditi nati, etiam moriemini. Sed in peccato veſtro nempè perfidiæ. Quàm tutius ſi ex ipſis nonnulli, ac primus inter eos Capinolus iamdudum vitam laqueo finiiſſent.* Hiſce verbis qualia arcana *Cordæus* ageret? incertum an vt terrorem incuteret, vel Rege ad pacem inclinante, *Maximiliani* animum captaret. Hoc ſermone turbati Flandri, qui vnum in Gallo fidebant præſidium, vt animum *Cordæi* placarent offenſum, ex pannis ſericis, & lineis Hollandicis, precioſas ei veſtes, dono dederunt. His delinitus, Attrebatum abit: & cum *Odomariſanum* imperia perteſum Gallorum Germanos vocaret, *Cordæus* accurrit. Sed illis præeuntibus, loco cedere Galli coacti ſunt. Eo amiſſo, Grauelinga ac alijs nonnullis opidis Galli vltrò diſceſſere. *Cliuenſis* verò ex Gallia reuerſus, nè in caſtris miles marceſceret, Villam Fortem & Hallam inuadere cogitans, acceptis aliquot leuioribus tormentis, cum eò duceret, obuium habuit *Albertum* Saxoniæ ducem; ſed is cum prælij facultas non daretur, hoſtium deſtructis latibulis, nocte *Arſcotium*, quod à trecentis Gallis tenebatur, captum incendit, magno Antuerpianorum gaudio, quia res Gallorum in peius ruerent. Iamque ex Louanio, & Bruxellis milites in dies dilabebantur pecunia, & commeatu deficientibus. Quod cum viderent ciues, pacem ab *Alberto* impetrarunt, numeratis in belli ſumptus ducentis aureum nummum millibus. Regis aciem in exercitu curabat *Albertus*; nam ille in Germaniam abierat. Monachij fuit ad *Albertum* Boium viſendæ *Cunegundis* ſororis ſuæ deſiderio; Multa de pacando parente officioſſimè collocutus. Circa idem tempus, *Sigiſmundus* Tyrolenſium princeps prolem non habens legitimam, *Maximilianum* patruelis filium, adoptionis iure, hæredem omnium ditionum ſuarum inſtituit.

Ann. Sal. 1489.

CCCXXII. *Albertus Saxo Arſcotium comburit.*

CCC. XXIII. *Maximilian. ſororẽ inuiſit.*

Hæres fit à Sigiſmũdo.

AVSTRIAM MAXIMILIANVS RECVPERAT. Ann. 1489.

CIrca idem tempus pax eſt inita inter *Matthiam* & *Fridericum* Imper. Ad illum legati à *Friderico*, & *Maximiliano*, qui Lintzij erant, miſſi ſunt. Imperator abſque vlla ſumptuum reſtitutione Auſtriam repetebat. *Matthias* ſeptingenta aureum nummum millia ſibi ſolui poſtulabat. *Maximilianus* improba Regis poſtulatione, & paterna tenacitate iuxtà offenſus, mediocritatem inter duo extrema amplectendam ſuadebat. Hunc *Matthias* aut ex animo diligebat, vel diligere ſimulabat. Quadringentas vini vrnas cum totidem bobus, & duodena aureorum millia dono ei miſiſſe dicebatur, qua de cauſa ſuſpectum filium *Fridericus* pater colloquio prohibuit. Sperabat Imperator abſque pecuniæ diſpendio Auſtriam redimere, cum eo anno Aſtrologi *Matthiam* moriturum diuinarentur. Nec aberrarunt. Cum eger *Matthias* Budam ſecundo flumine deſcendiſſet, mittitur eò *Otto* Bauariæ Princeps cum ſeptem collegis, qui magnificè accepti, & muneribus culti, nihil de pace tranſigere potuère. *Maximilianus* verò crebros de *Matthiæ* valetudine nuncios accipiens, animos quorumdam prouincialium in Auſtria ſibi conciliare ſtudebat. Miſſis tandem vltrò, citroque legatis, pax Budæ proclamatùr; & ad Idem Septemb. dies dicitur, ad quem Imper. & Rex præſentes eam ratam haberent. Sed ingraueſcente morbo, conuentus protraitur; vſquè dum ex tertiana febri paululùm *Matthias* recreatus, Viennam redijt, vbi apoplexia correptus, amiſſo loquendi vſu, inter maximos cruciatus, & rugitus more Leonis editos, animam Deo reddidit, Non. April. Ann. 1490.

CCC. XXIV. *Pax tentatur cum Matthias*

CCCXXV. *Maximilian. ſuſpectus patri in cauſa Mathiæ.*

Matthiæ Regis obitus.

Tom. VII. R 2 iuxta

Ann. Sal 1491. CCC. XXVI. *Cæſar ambit coronã Hungariæ.* iuxta Aſtrologorum vaticinia. Sacris Regi perſolutis, Hungari ad Id. Maias, comitia creandi Regem habuere, in quibus Imperator per legatos pacti iure, quod cum Hungaris tenebat, ſibi vel filio *Maximiliano* coronam poſcebat. Competitores illi erant *Ioannes* Mathiæ nothus, *Vladislaus* Rex Bohemiæ, & eius frater *Albertus* Rex Poloniæ. *Vladislaus Rex Hungar.* *Vladislao* fortuna arriſit, ſed frater irriſit, & bellum ei excitauit inteſtinum. Erat etiam in Armis *Maximilianus* non Auſtriam ſolùm recuperaturus, ſed & Hungariam inuaſurus, vbi partiarij non deficiebant. Auſtriaci Hungariam domeſticis turbis laborare videntes, ad *Fridericum* reſpiciebant. CCC. XXVII. *Maximil. Auſtriam inuadit.* Viennenſes aduenientem *Maximilianum* XI. Cal. Septemb. gratulabundi excipiunt, ad D. Stephani deducunt, libertatis hymnum decantant. Poſtridiè arx oppugnari cępta, vbi *Maximilianus* inter primos rem ſtrenuè gerens, pectus vulneratur. *vulnus accipit.* Eodem modo reliquas ciuitates in poteſtatem redegit. Venere ad eum ab *Vladislao* legati petentes regio nomine, *vti prò cognationis iure, legitimè in Regem electum agnoſceret, atque iuuaret, paratum illum pacem ſanctè ſeruare*. Maximilianus ingenuè reſpondit, *numquàm ſe regno ex pactis ſibi debito de futurum, neque de fore ſibi ab ipſis Polonis auxilia*. Ad Maximilianum defecerat *Iacobus SecKelius*, per quem ſolicitatus *Ioannes Coruinus* à CCC. XXVIII. *Beatrix vidua ambit nuptias Vladislai Regis.* *Sigiſmundo* Quinque Eccleſiarum Antiſtite, in *Vladislai* fide retinetur. *Beatrix* verò *Aragonia*, *Mathiæ* vidua nouis Regis ambiebat nuptias, quam ille vti ſterilem auerſatus, nè tamen ad *Maximilianum* deficeret, ſpe vana lactabat. *Albertus* inuidia in fratrem percitus, cum *Maximil.* ſentiebat, & Hungariæ agros Varadinum vſq; populatus erat. Caſtra itaque in Hungariam mouens, ſub D. Archangeli Michaelis ferias, D. Martini caſtrum in deditionem accepit. Ipſo D. Martini die, Veſprinienſis Epiſcopus ſe ſuaque *Maximiliano* permiſit, illectus ſpe Viennenſis Epiſcopatus. *Maximil Albã Regiam expugnat.* Itum deindè Albam Regiam, vrbem Regum inauguratione, & Mauſoleo inſignem. Oppugnandam ſibi vrbem depopoſcerant primò Bohemi; Secundò *Chriſtophorus* Dux Bauariæ. Cum diuerſis partibus ferueret expugnatio, effractis portis, vſquè in forum excurrerunt victores. *Ann. Sal.* 1491. Ante ipſas aras tanta ferocia in reſiſtentes ſæuitum, vt *Mathiæ* Regis tumulus, ſanguinis riuo ſemipalmum ferè æquante circumflueret. Ædes tam publicæ, quàm priuatæ auido militi prædæ fuere. Ægrè hoc *Maximilianus* tulit, & propoſito edicto, militem à templi direptione inhibuit, omnes qui cladi ſupererant, ad penates ſuos reuocauit. CCC. XXIX. *obſequium præſtat Mathiæ cineribus.* Loci religione motus, & nè obſequium Regi etiam mortuo detrectaret, ex ornamentis quæ plurima aderant, quicquam abſtulit, præter crucem auream non magnam, quæ maiorum ſuorum Auſtriæ fuiſſe dicebatur. Capta Alba, XIV. Cal. Oct. Budam ducere volentem ſeditioſi obſtitère milites, qui præda necdum ſatiati, ſtipendia poſtulabant; & ſpatium *Batorio* dedere, *Budam* commeatu vacuam præſidio & commeatu inſtruere. Quinque Eccleſiarum Antiſtitem, *Sigiſmundum* pecunioſum, in ſuas partes adducere *Maximil.* tentat, triginta aureum millia mutuò petens. Ille neque pecuniam ſibi eſſe, nec ab *Vladislai* fide velle recedere reſpondet. Quare *Maximil.* relicto Albæ præſidio, expugnato S. Angeli caſtro, in Auſtriam reuerſus, ſeditionis auctores gladio percuti mandauit. CCC. XXX. *Pax cum Flandris.* Cum Flandris etiam, Turoni inſtituto colloquio, ita tranſactum. *Flandri Romanorum Regem legitimum filij tutorem agnoſcunto, quingenta ipſis aureorum millia pendunto, captiuos ſine precio dimittunto, arces & munimenta manu capta reddunto.* Audita pacis mentione *Cordæus* in Galliam abierat. Solus *Philippus Cliuenſis* à pace auerſus, Scluſæ arces, quas occupauerat, munit, & cætera bello parat idonea; Flandrorum opibus fretus, qui minùs pacem probabant. CCC. XXXI. *Alber. Saxo Flandros in fidem recipit.* *Albertus* verò *Saxo* Regis vices tenens Cortracum cum exercitu quinque millium mouens, indè Brugas vbique benignè accipitur. Gandauum, quòd nonniſi cum quingentis equitibus ingredi permitteretur, hoc infra dignitatem eſſe ducens, in Brabantiam receſſit, relicto ibi *Naſſouio*, cui Gandauenſes vltrò fuere obſequentes. Ad euitandam porrò ſeditionem neque Magiſtratus innouatur neque de moneta promulgatur edictum. Prima hoc tempore *Philippus* Mariæ, & Maximiliani filius comi-

tia

Ann. Sal. 1491. tia *Aurei Velleris* Mechliniæ habuit. Ad lecti
CCC XXXII. ſunt in locum demortuorũ *Fridericus* Rom.
Philippus cogit comitia Velleris aurei. Imp. *Henricus* Rex Anglorum, *Albertus* Dux Saxoniæ, *Eberhardus Vvirtembergicus*, *Chriſtophorus Badenſis*, & alij. Interim *Maximilianus* cum poſt captam Albam, Viennam ſe
CCC XXXIII. *Maximiliano pecuniam pater negat, ne arma gerat in Hungaros.* contuliſſet, ac nulli rei gerendæ, pecunijs tantum (vt fama erat) conquirendis intentus ſtuduiſſet: numquàm à patre impetrare potuit, vt ad belli ſuſcepti reliquias reficiendas pecuniarum aliquid ſibi daret. Ille enim ſatis ſe adeptum arbitratus, quòd maxima ex parte Auſtriam recepiſſet, noluit filio ad id bellum ſubleuando, æternum cum Hungaris bellum ſerere, quorum mores ſatis nouerat. Itaque *Maximil.* ea ſpe deſtitutus, ad Imperij principes confugit. Sed hi præferendam bello pacem, neque laceſcenda Regis arma, qui & Chriſtianus, & ſocius eſſet, neque poſtremus inter Septemviros, dixère. *Vladiſlaus* verò regni nouitate, & domeſticis occupatus negotijs, pacem vrgebat, quæ poſt *Ann. Sal.* 1491.
longam diſceptationem, ad hunc modum inita eſt. *Pacta conuenta*, *quo* tempore corona redimebatur, reſtaurentur. Vladiſlao *ſine prole moriente*, *regnum ad Auſtriacos deuoluatur*. *Maximiliano in belli expenſas, centies mille nummum numerentur*. *Regis titulus vtrique relinquatur*. *Summi honores, vti duumviratus, Palatinatus, & cætera huiuſmodi munia, ex vtriuſque conſenſu tribuantur: eoſdem vterque ſocios, amicoſque eoſdem inimicos atque hoſtes habeat; iure ſocietatis vterque alterum iuuet; Germanus ac Hungarus eodem loco habeantur; nemini ex his fraudi ſit, ad Maximilianum defeciſſe*. Hæc cum legati domum referrent, parum abfuit, vti à populo trucidarentur; non pacem, nec fœdus eſſe, ſed iniquiſſimam clamantes ſeruitutem. Hæc in Hungaria. CCC XXXIV. *Pax cum Vladislao.*

PAX CVM CAROLO GALLORVM REGE. Anno 1492.

INter Flandros ſoli Brugẽſes *Cliuenſis* principis auctoritate freti, cum in armis eſſent,
CCC XXXV. *Naſſouius* accurrit, viarum aditus obſidet. Illis inedia coactis, veniam petentibus, multa impoſita non denegauit. Sexaginta ſeditioſi carceri dantur, ex his ſexdecim gladio percuſſi. *Cliuenſis* ab omnibus derelictus, remiſſa vxore iuuencula ad Regem Franciæ, cum trecentis militibus & ipſe redijt, plures propediem copias nuncians venturas. Alternis ſic vicibus afficiebantur, *Alberto* Saxoniæ
Maximilianus auxilia in Gallos implorat. Duce ſtrenuè Regis vices gerente. *Maximilianus* verò Imperij ordinibus ad ſe Conſtantię euocatis, grauiter de *Caroli* Gallorum Regis queſtus iniurijs, auxilia eorum poſcebat, vt contumeliam ſibi & Germano illatam nomini vindicaret. Principes verò *Friderici* Imper. exemplum ſequuti, ad pacem cum Gallo faciendam inclinabant. Igitur *Maximilianus* ad Heluetios conuerſus, cum & ipſi Romani Pontificis dicerent expectandam ſententiam, belli conſilia reliquit. Galli por-
CCC XXXVI. *Pax cum Gallo.* rò, ac Belgæ longi belli tædio fatigati, colloquium indixère. Venère à *Friderico* Imper. Heluetijs, & Electore Palatino legati. Cum quibus *Borbonius*, *Aurantius* Principes, *Philippi* duo, *Cordæus*, & *Cominæus* congreſſi, Regem promiſère omnia Arteſiæ loca, quæ tenebat, *Philippo* principi redditurum. Sic cum bellum exardeſcere putaretur, datum eſt dulce pacis otium. Facile Gallum dediſse manus dicebant, quòd ab Italis quibuſdam, tum verò à *Ludouico Sfortia* extimulatus bello regnum Neapolitanum inuadere; CCC XXXVII
Apuliam & Siciliam ex Andegauenſium iure ſibi aſſerere meditaretur: In quorum iniuriam minimè potuiſſet *Pius II.* Papa *Ferdinando* Alphonſi notho regnum tradere, & *Gallus in Apuliam meditatur* ſuppetias mittere aduersùs *Ioannem* Andegauenſem, *Renati* filium. Diſſuadebant bellum illud viri grauiſſimi, vt Chriſtianæ graue Reipublicæ, & Turcarum cauſæ opportunum. Horum conſilia Rex aſpernatus, aſſentatorum vocibus plaudebat, quia Apulia ianua eſſet, vndè facilis in Epirum tranſitus, ad liberandam Græciam à Turcarum tyrannide. *Ludouicus Sfortia*, *Ioannem Galeacium* agnatum ſuum, Mediolani Ducem, imperio exuere parans, cum *Alphonſi* Aragonij opes timeret, hoc bellum maximè vrgebat, opemque ſuam atque operam liberaliter exhibebat. In bello, quod *Ioannes Andegauenſis* aduersùs *Ferdinandum* geſſerat, *Franciſcus Sfortia* Dux Mediol. in partibus fuerat *Ferdinandi*

Ann. Sal. 1492. CCC XXXVIII *dinandi*, & ferè ſolus belli molem ſuſtinuit. Anno etiam 1465. *Hippolitam* filiam ſuam *Alphonſo II.* (qui & *Strabo* dictus eſt) *Ferdinandi* filio vxorem dederat, Mortuo *Franciſco* ſucceſſit *Galeaceus Maria*, cui Sponſa fuit *Bona* ſoror Ducis Sabaudi. Moritur *Galeacius Maria* Anno 1476. gladio confoſſus à *Io: Andrea Lampugnano*, *Hieronymo Olgiato*, & *Carolo Viſconte*, cuius ſororem corruperat *Galeacius*. Clarus literis *Olgiatus* *Ann. Sal.* 1492. CCC XXXIX.



erat, & in vinculis ad ſupplicium proximè trahendus, carmina dicitur exaraſſe ſequentia de Ducis obitu.

Quem non armatæ potuerũt mille phalanges
Sternere, priuata Galeaz Dux Sfortia dextra
Concidit, atque illum minimè iuuère cadentem
Adſtãtes famuli, nec opes, nec caſtra, nec vrbes;
Vndè patet ſæuo tutum nil eſſe tyranno;
Hinc patet humanis quæ ſit fiducia rebus.

Cum ſub manu carnificis ceruicem flecteret, *Olgiatus*, ſeipſum conſolabatur, & pœnæ acerbitatem fama mitigabat gloriæ futuræ.

CCC XXXIX. *Galeacio Mariæ* ſucceſſit in Ducatu Mediolanenſi *Ioannes Galeacius* filius natu maior ſub tutela *Bonæ* matris, & patrui *Ludouici Sfortiæ*, qui cum *Ioannem Galeacium* imperio exuere meditaretur, ita nepotẽ educarat, vt quùm ad adultam perditis moribus, nepos perueniſſet ætatem, Principatu indignus videretur, ſibique & filijs imperium adſtrueret. Solum *Alphonſum* filium *Ferdinandi* Aragoni, Regem Neapol. timebat, cuius filia *Iſabella Galeacio* nupta erat; ex eaque etiam liberi ſuſcepti; ſed ab imperio à patruo amouebatur. Id quùm grauiſſimè ferret *Alphonſus*, aſſiduis prope filiæ literis permotus, vnaque auus Iſabellæ *Ferdinandus*, ad quos puella flebiles ſæpè literas ſcriptitabat, ab vtroq; auxilium in tantis ſuis malis implorans, hi blandioribus verbis à *Ludouico* petere cęperunt velle pro fide ſua, atque iuſtitia, Nepoti iam adulto, aliquando tandem paterni principatus tradere habenas. Ea poſtulatio quùm *Ludouicum* nil moueret, grauioribus cum eo minis agere neceſſe fuit, & bellum indicere, ni *Ioanni Galeacio* imperio reſtitueret. His territus *Ludouicus*, ad Regem Gallorum *Carolum* iam Regno Neapolitano inhiantem miſit ſub ſpetie ſalutandi Regis, *Carolum Barbianum* oratorem vt illi opes, copias, terra marique polliceretur. Et quia iam apertè in nepotem moliri dicebatur, *Barbiano* manda-

Io: Galeacius Dux Mediol.

da-

Ann Sal. 1493 CCCX L. *Ludouicus Sfortia ambit Ducatū Mediol.*

dauit, vt ſi fortè de titulo Mediol. principatus ſermo recurreret, iura ſua exponeret: ſe fratri *Galeacio Mariæ* iure præferri debuiſſe affirmans, quòd etſi natu minor, tamen ex patre iam Duce, non priuato, vti illum, natum eſſe, qua in re, Cyri Regis exemplum prò ſe adducebat. Quin de fratre etiam, eiuſque filio iaciebat, neutrum in Ducum numero habendum eſſe, quod Cæſari deuolutum Ducatum, ſine Imperatoris conſenſu, titulum auſerint vſurpare. Nec ſuffragari *Ioanni Galcacio*, modò confirmationē petere; hoc enim ſerum eſſe, & Cæſaris conſenſum in partes ſuas deſcendiſſe, nec ſinè iniuria poſſe mutari. Cæſarem porrò vt æquiorem *Ludouicus* haberet, de matrimonio inter *Maximilianum* & *Blancam Mariam* filiam *Galcacij* agere cæpit, aſſentiente *Carolo* Gallorum Rege, nè *Alphonſo* opitularetur. Curauerat inſuper Gallus, nè *Ferdinandus* Rex Hiſpaniarum, agnatis ſuis Aragonijs opem ferret; quo voto vrbem Perpinnianum cum agro Ruſcinonenſi Hiſpanis reſtituerat, vt eos ſibi conciliaret; quæ loca *Ioannes* pater *Ferdinandi* Hiſpani, oppignorauerat *Ludouico XI.* cū Celtiberico bello eſſet implicitus. Miſſis itaq; hinc indè nuncijs, in ſequentem annum bellum indicitur. Sequitur interim

Ann. Sal. 1492: CCCXLI *Nuptiæ Maximiliani cum Blanca Maria Mediol.*

MORS FRIDERICI V. IMPERATORIS. Anno 1493.

CCCXLII. GRaui morbo laborare cęperat Imperator Linzij, quem nimio melonum eſu auctum eſſe, nonnulli prodidere, alterum ei crus ſphacello affectum, per eoſdem dies ex medicorum conſilio reſectum erat. Id cum inſpexiſſet, quæſiuiſſe ferunt, quid inter Cęſarem, & quemuis ruſticum intereſſet? Mox verò ſubieciſſe, *Ruſticum ſanum ægroto Cæſare longè eſſe feliciorem.* Non multò poſt, rebus ex vltima voluntate diſpoſitis, obijt A.C. 1493. die Lunæ poſt feſtum Aſſumptionis Mariæ Virginis, 19. Auguſti (quo etiam Cæſar *Auguſtus* antę annos 1478. obierat) anno ætatis LXXIX. poſt ſuſceptam Imperij curam LIII. quo Cæſarum poſt Auguſtum nemo diutiùs imperauit. Fuit enim duobus annis maior *Auguſto*, & ab eodem tribus in

CCCXLIII *Epitaphia.* imperio annis minor. Sepelitur Viennæ in æde D. Stephani cum hoc epitaphio.

Hæc mauſolæo æquata ſepulchro
Friderici Magni Cæſaris oſſa tegit.
Qui Romanū orbē placidè, ſanctèq; quietus
Circiter vndenas rexit olympiadas.
Largus opes & tēpla dedit, ſecla aurea fecit,
Hinc inter diuos aſtraque celſa micat.
Poſt domitos hoſtes, poſt prælia maxima, poſt-
Acceſſit titulis Bætica terra ſuis. (quā
Filius Auguſtus referens Bonitate parētem:
Dædaleum Poſuit Maximilianus opus.
Amborū pietas manet, æternumq; manebit,
Pyramis hæc quando Saxaq; puluis erūt.

Aliud.

Imperator Cæſar Diuus Fridericus Tertius, pius, proſper, Auguſtus, Chriſtianitatis ſupremus Princeps, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Comes et Princeps in Habſburg, & Tirolis, Landgravius Alſatiæ, Princeps Sueviæ, Comes Phitretis, & in Kinburg. Dominus Marchiæ Sclavonicæ, & Portus Naonis, & Princeps religioſiſſimus; qui ſacrum Romanum Imperium Iuſtitia, & veritate quinquaginta tribus annis ſapienter & moderatè rexit; Quique filio ſuo Maxamiliano Imperatori glorioſiſſimo, Sereniſſimam Dominam Mariam, vnicam filiam, & Hæredem, Caroli Ducis Burgundiæ Potentiſſimi &c. legitimo toro copulavit; ex quo quidem feliciſſimo connubio omnes Ducatus, Principatus, Marchionatus, Comitatus, & Dominia, quæ præfatus Carolus Dux terra marique poſſedit, felici domvi Auſtriæ, hæreditario iure perpetuo acceſſerunt: quæ et Imperator Maximilianus potenti manu & gladio conſeruauit. Ipſe Fridericus talibus multiſque alijs Imperatorijs virtutibus perpetuatis, naturæ debito perſoluto, celeberrimis famoſiſſimiſque exequijs deuotè celebratis, in hoc pretioſo monumento reconditus eſt. Hic Fridericus Tertius, Imperator Auguſtus naſcitur anno ſalutis noſtræ 1415. Eligitur in Regem Romanorum anno 1440. Coronatur in Auguſtum ac Imperatorem ann. 1451. Obijt 19. die Auguſti anno 1493. ætat. ſuæ 78. Imperauit annis 53. Menſibus 4. diebus 4. Corpus eius in hoc Saxum reconditur ac transfertur Anno 1513. die 7. Nouemb.

Ferdinandus Dei gratia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Rex, Princeps Hiſpaniarum,

Archi-

Archidux Auſtriæ, Dux Burgunidæ, &c. hoc opus Frederico Proavo piè F.F.

Inſcriptio ex Sabino.

Tertius vtilior Fridericus ad ocia pacis,
Aſpera quam duri Martis ad arma fuit.
Quo Burgundiones Vbiorum depulit oris,
Teutonici bellum geſſit Achillis ope.
Quæ dedit ars nobis impreſſos ære libellos,
Facta ſub hoc primum Cæſare nota fuit.
Hæc ſi temporibus priſcis inuenta fuiſſet,
Qua nihil vtilius totus hic orbis habet:
Noſtra libris hodie frueretur pluribus ætas,
Defraudata quibus ſecula noſtra carent.
Hanc operoſa nouam Moguntia protulit artem
Quæ celebris Magi nomen ab amne tenet.

CAPVT TERTIVM.

Friderici V. Pacifici Vita Symbolis exarata.

1. *Trino polo rotatur Orbis, potentiæ, ſapientiæ, & Amoris.*
2. *Arma & leges Orbem fulciunt.*
3. *Neronis quinquennium felix.*



3. *Principis ſecuritas in amore ſtat populorum.*
3. *Eberhardi Var.emberg. dictum de Principis ſecuritate.*
4. *Princeps quid, & quantum poſſit.* 5. *an ſupra legem.* 7. 15. *quid ei liceat?* 10. *an legibus teneatur.*
12. *Deo ſubditus.* 23. *debet ſibi imperare.* 61. *lorica principis iuſtitia: ſola innocentia ſecurus.*
5. 18. *Legum obſeruantia quantum proficiat Reipublicæ.* 10. *Lex Deus eſt.* 14. *Rex Regis lex.*
6. *Adulatio peſtifera principi.* 33. & 39. *ſymbola adula-*

adulationis. 34. & 42. quam grata. 35. vilis non placet. 36. 43. quando odioſa Alexandro. 37. nemo immunis. 38. Reges volunt adulari. 39. etiam in Eccleſia eſt. 41. Scimia amicitiæ. 42. adulatio ſeruilis qualis. triplex eſt. 43. vt placeat, quid requiritur.

16. *Veſpaſianus ex ſpolijs, legem eligit.*
17. *Carolus M. cum lege ſepelitur.*
19. *& 23. Friderici V. Imp. ſymbolum de legum obſeruantia. 29. pacis amator. 24. ſymbola pacis. 30. religionis ſymbolum. 32. obſequens Pontifici Romano. 33. adulantiũ perſecutor. 46. eius clementia ſymbolis explicata. 59. probra patienter fert. ſymbola. 61. ſecurus innocentia, exarmatus ambulat inter hoſtes. ſymbolum.*
19. *Traianus Imper. gladium iuſtitiæ exhibet in ſeipſum.*
21. *Lycurgi Zelus pro lege.*
22. *Charondas acerrimus legum obſeruator.*
24. *Pacis ſymbola. 25. bona pacis. 26. omnium rerum præſtantior pax. bello vtilior. 27. pacis amatores.*
24. *Minerua cur Neptunum præcedat.*
25. *Plutonem pax nutrit.*
28. *Fridericus Saxo quàm pacis amator.*
31. *Religio Regi neceſſaria.*
32. *Pontifex à nemine iudicatur.*
39. *Thronus altare dicitur.*
40. *Cæleſtinus renuntiat Papatum fraude Benedicti Caietani ſeductus.*
43. *Adulatores irridet Auguſtus. 46. eius clementia.*
44. *Adulatio magiſtralis quę ſit. 45. regni ruina.*
48. *& 51. & 53. Clementiæ ſymbola. 46. an præſtet regnare clementia potius, quàm rigore. 47. à natura eſt.*
50. *Deſperatio victori periculoſa.*
52. *Camelus onere fatigatus cantu leuatur.*
54. *Conuicia, probra irridenda, & patienter ferenda. 55. exempla Antigoni. 58. Coſmi Medicei; Philippi Auguſti. Q. Fabij. 56. ſymbola. 57. diſſimulanda. 60. indecens Imperatori ea timere.*

REX REGIS LEX.

Iuſtitia, & Zelus legis, quam in *Friderico* veneramur, gemino explicatur ſymbolo. *Gladij* in ſeipſum porrecti, ſub lemmate *etiam in me*. & *Stateræ* inter monilia, & gemmas ſcelectæ, ſub lemmate, *Natura cogente*.

FAllitur, qui gemino polo autumat Orbem rotari. *Tribus digitis appendit Orbem terræ. Iſaiæ,* 40. Summus Opifex. Quid velint tres digiti? *Potentiam* credo, *Sapientiam*, & *Amorem*, Simulacrum hinc habes Regiæ Maieſtatis; Cuius fortitudo pericula arcet, & hæc eſt *Potentia*. Cuius Prouidentia, ne quid deſit populo, excubat; & hæc eſt *Sapientia*. Cuius beneficentia auget, ornatque ſubiectos, & hic *Amor*. Quòd ſi à communi non audes ſententia recedere, vinculo amoris dicas amicè coire Potentiam, & Sapientiam, quas nos *legem* vocamus, & *arma*. Maieſtatem vis exornare, non aurum, nec monilia pinge, ſed *Gladium*, & *librum*: His nititur Orbis, Summa Reipublicæ tuitio (aiebat Imperator *Iuſtinianus de Iuſtin. Codic. confir.*) de ſtirpe duarum rerum, Armorum ſcilicet, atque legum veniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibuſquè gentibus dominari tam præteritis effecit temporibus, quàm Deo dante in æternum efficiet. Illorum enim alterum alterius auxilio ſemper eguit: & tam militaris res legibus in tuto collocata eſt, quàm ipſæ leges armorum præſidio ſeruatæ ſunt. Duo ſunt (inquit Sulpitia, Romana Sappho in ſua *ſatyra*) quibus extulit ingens Roma caput: *Virtus belli*, & *Sapientia pacis*. Parum enim arma foris eſſent, niſi & Domi conſilium ſit. Tutor, & pater cum populorum ſit princeps, ita ſe gerere debet, vt in templo memoriæ ſubditi ei tabellam ſuſpendere poſſint cum inſcriptione, *Quinquennium Neronis longiſſimè abfuit à principatu..... Regis noſtri*. Timeri poteſt & amari, ſi imperet & amet. Populos reſpiciat vt filios, ſi velit ſuſpici vt pater. Saxoniæ, & Bauariæ Principes cum in comitijs prouincias ſuas exornarent laudibus: dixit Eberhardus Dux Vvartembergicus. *De multis commodis meæ*

I. Mundi polus trinus.

II. Leges & arma Orbem fulciunt.

III.

Securitas Principis in quo ſtet? *meæ regionis gloriari nequeo, hoc tamen ſcio, quod in cuiuslibet ſubditi mei ſinu caput reponere, & tutus dormire poſſum.*

Dulce otium, vnde quies populo, ſecuritas Principi eis gentibus accidit, in quibus potentior eſt qui melior; ac Princeps tantum poteſt, quantum debet; nec vltra vult

IV. *Quid poſſit Princeps?* poſſe, niſi quod debet. Verè Rex eſt Lex. Et cum Reſpublica ſine legibus ſtare non poſſit, vicinam interitui dicas eam, in qua legibus imperat Magiſtratus. Quapropter L. Aruntius leges ab Auguſto latas eius ſepulcro inſcribi volebat, quòd his non minùs, quàm victorijs ſeruata

V. *Legum inobſeruãtia Rempublicam euertit.* eſſet Reſpublica. *Tacit. 1. Ann.* Inter Reipublicæ conuerſionis cauſas, præcipua eſt, Si improbi leges detorqueant, vel in aliorum fraudem abutantur. Apij Decemviri illegitimus & violentus aduersùs Virginij filiam proceſſus ita Romanam concuſſit Rempublicam, vt ipſius quoque Decemviratus abrogationi cauſam dederit.

VI. *Rex ſupra legem.* Cum ſupra legem Reges extulerit aulica aſſentatio, quid ſupereſt, niſi vt reponamus ſupra Deum? Noſtra peccant igna-

Aulica adulatio peſtifera. uia, vel potiùs dolo Principes; qui veritatem nec audiant, nec videant. Adulationem noſtra claudit oratio ab Alpha, vſquè ad Omega. Perſarum Rex Cambyſes ſo-

VII. *Perſarum lex impia de regia poteſtate.* rorem ſuam in coniugem ducturus, *an id per leges liceret?* cum quæreret; reſponderunt aulici. *Nulla quidem id lege conceſſum; Veruntamen apud Perſas aliam legem reperiri, qua ius eſſe dicatur, quicquid Regi placuerit.* Herodotus *lib. 3.* Non diſſimilis Iulia Nouerca, meretrix potiùs dicenda, quàm

VIII. *Iuliæ impuritas, impietas.* Imperatrix cum priuignum ad ſtuprum alliceret, & refragantem impelleret; *An te Imperatorem eſſe, & leges alijs dare, non accipere, ignoras?* Peior his omnibus Anaxarchus Philoſophus, quum Alexand. M. ob cædem Clyti conſternatum, ita

IX. *Anaxarchi adulatio.* alloquitur: *En Alexander ille, in quem Orbis conijcit oculos, en, abiectus inſtar mancipij iacet; legem, & probra exhoreſcens hominum, quibus ipſe lex eſſe, & terminus deberet, ſi modò vt imperaret, & rerum potiretur, vicit, vt non victus ab inani gloria ſeruiret. Neſcis* (inquit) *aſſeſſorem Ioui iuſtitiam & fas eſſe, quo quicquid actum abs dominante fuerit, id ius & fas ſit.* Memento mihi omnia, & in omnes licere, aiebat monenti Antoniæ Caligula. *Suet. cap. 29.* Vel quod Paryſatis Artoxerſi ſubijcit, cum filiam Aroſſam iamdiu ſibi adamatam præ matris verecundia ducere non auderet. *Ducat eam modò, & legitime coniugis loco habeat, legibus, & inſtitutis Græcorum valere iuſſis: quippe Regem Perſis diuinitùs legis loco, cenſoremquè honeſtorum, & turpium conſtitutum.* Plutar. O' adulationum mancipia. O' homines ad ſeruitutem parati. Forſan non *Dominatur excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dat illud? Dan. 4.* X. *Lex Deus eſt.*

Quid aliud *Lex* eſt? quàm Deus, & legis nomine præeſſe Deum. Digna vox Principis, ſe legi ſubditum profiteri. *l. digna vox. C. de ll.* Vt tyrannicum dicere, Principem legibus eſſe ſolutum; *Plato 1. de Rep.*

Quod ſi vulgaria obijcias, & quæ in hominum ore recurrunt, *legibus ſolutum eſſe Principem §. quod Principi. De iur. Nat. Gent. & Ciuili:* quia imago diuinæ Maieſtatis ſit: vnde nemo Principi leges ſcribit. XI. *Princeps non tenetur legib.*

Nequè ego (attende adulator) legem Principi impono ſed ille Regum domitor, qui ſolùs transfert regna mundi. XII. *Rex Deo ſubiectus.*

Reges in ipſos imperium eſt Iouis,
Clari Giganthæo triumpho,
Cuncta ſupercilio mouentis. *Hor. l. 6.*

Nec fugit me alibi dixiſſe naturalibus tantùm, non ciuilibus Regem teneri legibus, iuxta illud Dionyſij matri dicentis; *Etſi leges Syracuſanas tollere potes, leges tamen naturæ violare non debes.* Plutar. *in Solo:* Superuacuam namquè diſtinctionem duco, vbi nullus eſt executionis miniſter. Naturam Princeps offendat vel Gentes; quis corripit? niſi ille qui ſe pronuntiauit eſſe iuſtitiam. Vim itaquè *coactiuam* legis ſi pendas, cum præter Deum Rex ſuperiorem non habeat, ſolum Deum vindicem expectat & iudicem. De directiua poteſtate ſupereſt dubium, an Rex Regis ſit Lex vel Legis Rex? Audi Imperatorem in *leg. 9 deprǽcatio. ff. ad leg. Rhodiam. De Iactu*, ad eos, qui vt legem ſubuerteret, Mundi Dominum ſalutabant, *Ego quidem Mundi Dominus, lex autem Maris.* XIII. *Quibus legib. teneatur.* XIV. *Lex Rex Regis.*

ris. Caue itaque lege Regem ſuperiorem dicas. Cuſtos eius eſſe debet, non violator.

Si genus humanũ, et mortalia temnitis arma.
At ſperate Deũ memorē fandi atquè nefandi.
Seneca in *Thyeſte*.

Faceſcant ab aula voces tyrannicæ
Hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.
XV. Iuuenal. *Satyr. 6.*

Quid Regi liceat. Sciat tandem Princeps, quid ſibi liceat cum Antigono Macedonum Rege. Qui cuidam dicenti: *omnia Regibus iuſta, honeſtaque eſſe: Sunt* (reſpondit) *per Iouem, Barbarorum duntaxat Regibus. At nobis ea tantùm honeſta ſunt, quæ honeſta ſunt; & iuſta, quæ iuſta.* Tyrannica eſt iactantia Neronis; *Neminem Principum ante ipſum ſciuiſſe, quid ſibi liceret.*

XVI. O percunctãti *quid Regi liceat?* reſponſum non habeo. Quomodò namque homo verba faciet, vbi è cathedra docet Diuina Sapientia? *Ad vos Reges* (inquit *Sap. 6.*) *ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis Sapientiam, & non excidatis.* Et Ioſue 1. *Non recedat volumem legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus.* Eum itaque conſulat, vt ſibi conſulet. Agnouit hoc *Veſpaſianus* Imperator, quùm Iudæa capta, omnia Hieroſolymitani templi ſpolia in templo *Pacis* repoſuit, *Lege* excepta, quam in Palatio ſeruari præcepit. *Ioſeph. de Bello Iud. lib. 7. c. 24* quia ex tot ſpolijs, vnum opimum, & ſibi conueniens legem crederet, in qua inſignia, & poteſtatem Maieſtatis legeret, & ſeligeret.

Veſpaſianus ex ſpolijs ſolum legem fert in aulam.

XVII. *Carolus Magn. cum lege ſepelitur.* *Carolus Magnus* cum lege ſepeliri voluit, quia nec mortuo Cæſari fas ſit à lege ſecedere. Vel quòd apochas ſecum ferret, vt rationem redderet villicationis. Vel quòd in mortem, non aliam haberet loricam quàm legem. Vel quòd prò lege vſquè ad mortem deberent pugnare Reges. *Non minus oportet pugnare prò legibus, quàm prò mœnibus* (aiebat Heraclitus apud Laertium) *quòd abſquè mœnibus ciuitas incolumis eſſe poſſit, abſquè legibus minimè.* Felix Reſpublica, vbi Maiores ſecundùm leges viuunt. Sciſcitanti, cur exularet Sparta, cum eſſet Rex? reſpondit Demaratus, *quoniam leges ſunt in ea potentiores.* Significans, Regem apud Lacedæmonios eſſe principem ciuitatis, non legum Dominum. Iniuſtum iure dicas, ſi legibus non vtatur, in ſe primùm, inde in alios. *Traianus* Imperator præfectum aliquandò prætorij eligens, & gladium ei tradens, dixiſſe fertur; *Cape hunc enſem: etſi bonus fuero, prò me: ſin malus, contra me eo vtitor.* Suidas. Hinc habes, quid ſibi velit *Friderici V.* nummiſma, in quo gladius ſub lemmate, *etiam in me.* XIX.

XVIII. Pro lege pugnandũ.

XX. *Lycurgi zelus legi.* *Etiam in me* clamat *Lycurgus*, quùm lata lege, ne quæ mulier coniugata Eleuſynem pergeret, nè à diuitibus dato pretio corrumperentur, & prima eius vxor in legem peccaſſet; ipſe ſycophanti, qui detulerat, talentum ſoluit. Quod cum illi poſtridie vitio daretur: *Atqui ego* (inquit) *dare conſpectus ſum, non accipere.*

Etiam in me ſubſcribit *Zaleucus*, cum lata per eum lege, vt adultero bini effoderentur oculi. Filio *Zaleuci* paulò poſt in adulterio deprehenſo, ne legum imminueretur auctoritas, diuiſa pœna, vnum ſibi, filio alterum erui oculum curauit. Vtinam tales nobis eſſent Legislatores. Non aliter namquè collimari poteſt ad iuſtum. Modò habes quid ſibi velit oculus in apice ſceptri. Videat pro regno, non prò Rege. XXI.

Etiam in me, clamat tandem *Charondas*. Prohibuerat is, ne in comitia gladium ferrent. Cum ipſe ſuæ legis oblitus, gladio minimè depoſito, in curiam properans, propterea ſuam ipſius legem violaſſe diceretur, ſeipſum ſuo gladio confecit, legis conditor, corruptor, & reparator. Imperium ab eo exorditur, vt ſibi imperet Imperator: Vnde Regibus generoſiſſima animalia non adducimus in exemplum, puta Leones, Lupos, qui vt ſeruire non poſſunt, ita nec imperare. Errat (ait Seneca *de Ira lib. 2. cap. 16.*) *qui ea in exemplum hominis adducit, quibus pro ratione eſt impetus: homini pro impetu ratio eſt.* Nec regere poteſt, niſi & qui Regi, aiebat *Fridericus* noſter. Hæc autem ſecundùm naturam Auſtriacæ genti innata eſſe, monſtrat ſymbolum *Friderici*, in quo *ſtateram* Iuſtitiæ ſymbolum ſeligit Imperator; cum gemmas, & monilia Humanæ ſymbolum vanitatis poſſet eligere. Lemma eſt, *cogente natura*, quia ſtare legibus, & iuſta propugnare XXII. XXIII.

Auſtriaco Cæſari natura ſit. Symbolum ex Achillis hiſtoria deducitur, quùm proficiſcentibus ad Troiam Grecis, ipſe vt Oraculum deluderet (quod Achyllem interfectum iri in bello prædixerat) fœmineis tunicis, in gynecæo regis Lycomedis abditus ſtabat. Verùm quum Græci Oraculo didiciſſent, Troiam ſine Achille capi non poſſe: miſſus eſt Vlyſſes ad explorandam veritatem, quoniam iam facti rumor ferebatur. Vt ergo Achillem proderet, mercatoris habitu fuſos, acus, monilia, & cętera id genus, quæ puellam decent, cum arcu, & ſagittis in gynecæum intulit. Ibi tum Achilles puellarum inſtrumentis contemptis, arrepto arcu vires prodidit, & ſexum. *Statius lib.4.*

PAX OPTIMA RERVM.

XXIV. PAcem, cuius ſtudio *Pacificus* dicitur *Fridericus*, quatuor ſymbolis exornamus.

3. *Gladij* Oliua circumligati ſub lemmate *Qui poſuit fines tuos, pacem.*

4. *Martis* dormientis, & *Pacis* quæ ſiniſtra Cornucopiæ gerens, dextera Martis ſpolia *Mercurio* diſtribuit: ſub lemmate, *Abundantia Pacis.*

5. Pacis lactantis Plutonem: ſub lemmate, *Filius Pacis.*

6. *Minerua* cũ Oliua, quę ad dexterã ſedet, & Plutonis in ſiniſtra. *Fructus Iuſtitiæ Pax.*

Numeri marginales correſpondent figuris ære inciſis pag. 136.

QVid ſibi velint *Neptunus* & *Minerua* in hieroglyphico pacis? tradunt Scriptores Antiqui, quod cũ de dignitate contenderent, & Neptunus ſe aquæ, rei vtiliſſimæ allegaret inuentorem: Minerua autẽ prò ſe adduceret, ſe oliuam fructiferã plantam inueniſſe; cecidit cauſa Neptunus: Quia Oliua pax ſignificaretur, qua nil eſſe dicebant iucundius, nihil vtilius. Omnia pacis tempore florent, atque incrementum accipiunt; coluntur agri, paſcuntur lætæ ſegetes, ædificantur villæ, extruuntur oppida, inſtaurantur collapſa, ornantur, & augentur extructa. Creſcunt

XXV. *Bona pacis.* opes, aluntur voluptates, vigent leges, floret Reipublicæ diſciplina, feruet religio, valet æquitas, pollet humanitas, aluntur pauperes, ſplendent diuites, canunt Muſæ, lucent boni, minùs peccant mali. Vide in III. ſymbolo *Plutonem* diuitiarum Deum à *Pace* eius nutrice mamma lactari. Vt in *IV.* dormientis Martis ſpolia diſtribuit Pax Mercurio: ſub lemmatè *Abundantia Pacis.*

XXV. *Pacis ſymbola.*

Interea pax alma colat: pax candida primùm
Ducit araturos ſub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit vuæ
Funderet vt nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque vigent, ac triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus,
Ruſticus è lucoque vehit malè ſobrius ipſo
Vxorẽ plauſtro, progenieq; domũ... Tibullus

Supra ſortem humanam viuet, proximus conditioni Celeſtium ille princeps, cui

Pax Optima rerum
Quas homini nouiſſe datũ eſt: Pax vna triumphis innumeris potior. XXVI.

Pax vel magno coniuncta damno (aiebat *Philo*) eſt bello ſemper vtilior. Caſtor cum à venatoribus petitur, gnarus ob teſtes peti, eos ſibi amputat, & proiectis aufugit. Sic in bello quandoquè intereſt, ad ſalutem totiùs, proijcere partem. *Si tres tibi* (aiebat Rudolphus. I. Imperator) *contentiones ſint; compone duas; vt tertia triumphet.* Plura cum eum fatigarent diſſidia, quæ non niſi cuſpide gladij finienda erant; & inter hoſtes Abbatem S. Galli teneret, tunc Principem auro, belloque potentem; ingeſſit ſe Heros Præſulis conuiuio nec expectatus, nec vocatus. XXVII. *Pacis amatores.* Mirantibus Abbate, alijſquè, *Rudolphus* conſtans, & comis perſedit: nec à prandio ſurgere voluit, priuſquàm cum Abbate tranſigeret. Non diſſimilis *Barnagaſius*, qui nomine Regis Æthiopiæ cum Luſitano prætore pacem initurus, apprehenſa cruce, nixus genibus: *Quam* (inquiebat) *pacem Ieſus Chriſtus generis humani redemptor diſcipulis reliquit; eadem eſto inter nos, qui eiuſdem profitemur fidem.* Deum habes, ſi pacem habes.

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum Prudentius.
Pax belli exacti pretium eſt, pretiumq; pericli.
Sydera pace vigent, conſiſtunt terrea pace
Nil placitum ſine pace Deo. Non munus ad arã. XXVIII.

Huius dulcedine captus *Fridericus III.* Saxo cognomento *Pacificus* nullas arces vel cõdidit, *Fridericus Saxo Pacificus.*

didit,

didit, vel conditas ſeruauit. Quin potiùs à maioribus ſuis extructas ſolo æquauit: in id vnum aſſiduè incumbens, vt pecunijs ritè impenſis, nil earum poſt obitum ſupereſſet. Admirantibus aulicis, eiuſque rei cauſam ſciſcitantibus reſpondit: *Ne ego leuiter offenſus aliquandò, arcibus, & pecunijs meis confiſus, nimis facilè vicinos me inferiores bello laceſſam, & pacem conturbem*. Digna vox Principe; non meliora loquitur ipſe Deus. Quid fecere Alexander, Cæſar, Pompeius armorum ſtrepitu? lanienam egerunt generis humani. De *Pompeio* ſi in templo legitur Mineruæ, centum & octoginta tria millia ſupra vicies centenna millia hominum vel occiſa, vel in captiuitatem adducta; naues ſex & quadraginta ſupra octingentas demerſas. Vrbes & oppida mille, quingenta & triginta octo ſubuerſas, vel incenſas. De XXIX.
Friderico V. Auſtrio leges.

Eius cauſa neminem veſtem induiſſe lugubrem.

FRIDERICI PIETAS.

Gemino exaratur ſymbolo. Vt in pag. 136.

7. *Cæſaris* Crucem Orbi affigentis. *In hoc ego regnabo.*

8. *Cæſaris* duos habitu Pontifices adorantis. *Quis me cōſtituit iudicē, aut diuiſorē inter vos?*

XXX. FRiderici V. gemino Religio explanata ſymbolo, Regibus quo in ſceptro orbem regere poſſint, oſtendit: cum pomo aureo crucem imponens *Fridericus*, quod ei ex Sancta peregrinatione offertur reuertenti: Cum
Regnare in Deo. inſcriptione, *In hoc ego regnabo*. Vocatus namque ad imperium, ad pedes Redemptoris accurrit obteſtans, ſe non aliter regnaturum, quàm in Cruce D.N.I.C.

XXXI. *Cæſarem timet, qui Deum timet.* Interrogatus quandoque *qui nam ſibi cariſſimi eſſent?* reſpondit, *Qui me non magìs, quàm Deum timent*. Quomodo enim amabis Cæſarem, ſi Deum odis? *Bonus miles* (ait Seneca *c. 15. De Vita Beata*) *feret vulnera, numerabit cicatrices, & tranſuerberatus telis, moriens amabit eum, prò quo cadet, Imperatorem; habebit in animo vetus illud præceptum: Deum ſequere*; Bonus vir ſine Deo nemo eſt. Idem Seneca *ep. 41*. Quòd in naui eſt gubernator, in curru auriga, in choro choragus, *Religio Reg. neceſſaria.* lex in ciuitate, Dux in exercitu: id Deus in Mundo eſt. *Ariſtoteles lib. de Mundo*. Facilius ſine ſolo conditur ciuitas, quàm populi concordia, de Dijs penitùs opinione ſublata. *Plutar. aduer. Colotem*. Fons publicæ fęlicitatis, legumque fundamentum eſt Dei metus, & cognitio.

Semper eris fęlix, venerans gens Numina diuū,
Donec plus ſuperis fueris venerata virum quem:
Intima ſeditio tunc, & tibi prælia ſurgent.

XXXII. *OBSEQVIVM ERGA PONTIFICEM ROMANVM.*

PEſtiferam Hæreſim (vndè cæterorum errorum origo) quæ Cæſari Pontificem ſubdit, profligatam vides in ſymbolo *Friderici*. Vbi *Eugenius* Papa, & *Felix* infelix Pontifex, medio *Friderico*, ſed genuflexo, Pontificia redimiti thiara, cruce præeunte, pari videntur iure gaudère, ſi inſignia, Pontificatus ſunt argumentum. Vterque videtur prēſare Cæſaris votum, cuius ad exemplum to-
Symbolū. tus componitur Orbis. Ipſe verò vtrumquè adorando, & iudicis partes abhorrens, eo Chriſti lemmate *Lucæ. 12. Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos?* Ciuilem poteſtatem vbique inferiorem Eccleſiaſtica fatetur: quæ immediatè veniens à Deo, ſolum Deum vltorem, & cognitorem habet. Recole hiſtoriam *Conſtantini* Imperatoris, quùm de Epiſcopis apertè profeſſus eſt, ſe iudicare non poſſe, vt qui Dij quidam ſint: ſed contra potiùs eorum ſe ſtare ſubiectum iudicio. Ruffinus *lib. 1. c. 2. Hiſtor.* Sic *Carolus Magnus* electus à Romanis in iudicem aduersùs Pontificē, reſpondit, *Hominis eſſe Adorare; Dei eſſe, Deum iudicare.*

ADVLANTIVM PERSECVTOR.

XXXIII. FRiderici in adulatores Odium duobus exaratur ſymbolis.

9. *Adulationis* ad aram gradientis, ſed obſtante *Friderico* ſub lemmate. *Vſq; ad aram.*

10. *Mercurij*, qui Caduceo animas in tenebras manuducit. *cæcidit, et cecinit*. vide in p. 136.

Inter-

Adulator animal peſtiferum. Interrogatus Bion, *quodnam eſſet animal maximè noxium?* Reſpondit: *Si de feris percontaris? Tirannus. Si de mitibus? adulator.* Dum enim blanditur, offendit. Sic Diogenes, *ſciſcitanti cuius beſtiæ morſus eſſet periculoſior, vel magis venenatus?* reſpondit, *ex feris maledicus, ex domeſticis adulator*. Hinc in ſymbolo Adulationis videre eſt *Mercurium*, *Mercurius ſymbolū adulatorum.* qui Caducæo mortuorum animas ad inferos deducit, ſub lemmate, *Cæcidit dum cæcinit*. Ita adulatores palpando, prenſando, blandiendo eò hominem deducunt, vt in tartara vitiorum ruat, cum in Cœlum aſcendere autumat. Omnis homo naturaliter laudari deſiderat, & citra vitium (cum natura in ſtimulum virtutis *laudem* dederit: vt *contumeliam* in flagellum vitiorum) ſi encomium oderit, nec contumeliam timet. Hanc ſi ſpernit, non erubeſcit; quem malum nō pudet, nullū fugit flagitium ſed quærit, & de flagitio gloriatur.

XXXIV. Adſtabat Themiſtocles canentium choro, & ſciſcitanti, *quis dulciùs cantibus aptaſſet diſcrimina vocis?* reſpondit, *ille qui meas cæcinit laudes*. Nec diſcrepabat à choro, quia muſica & geſta amicè coibant. Harmonica reſonas carmina, ſi vera canas: ſi ficta, diſſonas; nec ſentiri mereris, quia aſſentiris. Auis eſt *cœleſtis*, vel *præpetis* dicta, quæ aere paſcitur, vt & Camaleon: ſed hic reptando, aere paſcitur terreo, & corruptibili: illa ſurſum volando, cęleſti & incorruptibili. Sic tumidus, & virtuoſus paſcuntur laude, quam huic veritas canit, illi adulatio. Nemo eſt, qui de ſe tàm humiliter ſentiat, vt nauſeet ſuper laude. Habet hæc gradus contiguos, ſi non continuos: facile poſtremus cum medio conſunditur, & medius cum ſupremo. Mulierem deformem ſi pulchram dicas; non iraſcitur, ſe autumans non deformem. Pulchram, ſi dicas pulcherrimam, tacet, & vocibus credit alienis, Pulcherrimam, ſi Deam facias; exultat, & riſu plaudet; nec dubitat, corde

XXXV. *Adulatio niſi grādis, non placet.* credant quod ore proferunt. Romani Cæſares cum adulante Senatu, Dij vocarentur; priùs erubeſcebant, poſtea dubitabant; tandem credebant. Gradatim ſcandit Ambitio, vt aberret cum plurimis, & odio habeat adulatorē, ni grandia loquatur. Vilis adulatio minuit quādoq; meriti famam. Ariſtobulus cum de Alexandri geſtis librū conſcripſiſſet, in quo plurima ſupra viri fidem effinxerat, cum quùm illi in nauigatione recitaſſet, XXXVI. *Adulatio quando odioſa Alexandro.* Alexander arreptum è manibus librum in fluuium Hydaſpem demerſit, & ad Ariſtobulum conuerſus: *Tu* (inquit) *dignior eras, vt eodem præcipitareris, qui ſolus me ſic pugnantem facis, vt vel vno iaculo elephantes interficiam. Eraſ. lib. 8. apopht.* Sed cur in Lybicum flumen non demerſit Sacerdotem, qui eum vocauit *filium Iouis?* Sordidior hæc illa aſſentatio. Faciliùs namquè elephantem telo traijcere, quàm ex Ioue naſci? quia odio non proſequebatur adulationem, ſed vilem, quæ maiori famam minueret. Vaſto corpori elementa ferè dantur in alimenta. Alta cum de ſe concipiant, maiores videri volunt, quàm ſint.

Hinc Hyperbolica non ingratè canes. Veritas vt odium parit; ſic mendacium amorem conciliat, ſi in laudem proferas. *Audio adulantium choros* (aiebat ille præſul) *verumtamen placent.*

Laudare, & adulare cognata nomina vt XXXVII. *Nemo immunis.* rarò ſecernuntur, quia nemo immunis; difficiliùs cognoſces, quem debeas laudare, vel adulare, Vnum lego Xerſem apud Demoſthenem, qui apertè adulationem expoſcit. Arma in Græcos decreuerat, ſed ne iniuſta viderentur, & ingrata ſubditis, Satrapas conuocauit in conſilium, ea tamen conditione, vt plauderent, non vt opponerent. *Cæterum mementote, mihi parendum magis, quàm conſulendum.* Præter hunc vnum, adulationem XXXVIII *Reges volunt adulari.* deteſtantur reliqui, cæterum ni palpes, ſuccenſent: Indignatus Achab Ariolis ſuis, qui victoriæ auſpicio, eum concitabant ad prælium, Michæam Prophetam adiurat, *Adiuro te, vt non loquaris mihi, niſi quod verum eſt in nomine Domini 3. Reg. 22.* Micheas verus, Haruſpex aliorum, non ſui, clarè intonuit, *Ibis, Redibis non; morieris in bello*. Iratus Rex vinculis Prophetam tradidit. Impletum tamen eſt vaticinium. Iuit in pugnam, nec cæcidit, ſed cecidit. Diuinare modò, quandò adulare non debeas? Arcana hæc Diuini conſilij. Propheta prædeſtinatus martyr, quia vera diceret. Rex ſub gladio inimici, quia non crederet.

XXXIX. *Adulationis ſymbolum.* In altero *Adulationis* ſymbolo eſt Adulatio larua veritatis inducta, quæ thronum aſcen-

aſcendere tentans, dum primum gradum ſcandit, obuium habet Imperatorē, qui lemmate illo, *Vſquè ad aras* prohibet vltra progredi. Ad *aram* dicit, quia vt aiebat Architas Tarentinus, tribunal & altare pari paſſu ambulant. Imo Altare thronum vocauit. Iuſtinianus Rom. Imperator. Ad aras verò

Etiam in Eccleſia eſt. irrepere ne mireris; quia & ad fabulas conuertuntur qui officio funguntur Apoſtolico *Erit tempus cum ſanam Doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auertent* 4. *ad Timoth.* 4. Quis eſt in Domo Dei, qui Chriſtum quærat Crucifixum? Paſtores facti percuſſores, haud oues quærunt, ſed lanam. In choro, in aula ſtrident Palatini murices, Regij canes, terreſtres Protei, Vulpes famelicæ. Prædam nactus coruus ſtrepitabat in ramis. Accurrit vulpes, quaſi caſu, & longè veniens culpat famam. *Fama enim eſt* (inquit) *nigriorem pice te eſſe, & video candidiorem niue: Meo ſanè iudicio cycnos vincis. Quod ſi vt plumis, ita & voce excellis, omnium auium quidem te dixerim reginam*. Hac cantiuncula illectus coruus, ad canendum ſe apparat; apparanti è roſtro excidit caſeus, quo correpto, vulpecula ridet. Miſerum pudet coruum, pigetque ſui, & iactura rei miſta pudore dolet.

X L. Niger coruus ob habitum monacalem, ſed vita, morumque innocentia candidus fuit *Petrus Murronus*, qui in Pontificatu dictus

Cœleſtinus Papatum renunciat. eſt *Cœleſtinus*. Inuidebat huic *vulpes callida*, & gnato Benedictus Caietanus; quomodò alienum vſurparet cogitans Pontificatum, cępit *Cœleſtini* canere laudes, & vitam extollere clauſtralem, quando is cum monachis veluti Angelorum canebat in choro. Quibus irretitus Pontifex in Neapolitano conſiſtorio, vocem illam ędidit adhuc incognitam homini, *Ego Cęleſtinus* Pontificatu ſeceſſit, quem Vulpes deuorauit famelica ſuffragante *Carolo* Rege. Impletum tunc, *Coruus non pro ſe, ſed prò vulpe cantauit*. Noli quibuſuis habere fidem, & conſilium, quod ab alijs acceperis, fac inſpicias. Multi enim conſulti, non ſuis conſultoribus, ſed ſibi conſulunt. E vita iactantiam, vt aſſentatorum genus peſtiferum euitare poſſis. Quod ſi Thraſo eſſe volueris, nuſquàm Gnato deerit, qui viſu, verbo, & opere genium ſimulet adulati. Amicitiæ æmula eſt Adulatio, mores fingit, verba ſimulat, vt videantur idem. Vmbram dicas, quæ te non amat; & tamen fida comes agit, quod agis. XLI. *Adulatio ſcimia Amicitiæ.*

Balbutiebat Ariſton, & cum eo eius clientes. Quia gibber erat Plato, eius etiam diſcipuli curuabant humeros veluti Atlantes ſub pondere ædificij. Collum flectebat Alexander, ita & aulici in modum arcus, ne aberrarent, dum metam ferirent. Camaleon eſt adulator. Si neges, negat. Dum plangis, plangit. Si rides, ridet. Męrore confectus, ne conſolatorem ſperes; dolorem ſimulat, vt videatur communem velle fortunam, nec minori affectus mæſtitia, dolère caſum amici, ac inter tot caſus, ſit tibi vna voluptas, dolor adulantis. Hanc ſpetiem adulationis *ſeruilem* dicunt, & ferè communem. XLII. *Adulatio triplex.* Alia eſt, quam *fabuloſam* nominant, & poetarum eſt, cum larua virtutis vitia induunt, & veriſimile veritatem ſimulant. Temerarium dicunt fortem; timidum prudentem, atque politicum. Ambitioſum, magnanimum: quia vilis animi ſit, æqualem pati, vel eſſe ſecundum. Tertiam *ciuilem* dicunt, cæterarumque magis virulentam quia ſale, vel lemmate delectando, facilè etiam philoſophum habet obſequentem. Huiuſcemodi eſt illa Eudemonis, quum Cœlo tonante, ad Alexandrum conuerſus, interrogauit; *Es ne tu filius Iouis, qui tonas?* Vel Niceſiæ, qui in vultu Alexandri muſcam videns, *Beata* (inquit) *muſca, Deorum digna libare ſanguinem*. Placent ſæpè, & rarò diſplicent quamuis falſa. Saucius Alexander, adulanti philoſopho, Homerico illo carmine, vel

Qui ſolet ex Superis cruor effluxiſſe beatis.
Qualis diuorum percurrit corpora ſanguis?

Turbatuſquè Rex ab eo pharmaco, quod cęperat, *Quid nos* (aienti) *facere oportet, ò Rex, quando vos Dij talia patimini?* eum vix intuens, Alexander, *Quales Dij?* (inquit) *vereor autem, ne Dijs inuiſi*. XLIII. *Vt adulatio placeat, quid neceſſe?* Loco, & tempori ni adulationem accomodes, ſordet; & magis Alexandro doluit quàm vulnus, vt intempeſtiua. Adulationis arcanum in eo eſt, ne adulari quis erubeſcat. Impudens ne ſit aſſentatio, humiliter ſurgat, & media incedat inter verum & falſum. Tarraconenſes legati volentes

lentes falſo auſpicio victoriam Auguſto præludere, retulerunt *Eo in altari, in quo imolabant Auguſto exortam palmam*. Riſit Auguſtus, *ſignum* (inquiens) *rarò vos imolare in altari meo*. Si enim ſæpè adoleuiſſent in altari, arbor non ſuccreuiſſet.

Vltimam *Magiſtralem* appellant; & fit ſpetie recuſantis, & aduerſantis. Ancillæ
XLIV. Filomatiæ apud *Plautum* petenti Dominæ monilia negabat, quia iam natura paraſſet, (aiebat) vt nulla fieret ab arte decor.

Sic Meſſala Valerius *renouandũ per annos ſacramentum in nomen Tiberij*, cum interrogaretur, à Tiberio, num ſe mandante eam ſententiam protuliſſet? *ſponte dixiſſe* reſpondit: *neque in ijs, quæ ad Remp. pertinerent, conſilio niſi ſuo vſurum, vel cum periculo offenſionis*. Sordida, & omnium peſſima adulatio, quæ *ſola ſpeties ſupererat adulandi*, ſcribit Tacitus. An. 1. *c.* 8. *nu.* 5. Ars hæc eſt regia, in ſinu vrbanas fouere feras, quæ veritatem primùm deuorent, poſtea regnum, tandem Regem. XLV.
Senatum ingrediente Tiberio, exclamauit adulator quidem, *liberè eſſe loquendum, nec reticenda, quæ ad Rempublicam attinerent*; Erectis ad hanc vocem omnibus, ipſo etiam attento Tiberio: *Audi* (inquit) *Cæſar, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palam fateri: Impendis teipſum nobis, corpus tuum diurnis, nocturniſque laboribus, & curis pro Republica conficiens*. Hæc cum diceret libertatis prætextu, turpiter adulans; C. Seuerus ſubieciſſe fertur, *Iſta tanta libertas Tiberium perdit*; & perdidit, imperium otio marceſcente, dum adulator regno abuteretur, & rege.

CLEMENTIA CAESARIS.

Septem Exaratur Symbolis.

Leonis blandientis feræ humiliatæ.

11. Sternentis pugnantem, ſub lemmate *Hæ tibi erunt artes*.

12. *Equiſonis* molliter equum ferocientem agentis ... *Non aliter*.

13. *Cameli* onere fatigati, ſed ſoni dulcedine iter proſequentis.

14. *Cæſaris* Dormientis in ſinu innocentiæ ... *Innocentia ſecurus*.

15. *Coloſſi* bulis percuſſi, ſub lemmate ... *Conuitia, ſpernit & probra*.

16. *Canis* in Lunam latrantis. *Et ſequitur ſurda Diana ſuos*.

17. *Leonis* ſecurè patientis canum latratus.

Numeri marginales figuris ære inciſis reſpondet in pag. 136.

Clementia potiùs quàm ſeueritate regnum Rex exercere debeat? inter politicos eſt diſceptatio: Quæſitum ſoluit vxor
XLVI. *An præſtet clemẽtia potius, quàm ſeueritate regnare?* Auguſti Liuia: quùm in Gallia moranti defertur, L. Cinnam ſtolidi ingenij virum, inſidias ei ſtruere. Inter amorem & timorem noctem agebat inquietus, varias emittens voces, & inter ſe contrarias. Percuſſorem ſuum timor non ſuſtinebat impunem. Odioſum ſibi incuſabat amor, & vere erubeſcebat, imo iraſcebatur, quòd viuere haud poſſet, niſi multi perirent. Sic agitatum interpellauit Liuia: *Admittis* (inquit) *muliebre conſilium? Fac quod medici ſolent: qui vbi vſitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profeciſti: Saluidienum Lepidus ſecutus eſt, Lepidum Muræna, Murænam Cæpio, Cæpionem Egnatius, vt alios taceam, quos tantum auſos pudet: nunc tenta, quomodò tibi cedat clementia*. Seneca *lib.* 1. *de Ira c.* 9. Gauiſus ſibi Auguſtus, quòd aduocatum inuenerat, vxori quidem gratias egit; & qui ſeueritate non profecerat, clementia profuit. Ignouit parricidæ, amicum fecit, vt exinde fide certarent. Cępit eo die regnare Auguſtus, imo & viuere, ſi mors eſt anxia vita. Hęc clementia Principem decet, vt quocunque venerit, manſuetiora omnia faciat; ait Seneca *c.* 16. Nemo Regi tam vilis debet eſſe, vt illum perire non ſentiat. Titus Veſpaſianus non tantùm curauit ſe creari Pontif. Max., ne cogeretur cuiuſquàm ſãguine manus cruentare, ſed & ſemper in ore habuit: Non oportere quemquam à facie Principis triſtem diſcedere. XLVII. *Clementia à natura eſt.*
Sueton. in Veſpas. Clementia omnibus quidem hominibus ſecundùm naturam eſt, maximè tamen decora Imperatoribus. Tibi parcis, cum videris alteri parcere: vnde & improbis parcendum ſit, non aliter quàm membris languentibus: etſi quã-

do

do miſſo ſanguine opus eſt, ſuſtinendum eſt, ne vltrà quàm neceſſe ſit, incìdas.

Tutius eſt, aiebat Cæſar Borgias, *metui, quàm amari*; nec diſſentior, ſi de tyranno ſit ſermo; ſi Rege, ſecùs. *Nullum enim clementia ex omnibus magis, quàm Regem, aut Principem decet*. Seneca *lib.* 1. *de Ira. cap.* 3. Clementia *in quamcumque domum peruenerit, eam felicem, tranquillamquè præſtabit: ſed in regia quò rarior, eò mirabilior*. Mirabile, ſanè eum, cuius iræ nihil obſtat, cuius grauiori ſententiæ ipſi qui pereunt, aſſentiuntur; ipſum ſibi manum inijcere, & poteſtate ſua in melius placidiuſquè vti. Magni animi proprium eſt, placidum eſſe; Muliebre eſt, furere in ira: ferarum verò, nec generoſarum quidem præmordere & vrgere proiectos. Elephantes, Leoneſque tranſeunt, quæ impulerunt: ignobilis beſtiæ pertinacia eſt. Totum hoc habes in ſymbolo *Friderici V.* vbi ſubiectam feram Leo lingua mulcet, cauda blanditur; pugnantem ſternit, diſcerpit, ſub lemmate *Hæ tibi erunt artes*.

XLVIII. *Clemētia Friderici V. Leonis ſymbolo exarata.*

Hæ tibi erunt artes, paciſquè imponere morem
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

XLIX. *c.6. lib.1. de Clemētia.*

Non decet Regem ſæua, & inexorabilis ira: non multum enim (ait Seneca) ſupra eum eminet, cui ſe iraſcendo exæquat: at ſi dat vitam, ſi dat dignitatem periclitantibus, & meritis amittere, facit quod nulli niſi rerum potenti licet. Vita enim etiam ſuperiori eripitur, nunquàm niſi inferiori datur. Seruare, proprium eſt excellentis fortunæ: quæ nunquàm magis ſuſpici debet, quàm cum illi contingit idem poſſe, quod Dijs, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quàm mali. Deorum itaque ſibi animum aſſerens Princeps, alios ex ciuibus ſuis, quia vtiles boniquè ſunt, libens videat: alios in numerum relinquat: quoſdam eſſe gaudeat, quoſdam patiatur. Maieſtas Regis non in atrocitate, ſed in pietate conſiſtit. Aureo ſæculo quo Sapientum regnum erat, Nemo quantum poſſet aduersùs eos experiebatur, per quos cęperat poſſe. Victus Abner princeps militiæ Saulis, à Ioabo principe militiæ Dauidis, cum Sol occubuiſſet, nec finem Ioab faceret perſequendi, exclamauit Abner, *Num vſque ad internecionem tuus*

L.

mucro deſæuiet? an ignoras quòd periculoſa ſit deſperatio? vſquequo non dicis populo, vt omittat perſequi fratres ſuos? 2. *Reg. cap.* 2. Quaſi neſciat victoria modum? Vincere regium eſt, ſæuire tyrannicum. Non æquitas patitur, grauius homini, & duriùs imperari, quàm imperetur animalibus mutis: atqui equum nō crebris verberib. (vt vides in ſymbolo *Friderici V.*) exterret domandi peritus magiſter. Fiet enim formidoloſus & contumax, niſi eum tactu blandiente permulſeris. Idem facit venator, qui inſtituit catulos veſtigia ſequi, quique exercitatis vtitur ad excitandas, vel perſequendas feras. Nec crebrò illis minatur; contunditur enim animus, & quidquid eſt indolis, comminuitur trepidatione degeneri: nec licentiam vagandi errandique paſſim concedit. Adijcias licet, tardiora agentes iumenta: quæ cum ad contumelias, & miſerias nata ſint, nimia ſæuitia coguntur iugum detrectare. Camelum onere fatigatumque itinere non verberibus conduces ad metam, ſed cantu, & citharæ ſono, quo illectus, lætus greſſum comitatur herilem. Quod ſi in iumentis, ſtultum eſt iram exercere? cur peiori conditione habendus eſt homo, quo nullum moroſius eſt animal, ac nullum maiore arte tractandum? Morbis medemur, nec iraſcimur. Mali medici eſt, deſperare, ne curet. Agat Princeps curam non tantùm ſalutis, ſed etiam honeſtæ cicatricis. Nulli Regi gloria eſt ex ſæua animaduerſione. *Vincendo parcit* habet ſymbolum *lampadis ſub Sole ardentis*, quod pictum conſpicitur in cubiculo Reginæ matris Francorum Regis: Vel *Parcendo regnat* lemma eſt ad *Solem*, & *Lunam* ibid. pictum. Querenti Tiberio, quod detractores Auguſtus ſineret impunitos, reſpōdit. *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquā eſſe, qui de me malè loquatur. Satis eſt enim ſi hoc habemus, ne quis nobis malè facere poſſit.* Suetonius *in Aug.* 51. Quanto ſatius eſt, ſanari iniuriam quàm vlciſci? Nū quis ſatis conſtare ſibi videtur, ſi mulā calcibus repetat, & canem morſu? Manſuetè immanſueta tractāda ſunt: non quia deſit vlciſcēdi poteſtas, ſed volūtas. Quid enim facilius fuit Antigono, quā duos manipulares duci iubere, qui incūbētes regio tabernaculo faciebat, quod homines (ait Sen.

LI. *Symbolū clementiæ.*

LII. *Clementiæ Symbolum.*

LIII. *Clementiæ Symbolum.*

LIV. *Conuicia irride.*

L V. *Antigoni lenis, et faceta patiētia.* *lib. 3. de Ira c. 22.*) & periculoſiſſimè, & libentiſſimè faciunt, de Rege ſuo malè exiſtimant? Audierat omnia Antigonus, vtpotè cũ inter dicentes, & audientem palla intereſſet; quam ille leuiter commouit, & *longiùs* (inquit) *diſcedite, ne vos Rex audiat*. Idem quadam nocte, cum quoſdam ex militibus ſuis exaudiſſet, omnia mala imprecantes regi, qui ipſos in illud iter, & inextricabile lutum deduxiſſet; acceſſit ad eos, qui maximè laborabant: & cum ignorantes à quo adiuuarentur, explicuiſſet: *Nunc* (inquit) *maledicite Antigono, cuius vitio in has miſerias incidiſtis: ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit*. Nec minùs hoſtium quàm ciuium maledicta tulit. Cum in paruulo quodam caſtello obſiderentur Græci, & loci fiducia hoſtem contemnentes, multa in deformitatem Antigoni iocarentur, & nunc ſtaturam humilem, nunc colliſum naſum deſiderent: *Gaudeo* (inquit) *& aliquid boni ſpero: ſi in caſtris meis Silenum hàbeo*. Fame tandem cum domuiſſet dicaces, eos qui militiæ vtiles erant, in cohortes deſcripſit, cœteros præconi ſubiecit. Quod ſe facturum fuiſſe negauit, *niſi expediret his Dominum habere, qui tam malam haberent linguam*.
LVI. *Patientia ſymbolum in magnatibus.* Patientiam ratio ſuadet, ira vindictam. Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum ſecurus exaudit. In Regem electus Saul, ouium irridebatur paſtor aratro aptior, quàm ſceptro. *Deſpexerunt eum, & dixerunt. Num ſaluare nos poterit? 1. Reg.* 10. Hebræi tumidi, Iudæi perfidi, adhuc in ore clamor, *Da nobis Regem*; datum deſpicite? Redargue Saul, caſtiga, corrige, paucorum pœna ſit exemplum ad omnes. Minimè tamen Rex ſuccenſus, *diſſimulabat ſe audire*. Iudæorum reparator Saul, ad thronum vocatus vt pœnarum timore tutam inter improbos ſeruet innocentiam, crimen læſæ diſſimulat Maieſtatis? Nec tumidos, nec perfidos Hebræos inſimules, ſi diſſimules. *Quia primum donaui* (dicas cum *Diribera* Apulorum illo Pro-Rege) *ſecundum mihi imputandum*. Aut hunc pœnam dare, concludit Totila Rex Gothorum, aut regnum Gothorum interire, neceſſe. Diſſimulas?

Lactem propinas ſerpentibus, quo virulentiores exſibilent. Non minus fouet tyrannidem pietas, quam crudelitas. Æquè odioſum fuit Neruæ, & Neronis imperium. Sub hoc cadebāt iuſti; ſub illo viuebant iniuſti. Iudæos vt veſpas habeas, etiā mortuæ aceto madefactæ reſurgunt. Inde vitam accipiunt tumidi, vbi reliqui habent, vitę naufragium. Cũ ipſis aut faciendus, aut habendus eſt metus. LVII *Veſpę aceto reſurgunt.*

Hæc omnia haud mouent Saulem, pietate vel cunctatione conſtans, *audire diſſimulat*. Vel quia cum Tacito *An. 2.* relinquendum ſit rumoribus tempus; quo ſeneſcunt. Vel cum Seneca *de Ira c.* 10. quia lento adiutorio opus ſit contra mala fecunda & continua, non vt deſinant, ſed nè vincāt. *Coſmus Medicęus* Hetruriæ Dux I. cum ei nomina delata eſſent eorum, qui ſua geſta carpebant, legit, & riſit; *Si nos facimus* (inquit) *cur ipſi ſaltem dicere haud poſſunt?* Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare. Demochares, *Parrheſiaſtes* ob nimiam & procacem linguam appellatus, inter alios Athenienſium legatos venerat ad Philippum Regem. Is benignè audita legatione, *dicite* (inquit) *facere quid poſſum, quod ſit Athenienſibus gratum?* Excepit Demochares: *Te* (inquit) *ſuſpendere*. Tam inhumanum reſponſum iram concitauit adſtantium. Conticeſcere tamen omnes Philippus iuſſit, & Therſitam illum ſaluum dimitti. *At vos* (inquit) *cæteri legati nunciate Athenienſibus, multò ſuperbiores eſſe, qui iſta dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt*. Auguſtum recenſe, in quem, eiuſque vxorem, totamque domum *Timagenes* hiſtoricus plurima dixerat, & ſcripſerat in vulgus ſpargendo veluti in ſuæ temeritatis triumphum. Sæpè illum monuit Cæſar, vt moderatiùs lingua vteretur: perſeueranti domo ſua interdixit. Fuit qui tam altè cadenti ſinum præberet Pollio Aſinius. Tulit hoc Cæſar patienter, cum hoſpite inimici numquàm queſtus. *Dicat itaque* (exclamat Seneca *lib. 3. de Ira c. 24.*) *quiſque ſibi, quoties laceſſitur: Numquid potentior ſum Philippo? illi tamen impunè maledictum eſt. Nunquid in domo mea plus poſſum, quàm toto terrarum orbe Diuus potuit Auguſtus? ille tamen contentus fuit, à conuiciatore ſuo ſecedere. Quid eſt, quare ego ſerui mei hilarius reſponſum, &*

Probra diſſimulāda. LVIII. *Exempl.*

con-

Contumaciorem vultum, & non peruenientem vſquè ad me murmurationem, flagellis, & compedibus expiem? quis ſum, cuius aures lædi nefas ſit? Ignouerunt multi hoſtibus: ego non ignoſcam pigris, negligentibus, garrulis.? Puerum, ætas excuſet, fœminam ſexus, extraneum libertas, Domeſticum familiaritas. Nunc primùm offendit? cogitemus quandiù placuerit. Sæpè & alias offendit? feramus quod diù tulimus. Amicus eſt? fecit, quod noluit. Inimicus eſt? fecit, quod debuit. Prudentiori cedamus: ſtultiori remittamus. Pro quocumque, illud reſpondendum nobis, ſapientiſſimos quoque viſos multa delinquere: neminem eſſe tam circumſpectum, cuius non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat: neminem tam maturum, cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum caſus impingat: neminem tam timidum offenſarum, qui non in illas, dum vitat, incidat. Illud non venit in dubium, quin ſe exemerit turbæ, & altiùs ſteterit, quiſquis deſpexit laceſſentes. Proprium eſt magnitudinis veræ (Idem Seneca *lib. 3. de Ira. c. 25.*) non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpexit: Sic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat.

LXIX. *Symbolū Friderici probra patientes fer.* Modò habes, quid velint *Friderici V.* ſymbola, in quibus *Aureus Coloſſus bullis percutitur*: *Leo canum latratus imperterritus audit*. Et coram Luna ſæuit canum latratus in auras; ſub lemmate. *Et ſequitur curſus ſurda Diana ſuos*. Qui non iraſcitur, inconcuſſus iniuria perſtitit: qui iraſcitur, motus eſt. *An neſcitis* (aiebat Fridericus) *Principes quaſi ſignum ad ſagittam expoſitos eſſe? Turres quidem*

LX. *fulmina prætaltas feriunt, humilia tecta prætereunt. At nobiſcum benè agitur, ſi verbis tantùm impetitur.* Abſit à Principe, vt ſuggilantibus mores accomodet. Annibalem non exarmaſſet Q. Fabius, ſi obiurgantes timuiſſet. M: Minutius equitū magiſter dictatorem ludibrio habebat, eumque milites *Magiſtrum Annibalis* appellabant; quòd ſemper montoſis, & altis locis caſtra muniret. Fabij amicos rogabat Minutius, *num in Cælum tanquàm terra complorata rapturus eſſet exercitum: an verò nubes & nebulas, quò ſe recipiat, hoſti obiecturus?* Quæ cum ad Fabium referrent amici, ſuaderentquè vt periculo ſubeundo, ſe ignominia liberaret: *Formidoloſior quidem* (reſpondit) nunc viderer, *ſi dum ſcommata, conuiciaque timerem, a meis diſcederem conſilijs. Non eſt turpis metus, qui ſalute patriæ ſuſcipitur. Verùm expaueſcere ad hominum opinionem, calumnias & opprobria, indignum eſt homine huiuſmodi magiſtratum gerente.* Plutar. *in Fabio.* *Indecens Imperatori, ſcōmata timere.* Oppidò declarauit euentus, quanto vir ille eſſet, qua prudentia, quo amore in patriam, & ciues arma geſtaret, vt omnium bucina de eo celebrentur carmina vetuſta quidem, & rudia, ſed magnifica, atque veridica.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo magiſq; magiſq; viri nunc gloria claret.

Ludou. Viues, *de ſubuent. pauper. lib. 2.* LXI. *Symbolū Innocētiæ.*

Sit Duci conſcientia teſtis; & viuat innocentia, non ferro ſecurus. Symbolum ſuſpice *Friderici V.* dormientis in ſinu *Innocentiæ*, ſub lemmate *Innocentia ſecurus*. *Innocentia eſt lorica Regis.* Sæpè enim iter agens inter hoſtes quaſi hoſpitiū percurreret amicorum, vanam obiurganti fiduciam reſpondit, *Innocentiam non indigère lorica, vel ſi opus ſit, loricam ſatis eſſe Iuſtitiæ.*

LIBER XLIII.

CAPVT PRIMVM.

MAXIMILIANVS I.

OCCIDENTIS IMPERATOR XLIII.

1. *Maximilianus literarum, armorumque æquè ſtudioſus.* 2. *hieroglyficum.* 4. *natalia.* 5. *difficultas loquendi.* 6. *linguarum peritia.* 7. *ſtudia.* 8. *genealogicus.* 9. *a coquo redarguitur.* 11. *Poeta.* 12. *geſta ſua ſcribit.* 13. *bibliothecas erigit.* 14. *diuinitus liberatur à mortis diſcrimine.* 15. *ducit in vxorem Mariam Burgundam.* 19. *à Brugenſibus detinetur.* 20. *reos defendit apud patrem ſuum.* 21. *coronatur Imperator.* 22. *initio eius imperij, repertæ argenti venæ.* 23. *victoriæ.* 24. *ſub eius imperio repertus nouus Orbis.* 25. *eius armorum terror.* 26. *fortunam ſpernit.* 27. *liberalis.* 28. *colloquium cum tribus Regibus.* 29. *pudor.* 30. *moriens ſibi pudenda cooperit.* 31. *Sacerdotes honorat.* 32. *videt Cacodæmonem incubare Luthero.* 33. *Sanctos colit.* 34. *ieiunat.* 35. *Sarcophagum circumducit.* 36. *ſymbolum.*

16. *Philippus filius Maximiliani Imperator. felici omine natus.* 18. *libera cuſtodia tenetur.*

17. *Maria vxor Maximil. Imp. quàm pudica.*

I. CVm nunquàm veriùs de Imperatoria Maieſtate quàm ſub *Maximiliano* I. occurrat adagium, *Imperatoriam. Maieſtatem non ſolùm armis Decorari, ſed etiam legibus armari oportet*; in eius hieroglyphico *Iani* templum apertum fingimus: vnde Furijs agitatum Martem offendis exeuntem, bellorum parentem. Non longè ſtant *Literæ* timidæ, & fugitiuæ, quæ in ſinu *Maximiliani* receptæ, quàm literatorum amans, & prodigus Mecænas fuerit, oſtendunt.

ALLVSIO AD HIEROGLIPHYCVM.

I.

PAnditur hoc Tēplū, Iano et Cuſtode, Gradiuus,
Impulſu Furiæ, percitus Arma rapit.
Faſquè, næfaſq; ſimul trahit ad ſua Prælia; Quādo
Innocua & Rato, ſub pede preſſa, gemit.
Horridus, atq; Furens, Homineſque, Deoſq; laceſſit;
Pugnans, Ius Belli ponit in Enſe, ſuum.
Mars ſine Lege ruit; Virtutes fundere tentat;
Quarum Nulla tamen victa ſub Enſe, cadit.
MAXIMVS en Miles diſperſas colligit Ipſas;
Quem Mauors cernens, Arma mouere, timet.
Hæc vbi Maieſtas Virtutes tollit ad Aſtra;
Imperium recipit ſub Ditione, Iouem.
Auſtriaco Auguſto ſatis eſt Anguſtus hic Orbis;
Virtus Quæque Nouum poſtulat Imperium.

M. Ant. Moles Neap. S. Theol. D.

II.

Ecce Quirinalis prodit de limine Mauors,
Et fremitu armiſono, bella neceſque parat;
Criminis inſontes ſternit, procul eſſe iubetur
Iuſtitia, & Pietas, Religioque procul:
Hinc profuga erraret virtus, ni tuta ſub vmbra
Cæſareæ chlamydis Maximilianæ foret.

Io: Franc. Franzinus S. Theol. D.

III.

Prodigium credis bellum, ſtudiumque vigere,
Virtutem, & Martem nec ſimul eſſe putas?
Ecce quod hoſtiles coniungit fœdere dextras
Princeps, Muſarum, Martis & arma colens.
Nec ſatis hoc: tenet armatus fera limina Iani,
Virtutumque ſimul corpora veſte regit.
Proh dux inſignis? vincis bis tempore eodem
Debellans hoſtes, tempora & ipſa domans.

I. B. P.



MAXIMILIANVS I. *Sal. Ann. 1459.*

OCCIDENTIS IMPERATOR XLIII.

Flumina vel fulmina Reges ſunt.
Proceſſu tumeſcunt
Et quo longiùs diſcurrunt, latiùs excurrunt.
Prudentia nominis Prouidentia eſt Numinis.
IV. *Natalia Maximiliani.* Quæ dum *MAXIMILIANVM* pingit; Maximum pangit Imperatorem.
Ex patre *Pacifico*, ex auo *Ferreo*
Vtramque ſortitus Palladem togatam, & trabeatam
Pacem offert & Bellum; quod mavis? vult.
V. *Tardus in loquendo.* Nouennium mutus tacuit Germanus Demoſthenes:
Vel quòd pondera cogitationum lingua nec ferre poſſet, nec proferre.
Vel primus eloquutionis gradus eſſet, ſcire tacere.
VI. *Linguarum perita.* Vnam habuit à natura linguam, plures arte parauit:
Vt de ſuo diceretur loquutus.
Latina, Germana, Gallo Belgica
Caluit idiomata, vt coleretur vbiquè:
Et ex indigena ſermone non alienigenam agnoſcerent:
Sed aliquid ſuum ſuo venerarentur in principe.
Nouennio ſilentio grauida lingua,
Vbi quid loqueretur, tacendo didicit,
VII. *Studia.* Syrenulas tandem parturit eloquentiæ.
Apollo in aula, Mars in campo,
Gemino arcu fila mouit, & tela.
Ne quid regno fœlicitatis deeſſet,
Philoſophari Principem voluit.
VIII. *Genealogicus.* Argumentum ipſe hiſtoriarum, & ſeges,
Hiſtoriam in delicijs habuit.
IX. *Irriſus à Morione, cuius ſe conſanguineũ inueniſſet, ſi ad arcam Noë, genealogiam extendiſſet.* Vt è ruderibus Antiquitatis erueret ſapientiæ theſauros:
Primus Germaniæ familiarum Genealogicus,
E' terra obliuionis mortuos euocauit.
Patrem non agnoſceret filius,
Niſi patriæ patrem penè ignotum feciſſet cura aliena.
X. *Iraſcitur præceptori indocto.* Dijs, Patriæ, parentibus gratus, ſoli præceptori ingratus
Non nocuit, quia non potuit.
Et ſerò nouit ſedentem in cathedra peſtilentiæ.
Ignaro quamuis duce, non ignorauit ſemitam virtutis.
XI. *Poeta.* Amica Muſa, Parnaſſum conſcendit.
Et ſoli Manes dedere manus,
Cæſar, & Auguſtus.
Vtrumque melius expreſſit
XII. *Geſta ſua ſcribit.* Cum ſui chronographus, & Encomiaſtes
Scribenda fecit, facienda ſcripſit.
Timida tamen ſcribendi libertate, alios laudare auſit, non ſeipſum.
Eius Poęſis non ſine mendis, quia non mendax.
Virgines Muſas Sapientiæ puerperio corrupit,
Vt vbique terrarum ingenia parerent.

Quot

Quot Muſæ, tot Bibliothecas extruxit. XIII. *Bibliothecas extruit.*
Ann Sal. Vt à diuerſorio diuerterent in domum ſuam.
Tantam molem deſine mirare, viator:
In vnum *MAXIMILIANVM* trophæa omnia migrarant Auſtriadùm,
Et tantæ Gentis ſupererat ſola Propago.
Cum neſciens ſtare loco,
Abrupti montis conſcendit cacumen Aquila Auſtriaca: XIV. *Diuinitùs liberatur à mortis diſcrimine.*
Vbi ſuæ magnitudinis fatigata pondere,
Inter Cœlum, terramque librata,
E' rupis vertice ruitura nutabat;
Niſi quò homines attrahere haud poterat,
Superos detraxiſſet in ſubſidium.
(Si tamen nutare poteſt domus illa, quæ centrum habet in Cęlo)
Sic in vitæ & montis apice, timoris oblitus, non pietatis,
Panem Vitæ adferri rogat, oculis ſaltem delibandum:
Sperans vel ad Cœlum conſcendere, vel in terram deſcendere.
Expugnauit Cœlum monti impoſitus innocens Gigas,
Et ſacro, quo initiata ferculo, ſeruatur Domus Auſtriaca.
Scit iam, cui aſtro Auſtrius gratias agat;
Et quale Palladium ſeruet *MAXIMILIANI* palatium,
Obuiat adhuc in æuum miraculi mirabilis Obeliſcus,
Et in Oenipontana rupe Chriſti patientis Coloſſus;
Quo in ruinoſo Capitolio Fides Auſtria triumphat.
1477. Prima trophæa Burgundiam ſuſpice, & Belgium
Cuius Leonem coniugij vinculo, XV. *Vxor.*
Et Mariæ Hymenæo Batauica catenauit *Maria*.
Hæc illi Argos, qua ex Colchis Vellus tranſcripſit aureum;
Prò hoc vellere ſæpè velificatus
1478. Reperit etiam inter Lilia Gallica ſibi lauros naſci. XVI. *Philippus filius felici omine natus.*
Eadem die *Philippus* naſcitur, *Maximilianus triumphat*.
Spectator filius paternæ victoriæ,
Vt vel naſcens, capita inimicorum confringeret.
Filiæ connubio hoſtes etiam deuinxit.
Tot inter victoriæ palmas XVII. *Maria vxor Maximil. quàm pudica.*
Filiam tamen amiſit, & coniugem.
Vtramque Amor rapuit
Eam coniugij; hanc pudoris.
Vulnus inter venandum acceptum
Mederi haud paſſa
Videre deſijt potiùs, quàm nuda videri.
Tanti Philos *Philippus* ſolus ſupererat, XVIII. *Libera cuſtodia detinetur Philippus.*
Sed & hunc viduo patri Cæca filium fortuna ſubduxit;
Vt Scipio Orbo deeſſet,
Quo Maieſtatem fulciret ruentem.
Iam Belgicus Leo frenum detrectabat Auſtriacum,
Et manum Dominam lacerabat;
1487. Dum filium quærit, ſeipſum perdidit *MAXIMILIANVS*, XIX. *A Brugenſibus detinetur Maximil.*
A Brugenſibus magis captus, quàm exceptus,
Ne maiora auderent, aſpectu terruit,
Facundia armatus, perfidos exarmauit,

Partem

XX. *Reos defēdit apud patrem ſuum.* Partem aſſumpſit criminis, *Sal. Ann.*
Cum defenſorem egit, quorum accuſatorem agere debuiſſet;
Et in Brugenſibus hortis papauera ſola decutiens,
Minoribus indulſit floribus.
Hinc à patre Auguſto in ſortem adoptatus imperij,
XXI. *Imperator coronatur.* Corona meruit *Magni Caroli* coronari;
Solum *MAXIMILIANI* caput poterat *Caroli* implere coronam
Terram, Sydus, Æthera, Pontum:
Germanus Salomon habuit in triumphum.
Principis liberalitatem imitata tellus,
XXII. *Initio Imperij argenti venæ reperta.* Argenti venas, quas dudum celauerat, cælandas aperuit.
Sapiens Dominaturus Aſtris
Othomanæ vel Centimanæ Lunæ cornua attriuit, 1493.
XXIII. *Victoria.* Semper victor, vbi pugnare licuit.
Fortuna ſingulis annis annuum victoriæ penſitante tributum.
Populorum, de quibus triumphauit, en Populus;
Galli, Turcæ, Eburones, Belgæ, Bataui, Sicambri,
Hungari, Morini, Veneti, Heluetij, Bohemi.
Vt victoriarum curru totam peragraret Europam,
XXIV. *Friderico & Maximiliano imperantibus, Columbus nouum orbem detegit.* Eoque imperante, cęperit Auſtria Orbi imperare Terrarum.
Paruit, vel parturit Neptunus ipſe,
Cum latentes in Oceano Mundos, non montes expoſuit,
Et Orbem in Orbe Aquilæ *Columba* monſtrauit.
Nunquàm defuere bella Cæſari, nunquam bellis Cæſar,
XXV. *Eius armorum terror.* Eo hoſtium terrore, & tremore,
Vt teſte *Ludouico XI.* Gallorum Auguſto Rege,
Ad *MAXIMILIANI* tympana tota contremiſceret Gallia.
Ipſius Fortunæ prouocator, contemptor, & victor,
XXVI. *Fortunam ſpernit.* Auguſto ſupercilio, veluti imaginariæ Deæ inſultauit ſepè.
Tenuit ne teneretur; Deſpexit, ne ſuſpiceret.
XXVII. *Liberalis.* Liberalis tamen quandoquè ipſas liguriuit victorias,
Et militaris ſtipendij defectu abortiere triumphi.
Quæſtorum queſtus, & gemitus, quòd *nimis prodigus*,
Puniebat, munera geminando.
Ferro, aiebat, *vincuntur hoſtes. Auro hoſtes, & hoſpites.*
Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ tres vno Reges congreſſu
XXVIII. *Viennæ.* Non excepiſſet, ſi minor fuiſſet. 1515.
Hæc veluti non ſuo ſanguine parta, Cœlo dicauit.
XXIX. *Maximil. pudor.* Cuſtodiendæ pietati comitem addidit *pudorem*
Cum neminem ſpectaſſet nudum, nec ſpectari voluit.
Venerabilem ſanè dicens Imperatorum purpuram,
Non quæ ſanie muricis fœdatur,
Sed quæ tingitur colore virtutis.
XXX. *Moriens pudenda cooperit.* Omnia moriens oblitus, præter pudicitiam,
Pudenda operuit, nè labes aperiret vel naturæ.
Religionem credens fęlicitatis illicium, calamitatis exilium,
Imperij poſthabuit impendium, ne hæreſis præualeret.
XXXI. *Sacerdotes honorat.* Fidei myſtas, & myſteria ita coluit,
Quòd obiens adſtare voluerit non ſtantes, ſed ſedentes.
Veri Iouis Aquila, cum tota cæcutiret Germania,

Ipſe

Sal. Ann. Ipſe ſolus vidit *Luthero* Cacodæmonem incubare.
Dei nomen ei ita Sanctum, vt nunquam vſurparet in vanum. XXXII. *Videt cacodæmonẽ incubare Luthero.*
In Sanctis ita mirabile,
Vt veritatem crederet, nonniſi in Eccleſia Sanctorum.
Energumenum *Lutheri* faſcino offendens Mundum, XXXIII. *Sanctos colit.*
Ad orationem & ieiunium prouocauit exemplo, XXXIV. *Ieiunat.*
1519. Hoc fretus viatico, Mortem contempſit,
Imo captiuam triennium in ſarcophago circumduxit. XXXV. *Sacrophagum circumducit.*
Laboribus tandem fractus, vel victorijs feſſus,
Cum felicitas in terra deeſſet; ſtetit, vt Cœlum intraret.
Et poſt imperij annum ſupra trigeſimum
Nepotibus legaret, quidquid complectitur axis.
Auſtriacaſque opes clauderent margine Cœli.
Eius pyramidi nemo audeat calamum admouere,
Nam ipſe capulo incidit.
A. E. I. O. V. XXXVI. *Symbolum.*

CATENA HISTORICA.

CAPVT TERTIVM.

1. *Maximiliani. I. Imper. natalia. 2. ſtatura. 3. loquendi difficultas linguarum peritus. 4. quæritur in præceptorem indoctum. 5. filij. 8. religio. 9. Sanctos colit, odit blaſphemos. 9. Dei nomen nõ aſſumit in vanum. 10. ieiunium ſeruat. Quadrageſimam diuidi cur peteret. 9. Xenodochia decem erigi mandat. 11. in parentes pius. 12. continentia. 2. laborum patiens. 2. ab Angelo eruitur ab imminenti vitę periculo. 13. idiomata callet. 14. & 2. & 16. poetice geſta ſua ſcribit. 15. 31. genealogias quęrit. 15. poetas honorat. 16. muſica delectatur. 17. militari diſciplina excellit. 19. ſacerdotes dum eſſet in mortis articulo, ſedere iubet. 20. & 217. moriens ſibi pudenda cooperit. 21. mendicum arrogantem placidè arguit. 22. conſtans. 23. aſpectu hoſtes terret. 24. ſymbolum eius. A. E. I. O. V. 25. manſuetus furta remittit militi. 27. furem ex aula feſtiuè remittit. 27. & 227. de ſe humiliter ſentiens, omnia Deo refert. 29. theſaurum paternum non tangit. 30. moram capſoris in ſoluendo punit, donum geminando. 31. à coquo patitur argui. 32. electio in Imperatorem, coronatio. 35. audit legatos Anglorum. 36. Turcas cædit. 37. lucro dotis illectus ducit in vxorem Blãcam Mariam Sfortiam. 47. comitia cogit Vvormatiæ. 48. legem fert in blaſphæmos, & alia. 49. Eberhardum Vvirtembergiæ Ducẽ creat. 51. fœdus init cum Venetis in Gallos. 58. Piſanis libertatem confirmat. 59. nouum fœdus cum Sfortia. 61. à Florentinis recuſatus in iudicem. 62. Piſas venit, Trituritam fruſtra obſidet. 68. bellum in Heluetios. 79. in Gallos arma parat. 83. in Venetos meditatur. 97. Bohemos cædit. 98. Geroltzeggum expugnat. 101. in Geldrium mouet. 108. mouet in Stephanum Vayuodam. 109. Venetos tentat in ſui partes trahere. 112. Germaniæ principes in Gallũ cõcitat. 113. in Italiam deſcendit. 114. Venetos habet infenſos. 115. diſſuadetur à Papa vlterius pergere. 115. in Belgium recedit. 116. inducias componit cum Venetis. 119. fœdus cum Gallo percutit Cameracenſe in Venetos. 130. Patauium obſidet. 139. comitia agit Auguſtæ, ad continuandum bellum in Venetos. 141. Hungaros in Venetos excitat. 144. grauamina vulgat in Papam. 152. alienatur à Gallis. 159. legem edit in ebrios. 162. fœdus facit cum Papa in Venetos. 180. colloquium cum Regibus Poloniæ, & Hungariæ. 181. ſponſam accipere renuit. 189. in Italiam deſcendit in Gallos, & Venetos. 190. Laudam occupat, Mediolanum obſidet.*

obſidet. 191. *ab Heluetijs deſeritur.* 197. *in Turcas bellum decernit.* 208. *de ſucceſſore cogitat.* 211. *Cacodæmonem Luthero videt incubantem.* 212. *ſibi mortē prædicit.* 213. *ſarcophagum ſecum fert.* 214. *morientis religio.* 215. *plangentes conſolatur.* 216. *pudicus.* 217. *locus ſepulturæ:* 218. *biduo eius cadauer exponitur.* 219. *epitaphia.* 220. *apophtegmata* 223. *medicum qui plures occidit præfert reliquis.* 224. & 28. *prodigus.* 226. *Venetorum vaſa confringit.* 163. & 180. 193. 212. 227. 100. 118. *ſymbola.*

4. *Mariæ vxoris Maximil. I. Imp. numiſma argenteum.*

5. *Iohannæ vxoris Philippi Regis Hiſpan. ſymbolum.*

5. *Leonoræ filiæ Philippi Hiſpan. Regis ſymbolum.*

5. *Iſabellæ filiæ Philippi Hiſp. Reg. ſymbolum.*

5. *Margaretæ filiæ Maximil. à Carolo Rege Fran. repudiatæ ſymbolum.*

5. *Mariæ filiæ Philippi Hiſpan. Regis ſymbolum.*

5. *Catharinæ filiæ Philippi Hiſpan. Regis ſymbolum.*

7. *Blancæ Mariæ Sfortiæ vxoris Maximil. Imper. effig. ſymbolum.* 151. *mors.*

15. *Fridericus III. Sapiens Elect. Saxoniæ. Accademiam inſtituit.*

6. *Annæ Britannæ vxoris Caroli VIII. Regis Galliæ ſymbolum.*

15. *Ioachimus Elect. Brandeb. Accademiam inſtituit.*

36. *Auſtriaci iure ſucceſſionis in regno Hungarico potiuntur.*

37. *Ferdinandi Arragonij Regis Neap. obitus, effigies, ſymbolum.*

37. *Alphonſi Regis Neapol. effigies, ſymbolum.* 45. *fugit in Siciliam.* 46. *moritur.*

38. *Iaſon Maynus laudat nuptias Maximil. Imper.*

38. *Carolus Geldrenſis, Brabantiam turbat.*

39. *Carolus VIII. Rex Gallorum mouet in Neapolitan.* 42. *Florentiam occupat.* 44. *Romæ admittitur, Papam adorat.* 46. *regno Neapol. potitur.* 6. *vxorem repudiat: aliam rapit.* 64. *moritur, effigies.*

40. *Iſabella Arragona vxor Io: Galeacij intercedit pro patre apud Carolū Regem Franciæ.*

39. *Ludou. Sfortia vnà cum Carolo Franciæ Rege in Neapol. mouet.* 41. *veneno nepotem perimit. Ducatum occupat. effigies.* 50. *in Gallos mollitur.* 55. *Dolo moratur fœderatorum victoriam in Gallos* 72. *fugit ad Cæſarem. Turcas excitat in Venetos.* 73. *Heluetios conducit.* 77. *Mediolanum recuperat.* 78. *ab Heluetijs proditur Gallis.*

39 *Hercules Eſtenſis ſtat in partibus Gallorum.* 37. *effigies.*

41. *Beatricis Duciſſę Mediol. effigies.*

42. *Petrus Medicæus ſtat in partibus Gallorum.* 37. *effigies.*

43. *Ferdinandus Dux Calabriæ Romam petit in ſuppetias Pontificis contra Gallos.* 45. *à Patre Alphonſo coronatur.* 46. *fugit arma Gallorum.* 56. *regnum recuperat.* 59. *plura oppida Venetis pignori dat.* 60. *moritur.* 42. *effigies, ſymbolum.*

52. *Philippi Argentoni Gallorum legati apud Venetos conſternatio, ob fœdus in Gallos percuſſum.*

54. *Franciſcus Gonzaga copiam fœderatorum ducit in Gallos.*

57. *Michael Vvolchenſtainius.*

57. *Ferdinandus Conſaluus arma gerit in Gallos prò Arragonijs.* 83. *Alphonſum filium Friderici Regis Neapol. capit. effigies; nummus.* 89. *fœderi a Philippo Auſtrio cum Gallis percuſſo ſtare renuit.* 90. *Neapolim capit.* 92. *Gallos pellit regno Neap.* 188. *mors.*

59. *Philippus Auſtriacus, ducit Ioannam Arragon.* 85. *Pariſijs honorificè acceptus,* 88. *pacem init cum Gallis.* 91. *Ferdinando Regi Hiſpaniarum ſuccenſet, quòd pacem fraudaret.* 101. *eius ſimultas cum ſocero Ferdinando.* 103. *naufragium patitur.* 104. *ſtatura, mores.* 105. *Hiſpaniarum regimen ſuſcipit* 110. *moritur, proles.* 60. *effigies ſymbol.*

59. *Sigiſmundus Auſtrius Tirolenſis obit.* 60. *effigies, ſymbolum.*

60. *Fridericus patruus Ferdinandi Arragon: Rex Neapol.* 82. *à Gallis capitur.* 83. *nummi, effigies.*

63. *Io: filius Ferdinandi Regis Hiſpaniarum moritur.*

63. *Io: Luſitaniæ Rex moritur.*

64. *Ludouicus Aurelianenſis Rex Gallorum ad regnum Neapol. aſpirat.* 70. *fœdus init*

cum

cum Helvetijs. 71. *fœdus cum Venetis, in Sfortiam.* 72. *Mediolano potitur.* 80. *fœdus cum Papa.* 81. *tentat ſibi Cæſarem conciliare.* 82. *Regnum Neapolitanum diuidit cum Ferdinando Rege Hiſpaniarum.* 107. *fœderi Auſtriaco renuntiat.* 111. *mouet in Ianuenſes.* 120. *bellum denuntiari mandat Venetis.* 143. *Concilium vrget in Iulium Papam.* 153. *eius ambitus.* 169. *fœdus cum Venetis in Cæſarem.* 178. *Sororem Regis Angliæ ducit in vxorem.* 179. *mors.* 73. *nummi honorarij, effigies, & nu.* 153.

66. *Eberhardus Vvirtembergicus ſe abdicat principatu.*

67. *Sabina neptis Maximil. Cæſaris nubit Vdalrico Duci Vvirtembergico.*

70. *Albertus Dux Saxoniæ nomine Cæſaris in Heluetios ducit.*

71. *Io:Franc. Seuerinas ductor copiarũ Sfortiæ.*

71. *Iacobus Triultius ductor Gallorũ in Sfortiã.* 184. *in Mediol. mouet.* 73. *nũmus honorarius.*

72. *Bartholomæi Liuiani ductoris Venetorum effigies.* 116. *Cæſareos vincit.* 175. *vincitur.* 184. *cauſa victoriæ Gallicæ.* 186. *mors.*

73. *Annæ vxoris Ludouici XII. Regis Gallorum effigies.*

74. *Aſcanius Sfortia Cardinalis Mediolanenſem ditionem recuperat.* 78. *capitur.* 84. *Cæſare intercedente ſoluitur.* 73. *effigies.*

75. *Carolus V. naſcitur.* 107. *Caſtellæ princeps dicitur.* 207. *Mauros vincit.* 208. *fratri cur in imperio prælatus.*

91. *Alex. VI. Papa veneno ſeipſum tollit.*

91. *Cæſar Borgia carceri datur.*

93. *Alberti Sapientis lis cum Ruperto Palatino.* 100. *mors, liberi.*

93. *Georgij Bauari mors.*

93. *Eliſabethæ Bauaræ lis cum Alberto, & Vvolfango.*

93. *Feudi incapax fœmina.*

95. *Rupertus Palatinus proſcribitur cum patre Philippo.* 99. *moritur.*

96. *Vdalricus Vvirtemberg. occupat ditionem Philippi Palatini.* 100. *Symbolum.*

96. *Guilielmus Haſſiæ irruit in Rupertum Palatinum.*

101. *Ferdinandus Rex Hiſpaniarum ſuſpectũ habet Philippum Auſtrium generum.* 102. *ducit Germanam Foſſeiam.* 105. *Philippo Hiſpanias cedit.* 106. *Conſaluum habet ſuſpectum.* 187. *mors.* 83. 59. *effigies, ſymbolũ.*

108. *Carolus Geldriæ Princeps cum Gallis conſpirat in Auſtrios.* 113. *Brabantiam diripit. nummi caſtrenſes.*

108. *Vladiſla: II. Regis Hungar.* 180. *cum Cæſare colloquium.*

109. *Ludouici. II. Regis Hungar. ortus.*

117. *Cameracenſe fœdus in Venetos.*

118. *Iulij. II. Papæ odium in Venetos.* 121. *Venetos excomunicat.* 138. *in Gallos meditatur.* 147. *Anglos, & Hiſpanos implorat in Gallos, & Cæſarem.* 118. 153. *ſymbola.* 148. *Concilium Lateranenſe vocat.* 150. *Boniam amittit.* 150. *fœdus facit cum Venetis & Hiſpanis.* 156. *Ludouico Gallorum Regi aqua & igni interdicit.* 167. *moritur.*

122. *Nicolaus Vrſinus Veneti exercitus ductor* 135. *mors, fides.* 118. *nummus.*

120. *Nicolai Lauretani Venetorum Principis nummus.*

122. *Georgius Cornelius Venetorum legatus.*

122. *Andreas Grittus Venetorum legatus.* 190. *Gallos firmat nutantes, ne Mediolanum deſerant.* 163. *effigies.*

126. *Alphonſi Ferrariæ Principis imago.* 153. *nummi caſtrenſes.*

123. *Veneti victores.* 124. *victi.* 125. *Dominio ſpoliantur terreſtri.* 126. *cedunt imperio terreſtri. pacem rogant.* 127. *Taruiſium retinent* 128. *arma reparant.* 129. *Patauium recuperant.* 131. *Turcarum reſpuunt auxilia.* 132. *Anglos excitant in Gallum.* 134. *infeliciter mouent in Ferrarienſem.* 135. *pacem fruſtra à Cæſare petunt.* 137. *Papæ reconciliantur.* 175. *ad Vicentiam.* 177. *Maranum amittunt.* 192. *Brixiam recuperant.* 193. *Veronam recipiunt.* 206. *induciæ cũ Cæſare.*

135. *Io:Maria Fregoſus copiarũ Venetarũ duct.*

139. *Franc. Vrbinas Mutinam capit.* 194. *ſua ditione ſpoliatur.* 195. *recuperat: ſymbola.*

143. *Mathæus Langius Ep. Gurcenſis Maximiliani legatus, honorificè ſuſceptus à Gallis.* 176. *donatur purpura.*

151. *Piſanũ Conciliũ.* 163. *à Cæſar. damnatur.*

154. *Gaſto Foiſſeius parta victoria occiditur. effigies.*

154. *Io: Cardin. Medicæus capitur à Gallis.*

163. *Maximil. Sfortię Ducis Mediolani ſymbola.* 185. *captiuus ducitur in Galliam.*

168. *Leo X. Papa fœdus init in Venetos.* 193. Du-

Ducem Vrbinatem Ducatu ſpoliat, ſymbola.
170. *Henricus VIII. Rex Anglorum in Gallos mouet.* 172. *vincit.* 184. *tentat reuocare Gallum ab Italica expeditione.* 173. *numus triumphalis.*
173. *Iacobi Regis Scotorum in prælio occiſi numus.*
179. *Franciſcus. I. Rex Galliæ fœdus renouat cum Venetis.* 182. *magiſtratus vendit.* 183. *Petrum Nauarrum è carcere ſoluit.* 184. *Heluetios vincit.* 185. *Mediolano potitur.* 192. *fœdus init cum Carolo. V.* 205. *decimas Eccleſiæ impetrat à Papa.* 206. *ducit filiam Regis Anglorum, & fœdus cum Carolo V.* 193. *ſymbola*, 185.
180. *Sigiſmundi Polon. Regis ſymbolum.*
191. *Caſimirus Brandeburgicus.*
193. *M. Antonij Colūnæ conſtantia. ſymbola.*
196. *Baiazetis ſymbola.*
196. *Selymi Turcarum tyranni facinora: ſymbola.* 203. *mors.*
196. *Thomumbey Soldani Egypti, effigiès.*
196. *Campſonis Soldani Egypti, effigiès.*
198. *Bellum in Turcas quomodò gerendum.*
201. *Vdalricus Huttonus bellum diſſuadet in Turcas.*
204. *Laurentius Medicæus Ducit Magdalenam Bononien.*
211. *Franciſci SicKingi nummus votiuus.*
220. *Virtutes Principi neceſſariæ.*

MAXIMILIANI GENESIS.

I. EX *Friderico III.* Imperatore, & *Eleonora* Portugaliæ Regis filia naſcitur *Maximilianus* Neapoli Auſtriæ, Anno Chriſti 1459. die Cœnæ Domini XXII. Martij; baptizatur die Paſchatis, XXV. Martij.

EDVCATIO, MORES.

II. *Maximil ſtatura.* INſignibus corporis, & animi dotibus prædítum ita *Cuſpianus* deſcribit. *Hic Imperator ſtaturæ fuit quadratæ, in qua Cæſarea Maieſtas reſplenduit.* Tanta erat in eo oris probitas, magnitudo eximia, in proſperis moderatio, in aduerſis conſtantia, vt inter triginta maximos Principes nemo non hunc *Maieſtas.* Imperatorem, antea etiam non viſum cognouiſſet. In congreſſu comis, ſermonem inter familiares ſalibus condiebat, neque aliorum in dicendo ægrè ferebat libertatem: Honeſtatis, grauitatis, ſanctimoniæ non ſimulatæ, temperantiæ, ſobrietatis, & caſtitatis vbique præbens exempla. Virtutes has exornabat inſigne oris decus, formæ ac ſtaturæ modus tantæ Maieſtati conueniens. Laborum patientiſſimus fuit, adeo vt in multam noctem crebrò ſcriberet, conſuleret, haſtis concurreret. Labores itineris, qui vel gregario militi exitiales eſſe potuiſſent, inuicto prorſus animo tolerauit: quando paucæ ſint in Germania vrbes, quas ipſe non adierit. Nullum habuit temporum, vel locorum diſcrimen. Niues, glacies, ſpreuit, modò prodeſſe poſſet: nonnumquàm tanta velocitate iter emenſus eſt, vt tabellario fuiſſet ſupra quàm ſatis. Venationum præter modum ſtudioſus, maxima ſubijt vitæ diſcrimina, Quæ ipſemet Germanicis rythmis complexus eſt. Cercuos, vrſos, apros ſuo gladio confecit. Sed eum non ſemel manus ſeruauit ſuperna. Cū per præruptas Oenipontanas rupes aliquando iuuenili ardore ibices inſequeretur, eò loci euaſit, vnde nec referre pedem, nec progredi vlterius poſſet. Stabat attonitus infelix princeps, temeritatem ſuam culpans, famis diræ longa tabe, vel violenta morte vitam ibi finiturus. Non funes ad eum portendi poterant, nec ſemita quæpiam lapicidarum labore menſtruo parari. Stabant gregatim hic inde comites lacrymantes. Ipſe iam noctes, atque dies integros duos in tam afflicto ſtatu cum iam permaneret, de vita beata cogitare cœpit. Appellat magna voce ſuos, iubet per ſacerdotes SS. Euchariſtiam adferri, & è viciniori loco ſibi monſtrari, vt quando corpus cibo reficere non daretur, ſaltem oculos immortali viatico recrearet. Satisfactum pio Principi. Luctus interea per vniuerſam prouinciam ſpargitur. Cumque ope deſtitutus humana, audit non procul à ſe ſtrepitum, circumſpicienſque videt arreptare per rupis coſtas iuuenem quendam ignotū, habitu ruſticum ingentia dimouere ſaxa, & callem parare. Qui cum ad ipſum acceſſiſſet, *Macte* (inquit) *animo Princeps viuit, & adeſt,*

qui

qui te ſeruare poteſt. Me ſequere. Ille Ducem ſequitur, paulò poſt in patentiore via poſitus, ſemet ex mortis faucibus videt ereptum. Poſtero die, cum læto patris edicto, Dux ille vbique terrarum quæreretur, nec diù quæſitus inueniretur, Angelum fuiſſe cuſtodem meritò credimus. Ad rei memoriam pius princeps ſemitam lapicidarum labore muniri, & in loco periculi imaginem Crucifixi poni curauit.

III. *Loquendi difficultas.* *Fridericus* cum *Maximilianum* filium bonis literis inſtituendum curaret, tanta difficultate is ab infantia verba pronuntiabat, vt pleriſquè per nouennium mutus iudicaretur. Sed quantoperè difficultas illa loquendi in pueritia fuit pleriſque moleſta, ita in perfecta eius ętate facundia omnibus etiam exteris fuit admirabilis, qui præter vernaculam linguam, *Latinè, Gallicè, Italicè* eleganter loquebatur. Præceptore vſus eſt primùm indocto, *Petro Engelberto*, cuius inſcitiam adoleſcentes faſtidientes, literas odere cæperunt. Nihilominùs tamen *Maximilianus* viuaci ingenio, & tenaci memoria contendit, vt eruditione, ſolertia, & alacritate cunctos ſuper ætatis in Orbe Chriſtiano Reges facile ſuperaret. Addit Iulius Scaliger: *Si eum dixero omnibus numeris præſtitiſſe reliquis Principibus, minus forſan dixero, quàm verum eſt.* Tradunt Scriptores, *Maximilianum* de ſuo indocto præceptore conqueri ſolitum fuiſſe: *Si hodie*, inquiens, *præceptor meus viueret, quanquàm multa præceptoribus debeamus, efficerem, vt inſtitutionis ſuę pœniteret.* Memoriæ tam tenacis fuit, vt cum aliquem ſecum loquentem ſemel vidiſſet, poſt longam temporis intercapedinem, denuò agnoſceret.

Linguarũ peritia. — *Sal. Ann. 1506.* — IV. *Magiſtrũ habet indoctum.* — *Memoriæ tenacis fuit.*

VXORES LIBERI.

DVas habuit. I. *Mariam* filiam *Caroli Bellicoſi* vel *Audacis* Ducis Burgundię; Venandi hæc ſtudio ægreſſa, ex equo ferociente deiecta, cum fracto fæmore omnem tractationem loci affecti per verecundiam effugeret, obijt. Vide *Mariæ* Auguſtæ numiſma argenteum, & ſymbolum *Aquilæ* partus ſuos Iudice Sole probantis *pag.* 158. *littera A.*

V. Suſcepit ex *Maria* prima coniuge *Maximilianus* Philippum qui ducta in vxorem *Iohanna* Regis *Ferdinandi* filia vniuerſam acquiſiuit Hiſpaniam. *Iohannæ* numiſma habes pag. 158. *littera B.* Obijt *Philippus* Sal. Anno 1506. Ætat. 28. Menſe III. die III. Granatæ prope Burgos, relictis ex coniuge *Iohanna* duobus filijs *Carolo* & *Ferdinando* (Hos videbis Imperatores) & filiabus quatuor, *Leonora* quæ fuit regina Portugalliæ & Franciæ, *Emanuelis*, & *Franciſci* Regum vxor.

Iſabella vxor *Chriſtierni* Regis Daniæ. C
Maria vxor *Ludouici* Hungar. Regis. D
Catharina nupſit *Ioanni* filio *Emanuelis* E
Regis Luſitaniæ. Vide ſymbola *p.* 158. *lit.* F

VI. Habuit etiam *Maximilianus* ex *Maria* coniuge *Margaretam*, quæ *infelix* dicitur *connubijs*. Nam *Carolo VIII.* Gallorum Regi deſponſata, & in aula Francica educata, cum adoleuiſſet, propter ius ſucceſſionis repudiata fuit à *Carolo*; Symbolum *Margaretæ* vide *pagin.* 158. *littera G.*

SECVNDA SPONSA MAXIMILIANI.

FVit *Anna* filia *Franciſci* Ducis Britanniæ, cum qua per *Vuolffgangum de Polhaym* Baronem Auſtriæ legatum ſuum, condormiuit, ſed non traduxit. *Carolus VIII.* namque Rex Franciæ violenter illam ſurripuit, remiſſa *Margareta* filia *Maximiliani*, quam priùs ſponſam aliquot annis habuerat. Hæc poſtea nupſit *Philiberto* Duci Sabaudiæ. *Annæ* numiſma vide *pag.* 158. *littera H.*

VXOR II. MAXIMILIANI.

VII. FVit *Maria Blanca* filia *Galeacij* Ducis Mediol. ex qua nullam tulit ſobolem. Numiſma vide *pagin.* 158. *littera I.*

MA-


MARIA·KARO·FIL·HERES·BVRGVND·BRABANTIÆ·MAXIMIL·IMPERAT·VXOR·
ROMANORVM·IMPERATRIX·
IVDICE·FVLVA·IOVIS·PHÆBO·HINC·NIHIL·FELICI·TALES·
LEONORA·REG·PORTVG·ET·FRANC·EMANVELLI·ET·FRANC·RE·VXOR·
HIS·SVFFVLTA·
IOANNA·REGINA·ARAGONVM·PHILIP·REGIS·VXOR·
MONETA·COMITATVS·BARCINO
1521·
ISABELLA·REGINA·DANIAE·CHRISTIERNI·VX·PHIL·HISP·REG·FIL·
OMNIA·FORTVNÆ·COMMITTO·
MARIA·REGINA·HVNG·BOH·Z·LVDOV·VXOR·PHIL·HISP·FIL·
HIS·DEVS·OCIA·FECIT
CATHARINA·REG·PORTV·IOANN·III·VX·PHILIPPI·HISPA·REG·FILIA
PVRCHE·MI·ADOMBRE·
MARGAR·CAROLI·VIII·REG·FRA·ET·PHIL·SABAVD·DV
SPOLIAT MORS
ANNA·SPONSA·MAX·IMP·FRANC·BRIT·DVCIS·FILIA
VNA·FVIT·
BLANCA·MARIA·MAXIMILIANI·I·IMP·VX·GAL·D·MED·F
ME·PROLE·ET·SCEPTRIS·IVNO

Sal. Ann. 1506. *MAXIMILIANI VIRTVTES.* Sal. Ann. 1506.

TAnta fuit Maximiliano *Religio*; & ita diuinis ſe accomodauit mandatis, vt Princeps, an homo priuatus eſſet, non facile
VIII. dijudicaſſes. Miſſæ ſingulis diebus intererat; tanta deuotione, tam animo recollecto, vt nil niſi Chriſti mortem, cuius myſteria in Miſſa tractari ſciebat, cogitaret. Quod militaribus fratribus S. Georgij id inter cętera præcipuum dedit ſtatutum, *vt quàm attentiſſimè ſingulis diebus diuinis intereſſent, nec quantum eis immineat negotium, ad alia quàm*
Sanctos colit. *diuina eo tempore illorum mens feratur*. D. Andream, Georgium, ac Leopoldum Auſtriæ quondàm ſacratiſſimum principem conſanguineum ſuum (quem inter Diuos referri curauit) piè veneratus, eorum geſta ſibi ſumpſerat in exemplar. Diuini nominis feruens
IX. *Blaſphæmos odit.* Zelator, nunquàm, nomen Dei aut Sanctorum aſſumpſit in vanum. Nullum paſſus blaſphemum etſi aliàs ſibi chariſſimus eſſet, ſeuerè corripuit. Rigidus Eccleſiaſtici ſeruator ieiunij, Chriſtianæ miſerabatur plebeculæ, cui neque ad victum cibus, nec alia
X. quæ ad ieiunium requirantur, in Germania, ac Septemtrionali plaga ſuppeterent neceſſaria. Inſtetit ob id apud Pontif. *Leonem X.* vt miſero miſertus popello, ne magis ieiunij
Petit quadrageſimam diuidi. præcepta, ruinæ ſint quàm ſalutis occaſio, Quadrageſimale in plures diuideret anni partes; cui minus aſſenſit Pontifex, ne occaſionem daret, alia pariter poſtulandi, quæ Eccleſiaſticã ſoluerent diſciplinam. Moriens
Xenodochia erigit. Xenodochia decẽ in pauperũ vſum conſtrui, atque ſuo ære prouideri vltimo iuſſit elogio.
XI. *Pietas* erga parentes; quos ita coluit; vt *Coriolani* erga *Veturiam* matrem: *Claudiæ* Veſtalis, erga *Cimonem* Athenienſem: & *Antigoni* Regis Macedonum erga parentes amorem aut æquarit, aut ſuperarit; vt monumenta teſtãtur, patri in Vienna Pannonię; matri in ciuitate Noua ab eo tantis ſumptibus conſtructa, vt annos ſupra viginti artifices opus ad finem perducere non potuerint.

Continentiæ tantæ fuit, vt nullo vmquàm tempore quiſquam audierit, ab ipſo nec ingenuas, ſed neque inferioris ſortis virgines pollutas. Matronarum thoros numquàm fœdauit; imò ſi quem adulterum notaſſet, ſemper toruis oculis aſpiciebat. Teſtantur eius puritatem decreta militaribus S. Georgij per eum tradita, quos inter cætera ad continentiam hortatur, planè demonſtrans quot inde mala, quanta infamia ex incontinentia proueniant.

Literarum Amor Maximilianum tenuit; XII.
& cum viris doctis vitam conſumpſit domeſticam. Sacra Doctrina ei erat in precio. XIII.
Arte Medica, Matheſi, Hiſtoria delectabatur. Viennenſem, & Heidelbergenſem ſua præſentia, & auſcultatione honeſtauit Academias. Ebraica, Græca, Latina idiomata, *Idiomata colet.*
quæ ſepulta iacebant, ſpe beneficij ſurrexerunt, vt totam Germaniam inundauerint. Ex Doctorum conſortio *Maximilianus*, docere didicit, & ad Scribendum animum appulit. Poeticum opus de ſuis periculis edidit: XIV. *Poetice ſcribit.*
in quo *Inuidiam*, & *Curioſitatem* comicas perſonas fingebat, quas *Ratione*, ac *Prudentia* proſtrauerit. Deinde egregium finxit opus, quod *Portam honoris* appellauit, virtutibus, ac picturis venuſtatum. Primus inter Germaniæ XV. *Genealogias quærit.*
Principes, Heroum genealogias indagauit, & toto in orbe quæſiuit. Prouinciarum annales, qui tineis abſumebantur, in lucem redierunt. Cæſaris exemplo reliqui excitati Principes, non minori deſiderio hiſtorias expetebant. *Fridericus* Saxo cognomento *Sapiens*, Elector Vvitebergæ ad Albim, A.C. 1502. & *Ioachimus* Elector Brandeburgicus ad Viadrum Francofurti, Academiam inſtituère. *Poetas* cum prædiligeret ſequens eis exarauit piuilegium. *Amor literarum in Friderico Saxone & Ioachimo Brandeburg.*

DE HONORE, ET PRIVILEGII POETARVM.

M*Aximilianus diuina fauente clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Auſtriæ: Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gelriæ: Lantgrauius Alſatiæ: Princeps Sueuiæ: Palatinus in Habſpurg, & Hannoniæ: Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goritiæ, Arthois, Hollandiæ, Selandiæ, Ferretis,*

in

Sal. Ann. 1509. *in Kiburg, Namurci, & Zurphaniæ: Marchio Sacri Romani Imperij, ad Anaſum, & Burgouiæ: Dominus Friſiæ, Marchiæ Sclauonicæ, Mechliniæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus tenore præſentium vniuerſis.*

1. Cum poſt ſuſceptũ diuino auſpicio Cæſareæ Maieſtatis titulum, officij noſtri inprimis duxerimus, ad ea ſingula animum intendere, quæ & Reipublicæ noſtræ decori & ornamento perpetuo fore arbitraremur, & nationem noſtram Germanicam ac domum Auſtriæ, ex qua orti ſumus, quantis poſſemus honoribus apud omnes gentes ad poſteritatem notas faceremus, id potiſſimum occurrit pro æternitate literarum neceſſarium in humanis rebus fore, vt populis & vrbibus noſtris Romanarum literarum Gymnaſia, laudato ordine & Romano more ſtatuerimus, vnde publicarum rerum moderatores ac rectores plurimum excellentes prodire, qui veterum rerum geſtarum lectione facti prudentiores, bene & beate viuendi rationes multa etiam experientia poſteris ſcripſere.

2. Directis itaque à nobis in noſtro Viennenſi Gymnaſio ciuilis Iuris lectionibus, cum Poetica & Oratoria arte nihil hactenus ibi inſtituerimus, decreuimus pro ipſius Vniuerſitatis noſtræ augmento Collegio Poetarum ibidem, priſcorum Imperatorum anteceſſorum noſtrorum more, erigere, abolitamque priſci ſeculi eloquentiam reſtituere. Itaque de hac re prouehenda, & imitanda duos in Poetica & Oratoria, duos vero in Mathematicis diſciplinis Eruditos, ad ipſum collegium deputamus: inter quos eum, quem pro tempore lectorem ordinarium in Poetica conſtituemus, volumus eidem collegio præeſſe, quem etiam præſentibus noſtris ipſius Collegij & lectionum Superintendentem facimus & creamus. Quo autem præfatum Collegium vberiori à nobis gratia & priuilegio decoretur, reſque ipſa fœlici gradu debitum ſumat incrementum, pro honore noſtro, & dignitate augendæ Viennenſis Vniuerſitatis, Cæſarea noſtra auctoritate, ac motu proprio, præfatum Collegium hoc præſenti priuilegio ac prærogatiua decoramus, vt quicunque in præfata noſtra Vniuerſitate Viennenſi in Oratoria & Poetica ſtuduerit, lauream que concupiuerit, is in prænominato Poetarum Collegio diligenter examinatus, ſi idoneus ad id munus ſuſcipiendum habitus & inuentus fuerit, per honorabilem fidelem nobis dilectum Conradum Celtem, Sal. Ann. 1509. *per genitorem noſtrum* Fridericum Tertium *diuinæ memoriæ primum inter Germanos Laureatum Poetam, & modo in Vniuerſitate noſtra Viennenſi Poetices ac Oratoriæ Lectorem Ordinarium, ac deinde per ſucceſſores eius, qui pro tempore Collegio præfuerint, laurea coronari poſſit. Sicque per eum & ſucceſſores eius Laureatus Poeta ab omnibus habeatur & celebretur: omnibuſque priu legijs & inſignibus, quibus cęteri Poetæ Laureati fruuntur, quomodolibet, conſuetudine vel de iure, vti & gaudere poſſit, ac ſi manibus noſtris ea dignitate fuiſſet inſignitus. Cuius rei tenore præſentium, damus, concedimus & impartimur noſtri Cæſarei iuris eidem legenti Poetæ ordinario, vt prædictum eſt, omnimodam auctoritatem, non obſtantibus quibuſcunque legibus, ſtatutis, conſuetudinibus, ordinationibus, aut alijs quibuſcunque in contrarium facientibus, reſeruato tamẽ nobis nihilominus iure Poetas coronãdi, quos idoneo duxerimus. Poteſtati enim noſtræ per hoc priuilegium nequaquam derogamus.*

3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ conceſſionis & ordinationis paginam infringere, aut ei quouis auſu temerario contraire. Si quis vero id attentare præſumpſerit, pœnam indignationis noſtræ grauiſſimæ, ac quinquaginta marcarum auri puri irremiſſibiliter ſe nouerit incurſurum: quarum medietatem Imperiali fiſco noſtro, ac reliquam partem præfato Collegio decernimus applicanda. Harum teſtimonio literarum, ſigilli noſtri conſueti appenſione munitarum. Datum in oppido noſtro Bozano, pridie Kalendas Nouembris, Anno Domini milleſimo primo: Regnorum noſtrorum, Romani ſexto decimo, Hungariæ vero duodecimo.

Scripſit *Maximilianus* patria lingua eadem manu, qua enſem tractauit, res proprias; *Iulium Cęſarem* imitatus. Operi titulum fecit, *Albus Rex*; quo omnia eius bella graphicè deſcribuntur. Sed opus reliquit imperfectum. *Muſica* chara illi fuit; vndè eius in curia veluti in fertiliſſimo agro muſici ſuccreuerunt. XVI. *Muſica delectatur.*

Militari diſciplina adeo excelluit, vt nemo ei ſuo tempore par fuerit: nedum ſuperauerit quiſquam, Extant adhuc diſciplinæ militaris documenta ab eo exarata.

ARTI-

Sal. Ann. 1508. ARTICVLI MILITARES DATI A MAXIMIL. Anno 1508. Sal. Ann. 1508.

1. Milites omnes & ſinguli è Catalogo primùm recenſeantur: deinde iureiurando a ſingulis præſtito firmentur, ex more militari priùs delectu habito.

2. Inprimis iurent Cæſareæ Maieſtatis damna cauturos ac prohibituros eſſe, eiuſque commoda & vtilitates ſeſe promoturos.

3. Secundò iurent illius Maieſtatis loco & nomine, illi Principi &c. tanquam ſuo præcipuo Commiſſario, ac Duci exercitus, obſequuturos ac miniſtraturos, atq; in omnibus parituros, ac nihil recuſaturos vel denegaturos ſeſe, ſiue in acie cum hoſte confligendum pugnandumue, & muros incurrendum ſit, aut vigilandum, vel in caſtris, vt decet, manendum, obedientiã præſtituros, ita vt par eſt æquumq; bonos rectoſque milites præſtare.

4. Tertiò iurent, quòd nullam profectionem in et aduerſus hoſtes detrectabunt vel recuſabunt: aut non diſcedant abſq; iuſſu vel mandato illius Principis etc. aut eius locumtenentis ſeu Legati.

5. Quartò iurent, quòd minoribus etiam Præfectis militum, ſeu Capitaneis, Signiferis atque Ductoribus obedire velint, in vigilijs obſeruandis & cuſtodiendis, in profectionibus, in caſtris, in ordinibus, in aciebus, nullo dempto, quodcumque ad rem militarem & honeſtatem ſpectet et pertineat, etiam ſi Capitaneus quiſpiam, Vexillifer, Anteſignanus, vel Ductor, aut alius miles minor aut maior, non ſub ſuo ſigno aut vexillo militans aliquid iuſſerit & præceperit, ei obſequatur, vt ſuo Capitaneo Signifero, & Ductori.

6. Quintò, iureiurando adfirmabunt, à ſigno vel vexillo ſe non diſceſſuros, ſiue in caſtris, ſiue in profectione, aut expeditione abſque ſupremi Capitanei permiſſione, ac venia ſalua inferioris quoque Præfecti, nemo item alium in locum ſuũ ſubponat ad vigilias ex ordine ad ipſum pertinentes, ſiue is grauis ſiue leuis armaturæ miles ſit, quin unuſquiſque ſuo loco & ordine ipſe vigilias ſeruet & expediat, niſi vehementer valetudine aduerſa præpediatur ac remoretur.

7. Sextò iurabũt, ne quis in caſtris bombardis vtatur, ac globos è pixidibus emittat, ſed extra caſtra: nec cãtu, nec clamore aut vociferatione in caſtris. Et ſi quis iſta ab alijs exaudiat aut videat, cum placidis verbis erudiat atq; emendet. Si verò non audiuerit, Domino militiæ atque exercitus, mediante ſuo præſtito iuramento, indicet atque denunciet.

8. Septimò iurare debent, ſi quem locum ille Princeps &c. & Dux deſignauerit, vt ilicò motu concitato ad ſignũ et vexillũ concurrãt. Quiſquis verò in ſua caſa aut domicilio perſtiterit, niſi ægrotus aut vulneratus eſſet, ab eo auferãt milites quicquid habet, ac ipsũ Dño militiæ tradant.

9. Octauò, iureiurando adſerent, ſi ille Princeps &c. oppida aut arces, territoria aut villas recipiet coactas incendij minis, aut alijs modis ſibi viſis, vt non obturbent eum, aut impediant verbis aut factis, ſed quicquid condixerit, non remorentur, quin obſeruent ipſi, medio illorum iuramento atque corporali pœna.

10. Nonò iurent, quòd ſi ille Princeps, &c. ciuitates, oppida aut arces, territoria ſeu villas deuicerit, aut prædæ ſubiecerit, quouis modo voluerit, vel communi prædæ vel cohortali denunciando aut ſubiiciendo ex ſuo arbitratu, ei pareant et obſecundent, ad maiora incõmoda et damna vitanda. Si quis etiam ſiue magnum ſiue paruum quicquam abſtulerit vel auexerit, ſine Principis permiſſione ac bona venia, ei auferetur quicquid habet, ac corporali pęna afficiatur atq; plectatur.

11. Decimò iuramento adfirment, nullas factiones aut conuenticula facere aut ſtruere velle, aut trummarũ verberatores ad hoc muſicæ genus ſonare, aut claſſica canere cogere ſiue compellere ſine Principis aut ſui Locumtenentis vel Aduocati permiſſione.

12. Vndecimò iurabunt, forum liberum tenere, & omnes commeatum ac victualia aduehentes tueri ac defendere, nec quid vendere ante caſtra, ſub pęna, iuramenti præſtiti & corporis afflictione.

13. Sic et iurabunt Eccleſias, Monaſteria, & ſacras ædes, ita ut ſũt, tueri et nõ lędere, nec dehoneſtare, niſi hoſtes ex illis ſe muniãt atq; defẽdãt.

14. Iurabunt quoque puerperas, viduas, pupillos, Sacerdotes, & alias honeſtas virgines, puellas, & matronas tutas & illæſas fore, ſub periurij & capitis pœna.

15. Item iurabunt, ſi quis audierit criminari Deum aut blaſphemare, aut Matrẽ eius, ut eũ deferant apud Principem militię aut Pręfectũ, & puniatur pro merito & condigna pœna.

16. Iurabunt item, ne compotent ſuprà quàm quiſque ferre ac tolerare poſſit; cùm per immoderatas compotationes, crapulam & ebrietatem plerique homines in contemptum, ignominiam,

Sal. Ann. 1508. *& negligentiam illabantur atque deueniant.*

17. Iurabunt etiam, quòd nemo illorum ex veteri liuore, odio aut ſimultatione, dum ſub Principe militent, quacunque occaſione factum fuerit aut contigerit, vindicet aut vlciſcatur, quin potiùs conquieſcat omni eo tempore, ac intercidat. Quòd ſi verò acciderit res cauſaque ſub Principis gubernatione, eam controuerſiam ſeu litem ſedabit ac componet ex æquo Princeps.

18. Iurent quoque, ſi manipulos, cohortes, partes, aut factiones viderint, vt pacem interponant ac iubeant: qui autem illam ſeruare noluerint, eos occidant abſque medio.

19. Item iurabunt, quemadmodum nunc iſto tempore apud Principem hunc militiæ cernunt & habent Capitaneos, Præfectos, Signiferos, & Ductores exiſtentes, eos vos non mutaturos eſſe, ſed eos Princeps militiæ conſtituendi ac deponendi habeat poteſtatem.

20. Cæterùm iurabunt, locum ſemper ſe daturos eſſe equitibus, vnà cum ſuis armis et equis, & vbicunq; commeatus victualia haberi poſſint, etiam apud hoſtes, neutiquam impedituros.

21. Iurent etiam ILLI Principi militiæ & exercitus, Primoribus & Capitaneis ius ſuum permiſſuros ac præbituros eſſe.

22. Item iurent quoque alios plures articulos non in ſpecie præſcriptos, & ad bonos milites pertinentes, ſe obſeruare velle, nullis exceptis.

23. Et ſi quiſquam in murorum concurſu, aut in pugna & conflictu cū hoſtibus retrocedere vel in fugam ſe dare vel vertere vellet, cū proximus quiſq; vi iuramenti præſtiti, confodat et occidat.

XVIII. Prælij, aut expeditionis tempus raro militi prædicebat, vt horis omnibus præſto eſſe, atque in medijs delicijs, ſi iuberentur, deſcendendum ſcirent in prælium.

XIX. *Obſequium erga Sacerdotes.* Hæc, dum viueret, ei conſuetudo fuit, vt nullū ex ſacerdotibus corā ſe ſtare, ſed ſēper prę modeſtia ſibi aſſidere fecerit. In vltima quoque hora mortis, dum ex clero multi ſibi adſtarēt, ſigno admonuit, nè circa ſe ſtarent, ſed potiùs ſederēt.

XX. *Verecundia* ita *Maximilianum* tenuit, vt nemo vnquàm ex cubicularijs eius viderit naturæ opera exercentem. Pauciſſimi medici vrinam eius, dum ægrotaret, viderunt. *Gregorio Carthuſienſi* confeſſori ſecretò præcepit, vt mox ſibi mortuo ſubligaculum indueretur, ne pudenda ſua poſt mortem quiſquam videret. Imo legitur in hora mortis, vltimique agonis, minimè pudicitiæ oblitus, panniculo, quem manibus tum forte moriens geſtabat, pudenda obtexiſſe. Sal. Ann. 1508.

Humanitas. Cum impudens quidam mēdicus *Maximilianum* fratris nomine de ſtipe compellaret, alludens ad locum illum Malachiæ, *Nunquid nō pater vnus omnium noſtrum?* Maximilianus hac eius proteruia non offenſus, ſtipem ei dari iuſſit. Mendicus verò ea non contentus, inſtabat, dictitans, *tantillum dare Imperatorium non eſſe:* humaniter tamen ei reſpondit Imperator: *Si fratres omnes tui tantumdem tibi darent, quantum ego tibi dedi, vtique diuitijs me ſuperares.* XXI. c.2.n.10.

Conſtantia. Cum legatos ſuos, *Annam* Britannam ſponſam deducturos, à *Carolo VIII.* Gallorum Rege, qui illam ſibi retinuit, remiſſos Oeniponti audijſſet; nullam penitùs ſignificationem doloris dedit, ex ſponſæ raptu, ſed eo ipſo die haſtiludio ſe exercuit. XXII.

Magnanimitas in Brugenſi enituit captiuitate, vbi quamuis indignè actus, ſummo ſtaret in vitę diſcrimine, magnitudinem animi, nec verbo polluit. Horrebant vultum eius hoſtes infeſtiſſimi: reuerebatur præſentem populus ſeditioſus: eaque de cauſa arctiſſimè concluſum, ad populi conſpectum raro admittebant. Fulgebat ex oculis eius maieſtas quædam, quæ rebellium conſcientias concutiebat. Omnia corporis lineamenta regalem dignitatem referebant. Habitus, inceſſus, ſermo, motus, hominum conciliabat affectus, vt in venerationem alliceret. Facit huc ſymbolum eius, quod ex quinque vocalibus conſtabat A.E.I.O.V. *Aquila Electa, Iuſtè Omnia Vincit:* quo denotabat magnam Imperialis Maieſtatis potentiam, & iuſtitiam. XXIII. XXIV. Smbolum.

Manſuetudo. Ciuitatem oppugnaturus in Belgio, inuitauit pridiè ad cœnam ſtrategos ſuos. Sedebat inter eos quidam Comes triſtis, & mæſtus. Interrogatus à *Maximiliano*, quare ſolus triſtaretur, cum cras pugnandum eſſet? Reſpondit, *quoniam euētus belli ſunt incerti; de animæ meæ ſalute ſollicitus ſum. Tria millia aureorum dibi debeo, nec rationem reddere poſſum. Quare oro, ut ingentem pecuniæ ſummā clementer indulgeas.* Maximil. admiratus primùm, inquit tandem. Se libenter ei remittere debitum, modò craſtino die ſe fortem XXV.

Sal. Ann. 1506. tem præberet in prælio. Tum Comes, *Domine Imperator, Maieſtas tua mihi præbibat, vt ſim certior de debiti remiſſione.* At Imperator. *Ne de mea erga te beneuolentia dubites, & me ex animo remittere ſcias, præbibo tibi bonum hauſtrum.*

XXVI. *Furem feſtiue ab aula remittit.* Sic cum Noribergæ honorarium ingredienti Cæſari ab vrbe offerri ſolitum, vas aurum refertum aureis traderetur, & in quadam tabula relictum eſſet, dum Cæſar cum familiaribus publica è feneſtra inſpicebat ſpectacula. Quidam ex aulicis ex poculo illo tot aureos clam ſurripuit, quot apprehendere in illa feſtinatione potuit, ratus neminem conſpicere. Verùm Cæſar, qui annulum in digito cum gemma, cui nomen *Phengites*, tenebat, omnia videret, etiam quæ à tergo gerebantur; actione peracta eum Cæſar vocauit, iubens tantundem accipere, quantum apprehendere manu poſſet. Ille conſcientia tepidus, perpaucos apprehendit. Mox Cæſar iuſſit illum eos numerare. Expectantibus autem reliquis, quare hoc fieret, & exiſtimantibus, inter ipſos donum hoc paulatim diuiſum iri, tandem ſubridens Imperator: *Deprome nunc* (inquit) & *reliquos aureos de loculis, quos antea ſurreptos ex hoc poculo furtim iis inieciſti, vt ſciam, vtrum nunc, vel antea cordatior in accipiendo fueris.* Tum confuſus, & velut ſorex ſuo deprehenſus iudicio, coactus fuit in conſpectu omnium ſubtractos aureos proferre, eoſq; numerare. Cumque horum maior ſumma eſſet, quàm eorum, quos antea abripuerat, *Tollas vtramque ſummam* (ait Cæſar) *habeaſque loco viatici: verùm caue, ne poſthac in conſpectum meum venias.* Ita cum ignominia dimiſſus. Sal. Ann. 1506.

Temperantia valetudinem ſeruauit vſquè ad vitæ periodum. Inter prandia rarò bibebat, in cœna vt plurimum ter. XXVII.

Modeſtia, & *Humiltas*. Maximilianus Oenipontum ingreſſus cum in curiæ lapide inciſa carmina idiomate offendiſſet Alemannico, quæ natalium irrideret nobilitatem, & pares omnes natura faceret; tantùm abeſt, vt hoc verſu ſe contemptum putaret, vt etiam agricolis ſe ſimilem profeſſus, omnem nobilitatem, qua nemini ſecundus erat, ſoli Deo acceptam ferret. In hunc modum ſubijciens

Par ego sũ reliquis, niſi quod mihi nomina magni
Cæſaris, & ſceptrum contulit ipſe Deus.

VITIA MAXIMILIANI.

XXVIII. Prodigalitatis (quæ in Principe iuuene magis quàm auaritia eſt vituperanda.) Plerique vitio *Maximilianum* notant. Ad eum iuuenem cum *Fridericus* pater initio noui anni legatos miſiſſet, per quos ipſi præcatus erat felix & fauſtum auſpicium noui anni: ſimulque patinam plenam pulcherrimorum pomorum, additis aureis Rhenenſibus XX. *Maximilianus* ſummâ cum reuerentia, accepto dono, diligenter mandauit miniſtris, dicens: *Non attingatis vos mihi hæc poma, quia mea ſunt, & mihi volo reſeruari:* Aureos verò proiecit inter ſocios. Hoc cum patri legati referrent, ingemuit *Fridericus* dicens, *ſatis ſcio*. Verèque præuidit *Maximilianũ*

XXIX. *Theſaurũ paternum reliquit immunẽ.* ſæpè penuria rei pecuniariæ res magnas proſperè inchoatas deſerturum. Numquàm tamen auream, argenteamque, & ex gemmis multis ſeculis congeſtam ſupellectilem à patre, & proauis, diſtrahere voluit, ſed integram in Noua ciuitate Auſtriæ nepotibus reliquit; qua viſa, *Ferdinandus* obſtupuit. Porrò tantæ liberalitatis fuit, vt hoſtes ipſi *prodigum* eum fuiſſe iocati fuerint. Religioſis domibus, vel priuatis perſonis munera dari iubens. Quæſtore negligentia, cunctante, vel odio abhorrente duplum dari iubebat; nonnumquàm triplum. XXX.

Curioſitate laborauit *Maximilianus* præcipuè in indaganda ſua genealogia (quam nugator quidam ex ipſa arca Noe perſuaſerat inueniſſe) tanto ſtudio, vt à nemine interpellari ſineret, ne à legatis quidem, qui de rebus magnis cum ipſo tractaturi venerant. Hanc vanitatem cum mirarentur omnes, & tacitè reprehenderent, ſed nemo reclamare auderet; coquus fuit (quem pro morione habebat) qui ſtudium hoc originis inueſtigandæ nec vtile, nec honorificum demonſtrauit. *Nunc enim tuam Maieſtatem colo* (inquit) *& te vt Deum aliquem veneror. Quod ſi ad arcam Noe veniendum eſt, illic futuri ſumus cognati: Nam illinc deſcendimus omnes.* Morionis dicto ſic commotus eſt Imperator, vt eum inſtituti puduerit; cum antea non amici, non ipſa imperij arcana eum reuocare potuiſſent. XXXI. *A coquo ad meliorem frugem reducitur.*

Sal. Ann. 1508. *IMPERII OCCVPATIO.* Sal. Ann. 1508.

EX Codice deducitur peruetuſto, quem iterum cudi curauit Freherus *Anno à natiuitate Saluatoris MCCCCLXXXVI. die Veneris, XX. Menſis Ianuarij, Glorioſiſſimus ac inuictiſſimus Princeps & Dominus, Dominus Fridericus tertius Romanum Imperator, ſuæque Maieſtatis vincus filius Maximilianus Archidux Auſtriæ, Burgundiæ Dux, Francfordiam ingreſſi ſunt.*

Affluxerant alij Principes, quorum nunc recenſebo nomina.

Archiepiſcopus Moguntinenſis,
Archiepiſcopus Treuirenſis,
Archiepiſcopus Colonienſis,
Philippus Dux Bauariæ, Comes Palatinus Rheni.
Erneſtus Dux Saxoniæ,
Albertus Marchio in Brandenburg.
Albertus Dux Saxoniæ.
Fridericus Dux Saxoniæ.
Ioannes Dux Saxoniæ.
Henricus Dux Brunſvvigenſis.
Ioannes Dux Bauariæ, Comes in Spanheim,
Rupertus Dux Bauariæ.
Caſpar Dux Bauariæ, Comes in Feldentz.
Carolus Dux Gelriæ.
Vvilhelmus Lantgrauius Haſſiæ, Comes in Katzenelnbogen & Dietz, & Comes in Zigenhayn.
Chriſtophorus Marchio de Baden.
Albertus Marchio de Baden.
Fridericus Marchio de Baden.
Abbas de Fulda Princeps.
Epiſcopus Bambergenſis.
Epiſcopus Auguſtenſis.
Epiſcopus Cameracenſis.
Epiſcopus Sibinicenſis.
Epiſcopus Vvormatienſis.
Epiſcopus Spirenſis.
Epiſcopus Eyſtetenſis.
Epiſcopus Tergeſtinus.
Epiſcopus Miſſenenſis.

Nunc quot & quos Princeps quilibet Comites Baroneſque FrancKfordiæ ſecum habuerit, ex ordine referemus. Ordiamurq; à Cæſarea Maieſtate, quæ infra deſcriptos habuit.

Albertum Marchionem de Baden.
Hugonem Comitem de Vverdenberg.
Abbatem de MilcK.
Abbatem de Admunde.
Sigiſmundum BroſchencK.
Sigiſmundum de Bappenheim.
Bertolinum de Starenberg.
Fridericum de Stubenberg.
Caſparem de Rogendorff.
Martinum de Eytzingen.
Iohannem de Vvolffſtein.
Domicellum de VvolKenſtein.
Dominum de Vtzendorff.
Iohannem de Zeltingen.
Chriſtophorum de Hohenfeldt.
Sigiſmundum Midderthorer.
Dominum de BernecK.
Dominum de Merſperg.

Incliti Maximiliani Romanorum Regis, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgũd.æ, curiales Principes, Comites & Barones enumeremus.

Chriſtophorus Marchio de Baden.
Epiſcopus Cameracenſis.
Epiſcopus Sibinicenſis.
Carolus Dux Gelriæ.
Adolphus Comes de Naſſavv, Marſchalcus.
Fridericus Comes de Hohenzollern,
Fridericus Comes de Bitſche.
Vvalrab Comes de Bitſche.
Comes de Bentheim.
Carolus Comes in Croy & Schymay.
Ludouicus de Emerey.
Martinus de Polheim.
Vvolffgangus de Polheim.
Bernardus de Polheim.
Vitus de VvolcKenſtein.
Georgius de VvolcKenſtein.
Cornelius de Bergen.
Fridericus de EgKmundet Iſelſtein.
Hugo de Melo, Dominus in Anthon.
Dominus de Lanney.
Carolus de Lalayn.
Ioannes de Leuan.
Philippus baſtardus de Burgundia.
Gerhardus de Buſy.
Gerlacus de Iſenberg.
Dominus de Barbenzon.
Arnoldus de Trazenis, Dominus in Army.
Dominus de Geth.
Dominus de Battenburg.

Vvalrab

Sal. Ann. 1508. *Vvalrab de Breyderade.*
Ludouicus de Baenſt.
Ditherus de Foſſe.
Florentius de Iſelſtein.
Dun Ladron de Portigal.
Dominus de ErcKentiel.
Dominus de Trap.
Dominus de Lichtenſtein.
Philippus de Areſſes, dominus curiæ.
Daniel de Herzele.
Progrediamur ad illuſtriſſimos ſacri Romani Imperij Electores.
Reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Bertoldus Archiepiſcopus Moguntinenſis ſacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius ac Princeps Elector, hos ſecum habuit Comites atque Barones.
Iohannem Abbatem Fuldenſem, ex familia Comitum de Henneberg natum.
Georgium commendatorem ordinis ſancti Iohannis, ex familia Comitum de Henneberg natum.
Ottonem Comitem in Henneberg.
Iohannem Comitem in Vvertheim.
Eraſmum Comitem in Vvertheim.
Sigiſmundum Comitem in Glichen.
Philippum Comitem in Naßauu.
Ludvvicum Comitem de Iſenberg, dominum in Budingen eiuſque duo filij.
Iohannem Comitem de Iſenberg, dominum in Budingen.
Philippum Comitem in RynecK.
Reinhardum Comitem in Rynech.
Philippum alium Comitem in RynecK.
Ad Reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Iohannem Archiepiſcopum Treuerenſ. ſacri Romani Imperij per Galliam et regnum Arelatenſe Archicancellarium ac Principem Electorem ſe calamus dirigat: Principeſque, Comites, Barones, qui ſuæ reuerendiſſimæ paternitati aderant, deſcribat. Fridericus Marchio in Baden.
Bernhardus Comes in Solms, dominus in Mintzenberg in Appermont: cum duobus filijs.
Emich Comes in Liningen & Dagſpurg.
Dominus Iohannes Comes in Naſſauu, & in Dietz.
Symon VvecKer Comes in ZueinbrucKen, Do. in Bitſch, & in Lichtenberg.
Iohannes de Seyne, Comes in Vvitgenſtein, & dominus in Homburg.
Ditherus Comes in Manderſcheyt, dominus in Sleiden. Sal. Ann. 1508.
Fridericus Comes in Vviede, dominus in Iſenburg.
Iohannes Comes in Manderſcheyt & Blanchenheim.
Bernhardus Comes in Liningen.
Iacobus Comes in Dune & Kirpurg, dominus in Salm.
Philippus Dominus in Berſtein & FalcKēſtein.
Vvinrich de Dune, dominus in FalcKenſtein & Oberſtein.
Vvilhelmus dominus in RuncKel & Iſenburg.
Iohannes Comes in Vviede, dominus in Iſenburg.
Ditherus Burggrauius in RynecK, dominus in Bruch & Tonnenberg.
Cuno dominus in Vvinnenberg & Bilſtein.
Reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, ſacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius & Elector infra nominatos ſecum habuit Comites, & Barones. Vvilhelmum Lantgrauium Haſſiæ, Comitem in Katzenelenbogen, Dietz & Zigenhain.
Gerhardum Comitem Rheni.
Vvilhelmum & Hupertum Comites in Nuvvenar.
Henricum Comitem in Naßavv, & dominum in Bilſtein.
Philippum Comitem in Firnberg.
Philippum Comitem in Solms.
Henricum Comitem in VvaldecK.
Comitem in Salm, dominum in Rifferſchit.
Vincentium Comitem in Morſſe.
Fridericum dominum in Zomeruff.
Vvilhelmum Dominum in Rennenberg.
Pergamus ad illuſtriſſimum Principem & Dominum, Dominum Philippum Bauariæ Ducem, Comitem Palatinum Rheni, ſacri Romani Imperij Archidapiferum, ſuæque curiæ Comites atque Barones, quos ſecum habuerat, deſignemus.
Caſpar Dux Bauariæ Comes in Feldentz.
Epiſcopus Spirenſis.
Epiſcopus Vvormacienſis.
Magiſter ordinis Teutunicorum.
Ludvvicus de Bauaria.

Iohannes

Sal. Ann. 1508.

Iohannes Rheni Comes.
Otto Comes in Solms. Bernharduſque eius filius.
Michael Comes in Vvertheym.
Henricus Comes in Bitſch.
Philippus Comes in Hanavv.
Gerhardus Comes in Seyne.
Hammo Comes in Liningen.
VvicKer Comes in Liningen.
Hugo Comes in Montfort.
Iohannes Comes in Montfort.
Craffto Comes in Hoenloch.
Conradus Comes in Thubingen.
Comes de Naßavv, Dominus in Bilſtein.
Vvolfgangus Comes in Furſtenberg.
Cuno Comes in Vveſterburg.
Bernhardus Comes in Vveſterburg.
Bernardus Comes in Eberſtein.
Bernardus alius Comes in Eberſtein.
Henricus Comes in Lupff.
Dominus Iohannes Ruvvegraue.
Melchior de Oberſtein.
Emich de Oberſtein.
Iohannes de Hohenfels, Dominus in RipelſsKirchen.
SchencK Chriſtophorus de Limpurg.
SchencK Fridericus de Limpurg.
SchencK Eraſmus de Erpach.
Dominus Iohannes de Schvvartzenberg.
Dominus de Sonnenberg.
Illuſtriſſimus Princeps & Dominus, Dominus Erneſtus Dux Saxoniæ Lantgrauius Thuringiæ, Marchio Miſſenæ, Sacri Romani Imperij Archimarſchalcus, ſubſcriptos curiales habuit Principes, Comites atque Barones.
Fridericum Ducem Saxoniæ.
Iohannem Ducem Saxoniæ.
Karulum Comitem in Glichen.
Iohannem Comitem in Hohenſtein.
Iohannem Comitem in Vverdenberg.
Comitem de Vvarnburg.
Brunonem Dominum in Querfort.
Duos Barones dictos Ruſſen de Plavven, Dominus in Gretz & Cranchfelt.
Procedant demum illuſtriſſimi Principis & Domini, Domini Alberti Marchionis in Brandenburg ſacri Romani Imperij Archicamerarij curiales Comites atque Barones.
Iodocus Comes in Hohenzollern.
Fridericus Comes in Zorn.
Ytelfricz Comes in Zorn.
Fridreicus Comes in Caſtel.
Georgius Comes de Caſtel.
Michael dominus in Schvvartzburg.
Sigiſmundus de Schvvartzburg.
Philippus de Vvinſperg ſacri Romani Imperij camerarius.
Chriſtoferus de Limperg, ſacri Romani Impeperij pincerna. Nunc ad cæterorum Principum curiales Comites atque Barones noſtra procedat deſcriptio.
Reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, Dominus Ioannes Archiepiſcop. Strigonienſis, adminiſtrator Archiepiſcopatus Saltzburgenſis, hos ſecum habuit Comites & dominos.
Iacobum de Hauvveſperg.
Vvolfgangum Ahaym.
Marcum de Hohenfelt.
Erneſtum de Braben.
Georgium de Ram.
Theoboldum de Steming.
Abbatem de Agram.
Reuerendus Princeps & dominus, dominus Epiſcopus Bambergenſis ſecum habuit, Bertoldum Comitem de Hennenberg, & Erneſtum de Hohenſtein.
Illuſtris Princeps & dominus, dominus Albertus Dux Saxoniæ, Lantgrauius Turingiæ, Marchio Miſſenæ, ſecum habuit Epiſcopum Miſſenenſem.
Henricum Comitem de Stalburg.
Adam Comitem in Bichlingen.
Brunonem Dominum in Querfort.
Illuſtris Princeps dominus Henricus Dux Brunſvvicenſis ſecum habuit Philippum Comitem in Vvaldeg.
Comitem in Gonſtorff.
Oratores aliorum Principum & Comitum.
Epiſcopus Verdunenſis, Orator Regis Franciæ.
Oratores Sigiſmundi Ducis Auſtriæ.
Epiſcopus Auguſtenſis, qui FrancKfordiæ obijt, dominus Vlricus Frenberg, dominus Georgius Abeſsberg.
Oratores Ducis Lotharingiæ, Philippus Comes in Liningen, itemque Nicolaus Comes in Sarvverden.
Oratores Georgij Ducis Bauariæ, videlicet dominus Sigiſmundus Leyminger, & quidam Doctor.

Sal. Ann. 1508.

Ora-

Sal. Ann. 1508.

Oratores Alberti Ducis Bauariæ, videlicet Doctor BircKheymer, & Sifridus Pauelſſdorfer.

Oratores Ducis Mediolani, ſc. Doct. Andreas SchencK cum aliÿs ſibi adiunctis.

Oratores Comitis de Vvirtenberg, Præpoſitus StocKhardenſis vtriuſque iuris Doctor, dominus Hermannus de Saſſenheim miles: Doctor Iohannes Reuchlin.

Præterea & Senatus ciuitatum & Oppidorum infra nominatorum ſuos ad tam celebrem conuentum miſere conſiliarios ſiue nuncios, Noriberga, Colonia Argentina, Vlma, Hal in Svvevia, Nurlingen, Metis, Hagenavv, Aquiſgranum, Magdeburg, Mechlin, Andorpia, Confluentia, Lucenburg.

Die Martis quarta decima menſis Februarÿ diuus Fridericus Romanorum Imperator ſedens in maieſtate in alto cunctiſque patenti ædificio, omnium Principum, Comitum atque Baronum, præterea innumerabili procerum ſtipatus caterua, magna interueniente ſolennitate, feuda regalia gratioſe conceſſit, primum Archiepiſcopo Moguntino; deinde Philippo Duci Bauariæ, Comiti Palatino Rheni: tum Henrico Duci Brunſvvicenſi: Et poſtremum Epiſcopo Vvormacienſi.

Ordo incedendi inter eundem ad Eccleſiam Sanct. Bartholomæi, inter Principes, Comites, Barones, milites quoque & militares ſeruatus.

Inter eundum ad Eccleſiam S. Bartholomæi hunc ordinem ſeruatum vidimus. Primum ingens nobilium, militum, oratorumque Principum ibat caterua. Subſequebantur ſtatim magno numero Barones & Comites. Tum complures. Heraldi, Deinde Principes non Electores, nonnulli Eccleſiaſtici, Seculares quoque ſcil. Marchiones Badenſis, Brunſvvicenſis, Gellerenſis, itemque Saxoniæ & Bauariæ Duces, Continuo Imperator & Principes Electores hoc ſucceſſerunt ordine, Primum ibat Philippus Bauariæ Dux Comes Palatinus Rheni, à dexteraque ſociatum habuit Maximilanum Auſtriæ Archiducem & Burgundiæ. Comitatur Epiſcopus Treuerenſis, inſequitur Erneſtus Saxoniæ Dux nudatum extenſumque gladium ante imperialem Maieſtatem ſuis geſtans manibus. E veſtigio diuus Imperator incedit, à dextraque per Moguntinum, à læua vero per Colonienſem Archiepiſcopos conducitur. Nouiſſimo loco Epiſcoporum, Comitum, atque Baronum multus ſequebatur numerus. Marchio vero Brandenburgenſis Princeps grandæuus, preſſuram veritus, ante alios in Eccleſiam ſeſe recepit.

Sal. Ann. 1508.

Veſtium, collariorum, & quorumcunque monilium, quibus pene omnes amicti ornatique erant, miram precioſitatem ſi verbis enarrare velim, dies vix ſufficeret.

Sub officio Miſſæ ſolemnis in Eccleſia S. Bartholomæi, pro inuocatione gratiæ Spiritus Sancti, Imp. Friderico III. in maieſtate ſedente, quo quiſque Principum, Comitum & Baronum ſteterit ſederitve loco.

Miſſam de Spiritu ſancto ſolemnem in ſummo altari celebrauit Epiſcopus Pauadenſis, vicarius in pontificalibus Archiepiſcopi Moguntinenſis.

Ad altaris latus meridionale, quo epiſtola legi ſolet, ſedilia pro Imperiali Maieſtate, Principibuſque Electoribus erant conſtructa. Verum reliquis eminentior Cæſarea ſedes, in qua Imperator regali diademate ac aliÿs imperialibus decoratus inſignÿs in Maieſtate ſedebat. A cuius dextera primum Archiepiſcopus Moguntinenſis; deinde Philippus Bauariæ Dux, Comes Palatinus Rheni: Poſtremum Maximilianus Archidux Auſtriæ, Burgundiæque Dux. A læua vero Archiepiſcopus Colonienſis primum. Deinde Erneſtus Dux Saxoniæ, poſtremumque Albertus Marchio in Brandenburg ſeſſiones ſuas habuere. Archiepiſcopus vero Treuerenſis nec ad dexteram nec ad læuam imperatoris declinans, ante altare recta contra faciem Imperialem propria ſede locatus erat. Principeſque Electores quilibet veſte patricia indutus ſederat.

Item ad idem latus chori ſteterant hoc ordine, Bambergenſis, Vvormacienſis, Eiſtatenſis, Spirenſis, & Miſſenenſis Epiſcopi: item magiſter ordinis Teutonicorum, Abbas Fuldenſis.

Latere vero chori ſeptentrionali, contra faciem Epiſcopi Bambergenſis ſtabat Epiſcopus Verdunenſis. Deinde Epiſcopus Cameracenſis. Ad idem Altaris latus, Albertus Saxoniæ, Caſpar Bauariæ, Henricus in BrunſvvigK, & Fridericus Saxoniæ Duces, Deinde Albertus & Chriſtophorus Marchiones Badenſes. Et item Iohannes Bauariæ, Iohannes Saxoniæ Duces. Et ſequenter Vvilhelmi Haſſiæ Lantgrauÿ, poſtremum

Sal. Ann. 1508. *ſtremum Principum oratores. Item Dux Geliræ ad Maximiliani, itemque Fridericus Marchio de Baden ad Archiepiſcopi Treuerenſis dorſa ſteterant. In tranſitu ad offerendum primum ibat Archiepiſcopus Treuerenſis, è veſtigio incedit Imperator à Moguntino & Colonienſi Archiepiſcopis conductus, deinde Philippus Bauariæ Dux Comes Palat. Rheni. Tum Erneſtus Saxoniæ Dux. Poſtea Albertus Marchio de Brandenburg, demumque Maximilianus Auſtriæ Archidux, vſq; ad altare ſucceſſerant, Verum Imperator primum, deinde Archiepiſcopus Treuerenſis, Poſteaque reliqui Principes Electores quiſque ſuo ordine Deo munus obtulit.*

Item dum inciperetur canticum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *SchencK Chriſtoferus de Limpurg Cæſareo capiti imperiale diadema excepit Item pomum Philippus de SelmicK imperij dapifer, Gladium vero & quidem verſus terram defixũ Sigiſmundus de Pappenheim marſchalcus, Sceptrum vero SchenK Phillippus de Vvinſpurg camerarius tenuit.*

Item ſumpto per celebrantem ſacrificio, Cæſareo capiti imperialis reddebatur corona: eueſtigioque Erneſtus Dux Saxoniæ gladium extenſum. Philippus Dux Bauariæ Comes Palatinus Rheni pomum, itaque Albertus Marchio in Brandenburg ſceptrum Cęſarea inſignia, in ſuas recepere manus.

Quo ſplendore, qua denique feſtiuitate, inclytus Rex electus in ſummo altari promoueri meruit atque exltari.

Exacto Miſſæ officio Principes Electores ſecundum tenorem aureæ bullæ iuraturi altare acceſſerant: quo facto Imperator Principeſque Electores conclaue ad eligendum Romanorum Regem ingrediuntur. Deinde facta omnium vnanimi conſenſu electione, eius rei teſtes vocantur quam plures Principes Comiteſque: eo peracto ex conclaui ad Maximilianum electum mittuntur Archiepiſcopus Colonienſis, Philippus Dux Bauariæ Comes Palatinus Rheni & Erneſtus Saxoniæ Dux: qui mutuo habito ſermone, demum præcedente Archiepiſcopo Colonienſi, Maximilianus medius inter Comitem Palatinum & Saxoniæ Ducem in conclaue introducitur, factaque aliqua in conclaui mora, demum per Moguntinum & Colonienſem Archiepiſcopos educitur alijs comitantibus Principibus, in altari exaltatur, canticum, Te Deum laudamus, *in organis à canonicis viciſſim magno decantatur tripudio, circa altare ad exaltati Regis latera Moguntinenſis & Colonienſis contraque eius faciem Treuerenſis Archiepiſcopi ſtabant.* Sal. Ann. 1508.

Imperialis maieſtas circa altare in ſede, iuxtaque eandem ſeculares Principes Electores locum tenuerant, finito cantico Georgius de Hell alias Peffer legum Doctor, Archiepiſcopi Moguntinenſis Cancellarius, ex Imperatoris Principumque Electorum ſpeciali commiſſione, electionem factam coram omnibus publicauit, mandans & præcipiens Regi electo ab omnibus obediendum eſſe.

Poſtremum quoque dum rediretur ab Eccleſia, quo ordine Principes, Comites, Barones, milites & militares inceſſerint.

His omnibus rite peractis, itur ab Eccleſia eo fere ordine quo ingreſſum factum ſuprarecenſuimus: ſolum quod Imperator, Maximilianus Rex electus Principeſque Electores partim mutato inceſſerant ordine. Nam poſt tranſitum ingentis cateruæ procerum, militum, oratorum, Baronum, Comitum atque Principum ſucceſſerat Archiepiſcopus Treuerenſis. Inſequuntur tres Principes Electores ſeculares, inſignia quiſque ſuum deferentes imperialia. Eueſtigio Imperator in Maieſtate, Maximilianuſque Rex electus à Moguntinenſi & Colonienſi Archiepiſcopis conducti inceſſerant, demum ſuccedentibus pluribus Epiſcopis, Comitibus & Baronibus.

Facta fuit hæc electio die Iouis, xvi. Menſis Februarij.

Die Sabbati xi. Menſis Martij, Illuſtriſſimus olim Princeps & dominus, dominus Albertus Marchio Brandenburgenſis Princeps Elector, in FrancKfordia ex humanis deceſſit. In eccleſia fratrum Prædicatorum, quo corpus defuncti erat delatum, Imperatore & Rege Romanorum, Principibus, Comitibus, Baronibus, nobilibuſque præſentibus, exequiæ ſolemnes celebrabantur. Quibus peractis effertur per Comites & milites funus extra Francfordiam. Procedunt fratres religioſi Ordinum mendicantiũ plures numero. Sequuntur funus Imperator, Romanor. Rex Principes, Comites, Barones, & alij proceres. Committitur naui volante flumine Mogoni tranſuehendũ in Marchionatus territorium. Cuius anima feliciter quieſcat in Domino.

CORO-

Sal. Ann. 1508.

CORONATIO MAXIMILIANI.

ANno Dñi Milleſimo CCCCLXXXVI. die XXVIII. Martij Inuictiſſimus & glorioſiſſimus Fridericus III. Imperator Romanorum ſemper Auguſtus, Maximilianus eiuſdem Friderici filius Rex Romanorum electus, ac Principes Electores, cum inſigni Principum, Comitum, Baronum, multorumque nobilium comitiua poſt memorati Romanor. Regis electionem adhuc in FrancKfordia perdurantium, nauigio Coloniam & Aquiſgranum verſus pro electi Regis coronatione iter arripientes, eo die Pinguiam attigerunt: vbi Romanorum Regi à dominis maioris Eccleſiæ Moguntinæ notabilis in vino & hauena propina eſt oblata.

Vigeſima nona die Martij de mane Imperialis Maieſtas vna cum Romanorum Rege, Duce Alberto Saxoniæ comitante, viſitauerunt Eccleſiam collegiatam Pinguenſem, audientes ibidem miſſam: qua finita intrauerunt naues ad deſcendendum: nautarum tamen conſilio ob venti mirabilem impetum ac multum periculoſum in loco perſiſtentes eodem die prandium in nauibus celebrarunt. Dominus vero Archiepiſcopus Moguntinenſis receſſit in naui ſua cum ſuis. Et prandio facto Albertus Dux Saxoniæ etiam iter arripuit: ſed parum longe proceſſit propter ventum: cæteris in Pinguia tota die relinqnentibus.

XXX. Die Martij de mane miſſa finita in Eccleſia Pinguenſi, Imperialis Maieſtas cum filio ſuo Rom. Rege Maximiliano intrauerunt naues, deſcendentes aquam. Ipſis venientibus in ciuitatem Remis, erat ibi dominus Archiepiſcopus Moguntinus, qui præceſſit. Ibidem Rom. Rege exeunte nauem, dominus Archiepiſcopus Moguntinus & Albertus Dux Saxoniæ eum duxerunt ſupra cathedram lapideam eleuatam, quæ vocatur ſedes Regis ſituata in campis extra muros ciuitatis Remenſis prope Rhenum, ſupra quam ſedebat Rex Romano Imperio præſtans iuramentum. Quendam de domo Ducis Sigiſmundi creauit militem: facta quoque per Archiepiſcopum Moguntinum relatione iterum ſe in naues receperunt, venientes illo ſero Andernacum.

XXXI. Die et vltima Martij Rex Romanor. acceſſit Imperialem M. & ſimul viſitauerunt ibi Eccleſiam fratrum minorum, audientes ibidem miſſam: qua finita iterum intrauerunt naues, & venerunt Coloniam circa horam quartam. Ipſis venientibus ad litus, aderat dominus Archiepiſcopus Colonienſis Princeps Elector in ſuperpellicio, cum omnibus Eccleſiis collegiatis & Monaſterijs proceſſionaliter, Dominus Archiepiſcopus Treuerenſis Princeps Elector, & Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector, recipientes Imperialem M. & Rom. Regem filium ſuum Maximilianum cum maximo honore & reuerentia, qua decuit, habentes duos pannos ſericos eleuatos in aere ad cooperiendum Imperialem Maieſtatem, & Regem Romanorum, ducentes eos proceſſionaliter, ad maiorem Eccleſiam ante tres Reges, oratione ac deuotione eorum ibidem facta & habita, intrauerunt chorum ad ſummum altare. Quibuſdam cerimonijs ibidem peractis, duxerunt Imperialem Maieſtatem ad locum palatij & hoſpitij ſui. Et Rege tranſeunte ad hoſpitium ſuum aſſociauerunt excellentiæ ſuæ cæteri Principes.

Poſt hoc venit Dominus Archiepiſcopus Moguntinus in nauigio ſuo.

Prima die Aprilis de mane Imperialis Maieſtas, Romanorum Rex cum cæteris principibus viſitauerunt maiorem Eccleſiam Colonienſem, audientes miſſam in ſummo altari. Qua finita duxerunt Imperialem Maieſtatem domum: & mox vnuſquiſque principum ad ſuum ſe tranſtulit hoſpitium. Et tunc venit Dominus Philippus Comes Palatinus Princeps Elector in nauigio ſuo: quem prandio facto Romanorum Rex viſitauit.

Item Ciuitas Colonienſis fecit Romanorum Regi propinam de vino & hauena & bobus, etiam clinodio argenteo cum certis aureis florenis.

Secunda die Aprilis Dominus Colonienſis & Treuerenſis venerunt ad Regem Romanorum: & poſt receſſum Domini Colonienſis Romanorum Rex vna cum Archiepiſcopo Treuerenſi intrauerunt Eccleſiam, audientes ibidem miſſam per cantores ſuos cantatam. Venit etiam ibidem Epiſcopus Verdunenſis orator Regis Franciæ: finita miſſa redierunt cum eorum nobilibus ad hoſpitia. Et Dominus Archiepiſcopus Treuerenſis manſit cum Rege in prandio: quo completo poſt receſſum Domi-

Sal. Ann. 1508. ni Treuerenſis, venerunt Conſules Electorum Principum ad Regem, habentes conſilium inuicem.

Tertia die Aprilis de mane Rex viſitauit Imperialem Maieſtatem, & ipſa recedente aſcendit Imperator currum ſuum, & cæteri Principes Electores cum eo in optimo ordine verſus oppidum Duren & Aquiſgranum.

De poſt facto prandio Rex Romanorum cum aliquibus de ſuis ſecutus eſt.

Item ante introitum Imperialis Maieſtatis in Duren, venit Dux Guliacenſis in optimo ordine in armis, cum ducentis equis in nigro veſtitis, recipiens Imperialem Maieſtatem cum Principibus Electoribus, introducendo eos faciens eis propinas debitas. Aliqui tamen Principes Electores tranſiuerunt vltra, ad euacuandum hoſpitia propter multitudinem aduenientium.

De poſt Dux Guliacenſis exiuit iterato obuiam Regi Romanorum, recipiens eundem cum honore & reuerentia introducendo ſuam celſitudinem, faciendo ibi propinas.

Quarta die miſſa finita aſcenderunt currum & equos eorum, veneruntque Aquiſgranum: ibi applicuerunt circa horam quartam de ſero. Ipſis venientibus circa ciuitatem erant ibi domini Ciuitatis recipientes Imperialem Maieſtatem & Romanorum Regem filium ſuum cum cæteris Principibus Electoribus multum gaudenter.

Item erat etiam ibi Dux Cleuenſis in optimo ordine eos Principes recipiens. Imperialis Maieſtas cum appropinquaret ciuitatem, exiuit currum, & aſcendit equum ſuum. Et Rege veniente cum aliis Principibus ad portam, erat ibi totus Clerus ciuitatis Aquenſis cum quatuor Ordinibus proceſſionaliter, cum crucibus, & capite ſancti Karoli Regis, quod per Canonicos ſeniores ferebatur, in quo erat corona ſua quam habuit in vita. Illis ſic viſis deſcendit Rex de equo, faciens reuerentiam ſancto Karolo, dando oſculum cruci. Credentia facta per vicedecanum Aquenſem, qui eandem portauit. Item Rege de equo deſcendente, erant ibi cuſtodes ante portarium ciuitatis, pro eorum iure equum Regis recipientes.

Item erat talis ordinario per Regem & alios Principes de introitu ciuitatis, & per Albertum Saxoniæ Ducem diſpoſita, quatenus equites communes & nobiles præcederent. De poſt venit Clerus cum reliquiis ſancti Karoli Regis. Sal. Ann. 1508.

Deinde Duces & Principes Electores. Primo Dux Cleuenſis in veſte aurea, penes eum Dux Guliacenſis cum Chriſtofero Marchione de Baden. Secundo Albertus Dux Saxoniæ cum Epiſcopo Strigonienſi, adminiſtratore Saltzburgenſi. Tertio Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector & Archimarſchalcus Imperii, deferens in manu ſua enſem nudum ſeu euaginatum ante Imperialem Maieſtatem. Penes eum Archiepiſcopus Treuerenſis, & Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector.

Item Imperialis Maieſtas ſola in ordine. Quarto Rex Romanorum in veſte aurea, & equo albo. Penes eum Archiepiſcopus Colonienſis in latere dextro, Dominus Archiepiſcopus Moguntinenſis in latere ſiniſtro: tranſeuntes iſto modo vſque ad Eccleſiam beatæ Mariæ Virginis.

Item poſt Romanorum Regem venit exercitus ſuus in rubeo veſtitus, in quo erat Epiſcopus Cameracenſis, Epiſcopus Sibinicenſis, Dux Gellerenſis. Poſt illos exercitus Archiepiſcopi Colonienſis ſimiliter in rubeo veſtitus cum lanceis & baliſtis bene armatis, in quo erat Vvilhelmus Lantgrauius Haſſiæ. Poſt hoc ambaſciatores Ducis Sigiſmundi, & aliorum Principum, cum multis nobilibus magno numero qui miſſi fuerant, &c. Atque in illo introitu iuerunt trini, hoc eſt tres & tres ſimul, & durauerat iſte introitus bene ad horam cum dimidia.

Item ab introitu ciuitatis vſque ad Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis, & per totam ciuitatem tres viri in equis proiecerunt pecunias cum manibus ad populum.

Item in porta Eccleſiæ deſcendit Rex Romanorum de equo ſuo, & Marſchalchus Guliacenſis accepit de iure equum ſuum, tanquam præfectus regni.

Item Vicedecanus cum ſeniori Canonico fecerunt ſuæ Excellentiæ interpretationem illorum duorum ſignorum ſtantium ante oſtium Eccleſiæ ſuper duo pilaria lapidea, quorum vnum eſt lupa, aliud linguæ multæ. Ad interpretationem ſiue ſignificationem,

Sal. Ann. 1508.

nem ; quatenus Rex debet eſſe defenſor regni quemadmodum lupa defendit ſuos iuuenes præ alijs animalibus. Etiam Rex debet præeſſe omnibus linguis. Qua finita intrauerunt Eccleſiam: ibi erat vnum paruum ſcamnum in medio, ſupra quod erat tenſus vnus pannus de veluto cum ſimilibus cuſſinis, in quibus Rex poſuit ſe ad genua, Imperator cum cæteris Electoribus & Principibus ſteterunt fundentes orationes eorum ante imaginem beatæ Virginis & Regis ſancti Karoli. Tempore medio cantabatur Te Deum laudamus, in organis. Quo finito Rex obtulit ad altare Beatæ Virginis Mariæ certas ſpecies auri.

Quibus cæremonijs completis aſſociauerunt Imperialem Maieſtatem ad hoſpitium. De poſt veniunt omnes Principes Electores cum Rege ad ſuam curiam: & ibi primum portabatur gladius nudus ante Regem per Erneſtum Ducem Saxoniæ Principem Electorem & Archimarſchalcum Imperij. Deinde vnuſquiſque ad ſuum ſe tranſtulit hoſpitium.

Quinta die Aprilis Romanorum Rex & cæteri Electores Principes viſitauerunt Imperialem Maieſtatem. Et prandio facto venit Rex ad domum Ciuitatis, ibi erant omnes Electores congregati habentes conſilium. Quo peracto fuerunt miſſi Archiepiſcopus Moguntinenſis, & Archiepiſcopus Colonienſis ad Eccleſiam, ad ordinandum & diſponendum requiſita pro coronatione Regis Romanorum, quæ nondum erant parata. Quare prolongata fuerat pro tunc coronatio vſque ad diem nonam Aprilis, tunc ſexta hora omnia erant parata pro coronatione Regis.

Item de domo ciuitatis Rex viſitauit Imperialem Maieſtatem. Ipſo ibidem exiſtente venit Magiſter curiæ Domini Colonienſis ſignificans Imperatori & Romanorum Regi prolongationem coronationis propter nullam diſpoſitionem factam. Et de poſt Rex redijt ſignificando ſuis eandem prolongationem.

Item ciuitas Aquenſis propinauit Regi ſex boues, ſex plauſtra vini, & totidem Imperatori.

Sexta die Aprilis de mane venit Dux Guliacenſis ad Regem, & de poſt ſimul viſitauerunt Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis, in qua erat Imperator cum cæteris Electoribus, ibidem miſſam audientes. Qua finita redierunt cum Imperiali Maieſtate ad ſuum hoſpitium, & vnuſquiſque ad ſuum locum. Sal. Ann. 1508.

Poſt prandium Rex iuit ad domum Ciuitatis: ibi erant omnes Electores habentes conſilium inſimul cum Rege Romanorum: & de poſt ad ſua ſe tranſtulerunt l ca.

Septima die Aprilis de mane Rex acceſſit iterum ad domum ciuitatis: ibi iterum venerunt cæteri Electores habentes ſimul conſilia.

Item finita miſſa per cantores Regis in Eccleſia cantata, acceſſit & Imperialis M. ad domum ciuitatis conſilium eorundem ineundo. Quo peracto Electores iuerunt pranſum. Cum Domino Colonienſi pranſus eſt Dominus Moguntinus, Comes Palatinus Rheni & Albertus Dux Saxoniæ.

Item poſt prandium Philippus Comes Palatinus viſitauit Regem: cæteri Electores iterato inierunt conſilium in domo ciuitatis.

Et Dominus Palatinus poſt receſſum à Rege ſimiliter acceſſit eos. Item Rex Romanorum habuit publicum conſiſtorium in ſua Curia cum Conſulibus Electorum & aliorum Principum. Ibi iudicialiter agebatur quædam cauſa ardua.

Octauo die Aprilis venerunt certi Electores ad Eccleſiam audientes miſſam ante Beatam Virginem: qua finita iuerunt in ſacriſtiam habentes conſilium. Venit ſimiliter Imperator etiam audiens miſſam cantatam de Domina noſtra. Qua finita exiuerunt Electores Principes ſimul ad Imperialem Maieſtatem & de poſt ſimul cum Cæſarea Maieſtate habuerunt conſilium. Rex interim manſit in ſua Curia.

Nona die Aprilis demane hora tertia ponebatur vnus integer bos in valore ſeptem florenorum Rhenenſium ad aſſandum, ante hoſpitium domini Regis, in quo erat vnus porcus, in porco vna auca & gallina ſimul aſſati, vt in coronatione Romanor. Regis moris & conſuetudinis eſt. Poſtea hora debita & determinata venit vnus nomine Regis ſcindens vnam peciam & partem illius bouis aſſati pro Rege. Quo facto omnes vtriuſque ſexus homines acceſſerunt, & dilacerabant illum bouem aſſatum cum gladijs & fuſtibus, tantum quantum poſſibile fuit ſumente vnoquoque. Tempore medio applicuit Dominus Iohannes de Horn, Epiſcopus

Sal. Ann. 1508. *pus Leodienſis , cum ducentis equis & vltra in ordine bene armatis , & omnes in habitu curialium Regis .*

Item ante palatium Regis Romanorum erat vnus fons in aere factus, in quo erat vna Aquila nigra habens arma Regis Romani , ex cuius pectore exiuit vinum Rhenenſe . In latere aquilæ dextro erat factus Leo aureus tenens banerium cum armis Brabantiæ , ex quo Leone ſimiliter exiuit vinum Rhenenſe . In latere vero ſiniſtro Aquilæ erat Leo niger cum armis Flandriæ, ſimili modo emittentes vinum Rhenenſe . Ibi erat maxima preſſura pauperum & aliorum hominum .

Item circa horam ſextam de mane venerunt Imperialis Maieſtas , Comes Palatinus Rheni Princeps Elector, Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector, Dux Cleuenſis, Albertus Dux Saxonia,Dux Guliacenſis ad Romanum Regem . Ipſis ibidem exiſtentibus induebant ſe illi duo Electores , quemadmodum ipſis tanquam Electoribus conuenit & eos decuit , tranſeuntes ad Eccleſiam iſto ordine . Nobiles præceſſerunt, de poſt Epiſcopi , poſt ipſos Albertus Dux Saxoniæ , Dux Guliacenſis , Dominus Cleuenſis, qui habuit vnam manicam cum perulis precioſiſſimam , in pileo ſuo vnum clinodium etiam cum perulis gemmis precioſis ornatum . Demum Imperialis Maieſtas in veſte aurea , cum torque precioſiſſima , habente eleuationes vndique cum vna Cruce precioſiſſima . Penes Imperatorem in latere dextro Rex Romanorum filius ſuus Maximilianus , cum mantello aureo foderato cum hermelinis pendens , ſuper humeros ſuæ celſitudinis vſque ad medium brachiorum ſuorum , cuius clauſura ante erat de perulis & gemmis precioſis . In capite eius habuit biretum aureum ſimili foderatura foderatum , verſum more Italico . Apud Imperialem Maieſtatem in latere ſiniſtro Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector in ſimili cappa & veſte de veluto rubeo , & magno birreto alto de ſcarlaca rubea ſubducta ſimili foderatura de hermelinis , Philippus Comes Palatinus Princeps Elector in latere dextro Regis ſimili modo veſtitus cum birreto de veluto rubeo : ſic ſimul intrantes Eccleſiam . In ambitu Eccleſiæ venerunt eis obuiam Principes Electores ſpirituales , ſcilicet Archiepiſcopus Colonienſis , Archiepiſcopus Moguntinenſis & Treuerenſis in Pontificalibus , cum mitris , & croceis ſeu Epiſcopalibus baculis eorum . Sal. Ann. 1508. *Etiam clerus cum crucibus, thuribulo , & textu Euangelij . Etiam quamplures alij Prælati , Epiſcopi , & Abbates in Pontificalibus eorum recipientes eoſdem Principes . In quorum receptione Archiepiſcopus Colonienſis tanquam celebraturus officium dixit :* Adiutorium noſtrum in nomine Domini , &c. Sit nomen Domini benedictum , *cum ſequenti collecta :* Omnipotens ſempiterne Deus,qui famulum tuum Maximilianum regni faſtigio dignatus es ſublimare , tribue ei quæſumus , vt ita in præſentis ſeculi curſu cunctorum communem ſalutem diſponat , quatenus à tuæ veritatis tramite non recedat. Per Dominum . *Qua collecta dicta Archiepiſcopus Moguntinenſis & Treuerenſis ſuſceperunt Regem Romanorum , vnus ex vno latere , alter eorum ex altero latere ducentes eum ad Eccleſiam. Et Archiepiſcopus Colonienſis præceſſit, & cum eo prædicta proceſſio cantantes vnam Antiphonam, ſcilicet:* Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat ſemper. Obſerua & audi vocem meam & inimicus ero inimicis tuis,& affligentes te affligam. Et præcedat te Angelus meus verſus Iſrahel , ſi me audieris . Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum,Ego enim Dominus. Obſerua & audi vocem meam.

Qua finita Rex proſtrauit ſe ſuper tapetum ad gradus altaris totus in longum , & Archiepiſcopus Colonienſis ſuper ipſum ſic proſtratum legit . Domine ſaluum fac Regem , *Aſſiſtentes reſpondebant :* Exaudi nos in die, in qua inuocauerimus te , *cum ſequenti collecta :* Deus qui ſcis genus humanum nulla virtute poſſe propria ſubſiſtere , concede propitius vt famulus tuus Maximilianus , quem populo tuo voluiſti præferri, ita tuo fulciatur adiutorio , quatenus quibus potuerit præeſſe , valeat & prodeſſe . Per Dominum noſtrum .

Alia Collecta .

Omnipotens ſempiterne Deus , cæleſtium, terreſtriumq; moderator,qui famulum tuum Maximilianum ad regni faſtigiũ dignatus es prouehere,cõcede quæſumus vt à cunctis aduerſitatibus liberatus , & Eccleſiaſticæ pacis dono muniatur & ad æternæ pacis gaudia peruenire te donante mereatur.Per Dominũ.

Poſt hoc Rex Romanorũ poſuit ſe in vna regia

ſede

Sal. Ann. 1508. *ſede ante altare Mariæ Virginis bene ornata. Et modicum retro in vno paruo ſcamno. In latere dextro Regis ſedebat Archiepiſcopus Moguntinenſis, in ſiniſtro latere Archiepiſcopus Treuerenſis. Et retro illos ſtabant Epiſcopus Strigonienſis, Dux Guliacenſis Albertus Dux Saxoniæ, Dux Cleuenſis, & Caſparus Dux Bauariæ Comes in Feldentz.*

Item in latere dextro altaris erat Imperialis Maieſtas in vna ſede alta trium graduum honorifice ornata. Penes eum in latere ſiniſtro erat Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector, & Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector. Et incontinenti incipiebatur miſſa ſolemnis de die Epiphaniæ Domini, ſcilicet: Ecce aduenit Dominator, Dominus, & regnum in manu eius,& poteſtas & imperium: *quæ cantabatur in cantu Gregoriano.*

Poſtea, ſurrexerunt Moguntinenſis & Treuerenſis, & ſuperiorem veſtem Regi depoſuerunt: & ab infra in veſtitu deaurato inceſſit in medio illorum, & ante altare proſtratus in modum crucis. Et cantabatur letania à duobus Clericis. De poſt Dominus Archiepiſcopus Colonienſis erexit ſe tenens baculum ſuum in manu ſua dixit: Vt hunc famulum tuum Maximilianum in Regem eligere digneris. *Reſponderunt Clerici:* Te rogamus, audi nos.

Item dominus Colonienſis dixit; vt eum benedicere, ſublimare, & conſecrare digneris. *Reſponderunt Clerici:* Te rogamus, audi nos. *Item Archiepiſcopus Colonienſis dixit:* Vt eum ad regni & imperij faſtigium feliciter producere digneris. *Reſponderunt Clerici:* Te rogamus, audi nos. *Deinde duo Clerici compleuerunt letaniam:* Vt Pontificem noſtrum. *Item letania finita erexit ſe Rex, & Dominus Archiepiſcopus Colonienſis ſtans ante altare, habens baculum paſtoralem in manu ſua, interrogauit à Rege ſex puncta ſequentia:* Vis ſanctam fidem Catholicis viris traditam tenere, & opibus iuſtis ſeruare? *Reſpondit Rex:* Volo. *Colonienſis:* Vis ſanctis Eccleſijs Eccleſiarumque miniſtris fidelis eſſe tutor & defenſor? *Reſpondit, Rex*, Volo. *Dominus Colonienſis:* Vis regnum tibi à Deo conceſſum ſecundum iuſtitiam prædeceſſorum tuorum regere & efficaciter defendere? *Reſpondet Rex: Volo. Epiſcop. Colonienſis:* Vis iura regni & imperij conſeruare, bonaque eiuſdem iniuſte diſperſa recuperare, & fideliter in vſus regni & imperij diſpenſare? *Reſpondet Rex:* Volo. *Epiſcopus Colonienſis:* Vis pauperum & diuitum, viduarum & orphanorum æquus eſſe iudex, & pius defenſor? *Reſpondet Rex:* Volo. *Epiſ. Colonienſis:* Vis ſanctiſſimo in Chriſto patri & domino Romano Pontifici, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectionem debitam & fidē reuerenter exhibere? *Quibus dictis Rex per Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuerenſem ductus eſt ad altare, & poſitis duobus digitis manus ſuæ dextræ ſuper altare dixit:* Volo. Et in quantum diuino fultus fuero adiutorio, & precibus fidelium Chriſtianorum adiutus valuero, omnia præmiſſa fideliter adimplebo. Sic me Deus adiuuet & omnes Sancti eius. *Hoc facto per Archiepiſcopos prædictos reducebatur iterum ante altare, & Dominus Archiepiſcopus Colonienſis ſtans ante altare cum baculo paſtorali, quæſiuit à Principibus Alemaniæ, & Clero & populo circumſtantibus:* Vultis tali Principi ac rectori vos ſubijcere, ipſiuſque regnum firmare, fide ſtabilire, atque iuſſionibus illius obtemperare? iuxta Apoſtolum, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ſiue Regi tanquam præcellenti, &c. *Ad quam quæſtionem dominus Moguntinenſis & Treuerenſis Principes Almaniæ, clerus & populus aſſiſtentes reſponderunt, dicentes:* Fiat, fiat, fiat. Sal. Ann. 1508.

Deinde adducunt Regem ad altare, qui proſtrauit ſe ad terram in longum, & dominus Archiepiſcopus Colonienſis dixit ſuper eum benedictionem iſtam. Benedic Domine hunc Regem noſtrum Maximilianum, qui regna omnia moderaris à ſeculo: & tali eum benedictione clarifica, vt Dauidicæ teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus vt in eius protinus reperiatur merito. Da ei tuo inſpiramine cum manſuetudine ita regere populum, ſicut Salomonem feciſti regnum obtinere pacificum, Tibi ſemper ſit cum honore ſubditus, tibique militet cum quiete, ſit tuo clypeo protectus cum proceribus, & vbique tua gratia victor exiſtat: honorifica eum præ cunctis Regibus gentium: felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adorent, viuat inter gentium cateruas magnanimus, ſit in iudicijs æquitatis ſingularis, locupletet

eum

Sal. Ann. 1508. eum tua prædiues dextera: frugiferam obtineat patriam, & eius liberis tribuas profutura, & præſta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus eius oriatur iuſtitia, à te robuſtum teneat regiminis ſolium, & cum iuſtitia & iucunditate æterno glorietur in regno.

Item dominus Archiepiſcopus Colonienſis adhuc ſuper eum dixit: Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperij, confirmator regni, qui ex vtero fidelis amici tui patriarchæ noſtri Abrahæ prælegiſti Reges ſæculi profuturos, Tu præſentem Regem hunc Maximilianum cum exercitu ſuo per interceſſionem Sanctorum vbere benedictione locupleta, & in ſolium regni firma ſtabilitate connecte, viſita eum ſicut Moyſem in mari rubro, Ioſue in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo, & illa benedictione eum conſidera, ac ſapientiæ rore perfunde, quam beatus Dauid in Pſalterio, Salomon filius eius te remunerante percepit de cœlo, ſis ei contra acies inimicorum lorica, in aduerſis galea, in proſperis patientia, in protectione clypeus ſempiternus: & præſta vt gentes illi teneant fidem, proceres ſui habeant pacem, diligat caritatem, abſtineat ſe à cupiditate, loquatur iuſtitiam, cuſtodiat veritatem, & ita populus iſte ſub eius imperio pullulet, ita alitus benedictione æternitatis, vt ſemper maneant tripudiantes & in pace victores. Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictione finita erexerunt Regem ad genua, & denudauerunt ſcapulas ſuas, & pectus & iuncturas brachiorum ſuorum: ſedit cum deuotione iunctis manibus, acceſſit Archiepiſcopus Colonienſis, vnxit eum in capite, in pectore, inter ſcapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa ſcapulas, de oleo catechumenorum, ita dicens: Pax tibi, *Clerus reſpondit:* Et cum Spiritu tuo. *Dominus Colonienſis iterum dixit:* Vngo te in Regem oleo ſanctificato, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. *Interim cantauerunt in choro:* Vnxerunt Salomonem Sadoch ſacerdos, *& Nathan Propheta* Regem in Geon, & procidentes læti dixerunt: Viuat Rex in æternum. *Poſtea Dominus Colonienſis vnxit palmas manuum Regis dicens:* Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetæ, & ſicut vnxit Samuel Dauid in Regem; vt ſis benedictus & conſtitutus Rex regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum & gubernandum, Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen. Sal. Ann. 1508.

Interea clerus iterum cantauit: Vnxit te Deus, &c. Factis vnctionibus iſtis *ſtatim ab Archiepiſcopis ducitur Rex ad ſacriſtiam, & ſeniores capituli detergentes cum lana mundiſſima loca inuncta vbi Dominus Colonienſis oleum ſacrum appoſuit.*

Item hoc facto domini de capitulo induebant eum ſandalijs, alba & ſtola in modum crucis in pectore, rediens ante altare, proſternens ſe in modum crucis. Tunc dominus Colonienſis dixit: Proſpice omnipotens Deus ſerenis obtutibus hunc glorioſum Regem Maximilianum, & ſicut benedixiſti Regem Abraham, Iſaac, & Iacob, ſic illum largis benedictionibus ſpiritualis gratiæ cum omni plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris, Tribue ei de rore cœli, & de pinguedine terræ, habundantiam frumenti, vini, olei, & omnium frugum opulentiam ex largitate diuini muneris longa per tempora, vt illo regnante ſit ſanitas corporis in patria, pax inuiolata regno, dignitas glorioſa regalis palatij maximo ſplendore regiæ poteſtatis oculis omnium fulgeat, luce clariſſima clareſcat, *quaſi ſplendidiſſima fulgura maximo* perfuſus lumine videatur: tribue ei omnipotens Deus, vt ſit fortiſſimus protector patriæ & conſolator Eccleſiarum atque cœnobiorum ſanctorum maxima cum pietate regalis munificentiæ, atque vt ſit fortiſſimus Regum, triumphator hoſtium, ad opprimendas rebelles paganaſque nationes, ſitque inimicis ſuis ſatis terribilis præ maxima fortitudine regalis potentiæ: optimatibus quoque atque præcelſis proceribus atque fidelibus ſui regni, ſit magnificus & amabilis & pius, vt ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per ſucceſſiones temporum futurorum egrediantur, regnumque hoc valeant regere totum & poſt glorioſa atque felicia tempora præſentis vitæ

gau-

Sal. Ann. 1508. gaudia æterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit, &c.

Adhuc alia collecta ſiue benedictio.

Spiritus ſancti gratia humilitatis noſtræ officio in te copioſa deſcendat, vt ſicut manibus noſtris indignis oleo materiali delibutus pingueſcis exterius, ita eius inuiſibili vnguento delibutus impinguari merearis interius, eiuſque ſpirituali vnctione perfectiſſime imbutus & illicita declinare, ac tota mente & ſpernere diſcas, ſi valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare atque operari queas, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo Patre & eodem Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula.

Adhuc alia benedictio Regis.

Deus qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, qui miſiſti filium tuum precioſiſſimo ſanguine ſuo genus humanum redimere, qui conteris bella & propugnator es in te ſperantium, & ſub cuius arbitrio omnium regnorum continetur poteſtas, te humiliter deprecamur, vt præſentem famulum tuum Maximilianum in tua miſericordia confidentem benedicas, eique propicius adeſſe digneris, vt qui tua expetit benedictione defendi, omnibus ſit hoſtibus fortior. Fac eum Domine beatum eſſe & victorem de inimicis ſuis: corona eum corona iuſtitiæ & pietatis, vt ex toto corde & tota mente in te credens tibi deſeruiat, ſanctamque tuam Eccleſiam defendat & ſublimet, populumque à te ſibi commiſſum iuſte regat, nullis inſidiantibus malis eum in iniuſtitiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ, per hoc vnctionis oleum, vnde vnxiſti ſacerdotes, Reges & Prophetas: quatenus iuſtitiam diligens, per tramitem iuſtitiæ populum ſimiliter ducens, poſt peracta à te diſpoſita in regali excellentia annorum curricula peruenire ad gaudia æterna mereatur. Per eundem, &c.

Quibus collectis ſiue benedictionibus dictis, cantabatur vna præfatio pulchra per dominum Archiepiſcopum Colonienſem, quæ ſequitur: Dominus vobiſcum, Surſum corda, Gratias agamus domino Deo noſtro, Vere dignum iuſtumque eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere domine ſancte Pater, omnipotens æternæ Deus, Creator omnium imperator angelorum, regnantium Rex, dominuſque dominantium, qui Abraham famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti, Moyſi & Ioſuæ populo prælatis multiplicem victoriam tribuiſti, humilemque Dauid puerum tuum regni faſtigio ſublimaſti, & Salomonem ſapientiæ paciſque munere ditaſti. Reſpice quæſo ad preces humilitatis noſtræ, & ſuper hunc famulum tuum Maximilianum, quem ſupplici deuotione in Regem elegimus, benedictionum dona in eo multiplica, eumque dextra tuæ potentiæ ſemper & vbique circunda, quatenus prædicti Abrahæ fide fideliter firmatus, Moyſe manſuetudine fretus, Ioſuæ fortitudine munitus, Dauid humilitate exaltatus, Salomonis ſapientia decoratus, tibique in omnibus placeat, & per tramitem iuſtitiæ ſemper incedat, Eccleſiam tuam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat & inſtruat, contraque omnes viſibiles & inuiſibiles hoſtes eandem potenter regaliterque tuæ virtutis regimine adminiſtret, & ad veræ fidei pacis concordiam eorum animos te opitulante reformet, vt horum populorum debita ſubiectione fultus, cum digno amore glorificatus ad paternum decenter ſolium tua miſeratione conſcendere mereatur, tuæque protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili iugiter protectus, armiſque cœleſtibus circumdatus, optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus letanter reportet, per dominum noſtrum qui virtute ſanctæ crucis tartarum deſtruxit, regnoque Diaboli ſuperato victor ad cœlos aſcendit; in quo poteſtas omnis Regum conſiſtit & victoria: qui eſt gloria humilium, & vita ſaluſque populorum. Qui tecum viuit, &c.

Adhuc alia Præfactio.

Deus Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre oleo exultationis vnctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacræ vnctionis infuſionem *Spiritus* paracleti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eandemque vſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili ac tractabili dona inuiſibilia percipere, & temporali

porali

Sal. Ann. 1508. porali regno iuſtis moderaminibus executo, æternaliter cum eo regnare merearis, qui ſolus ſine principio Regum Rex viuit, regnat, & gloriatur cum Deo Patre in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum.

Quibus præfationibus finitis, Dominus Rex Romanorum induebatur vna cappa per Archiepiſcopos Moguntinenſem, Treuirenſem, & Colonienſem, tradentes ſibi ſimul gladium nudum Sancti Caroli, Archiepiſcopo Colonienſi dicente: Accipe gladium per manus Epiſcoporum, licet indignas, vice tamen & auctoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratas, tibi regaliter impoſitum, noſtræque benedictionis officio in defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ diuinitus ordinatum. Et eſto memor de quo Pſalmiſta prophetauit, dicens. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, vt in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, iniquitatis violentiam potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam eiuſque fideles propugnes ac protegas, nec minus ſub fide falſos quam Chriſtiani nominis hoſtes execres ac deſtruas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata ſerues, vlciſcaris iniuſta, firmes bene diſpoſita: Quatenus hæc in agendo virtutum triumpho glorioſus iuſtitiæque cultu egregius, cum mundi Saluatore (cuius typum geris) in nomine eius ſine fine merearis regnare. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus, &c.

Quibus dictis poſuerunt gladium nudum in vaginam, & cinxerunt Regem eodem gladio. Et Archiepiſcopus Colonienſis tradidit ſibi armillas, pallium & anulum, dicens: Accipe regiæ dignitatis anulum, & per hunc Catholicæ fidei cognoſce ſignaculum, & vt hodie ordinaris caput & princeps regni & populi, ita perſeuerabilis auctor ac ſtabilitor Chriſtianitatis & Chriſtianæ fidei fias, vt felix in opere cum Rege Regum glorieris per eum, cuius eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Quibus dictis Dominus Colonienſis tradidit ſibi ſceptrum & pomum regale, dicens: Accipe virgam Virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapſiſque manum porrigere, diſperdaſque ſuperbos, & releues humiles: & aperiat tibi oſtium Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ſeipſo ait. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Et ipſe eſt, qui eſt clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrahel, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sitque tuus ductor, qui educit vinctum de domo carceris ſedentem in tenebris & vmbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo Propheta Dauid cecinit. Sedes tua in ſæculum ſæculi: virga æquitatis, virga regni tui, & imitando ipſum diligas iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem. Quod propterea vnxit te Deus tuus ad exemplum illius, quem ante ſæcula vnxerat oleo exultationis præ participibus ſuis. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Sal. Ann. 1508.

His finitis Colonienſis, Moguntinenſis & Treuirenſis Archiepiſcopi, omnes tres ſimul impoſuerint Regi coronam Sancti Caroli ſuper caput eius, pariter dicentes: Accipe coronam Regiam ac regni, quæ licet ab indignis Epiſcoporum manibus capiti tuo imponitur, quanque ſanctitatis gloriam & opus fortitudinis expreſſe ſignare intelligas, & per hanc te principem miniſterij noſtri non ignoras. Ita vt ſicut nos in interioribus paſtores & animarum rectores intelligimur, ita & tu in exterioribus verus Dei cultor ſtrenuuſque contra omnes aduerſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor regnique tibi à Deo dati exiſtas, & per officium noſtræ benedictionis vice Apoſtolorum omniumque Sanctorum ſuffragio, tuo regimini commiſſi vtilis executor, regnatorque proficuus ſemper appareas, vt inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum Redemptore ac Saluatore Domino noſtro Ieſu Chriſto, cuius nomen vicemque geſtare crederis, ſine fine glorieris. Qui viuit & imperat Deus cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. *Omnibus hijs dictis ductus eſt Rex ad altare per Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuirenſem. Ibi ponens ambas manus ſuper altare, faciens hanc profeſſionem in vulgari:* Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius amodo & deinceps legem & iuſtitiam, pacemque ſanctæ Dei Ecclesiæ

Sal. Ann. 1508. cleſiæ ſeruare, populoque mihi ſubiecto prodeſſe & iuſtitiam facere, & conſeruare iura regni, ſaluo condigno diuinæ miſericordiæ reſpectu, ſicut cũ conſilio principum & fideliũ regni atq; meorum melius inuenire potero. Sanctiſſimo Romano Pontifici & Eccleſiæ Romanæ, cęteriſque Pontificibus & Eccleſijs Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus Eccleſijs ſeu Eccleſiaſticis perſonis collata ſunt & erogata, inuiolabiliter ipſis conſeruabo & faciã conſeruari, Abbatibus & ordinibus vaſallis regni, honorẽ cõgruũ volo portare & exhibere, Dño noſtro Ieſu Chriſto mihi pręſtante auxiliũ, fortitudinẽ & decorẽ.

Qua profeſſione facta ductus eſt Rex per Dominos Archiepiſcopos Moguntinenſem & Treuirenſem ad ſolium ſuum ſeu ſedem regiam, quę eſt ſuperius ſuper altum monaſterium ante altare Apoſtolorum Simonis & Iudæ, Clero cantante Reſponſorium iſtud:

Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. *Verſus.* Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo, *Et voluntate, Et Dominus Archiepiſc. Colonienſis ſequebatur cum ſuis miniſtris Regem cum cæteris Principibus, ponentes eum ad eandem ſedem regiam ſancti Caroli lapideã, Ibi Dominus Colonienſis dixit:* Ita retine amodo locum regium, quem nõ iure hęreditario neq; paterna ſucceſſione, ſed Principum ſeu electorũ in regno Almanię tibi noſcas delegatũ, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis & traditionem noſtrã præſẽtem, & omnium Epiſcoporum cæterorumq; ſeruorum Dei. Et quãto clerum ſacris altaribus propinquiorẽ proſpicis, tanto ei potiorem in locis cõgruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominũ te mediatorem cleri & plebis in hoc regni ſolio cõſeruet, & in regno æterno ſecũ regnare faciat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Rex regum & Dñs dominantium. Qui cum Deo Patre & Spiritu ſãcto viuit & regnat Deo &c.

Rege ſic in ſede regia ſedente, mox acceſſerũt qui ad militiam creari deſiderauerant, quando gladium Sancti Caroli extraxit Rex tenens in manu ſua: Et acceſſit primo Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector Imperij: Deinde Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector Imperij. De poſt Dux Guliacẽſis: Caſparus Dux Bauariæ Comes in Feldentz, Carolus Dux Geldriæ, Marchio de Baden, Vvilhelmus Lãgrauius Haſſiæ in Caſſel, Vvilhelmus de Egmund cum quampluribus alijs in numero ducentorum et vltra, facti milites, Et factus eſt ſonus tubarum. Deinde deſcenderunt inferius in locum priſtinũ chori: ibi cantauerunt, Te Deum laudamus. *Quo finito legebatur Euangelium,* Cum natus eſſet, *etc. De poſt* Credo in Deum, *Offert.* Reges Tarſis, *&c. Deinde Rex Romanorum ſceptrum in manu ſua portans ibat ad offertorium offerens quam plures petias auri.* Sal. Ann. 1508.

Deinde ibant Archiepiſcopus Moguntinenſis & Treuirenſis, & poſtea alij Principes Electores. Sic proceſſus fuit in miſſa vſq; ad pacem: ibi Dominus Archiepiſcopus Colonienſis vertit ſe verſus populum, dando Regi & cæteris Principibus benedictionem, dicens: Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatq; te, & ſicut te voluit ſuper populum ſuum eſſe Regem, ita in præſenti ſeculo felicem & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortẽ. *Reſponderunt* Amen. *Item miſſa finita vocatus fuit Comes de Chymay, & factus eſt per Imperatorem Princeps de Chymay.*

Item venerunt capitulares Eccleſiæ Aquenſis recipientes Regem Romanorum in Canonicum: qui ipſis præſtitit iuramentum quoad præbendam hanc in eadem Eccleſia. Et dederunt ſibi locum in choro. Ipſe etiam dedit ſtatuta, & vinum admiſſionis, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, Et habet duos vicarios in loco, qui capiunt integram præbendam & ſupplent locum ſuum in Eccleſia. Sic coronatio Regis finem habet.

Proceſſus ex Eccleſia, ad domum Ciuitatis.

Iſtis ſic peractis exiuerunt Eccleſiam ad locum prandij ſcilicet domum ciuitatis paratum iſto ordine. Nobiles præceſſerunt. Poſtea Comites & Barones in magna multitudine. Deinde tubicinatores & heraldi. Poſtea Prælati, Epiſcopi & Principes. Deinde Electores Imperij. Primo Dominus Archiepiſcopus Treuerenſis, ſecundo Erneſtus Dux Saxoniæ cum gladio nudo ante Regem, in latere eius dextro Philippus Comes Palatinus cum pomo aureo, in ſiniſtro latere electus Auguſtenſis habens penes ſe vnum deferens ſceptrum loco Marchionis de Brandenburg, qui obijt. Tunc Rom. Rex cum corona regia & cappa, habens gladium in femore & coronam in capite, in cuius latere dextro Dominus Archiepiſcopus Colonienſis, in ſiniſtro Archiepiſcopus

Sal. Ann. 1508. pus Moguntinenſis, cum eorum veſtimentis, prout eis tanquam Electoribus conuenit & decens erat, Imperialis Maieſtas cum ſua corona et cappa Imperiali et ſuo heraldo.

Item in itinere tranſeundo vſque ad domum ciuitatis nomine Regis ſeminabatur vel proijciebatur ad populum pecunia, floreni ſcilicet Rhenenſes, & moneta argentea, in valore trecentorum florenorum. Et populus magis ſequebatur pecuniam quam Regem.

Ipſis ſic exiſtentibus ſuper domum ciuitatis, in qua Rex fecit parari magnum conuiuium omnibus Principibus. Et deſcendit Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector & Sacri Rom. Imperij Archimarſchalcus, aſcendens equum, veniens ad magnum cumulum hauenæ poſitum in foro ante domum ciuitatis Aquenſis. Intrans hauenam cum equo ſuo vſq; ad pectus equi, habens vnum modium & hoſtorium ſiue baculum argenteum in manu ſua, ad menſurandum hauenam. Recipiens ſuum modium menſurandi argenteum impleuit hauena, menſurauit tradidit vni ex ſuis, & ſic compleuit officium ſuum, et poſt receſſum ſuum in continenti erat ibi tanta preſſura hominum reſiduum hauenæ recipientium quatenus ſeminabatur & proijciebatur quaſi per totum forum.

Item aſcendit Imperialis Maieſtas domum ciuitatis, abſtraxit ſe in vna Camera exuens Pontificalia ſua, rediens ad menſam in capite aulæ tranſuerſaliter factam et ornatā, ſex gradibus altam & eleuatam, in qua ſedebat ſua Maieſtas, & Rex Rom. filius ſuus Maximil.

Item menſa erat cooperta de panno aureo, cum armis Burgundiæ precioſiſſime ornata.

In ſiniſtro latere erat vna credentia ſeptem ſtadijs alta ornata vaſellis precioſiſſimis, nō paruas ſed magnas vltra ducentas petias aureas & argenteas numeratas, demptis ſcutellis argenteis ac ſcyphis. Imperator vero volens locum dare filio ſuo honoris, tanquam ſponſo Dei, nullam parare fecit credentiam: licet inter omnes Principes habeat precioſiſſimam.

Et cū Imperator, & Rex Rom. ad prandium irent, venit electus Epiſc. Auguſtenſis de Hohenzorn dictus locum Marchionis Brandenburgēſis ſuppleuit cū ceteris Comitibus, Erneſto Duce Saxoniæ præcedente cum baculo, aquam porrexit et manutergium: aqua in peluibus argenteis erat.

Itē tres Archiepiſ. benedictionē et Benedicite dixerūt. Et ſigillū ſimul de cancellaria Imperat. ceperunt a te Regem po uerunt cum vno baculo. Sal. Ann. 1508.

Ipſis ſic ſedentibus & Electoribus Rom. Imperij menſæ aſtantibus, Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector tanquam Archimarſchalcus cum baculo nigro in manu, & Comes Palatinus Princeps Elector ac Dapifer Rom. Imperij, poſt ipſum, acceſſerunt ad coquinā Regis. Ibi Comes Palatinus equitando de coquina Regis quatuor ſcutellas argenteas in manibus produxit, deſcendens ante domum ciuitatis de equo, aſcendit domum ciuitatis, Erneſto Duce Saxoniæ precedēte cum baculo, portauit ſcutellas argēteas cū ferculis in manibus, & ad mensā Regis collocauit. Et poſtquā Principes Electores ſua officia exercuerunt, quilibet Princeps Elector ſolus ſedebat ad menſam ſibi paratam cū ſua propria credentia.

Ordo ſedentium in prandio.

In capite et in medio aulæ vel palatij ſedebat Imperialis Maieſtas, et Rex Roman. filius ſuus Maximilianus, in menſa ipſis parata & ornata, ſex graduum alta: quibus miniſtrando aſtabant Principes, Comites & Barones, inter quos Princeps de Chymay & Dux Gelriæ erāt primi, vnicuiq; vero Principi Electori de ſui ipſius familia miniſtrabant Comites Barones et nobiles.

Item in latere dextro & loco procliuiori palatij, primo Dominus Archiepiſcopus Colonienſis Princeps Elector imperij. Secundo parata erat vna menſa pro Rege Bohemiæ, quæ erat vacua propter eius abſentiam. Tertio Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector etiam ſolus in menſa ſibi parata. Quarto ſedebant Oratores Ducis Auſtriæ. Quinto loco Epiſcopi Leodienſis, Vvormatienſis, Cameracenſis, Sibinicenſis, & Miſſenſis. Sexto ordine vel loco ciuitas Aquenſis. Septimo loco ciuitas Colonienſis. Item Archiepiſcopus Treuirenſis Princeps Elector in propria menſa ſibi parata in medio aulæ in faciem Imperatoris et Regis cum ſua credentia ſedebat.

In ſiniſtro latere Dominus Archiepiſcopus Moguntinenſis primo loco in ſua propria menſa cum ſua credentia ſedebat. Secundo loco Erneſtus Dux Saxoniæ Princeps Elector ſolus etiam ſedebat in ſua menſa. Poſt hos pro Marchione de Brandenburg erat menſa parata quæ erat vacua propter abſentiam ſuam. Deinde Albertus Dux Saxoniæ, Dux Cleuenſis, Caſparus Dux Bauariæ, Dux Guliacenſis, & quidam Orator Comitis de Vvirtenberg, ſedebant. Quinto loco conſules ciuitatis FrancKfordenſis. Sexto loco conſules ciuitatis Nurenbergenſis.

Hic

Sal. Ann. 1508. Hic diſſenſio facta eſt. Norinbergenſis Marſchalcum Regis acceſſerunt, cur Franckenfordenſes ſuper eos locum haberent. Qui reſpondit, ſic fore ordinatum in ſuo regiſtro. Sed non contenti Regem acceſſerunt, qui pie reſpondit: Quoniam in Franckfordia electi ſumus in Regem, ideo modo locum eorum ſic habere debent: alio tempore de ſeſſionibus & locis cogitemus. Durabat autem prandium iſtud vſque fere ad horam tertiam. Quid vltra dicam? fuerunt fercula citra quinquaginta, & ſemper ſcutellæ fuerunt repletiſsimæ. Integer lepus, agnus, pauo, & de omnibus generibus auium & piſcium & ferarum: & vina optima ac precioſiſsima. In ferculis ſigna Principum pendebant: quis omnia enarrare poteſt?

Item in foro pauperes & famelici ſtabant, quibus per feneſtras carnes, panes, integri lepores & agni aſſati proiecti ſunt: & factus eſt clamor magnus in foro. Sed in aula ſeu palatio iſto fuit ſilentium, non clamor, niſi in quantum vnus cum alio ſubmiſſa voce loquebatur. Et prandio facto iterum aqua in peluibus argenteis adducta eſt cum manutergio ad menſam Imperialis M. & Regis Romanorum, deinde Archiepiſcopi tres grates Deo referebant. Poſt hoc quidam de numero heraldorum clamauit voce magna dicens; Si qui ſunt qui deſiderant creari in milites, accedant Regem hic vel in domo, paratus eſt. Et ſi qui acceſſerunt hodie, qui non ſunt habiles, pro non creatis ſunt habendi, & prohibendi ab alijs, ne ſigna militum deferant, & qui de numero illorum velint permanere, debent Regem de hoc certificare. Quibus dictis omnes ſurrexerunt, Imperatorem et Regẽ ad hoſpitia ſua perduxerunt, circa horam quartã, & in pace omnia requieſcebant.

Item pauperibus omnibus datæ ſunt eleemoſynæ in abundantia. Sic à fine omnia ſunt denominanda, pauperes Chriſti non ſunt neglecti.

Decima die Aprilis quæ fuit ſecunda poſt dominicam Miſericordiæ Domini, de mane miſſa audita oſtendebantur reliquiæ Eccleſiæ Aquenſis in publico in præſentia omniũ Principũ præſcriptorũ ac omnium Chriſti fideliũ ibidẽ exiſtentiũ.

Quo facto conſules ac tota communitas ciuitatis Aquenſis fecerunt iuramentum vel homagium Rom. Regi ante domum ciuitatis in præſentia Imperatoris, Principum Electorum ac aliorum Principum, & Rex firmauit priuilegia ipſorum. Illo facto immediate receſſerunt Principes verſus Coloniam, ſcilicet Rom. Rex, Archiepiſcopus Colonienſis, Comes Palatinus Rheni, Archiepiſcopus Treuirenſis, Imperialis autem M. & Archiepiſcopus Moguntinenſis manſerunt ibidem illa nocte. Sal. Ann. 1508.

Vndecima die Aprilis, quæ fuit quinta Miſericordiæ Domini, applicuerunt omnes Principes ſimul cum Imperatore & Rom. Rege ante ciuitatem Colonienſem, introducendo in optimo ordine. Conuenerunt enim omnes Principes ante ciuitatem cum ſuis, conſulatus obuiam venit in veſtitu nigro, citra centum equos, & armigeri citra mille manſerunt prope portam, quam Rex conſueuit intrare poſt ſuam coronationem, & anteceſſerunt Regem à longe per ciuitatem. Nam propriam habet plateam, per quam intrat vſque ad Eccleſiam maiorem.

Item præmiſit multos de familia Ducis Guliacenſis, Ducum Saxoniæ Erneſti Electoris & Alberti, & Philippi Ducis Bauariæ Comitis Palatini. Deinde tubicinatores, fiſtulatores, & iterũ aliqui de familia Archiepiſcopi Colonienſis. Deinde tres armati, ſcilicet Dominus de Yſelſtein, et Dominus Vvilhelmus frater eius de Egmund, & Dominus Vitus de Vvolckenſtein qui armati erant, cum equis armatis, à vertice capitis vſque ad plantam pedis, qui anteceſſerunt Regem. Deinde Electores Imperij, Philippus Comes Palatinus Princeps Elector, & Dux Cleuenſis. Poſt eos Dux Saxoniæ Erneſtus Princeps Elector, cũ gladio nudo, & Archiepiſcopus Treuirenſis, iuxta ordinem ſuum. Deinde Rex Romanorum etiam armatus à planta pedis vſque ad verticem capitis, in medio Archiepiſcoporum Colonienſis & Moguntinenſis. Imperator ſtatim ſequebatur in curru ſuo, & poſt ipſum multitudo magna. Sic intrauerunt ciuitatem in ſono tubarum vſque ad portam curiæ maioris Eccleſiæ, vbi Rex de equo & Principes Electores & cæteri Principes deſcenderunt, Regem ad portas Eccleſiæ perduxerunt, Imperator in curru permanſit. Acceſſit autem ſuffraganeus Colonienſis in pontificalibus habens crucem, oſculum dedit Regi, & cæteri cum crucibus, candelis, vexillis: & Prælati omnium Eccleſiarum Regem Rom. ad tres Reges perduxerũt vbi locus paratus erat pro oratione. Qua completa inceperunt cantare, Te Deum laudamus, & intrauerunt chorum. Illo finito ſuffraganeus benedictionem dedit,

Sal. Ann. 1508. *& Canonici Regem in canonicum receperunt iuxta conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ. Poſt hæc Regem ad hoſpitium perduxerunt. Item poſtquam Rex deſcendit de equo ſuo tranſeundo ad Eccleſiam, Dominus de Nuvvenar iure ſuo recepit equum Regis cum ornamentis ſuis aureis.*

Duodecima Aprilis Principes ad conſilium venerunt, & de receſſu Principum concluſum erat. Sed ſuperuenerũt ambaſciatores Regis Poloniæ magnifice, & retardati ſunt Principes. Sal. Ann. 1508.

Sabbato mane ſequenti facto conſilio Erneſtus Dux Saxoniæ per Haſſiam viam aliam reuerſus eſt ad terram ſuam. Albertus frater eius ibi cum alijs Principibus remanſit. Sic per dies quatuordecim magna conſilia habuerunt: quod concluſum eſt, expectemus cum patientia. Etiam Principes haſtiludia fecerunt inter ſe, & poſt multa conſilia Principes ſeparati ſunt, quilibet ad terram ſuam.

COMITIA CONFLVENTIAE. Anno 1492.

XXXIV. PEracta coronatione, quid inde euenerit, fuſè habui in vita *Friderici*. Seriem repetam à Comitijs Confluentiæ, vbi Anglorum legatus ita diſſeruit.

Sereniſſimo Romanorum Regi ſemper Auguſto, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regi, ac Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Principibus Electoribus, cæteriſque Principibus Sacri Romani Imperij, Sereniſſimi Regis Angliæ Orator offert ea quæ collegit, ad magis cognoſcendum & collegendum falſitates, fraudes & proditiones Francorum, vt ab eis magis caueatur.

Primo dicit, vnumquemque ſcire debere, quod fides vnius Franci eſt deterius pignus domus ſuæ. Quia quidquid iurant vel promittunt, hoc ſemper fit in fraude & deceptione, nec aliquid niſi pro arbitrio & placito ſuo tenent vel obſeruant: cum aliæ Chriſtianorum nationes fidem ſeruare ſoleant, imo & Turcæ & Saraceni promiſſa ſeruent. Et vt vnuſquiſque id magis intelligat, notorium eſt Francos multa iureiurando promiſiſſe, & ſigillaſſe, ac ſigillata dediſſe Sereniſſimo quondam Eduardo Angliæ Regi, tam ſuper coniugio Regis Franciæ præſentis cum filia ipſius Eduardi, quam eidem dandi & perſoluendi in ſua ciuitate Londinenſi quinquaginta millia ſcutorum aureorum quotannis, quoad deciſum fuiſſet in cauſa in qua ipſe Eduardus ad coronam Regni Franciæ prætendebat, & ad Ducatum Normandiæ & Guiennæ: quod per ſeptennium ipſi Franci obſeruarunt, & poſtmodum viſa opportunitate à præmiſſis & iureiurando defecerunt. Vlterius quis ignorat pactiones, promiſſiones & iuramenta atque ſigilla, quæ ipſi Franci fecerunt tam Illuſtriſſimo Carolo quondam Burgundiæ Duci, quam etiam Franciſco Duci Britanniæ, vt cum eis in pace viuerent, & bellum de medio Franciæ tollerent, vt eos hoc pacto à dicto Eduardo Rege Angliæ ſepararent. Tamen nihil obſeruarunt niſi vſquequo neceſſitas eos coegit, quia manifeſtum eſt, Francos contra illa promiſſa exercitum miſiſſe contra dictum Ducem Carolum ad Nanſe in Lotharingia caſtra metantem: vbi eorum perfidia occubuit, & poſtmodum dicti Franci magnis etiam iuramentis atque ſigillis quæſiuerunt coniugium Regis Franciæ præſentis cum filia Sereniſſimi Romanorum Regis, relicta & repudiata filia Regis Eduardi, quæ paulo poſt mortua fuit. Præterea dicti Franci ſuis cautelis et fraudibus adeo ſubtiliter laborarunt, vt Barones & proceres Britanniæ corruptionibus et penſionibus, & Regium ordinem illis dando in ſuum fauorem attraxerint, adeo vt illi theſaurum Britanniæ Ducis interceperunt, & in perſonam ſui Illuſtriſſimi Principis violentas manus impoſuerunt, vt hoc modo ipſi Franci facilius & mortem ipſius Ducis viderent, & ipſius Ducatum lucrarentur: quod ſuis muneribus, corruptionibus, penſionibus, & Ordinis regni donationibus tandem ſunt conſecuti. Quia plurimi Britanniæ proceres illis cautelis, promiſſionibuſque deuicti, Francos in Britanniam introduxerunt contra ipſum Franciſcum, qui dolore talium proditionum magis quam ſenio vitam finiuit. Deinde notum eſt, poſt mortem Eduardi Regis Angliæ Ducem Clocestrenſem eius fratrem, Principem ſtrenuiſſimum, Electum in tutela atque regimine pupillorum Eduardi Regis fratris ſui, vt regnum regeret ac gubernaret, illis pupillis exiſtentibus adeo à Francis ſollicitatum & promiſſionibus obſecratum fuiſſe, vt crudeliſſime nepotes ſuos extinxerit, vt ſe Regem faceret: in quo Deus eum puniuit, licet Francorum punitionem hactenus diſtulerit. Item quis ignorat maxima iuramenta,

Sal. Ann. 1508. *menta, pacta atque ſigilla non ſolum Regis Franciæ ſed etiam omnium Principum, ciuitatum, vniuerſitatum, communitatum totius regni data eſſe in perficiendo coniugio inter præſentem Regem Carolum & filiam Sereniſſimi Romanorum Regis: quod ad eum finem fecerunt, vt in poßeſſione occupatæ Burgundiæ & aliarum patriarum permanerent, vt interea Flandrenſes ſub vmbra pacis ſollicitarent, & in ſuã partem attraherent, & vt ipſam filiam Sereniſs. Rom. Regis in ſua poteſtate haberent, vt ſi fortaſſis Illuſtriſſimus Philippus Archidux deceſſiſſet, & illas occupatas patrias & alias omnes ipſius obtinerent, & ſub vmbra ipſius coniugi omnes querelas & lites ſopirent & de medio tollerent, quas Sereniſſimus Romanorum Rex aduerſus eos de iure mouere poterat. Quibus rebus ſic exiſtentibus ipſi clanculum Britanniæ Ducatum (vt dictum eſt) occuparunt, nec alia ratione ipſum coniugiũ Sereniſs. Rom. Regis filia quæſiuerunt, & non aliqua dilectione aut affectione erga ipſum Romanorum Regem aut Sacrum Imperium: quinimo ad ipſum Imperium dicunt et iactant ſe ius habere, et præſertim ad eas patrias quæ ſitæ ſunt circa Rhenũ.*

Et vt facilius tam Sereniſſimus Romanorum Rex, quam Illuſtriſſimi Principes, Gallorum fallacias memoria teneant, quis ignorat eorum promiſſa & iuramenta tam FranKfordiæ quam Vlmæ præſtita Sereniſſimo Romanorum Regi, quorum colore & vmbra ipſum Romanorum Regem & Principes Imperij retardarunt ac reuocarunt ab auxilio in Britanniam mittendo, & ſex millia Anglicorum pugnantium extra Britanniam dimiſerunt, quæ pro illius patriæ defenſione Sereniſſimus Rex Angliæ modernus proprijs expenſis ibidem tenebat: quibus fraudibus ipſi Franci Britanniæ Ducatum ſunt conſecuti, eiuſque Ducißam ſponſam & coniugem Sereniſſimi Romanorum Regis (vt quiſque nouit) ipſe Rex Franciæ in coniugium fraudulenter accepit, & cum ea concubuit, derelicta & repudiata Illuſtriſſima Margareta Sereniſſimi Romanorum Regis filia, ſibi autem per verba de præſenti deſponſata contra ordinem & ſtatum diuinum ac ſanctæ matris Eccleſiæ, ad maximam dederunt ignominiam, infamiam & ſcandalum religionis Chriſtianæ, & in perniciosum exemvlum totius mundi: quod tam ſancta mater Eccleſia, quam ſacrum Imperium Romanum, omneſque Reges & Principes orbis nec ferre nec tolerare deberent, ne deteriora eius exemplo conſequantur, ſi tam deteſtabile facinus impunitum omittatur. Item cum ipſi Franci & iuramentis & ſigillis & ſub pœna cenſurarum Apoſtolicarum ſe obligauerint, caſu quo dictum coniugium ſolueretur, ad reſtitutionem tam ipſius filiæ Sereniſſimi Romanorum Regis quam patriarum in dotem ei datarum; tamen hactenus in maximam iniuriam, contemtum, ignominiam & infamiam totius Romani Imperij, & Sedis Apoſtolicæ, ac totius nobiliſſimæ nationis Germanicæ, ipſe Rex Frãciæ dictam reſtitutionem denegat: licet per Oratores ſuos tam Sereniſſimo Imperatori quam Romanorum Regi, ac Illuſtriſsimo Archiduci Philippo huiuſmodi reſtitutionem obtulerit, ad obumbrandum & tegendum ſui ſceleratiſsimi facinoris incredulitatem: cum nuper Oratoribus Sereniſſimi Rom. Regis & ipſius Archiducis Philippi, domino ſcilicet Engelberto de Naſſau ac cęteris dictam reſtitutionem denegauerit. Ex quibus vnicuique notorium eſt quam ſit confidendum in ipſorum Gallorum promiſſionibus, quantaue earum ſit veritas aut fides. Qui etiam in præſentiarum ſollicitant, ac omni diligentia quæritant ſeparare ac diuidere, ſi poſſint, Sereniſsimos Romanorum & Angliæ Reges magnis ſuis promiſsionibus atq; muneribus, vt eos auertant à bello in Franciam aſſumendo, & vt impediant Principes & communitates Sacri Imperij ab auxilio dando Sereniſſimo Romanorum Regi in tam iuſta cauſa, acerbaque iniuria vlciſcenda. Quinimo iactant Franci, ſe eſſe ſeruos quo per diſcordias Pincipum Germaniæ ad optata peruenient, & quod facile ipſum Imperium conſequentur: quod Deus auertat. Quia omnes Imperij Principes ac liberas ciuitates in maiori ſeruitute ac paupertate tenerent ac collocarent, quam alij hactenus fecerint, vt omnibus eſt manifeſtum. Item ſcire poteſt vnuſquiſque Gallorum potentiam per occupationem Britanniæ tam in potentia pecuniarum quam militantium valde auctam fuiße: quia ex Britannia tempore Illuſtris bonæ memoriæ Ducis Frãciſci circiter ſex aut octo centena millia Florenorum aureorum ordinarie ſine vllius iniuria ad ipſius Principis vtilitatem quotannis extrahebantur & exigebantur, & idem Dux circiter duodecim aut quindecim millia pugnantium Sal. Ann. 1508.

cum

Sal. Ann. 1508. *cum paruo onere patriæ poterat congregare. Item quia tam in vna parte Britanniæ iuxta Franciam, quam etiam in ipſa Francia, ſalem naturale habetur; ex nouo quodam theloneo per ipſos Francos in ipſis ſalinis impoſito, Britanniæ reditus ordinerij ad decies centena millia florenorum iam æſtimari dicuntur. Item conſiderandum eſt in Ducatu Britanniæ circiter decẽ millia hominum maritimorum haberi, qui negotijs maritimis verſari & viuere ſolent. Item in eodem Ducatu circiter duo millia nauium communiter inuenientur, vt aliquando in vno portu trecentæ magnæ naues reperiantur: quæ patria et portubus, & acceſſibus naualibus, ac etiam nemoribus & ſiluis pro materia nauium valde copioſa eſt: Vt ibidem naues mille, imo mille & quingentarum amphorarum fieri poſſint. Qua commoditate ipſi Franci Dominos ſe maris facere quæritant. Nec dubitandum eſt, niſi eorum violentis progreſſibus obuietur, quin breui tempore Franci tam Angliam quam Flandriam, & ſic paulatim liberas Imperij patrias, ipſoſque Principes per eorum ſubtiles & fallaces violentias in ſuam ditionem & ſeruitutem ſubijciant: prout iam de Britannia eos feciſſe conſtat, à qua cæteri exemplum capere poſſunt.*

Licet autem ipſi Franci ipſum Britanniæ Ducatum occupauerint, nondum tamen corda hominum eorumque animos ſunt conſecuti: qui nec volunt, nec poſſunt ſeruitutem ſubiectionemque Gallorum perferre, cum ipſi Galli natura feri atque ſuperbi, omnemque aliam nationem ſint contemnentes. Et licet Francorum Rex ipſorum Britannorum dominam in vxorem acceperit, ipſi tamen populi conſiderantes malitioſum & violentum ac perfidum modum et viam, quibus ipſam Duciſſam obtinuerit, & quomodo ipſi Britanni per ipſos Francos decepti fuerint, & quot mala & iniurias ab ipſis Francis patiantur, conſiderantes etiam omnes Britanniæ diuitias & rerum copias ac proſperitates ex maritimo commertio cum patrijs Angliæ, Hiſpaniȩ, Flandriæ, Holandiæ, Selandiæ ſibi euenire conſueuiſſe, quibus ſemper amici & confœderati Britanni eſſe ſolebant, & modo propter bella illis commodis careant, cum maxime cupiant emergere à ſeruitute in qua Galli eos oppreſſos tenere contendunt, cum ſemper ipſe Ducatus Britanniȩ fuerit liber, omni libertatis iure & ſuperioritate vſus; ipſi Britanniæ populi nondum niſi coacti Francorum Dominum admittunt, nec eis per mare aut per terram præter admodum paucos ſeruire volunt: ſperantes ac confidentes, quod per fœdera ac colligationes & auxilia potentiſſimorum Regum Romanorum & Angliȩ ac Illuſtriſſimorum Principum ſacri Imperij à talibus oppreſſionibus & ſeruitutibus debeant liberari, & in priſtina libertate reponi, & eo pacto Gallorum potentia ſubtrahetur ac diminuetur. Ad cuius quidem Britanniæ recuperationem vnuſquiſque eo magis animum adhibebit, ſi conſiderauerit quantum incommodum in eius amiſſione Sereniſſimus Romanorum Rex ſit conſecutus, quantamve iniuriam & ignominiam ſuȩ Maieſtati & ſacro Romano Imperio, & omnibus Regibus & Principibus cis confȩderatis & alligatis, ipſi Franci intulerint, per ſuas fraudes et proditiones Britanniam occupando, ipſiuſque Duciſſam veram ſponſam & coniugem Romanorum Regis capiendo & ſubtrahendo, quæ per parentes ſuos Sereniſſimo Romanorum Regi, velut totius Chriſtianitatis potentiſſimo Principi, fuerat deſponſata ne in Gallorum manus & ſubiectionem perueniret: quum etiam ipſa Duciſſa poſt parentum ſuorum mortem multos alios Reges ac Principes coniugium eius petentes ſpreuerit ac recuſauerit, ſolum ipſum Romanorum Regem præ omnibus eligens. Quæ quidem iniuria ac violentia ſi inulta relinquatur, in maximum dedecus ac ſcandalum et ignominiam infamiamque non ſolum ipſius Romanorum Regis, ſed etiam ſacri Romani Imperij omniumque eius Principum cæterorumque Regum & Principum eis confœderatorum cedet & remanebit: præſertim ipſis Francis nondum ſua perfidioſa malitia contentis, iactantibus & publicantibus multa in maximam Sacri Rom. Imperij ac omnium confœderatorum dedecus & ignominiam. Sal. Ann. 1508.

Quibus omnibus conſideratis cum Sereniſſimus Rex Angliæ vehementer doleat, propter ingentem amorem, amicitiam & confraternitatem ac confœderationem inter ſeipſum & Sereniſſimum Romanorum Regem ac Illuſtriſſimum Archiducem Philippum, decreuit atque concluſit perſonaliter cum magno ac potenti exercitu mare traijcere, imo iam traiecit, ad bellum gerendum, perſeuerandum & continuandum aduerſus Francos, per biennium & diutius ſi opus fuerit, & ad auxilium opemque ferendum tam

corpo-

Sal. Ann. 1508.

corpore quam bonis, omnique regni ſui potentia, Sereniſſimo Romanorum Regi fratri ſuo chariſſimo, ac Illuſtriſſimo Archiduci eius filio, vlciſcendo & vindicando violentas & acerbas iniurias illatas tam ipſi quam Sacro Romano Imperio & omnibus eis confœderatis, amicis ac ſubditis, quam Deum creatorem noſtrum et ſanctam matrem Eccleſiam & Catholicam fidem: ſperans atque confidens ipſe Rex Angliæ, quod ipſe Sereniſſimus Romanorum Rex ac Illuſtriſſimi Principes ita ſuas vires, copias atque potentias exhibebunt, vt reparationem atque vindictam tantarum iniuriarum cum Dei auxilio ſimul omnes conſequi valeant, ad maximam diuinam laudem, & ipſorum Regum ac Principum honorem, gloriam atque triumphum, totiuſque Chriſtianitatis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltationem in perpetuum poſterorum exemplum atque memoriam.

Quapropter humillime ſupplicat idem Orator tam Sereniſſimo Romanorum Regi, quam ſupradictis Illuſtriſſimis Principibus, Dominis & communitatibus S. Roman. Imperij, ea omnia ſupradicta velle animaduertere, ponderare & mature cogitare, ac ſuper ijs omnibus citiſſime ac diligentiſſime prouidere, & eorum deliberatione ſibi reſpondere: vt cum ipſe Sereniſſimus Rex Angliæ iam mare traiecerit, ipſe Orator de eorum appartu, diligentia ac reſponſione omnique intentione, cum diligentia Sereniſſimum Regem ac Dominum ſuum certiorem facere poſſit.

Sal. Ann. 1508.

ROMANORVM REGIS, ET IMPERII ORDINVM RESPONSVM.

XXXV. *Anglorũ legatio.*

Maximilianus diuina clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, &c. Vvilhelmus Epiſcopus Eiſtetenſis, ac Fridericus Comes de Zollern, Capitaneus Domini Hohenberg, S. Imperialis Maieſtatis in hoc generali conuentu Confluentiæ habito vices gerentes, nec non S. Rom. Imperij Electores, ac alij Principes vtriuſque ſtatus, in eodem conuentu perſonaliter comparentes, aliorumque Imperij Principum & communitatum Oratores ac vices gerentes, Sereniſſimo Principi Domino Hainrico Regi Angliæ & Franciæ ac Domino Hiberniæ &c. Nobis Rom. Regi fratri cariſſimo, nobiſque alijs Domino & amico obſeruandiſſimo, ſalutem & proſperitatis incrementa. Sereniſſime ac potentiſſime Princeps: Cum egregius vir, Magiſter Franciſcus de Puys Orator ac Secretarius veſter, nobis omnibus in hoc Imperiali conuentu congregatis iudicauerit, veſtrã Serenitatem non ſolum ob fraternam confœderationem qua nobis Roman. Regi conſtanti fide coniungitur, verum etiam ob ſingularem affectũ & amicitiam, qua S. Rom. Imperio omnibuſque Principibus eius, et vnice Illuſtriſſimo Archiduci Philippo Imperiali ac Regni filio vehementer afficitur, cum magna ac potenti claſſe mare traieciſſe, multaque armatorum millia cum machinis ac cæteris quibuſcunque caſtrenſibus inſtrumentis traduxiſſe, tam in maximarum iniuriarũ nobis Regi ac ſacro Imperio per Francorum Regem (vt noſtis) illatarum vltionem, quam in ipſius Illuſtriſſimi Archiducis patriarumque eius defenſionem: ſane omnes, vt debuimus, ſummopere gauiſi ſumus, veſtræque Serenitati ex tam ſtrenuiſſimis ac præclariſſimis geſtis nos omnes plurimum debere cenſuimus, atque propterea ingentes gratias agimus, non inferiora cum vſus feret pariter reddituri. Eandem veſtram Serenitatem cum ſtudio exhortantes, vt ſecundum iamdiu concepta perſeuerare & continuare, vt eam facturam confidimus, non deſiſtat. Nos autem Romanorum Rex noſtros iam antea in limitibus hoſtium ad præoccupandas anguſtias miſſos totis copijs ſequimur, tot ſuſceptarum iniuriarum iuſtam vltionem Deo propicio proſecuturi. Speramus enim æquiſſimos ſuperos tam æquæ cauſæ noſtræ minimè defuturos. Nos vero tam Imperialis Maieſtatis vices gerens ea iniuria præfato Domino noſtro Regi illata affecti percitique quam non immerito moleſte ferimus, eidem celerem expeditionem tam equitum quam peditum in præſentiarum fecimus, ac pręterea omni cura, fide, ſolertia, omni denique ſtudio apud vniuerſos & ſingulos S. Romani Imperij ac Germanicæ nationis noſtræ ſubditos pro longe ampliori ac communi per Imperium auxilio ferendo nos laboraturos ſollicitaturoſque polliciti ſumus: non dubitantes veſtræ Serenitatis ſimul accedentibus copijs, omnipotentem Deum, exercituum Dominum, de tam deteſtabilibus iniurijs manifeſtam vindictam iuſtumque triumphum conceſſurum. Qui veſtram Serenitatem in dies feliciorem conſeruet.

Ex

Sal. Ann. 1508.

Ex Imperiali conuentu generali Confluentiæ habito, ſub ſigillis Regiæ noſtræ, & Vuilhelmi Epiſcopi Eiſtetenſis Cæſarei Oratoris ac vices gerentis, noſtrorum quoque Berchtoldi Dei gratia Archiepiſcopi Moguntini Principis Electoris ac S. Roman. Imperij in Germania Archicancellarij, & Sigiſmundi eadem gratia Marchionis Brandenburgenſis, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſuborum ac Sclauorum Ducis, Burggrauij Nurbergenſis, ac Rugiæ Principis, nomine Principum Electorum aliorumque Principum, totiuſq; illius præmemorati conuentus, die VIII. menſis Octobris. Anno Domini MCCCCXCII. Neapolitanam expeditionem meditante Carolo Gallorum Rege; pacem inierat *Maximilianus*, pactis nuptijs cum *Blanca Maria* Mediol. morte interim intercedente *Friderici*; & noua Turcarum irruptione in fines Carinthiæ & Carniolæ, ad Iuliam vſquè & Petouiam populantium. Cuncta turbantes obuios habuere Hungaros, & Croatios, cum quibus pugna commiſſa, quinque Chriſtianorum millia cecidere. *Maximilianus* verò contracto quindecim millium exercitu, mira quadam velocitate victores aſſecutus, multis in fuga occiſis, prædam omnem recepit, & prouinciarum limites liberauit. Viennam reuerſus cum legatis *Vladislai* pacem inſtaurauit, retento ſucceſſionis iure, ſi Rex abſque maſcula prole decederet. Fęderi lubens Cæſar manus dedit, vt quid in Italia Gallus moliretur, attenderet. Anno ineunte 1494. inter medios belli apparatus è viuis abierat *Ferdinandus Arragonius* cognomēto *Pulcher*, Neapol. Rex, hæredem relinquens *Alphonſum* filium, cognomento *Strabonem*, vndè magis

Sal. Ann. 1508.

XXXVI.

Turcas cædit Maximil.

1494. XXXVII. *Obitus Ferdinandi Arragonij.*



Blanca Maria nubit Cæſari.

Carolus Rex Gallorum accendebatur in ſpem Neapol. *Ludouicus Sfortia* vt ſui voti compos fieret, Cęſaris nuptias maximè vrgebat. Nonnulli reclamabant Germani, quòd *Sfortiarum* familia, Auſtriacæ impar eſſet, ſed Cæſar lucro dotis illectus (quæ præter ornamenta,

quæ

Sal. Ann. 1595.

quæ ad quadraginta aureum nummum ducalium millia æſtimabantur) quadringenta millia dotis nomine, certis penſionibus daturum ſe receperat, Oenipontum ſe recepit, quo cum ampliſſimo comitatu ſponſa deducta, poſtridiè Id. Martias nuptiæ celebrantur.

XXXVIII. *Iaſon. I. C.* Eas luculenta oratione condecorauit *Iaſō Mainus I. C.* In Brabantiam deſcendit Cæſar, *Caroli Geldrenſis* moribus euocatus, qui Gallorum opibus fretus, cuncta turbauerat.

Carolus Egmondanus. Milite verò non adueniente, cum ſe tanto hoſti imparem cerneret, Cæſaris coniugem implorauit, qua deprecante, ſupplici facta poteſtas, ijs in locis agendi, cum ſpe dictionis recuperandæ, ſi quid in eam curis habere inueniretur. Diſceptatio ad quatuor Rheni Electores (ita tres Eccleſiaſticos, & Palatinum vocant) delata eum finem habuit, vti *Carolus* Geldriæ titulo abſtineret, Egmondæ Regulus diceretur, quia extincta in *Renato* circa annum 1372. veterum Comitum proſapia, *Arnoldus* poſtea & *Adolfus* (qui ad Tornacum cæſus eſt) nullo iure prouinciam occupauerint. Timore porrò quieuiſſe, exitus probauit. Nam *Carolus* ex Brabantia dilapſus, & à ciuitatibus nonnullis receptus, ſuas eſt reparare vires conatus. In Italiam deſcendamus. *Sal. Ann. 1595.*

GALLORVM EXPEDITIO IN REGNVM NEAPOL.

SVperatis, *Carolus* Rex Gallorum, Alpibus Cottijs *Genebræ* montem vocant ad V id. Septemb. Aſtam venit. Ibi præſto fuere *Ludouicus Sfortia* cum vxore *Beatrice*, & *Hercules Eſtenſis* Ferrarienſium princeps. XXXIX.

Herculis Eſtenſis. Ludouici Sfortiæ, & Beatricis effigiē vide ſupra nu. 37.

Aſtæ Rex valetudine tentatus, ſubſtitit, & poſt menſem, recreatis viribus, Papiam mouit, vbi *Ioannem Galeacium* grauiſſimo morbo laborantem inuiſit, ac bono animo humaniſſimis verbis hortatus eſt. Tum *Iſabella* vxor ad Regis pedes in conſpectu omnium aduoluta, eius opem in tanto *Alphonſi* patris periculo profuſis lacrymis implorauit,

XL. *Nota de Iſabella.*

ſupplex orans, vt arma pijſſimus Rex à Neapolitano regno amouêret, nec rem Aragonensē bello excindi pateretur, quando nulla iuſta cauſa intercederet, vt inuicta Gallorum arma nobiliſſimum Italiæ regnum inuaderent: ſatis, ſuperque mariti ſe miſeram acerba ægritudine conflictari, in quo exigua ſalutis, vitæque ſpes eſſet. Turbarunt non parum Regis animum puellæ mixtæ lacrymis preces, atque eius formæ & venuſtatis eximius decor: verum iacta iam belli alea, armiſque obſtrepentibus, quæ ſine Gallici nominis dedecore deponi haud poterant, inchoatam Rex expeditionem ex ſua dignitate proſequendū exiſtimauit. Ticino digreſſus, Placentiam venit, vbi de *Io: Galleacij* obitu nuncium accepit. *Ludouicus* verò qui officij gratia Regē ſecutus erat, Mediolanum aduolans,

XLI. *Io: Galleacij mors.*

per vrbem in veſte Regia, armatis ſeptus, incedens, ſalutari ſe principem à populo lætatus eſt, quum gubernationis titulo antea præſideret, à multis odio habitus, quòd regnandi cupidus, infelicem nepotem veneno enecaſſe creditus fuerit, vt ſolus imperaret. Rex arrepto per Flaminiam itinere, omnia ſecunda habuit: nam *Petrus Medicæus*, qui antea cum *Alphonſo* ſentire videbatur, Gallicæ potentiæ metu, Regi obuiā profectus, cum eo in gratiam redijt, traditis aliquot munitis Reipublicæ locis.

XLII. *Effigiem Petrus Mediceus vide ſupra nu. 37.*

Florentiam armato ſedens equo lanceamque manu geſtans, ingreſſus, territiſque omnibus poſt aliquot dies, libris auri duodecies imperatis, fœderibuſque conſcriptis, ciuitate pacatus exceſſit. Hinc ſenis collocato præſidio, in agrum duxit Romanum. *Alexander* verò Pontifex animi dubius, an vrbem defenderet, *Ferdinandum* Calabriæ Ducem, *Alphonſi* filium, cum copijs ad ſe vocauit:

XLIII. *Trepidat Papa de aduentu Caroli.*

mox à Gallicis proceribus, nihil aliud Regem, quàm tranſitum petere perſuaſus prid. Cal. Ian. in vrbem admiſit armatū porta Flumentana: eadē hora *Ferdinando* cum ſuis per Latinam exeunte.

Ferdinandi effigiem vide ſupra nu. 37.

Ad D. Marci ædem Rege diuerſante, Pontifex in Adriani molem ſe recepit, tumultuante vrbe ob militum inſolentiam. Rex in colloquium admiſſus in Vaticanum venit & humiliter ad pedes demiſſus Pontificis de more adorauit, pacemq; ſanxit; nec longè poſt in Campaniam irrupit. Aquilani conſpectis Regijs ſignis, ſtatim ad Gallos defecerunt; Eadem leuitate in ſequentibus aulis oræ maritimæ circa Fucinum. *Alphonſus* propterea ſuis opibus diffiſus fortunę cedere ſtatuens, regni corona filio tradita *Ferdinando* cum quinque triremibus in Siciliam

Sal. Ann. 1495. Siciliam nauigauit, vt inuidiam populorum effugeret, qui ob ſuperbiam, & auaritiam parum eum diligebant. Filius accepto regno, quamuis Pontificis ſociorumque deſtitutus eſſet auxilijs, copiarum robore quas colligere potuit, intrepide in Gallos Germanum vſquè oppidum proceſſit. Erant ei ad quinque equitum millia leuis, grauiſque armaturæ; cum ferè totidem peditibus mercenarijs, impar ſanè hoſti præpotenti. Verritus itaque ne circumueniretur à Gallo, ad Vulturnum iuxta Capuam tranſtulit caſtra; ad Corbionem conſedentibus Gallis; qui ſedendo vincere ſperabant Aragonium, incertoſque Martis caſus verebantur. Neapolim profectus, ciuium animos ſua confirmauit præſentia. Non diù tamen populus fidem ſeruauit: Nam Gallis paſſim arridente fortuna, *Sal. Ann. 1495.* Capua primùm, mox Neapol. potitus *Carolus*, duodecim dierum ſpatio totum regnum ſubegit: Oppidis omnibus ſe vltro dedentibus, præter Brunduſium in Aquila, & in Salentinis Gallipolim. *Ferdinandus* rebus perditis, ſubitò cum duabus & viginti triremibus in Enariam inſulam transfretauit, euentum ibi belli expectaturus, quem cum agnouiſſet infauſtum, potentiſſimo hoſti cedere coactus fuit. *Alphonſus* pater animi dolore confectus in Panormitano agro priuatus XLVI. deceſſit. Huius expeditionis vide nummum triumphalem *pag. 193. n. 59.* in quo *ceruus* cũ Millo (ſic appellatur collare ceruorum) in quo inciſum eſt ſymbolum Cæſaris, *Hoc me Cæſar donauit*. Germania nos euocat, ad

VVORMATIAE COMITIA. Anno 1495.

Vere ineunte, vocatis Vvormatiam comitijs adfuerunt præter Imperij principes, Hiſpaniæ, Venetorum, Mediolanenſium, aliorumque externorum principum
XLVII. legati. Capita deliberationis fuere de Gallorum in Regnum Neapolitanum profectione: de *Bajazete* Turcarum Principe, qui nuper in Croatiam eruptione facta, vtrique iam Pannoniæ imminere ferebatur. De pace itaque in imperio ſeruanda ſtatutum, & tributum perexiguũ in ſingula capita imperatum, quod proximo exigeretur quinquennio. Quod tamen ob Principum diſcordias non eſt exactum. Actum etiam de iudicio Cameræ Imperialis, & pro iuris dicendi forma, ſequentia decreta ſunt. Primo

CONTRA BLASPHEMOS.

XLVIII. *Maximilianus, diuina fauente Clementia, Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, & Geldriæ: Comes Flandriæ, Habſpurgiæ, Tyrolis, Phyreti, K burgiæ, Arteſij, & Burgundiæ: Palatinus Comes Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, Namurtij, & Zutphaniæ: Marchio ſacri Romani Imperij & Burgouiæ: Lantgrauius Alſatiæ; Dominus Friſiæ, Marchiæ Vandalorum, Portenouiæ, Salinarum & Mechliniæ, &c. Omnibus & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis, vniuerſis denique Chriſti fidelibus, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus aut conditionis exiſtant, præſentes literas, aut earum copiam viſuris vel audituris, gratiam noſtram & omne bonum.*

1. *Deus omnipotens, Creator noſter, in* * *Decalogo, cuius obſeruatio tam iniuncta homini Chriſtiano eſſe debet, quàm eſt animæ ſuæ ſalus, deinde etiam in* † *ordinatione ſanctæ Eccleſiæ Chatholicæ, præcepit omnibus hominibus abſtinere à ſumendo nomen ſuum in vanum. Quo mandato motus Iuſtinianus Auguſtus, noſter in Imperio præceſſor, præclaræ memoriæ, ad gloriam Dei & hominum ſalutem, & eiuſdem diuini præcepti intemeratam obſeruationem,* * *omnibus Imperij & Chriſti fidelibus diſtrictè ac ſeuerè iniunxit abſtine e à blaſphemis verbis, & non iurare per nomen Dei aut ſanctiſſima eius membra, nec ſacramenta à Deo, & his ſimilia verba iurare. Sin autem poſt huiuſmodi admonitionem inueniantur aliqui in talibus permanentes delictis, quòd tales perpetratores, quia* † *indignos ſemetipſos fecerint Dei miſericordia, debeant à magiſtratu comprehendi, & vltimis ſubdi ſupplicijs. Si etiam aliqui prædicta impia & blaſphema verba audientes, non contradixerint nec tales culpauerint, ſed* * *ſubtercelauerint nec ad magiſtra-*

* Exod. 20 v. 7. Deuteron. 5. v. 12.
† Matth. 5. 33. et ſeqq. Iacob. 5. v. 12.
* Nouel. 77. c. 1. §. 1.
† dict. c. 1. §. 1. in fin.
* d. c. 1 §. 1.

Sal. Ann. 1495. *giſtratum detulerint: item ſi Iudices reſcirent aut inuenerint quoſdam tale aliquid delinquentes, & vindictam in eos non intulerint ſecundum leges, quòd hi omnes præter quod obligati erunt Dei iudicio, indignationem quoque ſuſtineant Imperialem, ſicut in præfati noſtri prædeceſſoris conſtitutione clariùs habetur.*

2. *Quoniam autem & ipſius Dei præceptũ, & dicti prædeceſſoris noſtri conſtitutio, admonitio, ſanctio & pœna apud pleroſque (proh dolor) in obliuionem & contemptum venit, & multifariam tranſgreditur, ideò Nos pro Imperiali noſtro officio, cum noſtris & Imperij Electoribus, Principibus, Statibus & vniuerſo ordine, in iſtis publicis Imperij Comitijs VVormatiæ congregatis, prædicta delicta dolenti animo perpendentes, & ob oculos ponentes, quàm grauiter illis offendatur Deus & Creator noſter, hominumque animæ propter huiuſmodi blaſphema verba indignæ efficiantur, miſericordia Dei in æternum ſpoliandæ: & quod ante hac propter talia delicta, fames, & terræmotus, & peſtilentiæ, aliæque plagæ in orbe terrarum factæ ſint: & adhuc noſtris temporibus (vt manifeſtum eſt) cum tales, tum aliæ multæ variæque plagæ ac pœnæ fiant, præſertim nouus ille & grauiſſimus hominum morbus, noſtris diebus exortus, quem vulgò Malum Francicum vocant, poſt hominum memoriam inauditus, ſæuè graſſetur; quæ nos iuſtiſſimæ Dei iræ meritò debent admonere; hæc, inquam, perpendentes, quia omne nobis eſt ſtudium & oratio, vt Dei inueniamus placationem, ad Maieſtatis eius gloriam, & hominum ſalutem, præhabita matura deliberatione, Omnes & ſingulos noſtros & Imperij ſubiectos, vniuerſoſque Chriſti fideles, hortamur ac iubemus, quatenus huiuſmodi blaſphema & impia delicta abſtinendo fugiatis, & Dei timorem in ſenſibus accipiatis, & eius mandatis deuotè obediatis, quò miſericordiam Dei ſuſtineatis, nec prædictas pœnas incidatis.*

3. *Igitur ſtatuimus, ordinamus et volumus districtè præcipiẽdo; Si quis, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus aut conditionis ſit, Sanctiſſimum Dei nomen inaniter adhibuerit, aut blaſphema verba et Sacramenta de Deo iurauerit, aut per Sãctiſſimã Chriſti paſſionẽ, vulnera, mẽbra, et his proxima verba iurauerit, aut per Dei genitricẽ Mariã sẽper Virg., Deiq; Sãctos, vt huius blaſphemæ rei ſequẽtibus pęnis ſine omni gratia ſubijciãtur.*

Tom. VII.

De pœna eorum, qui per calorem iræ iurant. Sal. Ann. 1495. CAPIT. I.

Nempe, ſi ex præcipitantia & per calorem iræ, aut ex ebrietate, aut ſimili aliquo caſu, incogitanter fiat, tale delictum vna marca auri puri, cuius dimidia pars noſtræ & Imperij Cameræ, altera dimidia Domino, in cuius iuriſdictione perpetratum fuit, irremiſſibiliter luant. Qui autem prædictam mulctam non ſunt ſoluendo, ex arbitrio Iudicis, in cuius iuriſdictione deprehenſi ſunt, puniantur.

De nobilibus temerè iurantibus. CAPIT. II.

Si verò conſtet, huiuſmodi blaſphemias, & delicta temerariè facta eſſe: ſi patratores ſunt homines nobiles, nec priùs ob huiuſmodi impia verba deprehenſi aut condemnati fuerunt, vt fiant ipſo facto infames, neque ad vlla ampliùs Nobilium placita vel officia admitti debeant: ſi verò contingat eos iteratò in tale crimen impingere, vt ſecundum qualitatem delicti in corpore irremiſſibiliter puniantur.

De Plebeijs temerè iurantibus. CAPIT. III.

Quod ſi patratores ſunt inferioris conditionis, vt ab Iudicibus, in quorum iuriſdictione & imperio commiſerunt, ſecundum qualitatem delicti in corpore irremiſſibiliter puniantur.

De auditoribus ſubtercelantibus. CAPIT. IV.

Poſtremò vt omnes, qui ſuperiùs memorata delicta à patratoribus committi audiuerint, nec illis contradixerint, aut eos culpauerint, ſed ſubtercelent & Iudicibus, in quorum iuriſdictione huiuſmodi facta ſunt, aut eorum vices gerentibus non deferant: ſimiliter omnes Iudices & magiſtratus, qui huiuſmodi delinquentes in ſua iuriſdictione ſcienter retineant ac tolerant; vt earundem pœnarum, quas diximus, cum tranſgreſſoribus rei & culpabiles animaduerſionem ſuſtineant.

CONCLVSIO.

Quapropter omnibus & ſingulis præcipiendo mandamus per gratiam viuentis Dei, & per vniuſcuiuſque fidem, qua tenemini nobis & Imperio, quatenus huic noſtræ admonitioni, conſtitutioni & ordinationi obediatis, eamque exequamini; & paſſim per noſtras & veſtras ditiones publicari faciatis: & tam veſtros ſubditos quam peregrinos eidem

Aa 2 pare-

Sal. Ann. 1495.

parere diſtrictè iubeatis, faciatis: delinquentes autem & tranſgreſſores prædictis pœnis rigidè coerceatis; nullius hominis habito reſpectu; ſi & iram Dei & à nobis ſancitam pœnam vultis euitare. Quæ igitur noſtræ placuerunt Maieſtati, ad affectum perducere enitimini, vt & ſententiæ noſtræ executio, & nobis fiat beneplacitũ. Datum, & Regij noſtri ſigilli appenſione obſignatum, Vvormatiæ, ſeptima die menſis Auguſti, Anno à Natiuitate Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto: Regnorum noſtrorum, Romani decimo, & Hungarici ſexto.

Sal. Ann. 1495.

REFORMATIO LIBERORVM SCABINORVM IVDICII VETITI in Vveſtualia.

MAximilianus, diuina fauente clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, & Geldriæ; Comes Flandriæ, Habſpurgiæ, Tyrolis, Phyreti, Kyburgiæ, Artheſij, & Burgundiæ; Palatinus Comes Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, Namurtij, & Zutphaniæ; Marchio Sacri Romani Imperij & Burgouiæ; Lantgrauius Alſatiæ; Dominus Friſiæ, Marchiæ Vandalorum, Salinarum, & Mechliniæ, &c. Omnibus & ſingulis Electoribus, Principibus Eccleſiaſticis & Secularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Equitibus, Militibus, Capitaneis, Vicedominis, Aduocatis, Præfectis, Adminiſtratoribus, Officialibus, Sculteris, Magiſtris ciuium, Iudicibus, Conſularibus, ciuibus & commitatibus; & in primis Aſſeſſoribus, Comitibus Palatinis & Liberis Baronibus Iudicij Vetiti in Vveſtualia, cæteriſque omnibus noſtris & ſacri Imperij ſubditis ac fidelibus, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſtant, gratiam noſtram & omne bonum.

1. Reuerendi, Illuſtres, Generoſi, Spectabiles, Nobiles dilecti conſanguinei & affines, Electores & Principes, Honorabiles, deuoti, & ſacri Imperij fideles: Cùm gratia Dei omnipotentis, Creatoris & Saluaroris noſtri, ad culmen Regiæ Romanorum dignitatis nullo noſtro merito euecti ſimus, ex competenti nobis officio, ad gloriam diuinæ Maieſtatis, & Romanorum Regni Germanicæ Nationis totiuſq; Chriſtianitatis emolumentum ac vtilitatem, ſuſcepto à nobis regimine, generalem Imperij Conuentum huc Vvormatiam duximus indicendum; in quo de negotijs & grauaminibus Chriſtianitatis, dicti Romanorum Regni & Germanicæ Nationis tractaretur. In eo cùm frequentes nobis cum conueniſſent Electores, Principes, Prælati, Comites, Barones, Domini, & Ciuitates, in perſonis & per Nuntios; Nobis & generali Conuentui à Statibus & ſubditis ſacri Imperij multùm conquerendo expoſitum eſt: quòd, etſi Illuſtriſſimus quondam Princeps, Fridericus eius nominis Tertius, Romanorum Imperator, Dominus & genitor noſter dilectus præclaræ ac piæ memoriæ, poſt Regiam ſuam coronationem, de conſilio ſacri Imperij Electorum, Principum, & Statuũ, Reformationem, ordinationem & conſtitutionem Francofurti fecit, publicauit, ſeruarique diſtrictis pœnis præcepit, in qua de Iudicio Vetito in Vveſtualia expreſſa leguntur, quæ ſic infrà de verbo ad verbum ſcripta ſequuntur:

2. Item de Iudicijs Vetitis: Quoniam multæ indecentes ac impertinentes cauſæ, ad illa iudicia trahantur, & hactenus multifariam tractata ſint, vnde, niſi obuiam in tempore eatur, Res & pax publica non parum iacturæ ſit & damni acceptura: ei malo præcauendo, de conſilio (vt ſuprà dictum) noſtrorum & Imperij Electorum, Principum, & Statuum, & aliorum præfatorum, conſtituimus, & ordinauimus; ſtatuimus, ordinamus & ſancimus, de Regiæ Romanorum poteſtatis plenitudine, tenore harum litterarum, vt Iudicia Vetita honeſtis, probis, prudentibus ac peritis hominibus, non bannitis, illegitimis, periuris aut mancipijs committantur: vtq; hi non aliter in illis procedant, quàm ab initio eſt à Diuo Carolo Magno, noſtro in Imperio prædeceſſore, deinde etiam in Reformatione Venerabilis Theodorici Archiepiſcopi Colonienſis, &c. dilecti noſtri conſanguinei & Electoris, quemadmodum ei ab Imperatore Sigiſmundo, præclaræ memoriæ, noſtro anteceſſore, demandatum erat, Arnſpergæ, in præſentia multorum Comitum, Baronum, Equitum, Inſticiariorum, Comitum Palatinorum & Liberorum Scabinorum, conſtitutum, ordinatum & ſancitum; vt nimirùm ad illa iudicia

Ann. Sal. 1495.

cia nemo citetur, vocetur, aut ſiſtatur, præterquàm ob cauſas, quæ ad illa propriè pertinẽt, conueniatur, aut qui alia honeſta ratione in ordinem redigi non poſſit. Namq; ſi quis illo citetur, quem Dominus vel Iudex eius honeſta ratione queat conuenire apud eos, aut in aliorum cõſuetis terræ iudicijs; idq; Dominus vel Iudex ille Comitibus Palatinis vel occultis Iudicibus ſignificans, aut literis demandans, eum remitti poſtulet: vel ipſemet citatus, cũ duobus aut tribus viris integris non poſtulatis, Comitibus Palatinis aut Iudicibus cautionem pro ea, quam diximus, honeſta ratione, in ſcripto ſingulorũ ſigillis roborato, præſtet: tùm ipſa citatio caſſetur, & negotium remittatur tractãdum ad Dominum vel Iudicem, ad quem de iure ſpectat & auocatur, ſine impedimento quolibet Comitis Palatini aut occulti Iudicis. Quod ſi impedire conatus fuerit, & in cognitione pergere, omnes proceſſus, ſententiæ & iudicia deſuper facta vel fiẽda, nullius penitùs ſint momenti & efficaciæ: quæ nos quoque de Regiæ Romanorum poteſtatis plenitudine caſſamus, irritamus & annullamus. Nemo quoq; Comes vllum Liberũ Scabinum conſtituat, niſi qui legitimo iure poſſit fieri, & qui idoneitatem ſuam ſufficiẽter probare valeat. Nempe Liberi Scabini cõſtitui nequeunt, illegitimi, mancipia aut alio modo alienæ poteſtati obſtricti & obligati; item à S. Rom. Imperio proſcripti & exibanniti, excommunicati aut banniti ab Eccleſiaſticis aut Secularibus, ordinari ab illis Scabini nullo modo debent. Hanc vetiti Iudicij formã, vt præcedit, volumus ab omnibus & ſingulis firmiter atque inuiolabiliter obſeruari. Quare vniuerſis & ſingulis, Iuſticiarijs, Palatinis Comitibus, Liberis Scabinis, cęteriſque omnibus, ſeueriſſimè & diſtrictiſſimè mandamus, tenore harum literarum, quatenus in ſuis Iuſticijs & Iudicijs hanc noſtram ordinationem diligenter exequi faciãt. Nam ſi quid contra aut ſecùs fieri contingat, ipſe Iuſticiarius decem marcas auri Regię noſtrę Camerę culpabilis ſoluat irremiſſibiliter: Comes autẽ Palatinus officio Palatinatus irrecuperabiliter priuetur: & ille deniq; qui huiuſmodi iniuſtam citationem impetrauit, ſua ipſius condemnatione corpus perdat: poſtremò ſinguli eorum infames ab omnibus haberi, & vt condemnabiles puniri debent, ſicut iuſtum eſt.

Sal. Ann. 1495.

3. *Tamen huiuſmodi ordinationem & conſtitutionem dictis vetitis Vveſtvaliæ iudicijs nõ ſeruari, ſeque ſuoſque, cùm ſub ordinarijs Iudicijs conſiſtant, & coram illis ſecundum debitam iuris formam procedere ac reſpondere, à ſuiſque liberare, ſponte offerant, prætermiſſis ordinarijs iudicijs, ad dicta Vveſtualię vetita iudicia, etiã in cauſis, quarum cognitio ad illa minimè pertinet, citari, ibique ad procedendum cogi, & ſic ſe ſuoſque putatiuis iſtis proceſſibus captari, & ad iniquas expenſas et diſpendioſa damna perduci, intollerabili et nõ amplius ferẽda iniquitate.*

4. *Nos igitur de maturo conſilio & præhabita diligenti deliberatione præfatorum noſtrorum & ſacri Imperij Electorum, Principum, vniuerſorumque Ordinum, conſtituimus & ordinauimus; ſtatuimus & ordinamus, de certa ſcientia, tenore harum literarum, vt in poſterum ſæpiùs memorata iudicia Vveſtualiæ vetita ad prædicti Domini & genitoris noſtri Romanorum Imperatoris appoſitam Reformationem, Ordinationem & conſtitutionem, in omni forma & modo, vt in ea expreſſum eſt, habeantut.*

5. *Si verò contra eam quiſpiam in ſacro Imperio conſiſtens, ad vetita illa Vveſtualiæ iudicia citatus & vocatus fuerit, vt ille vel illi taliter citati, ipſi citationi parere nullatenus ſint obligati. Inſuper vt omnes proceſſus et ſententiæ hactenus in memoratis vetitis Vveſtualiæ iudicijs aduerſus prædictam Domini et genitoris noſtri Reformationem et conſtitutionem latæ et publicatæ, aut in poſterum ferendæ et publicandæ inutiles, caſſæ, irritæ, & nullius momenti ac valoris penitus exiſtant; adeò vt nemini vllum prędiudicium, aut in corpore et bonis damnum ac detrimentum aliquod parere vel afferre debeant.*

6. *Præterea præter pęnas in prædicta Domini et genitoris noſtri Reformatione & conſtitutione ſancitas, ſit Iudex, à quo tales poſthac proceſſus et ſententiæ fierẽt, ipſo ſtatim facto, Iuriſdictionis officio priuatus, nunquàm ampliùs recuperando.*

7. *Denique illi, qui proceſſus & ſententias prædicto modo contra Domini & genitoris noſtri Reformationem & conſtitutionem factas, exequi pro ſe conaturi ſint, eiſque freti alterius corpus aut bona temerariè diffidantes lædant, Pacem publicam, quam in prænominato Imperiali Conuentu, de conſilio præfatorum noſtrorum & Imperij Electorum, Principum, & vniuerſorum Or-*

Sal. Ann. 1495.

Ordinum, ſancimus, & publicauimus, turbauiſſe fregiſſeque, & per conſequens pœnas in ea Pacis conſtitutione comprehenſas incidiſſe iudicentur: ſicuti quoque nunc iudicamus ac cenſemus, omniaque prædicta declaramus, de Regiæ Romanorum poteſtatis plenitudine, ex certa ſcientia, tenore harum literarum.

8. *Igitur mandamus vobis omnibus & ſingulis de præfacta noſtra Regia poteſtate, ſi velitis noſtram & Imperij grauiſſimam indignationem ac cenſuram, pœnaſque in prædicti Domini & genitoris noſtri Reformatione ac conſtitutione contentas euitare; diſtrictè præcipientes ac volentes, vt, ſi de proceſſibus, in vetitis Vveſtualiæ iudicijs factis, per quemcunq; pro executione imploremini, ne adhæſionem faciatis; nec pareatis, aut quidquam attemtare præſumatis, aut alijs nomine veſtro clam vel palam vt faciant concedatis, niſi vobis certò conſtet, huiuſmodi proceſſus ac ſententias eſſe ſecundum prædicti Domini & genitoris noſtri Reformationem ac conſtitutionem, & in talibus cauſis, quarum cognitio ad illa iudicia pertineat, factas. Nam ſi quis huiuſmodi proceſſus & ſententias, de quorum certitudine & approbatione illi non conſtet, conetur exequi, & ideò alterum in corpore ac bonis attemtet ac lædat; tale factum non feratis, ſed contra patratores, eorumque adiutores, & fautores, tam in corpora quàm in bona, omnium et ſingulorum taliter agatis & procedatis, alijſque vt faciat concedatis, qualiter contra noſtros & ſacri Imperij publicè proſcriptos ac bannitos in prędicta noſtra Pacis conſtitutione declaratos iuſtū eſt. Id quod facietis ſine vlla procraſtinatione, ne alter in alterum ſeſe referat nevè differat, ſi vos, & ſinguli veſtrum, pœnas ſuprà ſcriptas vultis euitare, qua in re ſit noſtrum beneplacitū. Quicquid autem in huiuſmodi patratorum, eorumq; adiutorum ac fautorum, omniū vel ſingulorū corpora ac bona præſumetis, agetis, aut facietis, in eo non videri vos volumus cōtra nos aut Imperium, aut quemcumque alium feciſſe, neq; cuiquam de eo vllatenus ad reſpondēdum teneri.*

9. *Quod ſi quis Regium hoc noſtrum decretum ac ſtatutum contemnere, infringere, contrafacere, aut venire, auſu temerario præſumpſerit, aut alijs vt præſumant conceſſerit, eum, aut eos, omnes ac ſingulos, iubemus ac declaramus, nunc & in anteà, de ſæpiùs dictæ noſtræ Regiæ poteſtatis plenitudine, in prædictas pęnas, noſtra Pacis conſtitutione & Domini ac genitoris noſtri Reformatione comprehenſas, incidiſſe: voluműſque contra eos, propter talem illorum contemptum & inobedientiam atque delictum, in eorum corpora ac bona præſcripto modo procedere, iiſdemque pœnis agere, quas ipſis patratoribus inferri iuſſimus, ſicut iuſtum & æquum eſt. Quare ſibi quiſque caueat.*

Sal. Ann. 1495.

Datum in noſtra & ſacri Imperij Ciuitate Vvormatia, noſtri Regij appenſione ſigilli obſignatum, decima die menſis Septembris, Anno à Natiuitate Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo quinto: Regnorum noſtrorum, Romani decimo, & Hungarici ſexto.

XLIX. IN hoc ipſo conuentu Cæſar *Eberhardum* Vvirtenbergię Principem multis in Rempublicam meritis inſignem, primum ex Vvirtenbergenſium Comitum gente, ad Ducis dignitatem euexit.

L. *Sfortia in Gallum molitur.* Interim *Ludouicus Sfortia*, qui Carolum Francorum Regem in Italiam adduxerat, vt Arragonijs, & Florētinis impedimento eſſet, ſuſpectam habens eiuſdem felicitatem, timere cœpit, ne in ſe conuerteret arma. Nō enim ab initio Gallum voluerat felicem, ſed Arragonios infelices. Igitur & *Io: Galeacij* obitu, & Arragoniorum aduerſis, voti compos, vti Galli conatibus officeret, clam meditabatur. Idem prope timor & Venetos inceſſerat. Nā Gallus minimè Regno Neapolitano contentus, ad totius Italiæ anhelabat imperium; vnde & cęteri Italiæ principes, atque exteri Reges Gallorum arma perhorrebant. *Veneti timent.* Venerunt itaque ex tota fermè Europa ad Venetum Senatum legati; ita vt vno tempore decem Regum, ac Principum Oratores ſint circa curiā obſeruati: quibus procurantibus, fędus tandē ictum eſt inter *Alexand:* Pontificē, *Maxmil.* Cæſarem, *Ferdinandū* Hiſpaniæ Regem, *Venetos, Inſubrem, Eſtenſem*, & Gonzagā aduerſùs *Carolum*, & Francorum gentem. LI. Dū fędus meditarentur, Hiſpanum Oratorem, *Laurentium Suarem*, elegantiſſimi ingenij virum, *Hieronymus Donatus in apologia ſua prò Venetis*, hæc verba in curia alta voce enunciaſſe refert, *vulneri, quod Chriſtianæ Religioni à iuuene Rege, Duce furore, atque licentia illatum eſſet, medelam in ea ciuitate repertam eſſe, quæ à Senum prudentia, ratione, modeſtia, æqua poteſtate, atque optimis conſilijs rege-* *Venetorum laus.*

Sal. Ann. 1495.

regebatur. In annos viginti quinque percuſſum eſt fœdus, *tuendi, ſeruandique cauſa maieſtatem, auctoritatemque Romani Pontificis, & Italiæ libertatem*. Equitum triginta quatuor millia, peditum viginti conſcriberentur, ſuo cuique ex fęderatis tributo numero. Nam *Alexander* Pontif. equitum quatuor millia dabat, ſex *Maximilianus* Imperator, *Ferdinandus* Rex Hiſpaniæ octo, Veneta Reſpub. & *Ludouicus Sfortia* totidem, peditum verò ſinguli quatuor millia addebant. Quòd ſi quis equitũ, peditumq; ſuã aſſignatam partem aliquo caſu mittere non poſſet, ſexcentenas auri libras in ſtipendium conferat, vt prò eo exercitus conficiatur. Idem de claſſe ſtatutum, vt pecuniam ſoluat. Lex fęderis magno diuturnoque compreſſa ſilentio, *Pilippo Argentono* Gallorum legato, qui in curiam quotidiè ventitarat, latuit, donec in Collegium accitus, omnia Principis ore percepit, expoſitiſque confœderatorum nominibus, mens penè hominem reliquit: tametſi Princeps ſedenti ad dextram Legato dixerat, ea quæ facta eſſent, non propterea vt quiſpiam bello infeſtaretur, ſed vt pace ſeruata, armorum ab Italia arcerentur incendia. Demum Legatus reuocato ad ſe pauliſper animo, *Quid* (inquit) *meus Rex cum exercitu ſuo in Galliam reuerti non poterit*. Tum princeps hilari vultu, *ille verò* (inquit) *poterit, ſi amicus, pacificuſque redire voluerit; noſque illum omnibus officijs excolemus*. Quo reſponſo accepto, diſceſſit. Ferturque vbi ille è Curia digreſſus, in forum domum iturus venit, ad ſcribam Senatus, qui eum officij gratia comitabatur, conuerſus, *Rogo te* (inquit) *mihi verba ea repete, quæ Princeps mecum in curia dudum habuit: nihil enim iam eorum memini:* adeo hoc fœdere in Regem turbabatur inito. *Carolus* percuſſi fœderis accepto nuncio, armatorum octo millibus Regni preſidio relictis, cum reliquo exercitu Romam petere decreuit, vti Pontificem pertentaret. Sed eo appropinquante, Pontifex vrbe exceſſit Oruietum, relicto, qui Regem exciperet, Card. D. Anaſtaſiæ. Florentini vulgato fędere nouas & ipſi contraxère copias; vt ſi *Carolus* in eos vim inferret, propulſarét. Rex interim à *Ludouico Sfortia* ſe deceptum dictitans, auertere ab illius imperio Genuam ſummo

Fœderis conditiones in Carolum.

LII. Gallum fędus latet.

Galli timor.

LIII. Carolus Romam pergit.

ſtudio curauit, *Petri Fregoſij* Cardinalis opera vſus, & *Obiecti Fliſci*. Seguſinum itaque Principem mittens cum vndecim triremibus, Lyguſtica littora infeſtare iuſſit. Interim fœderati comparato exercitu, cuius imperiũ tenebat *Fran. Gonzaga* Mantuæ Princeps, in Parmenſi agro ad Farrum amnem, qui ex Appenino labitur, conſedere, nil in Gallos mouentes. Sed cum Roma digreſſus, vbi hoſtiliter omnia geſſerat, vicina oppida Thoſcanellam, & Montem Flaſconum diripuiſſet, Pontremulum quoque in Appenini faucibus, & Nouariam *Sfortiæ* ademiſſet, cõmuni moti periculo, vim ferro repellere agẽdum rati, in Gallum mouere. Iuxta eum cum eſſent, *Gonzaga* iuuenta ferox, & prælij cupidus, conuerſus ad *Melchiorem Triuiſanum*, & *Lucam Piſanum* legatos, *quid ſtamus* (inquit) *in tanta benè gerendæ rei occaſione? laceſſunt nos Galli, Italicam virtutem extinctam reputantes*. Ad ea Triuiſanus. *Age igitur Imperator, ſigna in prouocantem infer, atque paternæ, auitæque virtutis memor, Barbarum hodie Italicis viribus protere*. Nec vlla deinceps prælij mora. Vno tempore concurſum eſt, turbatuſque primo congreſſu hoſtis loco pellitur, ſed maiori animo, quàm conſilio vtrinque pugnatum. Nam equites peditum centurijs temerè immixti, prælium ciebant. Fuit circa *Gonzagam* feliciſſima pugna. Ille omnium primus, vt erat corpore validus, in aduerſam aciem equo inuectus, armatum hoſtem, qui ſibi obuiam ex Gallorum legione furens venerat, lancea transfixit: quo facto terror vſque ad Regem peruaſit, qui regia depoſuit inſignia, ne conſpectior haberetur, ſi aduerſa pugna contingeret. Galli tamen Rege adhortante, & ferociùs inſtante, fortiter arma gerentes, Venetum iniquo loco dimicãtem primo turbant, mox per decliuia in præceps agunt, qua fortunæ ſubita mutatione multi hinc inde viri bello clariſſimi periere. Erumpente poſtea ex Venetis caſtris leuis armaturæ Epyrothico equitatu, in hoſtium impedimenta, magnus Gallis incuſſus eſt terror; & niſi prædæ intentus miles, ſpatium reſpirandi hoſtibus dediſſet, Rex viuus in hoſtium manus cecidiſſet. Impedimentis amiſſis, & malè habitus exercitus Regius, ad Montium radices ſe primùm recepit. Maiori etiam clade Regij

Sal. Ann. 1508.

LIV. Franc. Gonzagæ effigiem vide nu. 59.

LV. Pugna fęderatorũ in Gallos.

Sal. Ann. 1595. gij in fuga affecti fuiſſent, niſi *Ioannes Franc. Iauerinas*, *Ludouici Sfortiæ* copiarum ductor celeritatem doloſè neglexiſſet, vt euadendi ſpatium Gallis concederet, quos Alta vrbs proxima ſeruauit. Idque *Ludouici Sfortiæ* conſilio factum dicitur, ne Gallorum deleto exercitu, victricibus armis Venetus leges daret Italiæ. Non feliciùs in mari Galli pugnarunt, nam eodem die, quo Rex ad Farrum ancipiti prælio dimicauit; Circa Genuam in portu Rapalitano Gallorum expugnata claſſe, præfecto cum nauibus capto, in quibus Caietanæ mulieres abducebantur, cum captiuæ auri, argentique, opima ſpolia, quæ è ſacris

LVI. *Ferdinan. Arragon. redit Neapol.* ædibus expilarant. Gallo abeunte, *Ferdinandus* ex Sicilia, quò abierat, ſoluens, Neapolim venit à ciuibus Campanæ ſonum conuocatis, in vrbem intromiſſus: inuito *Mompenſerio*, quem *Carolus* ProRegem crearat. *Columnij*, relicto Gallo, ad ipſum defecere, & *Mompenſerius* relictis arcibus cum ſuis abijt. Obſidebatur interim à fœderatis Nouaria, & *Ludouicus Aurelianenſis* princeps, qui intus erat, annonæ difficultate preſſus, miſſis ad Regem nuncijs, auxilia ſubmitti poſtulabat. Rex Taurinum profectus, fruſtra ei ſuccurrere retentauit, quod ciuitas ea nimis arctè & à multis obſidebatur: nam preter Italos, decem Germanorum peditum millia, recens in ſociorum caſtra venerant, inter quorum Duces eminebat *Michael VvolcKenſtainius*, glorioſus ob recuperatum Ottomarifanum.

LVII. *Carolus* tandem pace cum *Ludouico* facta, Octobri exeunte, Nouaria ſuis deductis, in Galliam redijt, victo quàm victori ſimilior. Poſt Regis diſceſſum, variè diù pugnatum inter *Mompenſerium*, & *Ferdinandum Aragonium*, qui omnem propè ditionem recepit, eadem facilitate redeuntibus ad ipſum populis, qua antea defecerant. Adiuuabant eum non parum *Ferdinandus Conſaluus*, quem Beticis exercitatum bellis, Hiſpaniæ Rex, Aragonijs auxilio miſerat: & *Gonzaga*, qui cũ tribus equitum millibus Venetorũ caſtra regebat. Cum his *Ferdinandus* Rex pactus erat, quidquid auri ob id à Venetis expenſum foret, ipſe integra fide perſolueret, ac Tranum, Hidruntum, Brunduſium Apuliæ vrbes pignori Venetis dabat, quouſquè pecuniam exolueret. Italia Gallorum metu propè liberata, cum ab inteſtinis reſpiratura videretur, noua inſurrexere diſſidia. Florentini Piſanam vrbem ſibi ereptam dolentes, armis iterum ſibi ſubijcere tentabant. Horum conatibus obſtabant Veneti, & Sfortia, veriti, ne hac occaſione *Carolus* in Italiam reuerteretur. *Maximilianus* (Annus iam aduenerat 1496.) miſſo diplomate libertatem confirmauerat. Vicini principes ſua Piſanis ſtudia oſtendebant. Sfortia, & Veneti non tantùm conſilijs, ſed re ipſa iuuabant; ſed cum ille parciùs, hi liberaliùs tribuerent, populares quaſi trutina ſe in eam partem inclinabant, quæ præponderaret. Cordatiores firmius ſibi præſidium in Venetorum amicitia fore confiſi, tutelam ijs obtulere; non refragante *Ludouico*, ſed adhortante potiùs, vti plures in ea re ſumptus non faceret: Venetoſque ac Florentinos inter ſe committeret. Qui crebris nuncijs *Carolum* Italiam reuocabant. Facile manus dedit Gallus in *Ludouicum* irritatus. Is ad Cæſarem conuerſus, magnis euocauit promiſſis. Apud Venetos quoque effecit, vti & ipſi aduentum eius vrgerent, conſtituto ad vicena aureum nummum millia ſtipendio menſtruo, cui ſummæ altera tricena adjci volebat Cæſar, idque in tres menſes. Id cum Venetis nimium videretur, *Sfortia* de ſuo numeraturum ſe recepit; Erat tunc ad Atheſim Cæſar in agro Tirolenſi. Ad hunc venit præmiſſis nuncijs *Ludouicus*, & Malzium ſub ipſis Alpibus pagum, conuenit, vnde venationis ſpecie redeunte Bormium vſquè proſequutus, Italicam expeditionem conſtituit.

Sal. Ann. 1595. LVIII. *Piſanorũ cum Florent. diſſidia.* 1496. *Ludouic. Sfortia Cæſarem adit.*

Currentem annum nobilitauit matrimonium *Philippi Auſtriaci* Ducis Burgundiæ, Belgarum principis cum *Ioanna Aragonia*, *Ferdinandi* & *Eliſabethæ* Hiſpaniarum Regum filia, contractum apud Lyram, Brabantiæ oppidum, atque geniali thoro eodem loca abſolutum; cætera Bruxellenſibus reſeruata. Habes hic *Ferdinandi* ſymbolum, nodum *Gordianum*, quem Alexander diſcidit, non diſſoluit, vt Aſiæ regno potiretur. Sic *Alfonſus* motam de regno Caſtellæ controuerſiam armis diſſoluit, æmulam increpans: *aſcende ſolum, ſi pluribus lubet experiri*. Referunt alij ſymbolum hoc ad regnum Neapolitanum. *Sigiſmundus Auſtrius Senior* cogno-

LIX. *Nuptiæ Io: Arragoniæ cum Philippo Auſtrio.*

gno-

Sal. Ann. 1495. gnomento *Opulentus* qui Tiroli imperabat, pridie Nonas Martij fato cedens, *Maximiliano* Imperatori ſuas ditiones ex aſſe reliquit. Sal. Ann. 1496.



CAESARIS EXPEDITIO ITALICA. Ann. 1496.

REbus in Tirolenſi ditione conſtitutis, in Italiam Cæſar deſcendit, nec Mediolano procul, de *Ferdinandi* Regis Neapol. obitu nuncium accepit (is cum omnia propè recuperaſſet, ſubito quodam morbo correptus, nondum exacto ab *Alphonſi* patris morte anno, deceſſit) qui quòd filios non haberet, Cæſar, de regno illo ad generum ſuum, *Ioannem Ferdinandi Hiſpani* filium, cogitare cępit. Sed *Ludouicus* eam rem diſſuadebat, ne ob locorum diſtantiam, Gallorum potentia vires acquireret. Igitur mutato conſilio, Cæſar *Friderico* regis mortui patruo, ſucceſſionem regni diplomate comprobauit. In Taurinos inde abijt, vt Aſtam tentaret, Sabaudiæ, ac Montisferati regulos, Imperio obnoxios, à Gallorum amicitia deterreret. Hi tamē ad colloquium vocati, Cæſarem adhuc inermen ſpernentes, venire detrectarunt. *Ludouicus* verò, qui Piſas occupandi ſpem nondum abiecerat, nè ea Venetorum imperio accederet, modis omnibus impediendum ratus, *Maximil.* auctor erat, vti Piſas ipſe proficiſceretur, ſeque legitimum eius controuerſiæ cognitorem, ac iudicem interponeret, quia ea ciuitas ſub veteri Imperij iure teneretur. Ea, pecunia & gratia, qua apud Cæſarē pollebat, voti ſui compotem fore ſperabat. Probauit *Maximil.* conſilium, & Florētiam miſit legatos, qui eos ad ineundum cum reliquis Italiæ principibus fœdus, hortarentur ad tutelam Italicę libertatis. Interim arma ponerēt, quòd ſe inter eos & Piſanos diſſidia ad ſe euocaret. Florentini, licet tanto apparatu trepidi, negarunt cuiuſquam arbitrio cauſam committere, priuſquàm ſibi reſtituerentur erepta. Legatione verò ad Cæſarem inſtructa, nè cauſæ ſuæ diffidère, vel à concordia alieni vide-

LX. *Mors Ferdin. Arragonij.*

LXI. *Florentini negant ſe cōmittere arbitrio Cæſaris.*

Sal. Ann. 1496. viderentur, rem protrahebant, Gallorum expectantes aduentum. Complures dies in Lyguriæ finibus cum ſe continuiſſet Cæſar, cum ſex Venetorum triremibus, & Genuenſium aliquot Liburnicis ſoluens, Piſas peruenit; coactoque ciuitatis concilio, blandeque omnibus appellatis, ſuam operam bello aduerſus hoſtes obtulit: Trituritęque oppidi arcem, quæ mari vndique alluitur, oppugnare inſtituit, vnde ab hoſtibus res frumentaria impediebatur, ne Piſas importaretur, vrbſq; ob eam cauſam annonæ penuria laborabat, itaque Legatis Venetis, qui exercitui præerant, mandatum, vt ad remorandos hoſtes, in diuerſas partes equitatum emitterent, trecentique milites Heluetij è nauibus cum tormentis, ſub ſuis Ducibus egreſſi, occupare collem iubentur, qui è regione arcis eſt, iamq; res armis geri cęperat, cum Trituritani portis magno impetu erumpunt, præliumq; committitur, ac cædes vtrinque magna fit, in eo tumultu perfectus claſſis, milites è nauibus, remigeſque ſtatim auxilio laborãtibus ſubmittit ab his hoſtis fuſus, fugatuſq; repellitur, & noſtri ad naues victores redeunt. Interim vela aliquot è longinquo viſa ſunt, eò ſecunda aura tendere: quarum aſpectu ſubitò in Veneta claſſe ad arma conclamatum eſt, præfectuſque cum ſuis triremibus explorandi cauſa è portu ſoluẽs, verſus ea vela, quæ mari apparuerant, curſum dirigit: & quum proximè acceſſiſſet, eas Gallicas eſſe cognouit, numero ſex, commeatus, & armatis plenas, quarum vna erat amphorarum ſupra mille ducentarum capax, reliquæ paulò minus, eas itaque præfectus leuioribus nauigijs aggredi temerarium, & periculoſum putauit: ijs autem di-
LXII. miſſis, in aliam, quæ magno interuallo ſequebatur, minorem nauim, impetum fecit, eamque diu fugitãtem aſſequutus, poſt atrox certamen captam, victamq; in ſuam redegit poteſtatem, magnaque frumenti copia abducitur, id nauis hoſtium maior, quæ cum alijs ad Trituritam iactis anchoris ſubſtiterat, conſpicata, vt circumuentę ſociæ naui auxilio eſſet, ventum proſperiorem nacta, vela ad naues Venetas infeſto curſu dirigit, ſed præfectus animaduerſo periculo, nauem captam remulo in ſiccum abſtraxit, ab hoſtiumque ſimili modo manibus eripitur, terreſtres autẽ copiæ ad Trituritam cõſedentes, bellicis muneribus vacabant, arcemque tormentis concutere milites cęperant, aſſiduaque imbrium effuſione rerum gerendarum curſus non parum interruptus, ita vt Maximilianus Rex ab obſidione recedens, ſuis cum copijs ad Vicum Piſanum ſe contulit, inde propè ſubiratior, ſeque deceptum Princeps elati animi dictitans, nulla re in Italia memorabili geſta, in Germaniam redijt. Eius diſceſſu Florentini vehementer lætati ſunt, a quo bellicoſis ſuffulto copijs ſibi magnopere timuerãt. Subita itaque vi Caſtella complura, quæ à Piſanis tenebantur, aggreſſi recepere, & Venetus Maximiliani receſſu, in proxima municipia ad hybernandum conceſſit: & per illos fermè dies naues Gallorum quattuor, duas Venetas frumenta Piſas comportantes, intercepe- runt, vnde Græci equites ad ſubleuandam commeatus inopiam, publico decreto ex vrbe abiere, & Rauennam profecti ſunt. Sal. Ann. 1496.

Interea *Carolus* nouam expeditionem parabat, vtque fęderatos diſtraheret conabatur. Ad pacem inclinare videbatur Hiſpanus, qui maiorem Calabriæ partem tenebat, vt ſibi potiùs quàm *Friderico* regnum Neapolitanum aſſereret. Cum hoc igitur pactis inducijs, quibus cœteros omnes excludi *Carolus* voluit, præter Cæſarem, & *Henricum VII.* Anglorum Regem, terrorem *Sfortiæ* incuſſit. Non multò poſt *Ioannes* filius *Ferdinandi* Regis diem obijt; Vxor verò abortum paſſa, grauiſſimo mœrore Hiſpaniam affecit. Et quia nulla ſola calamitas eſt, eodem propè tempore *Ioannes* Rex Luſitaniæ, cui altera illorũ filia *Iſabella* natu maxima nupta erat, equo excuſſus, ceruice fracta, deceſſit. Itali porrò de *Caroli* aduentu ſolliciti, dum inſperato eius obitu liberi eſſe creduntur, *Ludouicus Aurelianenſis XII.* ad quem regnum deuolutũ erat, haud obſcuris indicijs oſtendit, eius ſe ditionem, quam ex auiæ ſuę Valentinæ hæreditate, ſuã eſſe contendebat, armis ſibi vindicaturum. Hæc in Italia: Dum in Germania.

LXIII. *Induciæ inter Gallũ & Hiſpanum.*

Io: Hiſpani mors.

Io: Luſitani mors.

LXIV. *Caroli Regis mors.*

BELLVM HELVETICVM. Ann. 1497.

LXV. CÆſar ſeruandę cum Heluetijs pacis cupidus, colloquio cum eorum legatis Landauij inſtituto, petit, vt pace per totam Germaniam conciliata, ipſi quoquè vicinæ

Sueuo-

Ann. Sal 1497. Sueuorum genti fœdere iungerentur. Fœdus hoc publicæ concordiæ fore opportunum. Legati non neſcij, populares ſuos ab ea ſocietate abhorrère, ſpatium conſulendi, poſtularunt. Re in commune deliberata, *Maximiliano* renuntiarunt, *ſuæ genti ob fœdus domeſticum, & priuilegia à multis retro Imperatoribus conceſſa, non eſſe integrum ad Sueuorum fœdus accedere, orare proinde, huius petitionis Cæſar gratiam faciat, alias ad obſequia promptos exhibituros*. Et hæc noua belli ſemina, de quo infra. Agebatur Annus 1498. cum *Eberhardus Vvirtembergicus Iunior*, qui *Eberhardo Barbato* patruo, primo Vvirtembergiæ Duci ſucceſſerat, ſubditorum, quos ſibi infenſos nouerat, metu, abdicato principatu, Vlmam profugit. Hinc Cæſar in Sueuiam profectus, *Vdalricum* filium *Henrici* fratris ſuffecit adhuc decennem, datis tutoribus, qui ſummæ rei præeſſent, donec ille adoleſceret. Cum *Eberhardo* actum eſt, ex auctoritate Cæſaris, vti vaſis argenteis nepoti redditis, ſex millia florenorum quotannis acciperet. Is ad *Philippum Palatinum* profectus, ſexto poſt anno obijt. *Vdalrico* Cæſar *Sabinam* ſororis ſuæ *Cunegundis* ex *Alberto* Boiorum Duce filiam deſpondit; quam ille vbi togam virilem, prætexta poſita, induerat, domum duxit. Ex *Sabina* ſuſtulit *Chriſtophorum*, apud auunculos in Bauaria educatum, poſt à Cæſaris aula dilapſum in Galliam, varijs caſibus agitatum, tandem patris vita functi ſucceſſorem.

Heluetij reſpuunt fœdus Sueuicum.

LXVI. *Vdalrico Sabina nubit.*

LXVII.

Sal. Ann. 1499.

LXVIII. Anno tandem huius Seculi poſtremo, Heluetico bello gerendo cum *Albertum Sapientem* præfeciſſet *Maximilianus*, reclamarunt Sueui, qui inter fœderatos *Maximiliani* eminebant, indignum iudicantes, Sueuico fœderi, cuius ipſi ſe ferebant principes, Boicum caput imponi. Cæſar minime opportunum ducens, eos irritare, *Albertum* per ſpeciem noua adducendi ſubſidia, ad ſua tutanda dimiſit haud inuitum: quippe cui tutum non eſſet, venari inuitis canibus. Bellum tamen Sueuis ductoribus tam improſperè geſtum eſt, vt *Albertum* ſuæ abſentiæ non potuerit pœnitere. *Maximiliano*, quem nuperum Heluetiorum fœdus detrectantium reſponſum offenderat, nouæ diſſidij ortæ ſunt cauſæ. Iam à multis retro annis, permulti principes, & omnis ferè nobilitas Heluetijs erant infeſti, ob aſſertam armis libertatem. Conſtantia ad lacum Podamicum, quæ hactenus abs Sueuorum iuxta ac Heluetiorum ſocietate abſtinuerat, per eos dies ſe Sueuis adiunxit. Accedebat ad veteres ſimultates antiquum odium inter Atheſinos Cæſaris ſubditos, & Griſones Rhetiæ populum, quòd ad eam diem nullis arbitris componi potuerat. Quamobrem *Curienſes* Rhetiæ primi, cum ſe aduerſariorum viribus impares crederent, Tiguri in publico conuentu, Heluetiorum fœderi ſe coniunxerunt. Belli initium apud *Vennones*, vbi *Atheſini* Munſterthalium collegium inuadere tentantes, ab accolis non ſine clade fuere repulſi. Locum illum *Atheſini* ad *Maximilianum* ſpectare contendebãt, *Griſones* contra eundem ſuo præſidio aduerſùs *Atheſinorum* vim firmarunt. *Curienſis* Antiſtes, Cæſari quàm Heluetijs addictior, cum eidem arcem Fuſtenbergam tradidiſſet: apud ſuos ſibi grandem cõflauit inuidiam. Primus Cæſarianorum impetus, & Sueuorum Heluetijs terribilis fuit; vnde propugnacula aliqua vltro venienti occupatis aliquot hoſti ceſſere. Remittente poſtea furore, cladem Cæſarei tulere à *Griſonibus* amiſſo Valdutzia, & Maienfelda. Inde quo minùs timerent Heluetij fœdus in decem annos percuſſere cum Gallo. LXX. Cæſar verò nouis ſuos firmauit auxilijs ductore *Alberto* Saxoniæ Duce. Tirolij Rhenum traiecti, pagos aliquot agri Sangallenſis exurunt fugatis Heluetijs: Conſtantienſes, nonnullis vicis in hoſtico direptis & incenſis, cæduntur, fugantur: Atheſini irrumpunt in fines Engaddinorum: Griſones contra profligant Atheſinos in Vennonibus, occiſis quatuor hominum millibus. Denique multis cladibus vltro citroque datis & acceptis, pax ſub exeuntem Septembrem conuenit, læto *Alberto Sapiente*, quòd ab eo bello licuiſſet abeſſe.

Sal. Ann. 1499. LXIX. *Heluetici belli cauſæ.*

Gallorum fœdus cum Heluetijs.

LVDOVICVS SFORTIA DVCATV SPOLIATVR. Ann. 1500.

LXXI. VEnetorum Legati cum ad *Ludouicum* Gallorũ Regẽ gratulatũ veniſſent, Rex ſub alto propoſuit ſilẽtio, cõſtitutũ ſibi eſſe, in Italiã cũ potẽti exercitu trãſire, ac Mediolani

Sal. Ann. 1499.

Fędus Venetorum cum Gallis.

principatum, qui ad ſe hæreditario iure ſpectabat, armis repetere, gratumque ſibi admodum fore, ſi *Veneti* ſecum ſocia arma coniungerent. Re in Senatu diutiùs agitata, patres dubijs animis conſultationes trahebant. Plerique *inopportunum ducebant Reipublicæ, potentiſſimum Regem ſibi finitimum in Italiam adducere, qui ſi Mediolano potiretur, potentia, viribuſque auctus, ſuperbe, & prò libidine imperitaret.* Alij *Sforciæ* nomen oderant, *neminemque eo in Principatu Reipub. perniciosiorem eſse apertè aſſerebant, quàm per multos annos experti fuiſsent; verebanturque, ſi Regis ſocietatem repudiarent, ne is ſtatim commutata voluntate in Reip. excidium cum Sforcia ſe coniungeret, qui vt bellum à ſe auerteret, quaslibet à Rege conditiones erat accepturus: recentes quoquè, ac veteres Sforciæ iniuriæ ciuium animos ad vindictam expetendam incitabant.* Aliqua etiam in Senatu propagandi fines imperij cupiditas inerat, iuſto præſertim bello; Decretum itaque cum Rege ſocia arma iungere, his conditionibus, *vt Ludouico Sforcia principatu eiecto, Mediolanum, ac reliquas vrbes Rex ſuæ poteſtati adijceret, præter Cremonam, quam vrbem cum Abduana glarea Veneti haberent, darentque ipſi in id bellum equitum Septem, peditum ſex millia:* Antequàm conficeretur fœdus, adfuit qui *Sforciæ* prædiceret, ſed is reſpondit: *Bono ſis animo* (inquit) *nunquàm id Senatus decernet, nè præpotentem Regem finitimum habeat, & nos potius, quàm Gallum Imperio ſuo vicinos optabit.* Sed vbi fœdus concelebratum audiuit, ſæpe ſeipſum *Sforcia* accuſans, qui nunquàm id credere potuerit, *Ioannem Franciſcum Seuerinatem*, armorum ductorem inſignem, quem quidem cum inſtructis copijs ad Piſanum bellum Florentinorum auxilio mittere ſtatuerat, retinuit, nec à Mediolano diſcedere permiſit, vt Aſtam versùs, vbi iam *Triultius* militem cogebat, eum proficiſci iuberet. Fœdere itaque in D. Mariæ æde præconis voce in vulgus recitato, dum verba pronunciarentur, ventus ſubitò coortus vexillum Reipublicæ templi turriculis adeo implicuit, vt vexilli pars eo impetu abſcinderetur: quod ſanè prodigij loco habitum. Media poſtea æſtate ſuis, *Ludouicus*, In Italiam ſub *Ioannis Iacobi Triultij* imperio præmiſſis copijs, Lugdunum venit. *Sforcia* Gallica, Venetaque arma timens, ſi quo pacto Venetos placare poſſet, oratorem ſuum ad Senatum mittere curauit; qui nec in vrbem receptus, ſed dum *Triultij* armis *Sforcia* hoſtiliter vexabatur; à Venetis quoq; immiſſo *Liuiano* circa Olium, vrbes, populiquè ad Gallos, Venetoſque deficiebant. Itaque tantas hoſtium vires *Sforcia* ratus ferre non poſſe, trans Alpes fugiens Oenipontum ad Cæſarem ſe contulit (triginta mulis theſaurum & ſupellectilem deferentibus) eumque, vt præſentiſſimo erat ingenio, in Gallos armare ſtuduit; parique arte vſus curauit, vt *Baiazethes* Turcarum Imperator, ruptis fœderibus Venetum terra, marique armis aggrederetur: dum Rex *Ludouicus* poſt primos *Triultij* conatus cum florentiſſimis copijs in mediam Inſubriam progreſſus, non ſolùm Mediolano cum munitiſſima arce, *Bernardini Curtij* proditione potitus, totum *Sforciæ* Ducatum, populis ad Gallorum obſequium ſponte accurrentibus, occupat. Veneti quoque ex altera parte cum magna armatorum manu, ſub *Liuiani* ductu mouentes, Cremonam, & reliqua oppida ſibi ex fędere ſpectantia feliciſſimo victoriæ curſu redigunt in poteſtatem.

Sal. Ann. 1500.

LXXII.

Legatus Sforciæ ad Venetos.

Ludouic. Sforcia fugit.

Turcas excitat in Venetos.

Galli & Veneti Mediolanen. Ducatu potiuntur.

Tanti triumphi nummos honorarios inſpice à Lugdunenſibus cuſos, cum lætus *Ludouicus* ob vxoris partum, quæ *Claudiam Valeſiam* (erit ea poſtea Gallorum Regina) pepererat. Nummus principalis *Lilijs* vndique conſperſus eſt, ſymbolo Francorum gentilitio. Conſpicitur in altero *D. Ambroſius Mediolanen. Antiſtes*. In tertio *crater* eſt, qui in Cęlo oritur XV. Cal. Martias (Fit vt inter Eclipſes) Quem *Ludouicus* vſurpat, quòd in regnum Galliæ, *Carolo VIII.* ſine hærede mortuo ſucceſſerit: & Inſubriam capto Duce, occuparit. Vndè ad defectus Principum reſpexit. Fortunæ hic, iſtic naturæ. In quarto *Torquis* eſt ordinis Procerum Regni Galliæ, vt apparet ex penſili bulla Archangeli Michaelis. Erat inquàm (iam enim abolitus eſt) & erat *Immenſi tremor Oceani:* quamdiù illa concordia ſtetit contra barbaros. LXXIII.

Sforcia verò recuperandæ ditionis ſpe ſolicitus, *Galeacium* in Sueuiam miſerat, ſpecie pacis, ſed vt Heluetiorum quorundam animos ſibi conciliaret. Is tunc ad eos profectus,

Sal. Ann. 1500. fectus, quinque millia mercede conduxit, qui ob fędus Gallicum domo abire prohibiti, inuito Magiſtratu, in Italiam ſe ſe abdiderunt. His accedebant à Cæſare auxiliares Atheſinorum copiæ, & quingenti grauis armaturæ equites illi, quos bello Heluetico *Sal. Ann. 1500.*



Philippus è Sequanis patri miſerat. Inſubres quoque nonnulli in fide adhuc manſerant,
LXXIV. quibus pręerat *Aſcanius Sforcia* Cardinalis, *Ludouici* frater, cuius maximè opera omnis ferè ditio paucis diebus recepta, & Mediolanenſes, auerſis à Gallo animis, veterem dominum lęti excepere. Interim Cæſar curabat à Rege ad *Sforciam* Heluetios traducere; Sed hi fędus obijcientes, quo Regi tenebantur obſtricti, in eum arma ſumere recuſabant.

Annus is erat ſæcularis, quem *Iubilæum* dicunt Aula & Eccleſia: ob theſaurum cęleſtis gratiæ hæc: illa ob Natiuitatem *Caroli V.* LXXV. *Caroli V. ortus.* qui nepos fuit *Maximiliani* Cæſaris ex filio *Philippo* Belgarum Principe. Gádaui naſcitur, *VI. Cal. Mar.* Hunc è Sacro fonte *Nonis Mar.* ſuſceperunt *Margaretæ* duæ, Anglica *Eduardi* Regis ſoror, & Auſtriaca Cæſaris *Maximiliani* filia. Ad *Sfortiam* redeamus. In Galliam Rex reuerſus erat, quo pręſente vix contineretur exercitus illius licentia. *Iacobus Triultius* LXXVI.

Sal. Ann. 1500.

ultius Regis vices implebat, non minus *Sfortiæ*, quàm Gallo inuiſus, quia ob multa belli paciſquè decora, ſuſpicio non aberat, quaſi pluſquàm ciuilia agitaret. *Guelfarum* partium caput erat, quæ ſæuè graſſabantur. Ciuitas tota militaribus lacerabatur iniurijs, nuſquàm prohibente *Triuultio*, niſi cum iniuriæ pars ad Guelfos ſuos pertineret. Clauſtra ipſa furentis militis ſunt polluta licentia. Ipſe tandem *Triuultius* inſolentiæ popularis impatiens, quoſdam ob tributa tumultuantes medio in foro ſua manu obtruncauit: quo facinore adeò plebem irritauit, vt paſſim Gallis etiam audientibus, *Sfortia* poſceretur. Cumque quotidiè creſceret, hinc intemperantia & ſæuitia Gallici dominatus, hinc fremitus, & in *Sfortiam* fauor. Ea res accendit exuli Principi animum, vt non expectata Mahumetana, vel Cæſariana ope, quam apertè ſolicitauerat, imperium recuperaret. Fugiebat relicta patria nobiliſſimus quiſque ad *Sfortiam*, pecuniam, arma, vitam ipſi pollicentes, ſi redire vellet. His erectus *Ludouicus* vnà cum *Aſcanio* fratre, tumultuaria Heluetiorum, & Belgarum manu, mira celeritate ſuperatis montibus, nauibuſque

LXXVII. *Sfortia recuperat Mediolanum.*

conſcenſis, per Larium lacum vrbi Nouocomo ſucceſſit, vbi eadem alienatio in Gallos, quam Mediolani conciuerant rapacitas & libido. Municipes vt adeſſe *Sfortiam* ſenſerunt, nihil ſanè cunctati, fauſtis vocibus venire legitimum principem iubentes, armis, infeſtoque clamore Gallos proturbant. Pari rumore Mediolanenſes *Triuultium* deturbarunt. Mox *Ludouicus* inſigni leuitate fortunæ vrbem intrauit. Non eadem tamen facilitate cæteræ vrbes reducem *Ludouicum* admittebant. Laus, & Placentia Gallicum malebant retinère præſidium, velut ex rerum euentu capturæ conſilium cunctabantur. Itali Principes eadem expectatione fluctuabant, aut ſubſidia leuiora pollicebâtur, quàm quæ præſens rerum neceſſitas, & imminens rursùs ex Gallia periculum poſtularet. Inſtaurabatur ab Rege bellum apparatu maiore, pudorque & ira in Mediolanenſes, quo maiora erant incitamenta Gallo, tanto plus minarum, ea rerum facies oſtendebat. Sibi tamen minimè defuit *Ludouicus*, rem benè geſſerat, niſi proditio malum vltimum acceſſiſſet.

Sal. Ann. 1500.

Cum in vtroque exercitu, magnus Heluetiorum numerus eſſet, eæque copiæ ductores ſuæ gentis haberent, compoſita inter eos Duces fraude, *Sfortia* rerum humanarum ludibrium fuit. Ad Nouariam inſtante hoſte, barbari ferociter, ac ſeditiosè flagitare ſtipendium incipiunt: ni perſolutum ilico, numeratumque ſit, ſeſe domum eſſe abituros minitantur. Non erat Principi ad manum, vnde ſatisfieret, relictuſque Mediolani Cardinalis *Aſcanius* in oppugnatione Arcis, anxiè tẽtabat, mouebatque omnia, vt conficeret aliquid pecuniæ, quæ mitteretur ad exercitum. Id ipſum *Ludouicus* excuſans, prolato argento omni, quod in militari ſuo inſtrumento, domeſticaque ſuppellectile haberet,

Heluetiorũ fraus.

vaſa illa tumultuantibus offert. Addebat preces, & lacrymas, haud minus efficaci ad humanum genus delinimento, ſi gens eſſet alia, vel niſi iam parata & meditata proditio penitùs animos efferaſſet. Accepto, quod dabatur, argento, cum *Sfortia* ducere in aciem vellet, ſummę rei diſcrimen facturus, quod vnicum eſſe malorũ putabat remedium: Heluetij excuſare cęperunt; eſſe in contraria acie fratres, conſanguineoſque ſuos, quorum nollent fœdari ſanguine; nec poſſe in eos abſque Principum auctoritate dimicare. Cum eiuſmodi dictis abibant, vt ſe ſe ad Gallici exercitus Heluetios adiungerent, vnoque agmine omnes domum irent. Tunc *Ludouicus* obſecrare inſtitit, vt quando ita decretum eſſet, ſinerent ſaltem ipſum quoque vnà ire, Helueticoque gregali cultu cœteris peditibus immixtum ſecum abducerent, ac ſeruarent. Fortaſſe nil aliud maluerant proditores, ſtatimque eis annuentibus, *Sfortia* braccatus, &

LXXVIII *Sfortia ab Heluetijs proditus*

cęno fœdatus inter calones, & lixas ibat fortunæ deforme ſpectaculum. Per media Gallorum caſtra ducebatur, vt ipſe credebat, occultus, & ignoratus; vt res docuit, monſtratus hoſti per eos ipſos, qui occultantium imagine ducebant. Ita repentè comprehenſus, detracta larua in cuſtodiam datur. Cardinalis *Aſcanij* haud felicior fuga fuit. Dormientem *Conradus Landus* (ad quem confugerat hominem ſibi & vetuſtate amicitiæ, & affinitate coniunctum) *Carolo Vrſino*, & *Soncino Benzono*, Veneti exercitus ductoribus tradidit. Lugdunum raptati, vt in conſpectum

Regis

Sal. Ann. 1500. Regis admitterentur, nec impetrare potuerunt. In Louenſem arcem conditus *Ludouicus*, decimo poſt anno diem obijt. Hoc tam inſperato Regis ſucceſſu, ſollicitus Cæſar,
LXXIX. *In Gallos Cæſar meditatur.* multaque & à Venetis antea, & nunc ab illo, qui amicos ſibi eos habere videbatur, quæ ad vetera Imperij iura (vt dicebat) pertinerent, occupata eſſe ægrè ferens, ſeptemviros cæteroſque Imperij Principes, & ordines ad impediendos illorum conatus hortabatur, *vti in aſſerenda Imperij dignitate ſibi auxilio eſſent, & iniuriam non tam ſibi, quàm Germanorum genti fieri prohiberent, nè Gallus impunè abire ſibi, quicquid agat, videns, maiora aggrediatur, & conciliato ſibi Pontifice (quod facile eſſet) Cæſaream dignitatem ad ſe trahat, aut relicto Germanis titulo ac nomine, ea interim agat, quæ à Cæſare fieri ſolent*. Similia hæc ſeriò *Maximilianus* vrgebat. Coactis itaque comitijs, bellum eſſe decretum à Germanis in Gallos, rumor ferebat. *Ludouicus* Rex haud fidens Italiæ Principibus, Mediolanenſium fidem (quam fluxam paulò antè expertus erat) ſuſpectam habens, bellum Neapolitanum, quod dudum meditabatur, in aliud tempus differendum ſtatuit. Hinc cum eius copias à bello vacantes, & Florentini, & Piſani, pro ſe quiſque, non ſine pecuniæ pollicitatione, in ſuas partes adducere tentarent, Cardinalis Rotomagenſis opera Florentinis, quòd Mediolanenſi bello regem iuuerant, copiarum pars cum tormentis conceſſa eſt. Domeſtici porrò tumultus, & Gallorum erga Piſanos propenſio obſtitit, quò minus Florentini operæ pretium facerent. Interea
LXXX. Gallus cum Cæſarem ſibi conciliare haud poſſet, miſſis Romam legatis, Pontificem in ſuas partes perduxit. Qua occaſione *Cæſar*
Cæſar Borgia Piſaurum occupat. *Borgia* eius filius, vtendum ratus, Piſaurum, Ariminum, dominorum fuga deſertum occupauit. Moritur hoc anno *Leonardus* Goritiæ comes, & quia ſine hærede, eius ditiones Auſtrijs ceſſere, quibus iam erant oppignoratæ.

LXXXI. *Ludouicus Rex pacem deſiderat à Cæſare.* Ineunte interim Anno primo ſupra Milleſimum & quingenteſimum, *Ludouicus* Rex, nè in occupando regnum Neapol. Cæſarem haberet infeſtum, *Philippum* filium eius per legatos tentauit, & ſpetie commertij, quod vtrique vtile & neceſſarium foret, ad pacem prouocabat, quam affinitate firmari poſſe, quòd Rex maſcula prole careret. *Claudiam* filiolam triennem, *Carolo* filio *Philippi* deſpondere offerebat ea lege, *vti ad pubertatis annos prouectis, Mediolanenſis Ducatus, dotis nomine daretur. Cæſar verò Mediolanenſis principatus vſurpationem Regi ſua auctoritate confirmaret; bellumque Neapolitanum mouenti, ne impedimento eſſet*. Annuente *Philippo*, renuit *Maximilianus*. Numerata tamen pecunia Rex, inducias aliquot menſium impetrauit. His ita peractis, cum *Ferdinando Hiſpano*, qui & ipſe Apuliæ inhiabat, fœdus init, quo vterque *Fridericum* aggreſſi, ditiones eius ita partirentur, vti *Gallo Neapolis cum Aprutiorum prouincia, Hiſpano Apulia, & Calabria cederet*. Fridericus à duobus potentiſſimis Regibus oppugnatus, dedentibus ſe ſe paſſim ciuitatibus, extrema neceſſitate circumuentus, ad Gallorum fidem ſe contulit. LXXXII. *Fridericus et Alphonſus Reges Neapol. capti.*

Vide numos, votiuum alterum *Friderici II.* cuſum cum regno exutus *Ludouico XII.* Galliarum Regi ſe, fortunaſque ſuas commiſit; Ardet in igne liber, ſub lemmate *recedant vetera*, annuens optare, vt poſitis odijs, & iniurijs à *Ludouico* illatis, pacate viuere poſſet ſub *Ludouici* tutela. *Vide etiã nu 92.*

Vindex eſt alter, & fert agnum à lupo raptatum, ſub titulo *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Cuſus eſt ab eodem *Friderico*, acceptæ à *Ferdinando* iniuriæ tempore ad Hiſpani ludibrium. Non multò poſt. *Conſaluus* filium illius *Alphonſum* Tarenti aliquandiù obſeſſum, eoque dedito captum, non in Galliam quod promiſerat, ſed in Hiſpaniam miſit. Huc facit *Ferdinandi Catholici* ſymbolum, (hoc vide ſupra nu. 60.) *gladius* in circulo, & ſub corona, ſub lemmate, *tanto monta*, quòd tamen tyrannidis potiùs ſignum eſt, quàm iuſtitiæ.

Alterum eſt *Conſalui* poſt memorabilem deuictis Gallis victoriam ad Cannam, & Lyrim Ann. 1503. vbi flos concidit Gallicæ nobilitatis. *Conſaluo* itaque alludere placuit in ſymbolo ad exempla *Auguſti* & *Titi*; vterque oppreſſo Antonio, hic Ianum clauſit: ille euerſa Hieroſolyma & bellis tota Syria, compoſitis.

Non ceſſabat interim Gallus Cæſaris animum LXXXIII

Ann. Sal. 1500. *Cæſaris conuentus cum Rotomagẽſi.* mum demulcire, à quo ſi diploma de Mediolanenſi principatu impetraſſet, loca quædam ad eius iuriſdictionem pertinentia, à Venetis adimere in animo habebat. Spes tandem cum à *Maximiliano* fieret, Tridentum eum Cardinalis Rotomagenſis conuenit. Vbi de *Caroli* cum *Claudia* matrimonio, deque Mediolani Ducatus poſſeſſione illis confirmanda facile conuenit, & quia res longa videretur, nec magno negotio (ſi opus foret) impedienda. Hic de bello Venetis inferendo agi cœptum, à quibus multa in Gallia Ciſalpina, *Sal. Ann. 1500.*



Petrus Iuſtin. lib 10. pag. 277. in Flaminia, in Apulia, in Carnis oppida iniuſtè occupata Reges querentes, ex ſua dignitate putabant, coniunctis repetere viribus: nam ad id potentiæ terra, marique Venetum Imperium peruenerat, vt formidini eſſet. Tertio de generali ſynodo conuocanda propoſitum, qua Cardinalis Eccleſiam non in membris tantum, ſed in ipſo capite reformandam eſſe contendebat; Erant qui occultè ipſum ad inuadendam Pontificiam ſedem aditum ſibi quærere putarent. De Inſubriæ iure controuerſia erat, quòd Cæſar maſculæ Regis proli, ſi naſceretur, cauere recuſabat: exules preterea poſtliminio reſtitui poſcebat. Id Rex minimè admiſſurus videbatur, timens factionibus capita & vires reſtituere. LXXXIV Ne verò Cæſaris interceſſioni omnino, nihil daretur, *Aſcanius* Cardinalis liber eſſe iuſſus, & de *Ludouico Sfortia* in Galliam alicubi ſuſtentando, ſpes facta eſt: Regemque annua viginti ducalium nummum millia in ſumptus numeraturum, Cardinalis recepit. Poſt longam diſceptationem nihil liquidò tranſactum. Induciæ ſolum firmatæ, vt commodiùs pax iniretur. Eodem tempore.

PHILIPPVS HISPANIAS PETIT. Ann. 1501.

LXXXV. Hiſpaniarum populos ſibi præſens conciliaturus *Philippus* cum *Ioanna* vxore, ſub finem Nouembris Pariſios venit: vbi à *mercatorum præfecto* (perampla eſt in ea vrbe dignitas) & reliquis ordinibus, ſummo honore, ac lætitiæ vocibus exceptus, Prætorium regale (*Parlamentum* vocant) ingreditur, & agendis cauſis præſidens, principem

ſe ſe

Sal. Ann. 1502. ſe ſe ex Galliæ *Paribus* (quos dicunt) vnum vti Burgundię, Flandriæque dominum oſtendit. Pariſijs profectus, Pleſſium venit; & à Rege ipſo ac Regina obuijs, in arcem deductus, multa inter colloquia petijt, vti Brugis, Dammi, Scluſę liceret Gallis mercatoribus ſedem figere, vt ante bellum inceptum iuris erat. Rex abſquè illorum ad ſenſu, quorum intererat, nil agi oportere reſpondit. Miſſis porrò epiſtolis ad ciuitatum negotiatores, ipſi rem tranſegère. *Philippus* omnia de pace cum patre concilianda benignè pollicitus, iter in Hiſpaniam arripuit. *Maximilianus*
Sal. Ann. 1502. verò minimè eam vtilem ducens, Anno 1502. *Hermetem Sfortiam*, vxoris fratrem, paulò antè in gratiam ipſius à Rege dimiſſum, & Brixinenſem præpoſitum legatos in Italiam mittit, qui cum Pontifice, & præcipuè cum Venetis de tranſitu in Italiam ad ſuſcipiendam coronam agerent. Quod veritus Gallus, conabatur Venetos in Germanos
LXXXVI. *Gallorum Hiſpanorum diſſidia.* inceſſere. Gallorum etiam & Hiſpanorum in regno Neapolitano duces, orto ex prouinciarum partitione diſſidio, poſt communem vtrorumque hoſtem profligatum, verbis primùm, inde armis inter ſe ſe committebantur. In eo certamine Galli numero ſuperiores ferociùs agebant, Duce *Ludouico Arminiaco* Neumurij Principe, qui poſt denuntiatum Hiſpanis bellum, nouis Heluetiorum copijs à Rege ſubmiſſis inſtructus, Hiſpanorum oppida ſui iuris facere nitebatur; Propterea Rex Mediolanũ progreſſus, Italicos præfectos ſibi obnoxios, arma capere adhortabatur. Hiſpani Duce *Conſaluo*, noua & ipſi auxilia parabant. Occurrerat Regi Aſtam vſquè Cæſar Borgia, qui ſuam & patris operam ad ſubiugandum regnum promiſerat. Ea fiducia Rex, ſuorumque felici ſucceſſu ſecurus rebus Mediolani conſtitutis, in Gallias inutili remigrauit conſilio. Eo namque diſcedente, ad Auſtrios vbique fortuna diſceſ-
LXXXVII. *Conſpiratio ruſticorum.* ſit non ſolùm in Italia, ſed & in Germania, vbi oppreſſa agreſtium eſt coniuratio (quæ à *Peronibus* ſumpto nomine) fex populi peſtilentiſſima in Magiſtratus coniurauerat. His teſſera, qua inter ſe noſcerent, hæc data. Quęrebant ex obuio quoque: *ecquis hoc tempore, rerum eſſet ſtatus?* is ſi reſpondiſſet, à *Monachis, et Eccleſiaſticis nihil tutũ eſſe;* prò conſcio & fido habebatur. Diuam Virginem, & Io: Euangeliſtam prò ſimbolo vſurpabant, orationem dominicam, cum Angelica ſalutatione, quinquies diebus ſingulis recitabant. Coniurationem hanc niſi Cæſar in cinere gliſcentem extinxiſſet, periculum erat, ne communi incendio totam Germaniam, tractis in ſocietatem ſimilis farinæ hominibus, inuolueret. *Sal. Ann. 1503.*

Sequenti Anno, qui eius ſeculi tertius erat, terreſtri itinere in Flandriam abituro *Philippo* (ne per Gallias iret, fruſtra monente *Ferdinãdo*) duo ex Hiſpanis dati ſunt comites, quorũ conſilio, cum *Ludouico* tranſigeret. Fidẽ publicam petenti *Philippo* non ſolũ Gallus dedit, ſed quò ſecurior eſſet, ex proceribus nõnullos in Flãdriam miſit, vt ibi tanquàm obſides aſſeruarentur. Sed eos *Philippus* ſimul ac Galliã attigit, ne dubitare videretur, miſſis ad ſuos nuntijs, dimitti iuſſit. Vbiq; regiè exceptus, Lugdunum venit ad Regem, qui eum vti paternarum ditionum, ac futurum Hiſpaniarũ Regem quo decuit, excepit honore ac ſocios muneribus cumulauit. Pacis habito colloquio, in hunc modum confecta: *Regnũ Neapolitanum à Gallis, & Hiſpanis iuxta primæ diuiſionis formulam teneatur; ditiones illæ, arces, oppida, de quibus inter ſe ſe poſt communem victoriam comiſſi digladiabantur, Philippo depoſiti loco dentur. Carolus, et Claudia, confirmato inter ipſos matrimonij pacto, Reges Neapolis, Duceſque Apuliæ et Calabriæ dicantur; loca ea, quæ Hiſpani poſſidebant, Philippus: quæ Galli, is, quem Rex vellet, teneant, quibus vterque infantum nomine præeſſent, quoad per ætatem ipſi coniugarentur.* Fędus hoc Rex, & *Philippus* ſocerorũ nomine iureiurando firmarunt, publicarunt. *Conſaluus*, accepto nuncio, tempore quo certam ſibi ex Gallis victoriã pollicebatur, ſiue quod *Philippi* auctoritatem nõ ſufficere putaret, ſiue ita in mãdatis haberet, ab armis diſcedere noluit. Credibile inſuper *Ferdinãdũ*, audito ſuorũ ſucceſſu, victoriã proſequi maluiſſe, bellũq; pertuliſſe paci. Propterea per Germaniã militẽ ſcribi mandauerat *Ferdinãdus*: quod cũ exploratores *Ludouico* retuliſſent, grauiter apud *Philippum* queſtus eſt. Is nihil ab ſe dolo malo actũ excuſat, iuxta mandata ſoceri de pace egiſſe, ceterũ vt pacto ſtaret *Ferdinãdus*, ſui iuris non eſſe. *Ferdinãdus* verò pacis confirmationẽ procraſtinãdo, belli exitum
Sal. Ann. 1503. LXXXVIII
LXXXIX. *Pax inter Gallum et Hiſpanũ.*
Conſaluus pacem nõ admittit.

Sal. Ann. 1503. exitum expectabat. Interim Galli bis victi, fortiores in bello ceciderant. *Conſaluus* victoria vſus, Neapolim nullo prohibente, ingreſ-
XC. ſus Gallos coegit in arces. Nondum *Philippus* à rege diſceſſerat, ſed aſſiduis ad ſocerum nuncijs pacem vrgebat; *neque enim abiturum ſe, antequàm Regi ſatisfeciſſet, ſeque ex fide cum eo egiße, comprobaßet*. Reſpondit *Ferdinandus* per legatos pacem illam nec vtilem, nec tutam admittere poſſe. *Philippum* exceſſiſſe mandata, *qui ſi grauaretur, de ſuo ſolueret*. Hæc cum *Philippus* refelleret, facilè *Ludouico* innotuit, inter eos non ex compoſito agi, vt vulgi rumor erat. Hiſpanorum legatis nouas pacis conditiones proponentibus, acerrimè in *Ferdinandum* inuectus *Ludouicus* eodem die ipſos ex aula ſua diſcedere iuſſit, bellumque maximis viribus apparare & ducibus *Tramollio*, & *Diuionenſi* præfecto in Italiam nouas ex Vaſconibus, & Heluetijs copias tranſire. His obuiam *Borgia* pergens, ſuo & Pontificis nomine auxilia pollicitus, implere non potuit quòd *Alexander* Papa veneno hauſto, quod alijs paratum erat, interijt: filius *Borgias* incluſus mulæ recens exenteratæ vtero, venenum aliquo modo diſſipauit. *Alexandro* ſuffectus eſt *Franciſcus Picolomineus*, qui *Pius III.* dictus eſt. Huic, paucis diebus mortuo, ſucceſſit *Iulius II.* qui *Borgiam* capi iuſſit. Interim *Conſaluus*, relicto ad arcium Neapolitanarum expugnationem *Petro Nauarro*, Caietam ipſe munitiſſimam vrbem oppugnauit. Cumque Gallorum exercitus ad Gariglianum vſque fluuium (*Lirim* veteres appellabant) progreſſus, à *Conſaluo* tranſire prohibiti, ac mox in fugam acti, magna affecti clade Caietam ſe recepere, nec multo poſt cum rebus ſuis toto regno excedendi facultate impetrata, vrbem tradidere.

Hiſpanus paci ſtare recuſat.

Sal. Ann. 1504.

XCI. *Alexand. Papa obit.*

Iulius Papa Borgiã capit.

XCII.

Huius expeditionis nummos reſpice n. 82.

BELLVM BAVARICVM. Anno 1504.

XCIII. Obierat apud Germanos *Georgius* inferioris Bauariæ princeps, cognomento *Diues*, vnica relicta filia *Eliſabetha*, quæ *Ruperto Palatino* filio *Philippi Electoris* nupta, duos ei filios *Philippum*, & *Othonem* pepererat. *Ruperto* genero *Georgius* omnia ſua teſtamento legauerat, & Bauariam addixerat, exhæredatis patruelibus, *Alberto* cognomento *Sapienti*, cui *Maximiliani* Imper. ſoror nupſerat, & *Vvolfgango*. Hi contra leges, & inſtituta id factum eſſe contendebant; extare vetuſtiora diplomata, quibus caueretur, ſi quem ex Bauariæ principibus abſque hærede maſculo decedere contingat, proximus ex laterali linea agnatus, ſuccederet. Hac ratione cum nihil proficerent, totius rei arbitrium ad Cæſarem detulerunt. Is de ſalute Imperij, & imminente à Turcis periculo ſolicitus, ne belli per Germaniam occaſio inter principes cognatos exiſteret, magnoperè in eam curam incubuit, vti ſublatis ex æquo & iure controuerſijs ſeruaretur concordia. Prouinciæ Ordines, & Præfecti, turbis ſe immiſcere nolentes, Cæſarem rogabant, vt diſceptantium iura cognoſceret. Senatus igitur V. Feb. datus cauſæ diſceptandæ coram Cæſare, Septemviris, Principibus, & Cæſareo conſilio. Pro *Alberto* & *Vvolfgango* perorauit *Gregorius Lamparterus*, I. C. Ducis Vvirtembergici cancellarius: prò *Ruperto* verò *Leonardus Egloffſtainius* Bambergenſis, & Herbipolenſis Canonicus. Prima actione Albertus & Vvolfgangus, *iure proximæ agnationis* petierunt immitti in defuncti *Georgij* hæreditatem. Negauit *Rupertus* agnationi locum dari tranſuerſæ, *dum filia defuncti ſuperuiueret, & cum viro facta eſſet hæres ex teſtamento. Eis inſuper ſpecialia iura ſuffragari, quæ Allodialia dicuntur: Eſſe præterea aliqua pretio per Georgium alioſque comparata; alia beneficia, ſeu fęuda communia: plura, nullo nexu Imperio mancipata; & qualiacumque demum eſſent, in Cæſaris eſſe poteſtate Eliſabethæ hæredi inſtitutæ gratificari: Repetere inſuper hæredes ſcriptos fœudorum augmenta* (meliorationes vocant) *vel eorum æſtimationes: denique hæredem ante omnia in poſſeſſionem mitti debere.*

Obitus Georgij Bauari.

Lis de hæreditate.

Reſpondit Albertus, *fœudis nobilibus, & præcipuæ dignitatis fœminas lege excludi. Teſtamẽtum de fęudis citra domini conſenſum, nullum eſſe; proinde eo nullum agnatis præiudicium fieri. Res mobiles cedere principatui. Fæuda omnia à Cæſare eadem ratione conferri. Præter hoc inſpiciendam eſſe primam*

tran-

Sal. Ann. *tranſactionem, ſancitam in prima Ducatus di-*
1540. *uiſione, vnde clarè eluceat, Ducum atque Ordinum conſenſu olim conueniſſe, vt fœuda remanerent penès Seniorem; vt certus modus ſeruaretur in vltimis tabulis, in gratiam vxoris, vt ſucceſſio proximiori reſeruaretur agnato, cum onere dotandi filias, qui mos iam Bauaria receptus, à nemine poßet turbari. Pactum quod confirmatum inter Ludouicum & Albertum ſeniores, quando conuentum eſt de hæreditate Ducum Ludouici patris Ingolſtadienſis, & filij item Ludouici Moretanij Graiſpacenſis comitis.*

Replicabat Rupertus *filias iure diuino & naturali ad ſucceſſionem admitti. Aduerſarij tranſactionem pugnare cum legibus, eaque auctores tantùm, non poſteros ligari: eandem de filia dote nil conſtituere. Pacta de futura ſucceſſione legibus improbari. Nouum non eſſe, fœminis fœuda concedi, vt in Hollandia, Carinthia, Tiroli, alibi.*

Albertus repoſuit, *in Fęudis non Moſaicas, ſed fęudales leges attendi, quibus & priſco Gentium iuri eſt derogatum.* His & ſimilibus repetitis, Cæſar iuſſit adeſſe partes die XX. Aprilis, vbi ita pronuntiatum.

Poſteaquam nos Maximilianus Romanorum Rex, in cauſa inter Albertum & Vvolfgãgum Bauariæ Duces, & Rupertum item Ducem Bauariæ eiuſq; coniugem, per ſingulas diſceptationes nobis audientibus habitas, clarè intelleximus, Georgium Bauariæ Ducem, bonæ memoriæ, nullum Agnatum, propioremque Fęudorum hæredem, quàm Albertum & Vvolfgangum, poſt mortem reliquiße, cùm & ijſdem Alberto & Vvolfgango, prædicti Georgij Principatum, accepta ab ijs obſequij clientelaris fide, conceſſerimus, His alijſque iuſtis, quæ nobis propoſitæ fuere, cauſis permoti: Nos, vtpote Romanorum Rex, & legitimus Fęudorum Dominus, iuridicè declaramus, decernimus, præfatos Albertum & Vvolfgangum Duces, in iam dicti Georgij Ducis relictorum Principatuum Superioris & inferioris Bauariæ, aliorumque omnium Comitatuum, Dominorum intra & extra Bauariam, quæ Dux Georgius noſtro & Imperij beneficio obtinuit & poſſedit, abſque omni quorumlibet exceptione, poßeſſionem immitti debere, prout vigore huius noſtræ ſententiæ eos immittimus, & pro immiſſis haberi volumus. Nobis tamen tanquam Romanorum Regi, poſt Sal. Ann. 1504. *executionem noſtræ iuridicæ ſententiæ, pro noſtro intereſſe, quatenus noſter Fiſcalis aperiet, actionem, quantum de iure competit, reſeruantes.*

Secuta dèin Cæſarei fiſci Procuratoris accuſatio, quà *Rupertum* Ducem, eius vxorem, alioſque ſuſceptæ per vim, in inuadenda Landishuta, Dingolfinga, Moſpurgo, alijſque locis, expeditionis participes, reos egit læſæ Maieſtatis, quam accuſationem excepit Cæſarea *Ruperti* proſcriptio, complicum, cõſpirantium, veluti manifeſtè rebellium, contra pacem, Maieſtatem, & Rempublicam facientium. *Rupertus* verò vix primę iuuentutis annos ingreſſus, ſuopte ingenio, & aliorum conſilijs ferocior arma arripuit. Electori *Ruperti* patri, ne filio opem ferret, mandarat Cęſar. *Philippus* animi dubius, dum neque filium deſerendum, neq; Cæſaris in ſe iram prouocandam putat, tandem promiſſis (vti ferebatur) Gallorum auxilijs fretus, & pietate victus paterna, arma capit, filio defenſorem ſe præbet. Hinc & ipſe omnibus imperij commodis priuatur. Reliquis item principibus, in primis *Vdalrico Vvirtembergenſi*, & *Guilelmo* Haſſiæ regulo iniunctum, vti bello illum tanquàm perduellem adorirentur. Irruit protinùs *Vdalricus* in Palatini ditionem; Mulbrunnum monaſterium, Beſichemum, Leoſtadium, Vvinsbergium, Neoſtadium, Meckmulam, capit. *Guilielmus* quoque Clauam in poteſtatem redigit, Ingolhemum cum fruſtra oppugnaſſet, non multò poſt obijt. In Bauaria *Rupertus Alberti* viribus impar, Bohemorum non paruam manum conduxit. Eos prope Reginoburgum Cæſar excepit, qui & ipſe in armis erat, & Bohemos in Germaniam venire ægrè ferebat. Aderant illi *Albertus Bauarus*, & *Fridericus Brandemburgicus*, cum *Caſimiro*, & *Georgio* filijs, quorum auia erat *Eliſabetha Auſtriaca*, ſoror Regis *Ladiſlai*. Vtrumque Cæſar militari dignitate ſub pugnæ tempus, inſignierat. Bohemis ſe cum ſuis *Rupertus* coniunxerat. Hunc deſperatio, illos vindicta mouebat. Pugnatum acriter, & *Rupertus* egregiè inter primos ſe geſſit, nutantem aliquoties aciem inſtaurans, neq; vllam de ſe timoris ſignificationem prębens, quoad conſiſtere ſuos videt. Cæſar verò ſuos verbis & exemplo horta-

XCV. Palatinus proſcribitur.

XCVI. Bellum Palatini.

XCVII. Cæſar Bohemos cædit.

Sal. Ann. 1504. hortatus, in denſiſſimum hoſtium agmen inuectus, vitæ periculum adijt, ex quo virtute ſuorum ereptus, hoſti pertinacius inſiſtenti, victoriam extorſit. Bohemorum multi periere in prælio, nonnulli in fuga cæſi, reliqui domum, quà venerant, per ſaltus rediere. *Rupertus* ipſe fuga ſalutem quæſiuit. Parta victoria, plurima loca deditionem fecere. Ad Oeni ripam in Tirolenſis agi & Bauariæ confinijs *Kufeſteinium* oppidum, quod arcem habet ex ſolida rupe exciſam, quæ in montis prærupta crepidine collocata, oppido ſupereminet, ex quo vna tantum ſemita adiri poteſt, ingenio loci & opere munitiſſima (*Geroltzeggum* vocant) ſibi tradi Cæſar poſtulabat, vitam & veniam præfecto *Ioanni Benzenauero*, eiuſque militibus promittit. Negante præfecto, oppugnationem etſi difficilem Cæſar aggreſſus, crebris tormentorum ictibus arcem iuſſit verberari. Præfectus verò poſt exploſa tormenta, ſcopis exteriorem muri partem verri iuſſit, vt nil magni incomodi loco adferri poſſe demonſtraret. Non bene tamen ſuperbia ceſſit; Contemptu irritatus Cæſar, obſtinato animo expugnationem proſequitur: & cacumine vicini montis obſeruato, qui arcis ſitum altitudine nonnihil excedens, collocandis machinis videbatur idoneus, eò iuſſit aſportari maiora tormenta, magnis operibus, longoque circuitu, & per cliuoſa montium iuga, quibus & mœnia, quæ ex rupe exciſa erant, & milites ipſi, qui prò muris ſtabant, & interiora arcis domicilia petebantur, neque vſquam tutus dabatur receſſus. Conſternatus præfectus, deditione facta veniam, quam antea repudiarat, ſerò petijt; nam cum aliquibus commilitonibus capitali perijt ſupplicio. Cæſar arce cum oppido, Tirolenſium ditioni aſſerta, cacumen illud montis, vnde exploſa fuerãt tormenta, ita deſtrui curauit, ne ab eo loco arci deinceps vis ingrueret. *Rupertus* annum agens quartum ſupra vigeſimum, Princeps præclariſſimus, ante Epiſcopatu; Friſingenſi deſtinatus, cruento alui profluuio (dicunt alij veneno) ſubtrahitur. Vxor eius *Eliſabeth* ex animi ægritudine, altero mox menſe ſecuta eſt eodem lethi genere. Palatinorum itaque

Rupertus fugit.

XCVIII.

Cæſar Geroltzeggum oppugnat.

XCIX. *Ruperti mors.*

Sal. Ann. 1504. ferè ex hoc bello attrita familia, cum totis viribus in *Philippum* iretur; *Chriſtophorus* Badenſis Marchio, & alij quidam prò illo interceſſere. Quorum precibus motus Cæſar & qua erat animi moderatione, Electoratus dignitatem conculcari nolens, arma poni iubet, quoad proximis Imperij comitijs de tota illa controuerſia ſtatueretur: quæ anno ſequenti in comitijs Coloniæ Agrippinæ habitis compoſita eſt. Ibi *Philippus* Palatinus à *Friderico* Saxoniæ Electore ad Cæſarem introductus, veniam ſupplex non fruſtra rogauit. Inter eum ac *Albertum*, & *Vvolfgangum* fratres, dictis concordiæ legibus, *Ruperti* quoque puerorum rationem Cæſar haberi voluit, quibus eam controuerſæ regionis partem attribuit, quæ inter Danubium & Nabum amnes, ad veteres Palatinæ ditionis limites, adiacet. Controuerſiam quoque, quæ inter Palatinos & Vvirtẽbergicos, multis annis agitata, proximo bello inualuerat, æquis cõditionibus ſuſtulit. Vixit *Philippus* vſq; ad nonum annum currentis ſeculi. Eiuſque mortem ſecutus eſt *Albertus Sapiens*, qui ex *Cunegunde* filios reliquit *Gullielmum*, *Ludouicum*, & *Erneſtum*: C.
Filias quoque quinque *Sidoniam* Ludouico Palatino *Philippi* Septemuiri filio deſponſam: *Suſannam*, quæ infans obijt: *Suſannam* alteram, *Caſimiri* Brandeburgici primùm, deinde *Othonis Henrici* Palatini Rheni coniugem: *Sibyllam*, quæ in *Sidoniæ* locum (hæc antequàm nuberet, ad meliorem ſponſum fuerat euocata) vxor Palatini, Pontificia auctoritate ſucceſſit: *Sabinam* denique *Vlrico* Duci Vvirtembergico elocatam.


Pax Palatini cum Bauaris.

Duos hic habes numos triumphales. Primus eſt *Maximiliani* Imperatoris, cui multo labore, & ſumptu, ac periculo victoria ſtetit; vndè meritò ſymbolum hoc *totam habet, quæ ſub mundo voluitur*. Reges notans, & principes non niſi per tot diſcrimina ad ardua peruenire, quot in *malo punico acini* reperiuntur. Sed vt duri corticis, & amari malum eſt punicum: aci[illegible]bet ſuaues: nucleos medios: ſic dulciſſima eſt periculorum exantlatorum, recteque factorum memoria.

Alter eſt *Vlrici Vvirtembergici* poſt ſuperatum *Rupertum*, & Electorem *Philippum* valdè humiliatum.

EXPE-

 Ann. Sal. 1505.



EXPEDITIO IN VENETOS. Anno 1505.

Comitia Coloniæ.

BAuarica Cæſar pacaturus diſſidia, Coloniæ Agrippinæ comitia habuit, ibi inter alia Veneta expeditione decreta. Executionem porro diſtulit, in Geldriam euocatus, cuius princeps nunquã quietus, nouandis iterum rebus ſtudebat, Gallorum fretus auxilijs; formidoloſa iam Gallo Cæſaris, eiuſque filij potentia. Arnhemium tunc obſedebant. Brabantij, Geldri iniuria prouocati frequenti. His in ſuppetias Cæſar, ſoluto conuentu perrexit. Se imparem ſero Geldrius agnoſcens, oppidi deditione facta, ſe ſub certis conditionibus, victori commiſit: *Philippo* promittens, ſe in Hiſpaniam iturum quod minimè præſtitit. Huius expeditionis nummos caſtrenſes ſupra habes. Videbatur Gallus cum Cæſare in Venetos conſpirare, ſed *Philippi* in dies ſuccreſcentem potentiam refor-

C I.

midans, minimè fidebat Auſtriacis, & ad pacem cum *Ferdinando* Hiſpano ſpectabat: Qui & ipſe *Philippum* generum ſuſpectum habebat. Mortua enim anno proximo elapſo *Eliſabetha* Regina Hiſpaniæ, teſtamento cauerat, ne poſt obitum ſuum *Ferdinandus*, à Caſtellæ regni gubernatione remoueretur, quoad viueret: *Philippus* verò in Reginæ ſocrus poteſtate non fuiſſe contendebat, leges poſt mortem ſeruandas præſcribere. Id cum *Ferdinandus* reſciuiſcet, vereri cœpit, ne potiore Hiſpaniarum parte prohibitus, ſolo Aragono regno contentus eſſe cogeretur. Hinc vti præſidia ſibi pararet, cum Gallo pacem, quam hactenus improbauerat, fieri non abnuit. Adiuuabat id *Conſaluus*, ſiue quòd futuram inter ſocerum & generum ſimultatem præuidens, res in Italia quietas prouideret; ſiue quòd Regno Neapolitano ipſe inhiaret, vt fama erat ſed mendax. Fit igitur pax & noua affinitate firmatur. *Germana* enim *Gaſconis Foßeij* ex Regis ſorore filia *Ferdinando* nubit, cui *Ludouicus* dotis nomine ea ſe daturum promittit, quæ adhuc in regno Neapolitano tenebat. *Philippus* ſerò licet, vti æquiorem ſocerum ſibi haberet, decreta in Hiſpaniam nauigatione, Regem *Ferdinandum* priùs per literas certiorem fecit, *nihilque abſque illius conſenſu acturum ſignificauit; Hiſpaniæ Regium titulum, vti ante cum Regina ſocru, ita nunc ſecum, & cum vxore ſua ipſi communem fore, & regnorum vectigalia inter ipſos diuidi poſſe:* Hæc *Ferdinandus* ne dubitare, & filiæ aduentum, quam vocari iuſſerat, moleſtè ferre videretur, naues aliquot, quibus tranſmitteret, miſit. Interim *Philippus* dum ventos operitur ſecundos, comitijs aurei velleris habitis, in demortuorum locum

CII. *Germana à Fois nubit Ferdinando.*

CIII. *Philippus Hiſpaniã petit.*

Sal. Ann. 1505. cum *Henricum* Regem Anglorum ſuffecit. Comitijs peractis cum vxore, & ſecundogenito *Ferdinando* ſoluit. Poſtbiduum, concitis *Naufragium Philippus patitur.* vndis, claſſis diù agitata, in oris Britannicis, nauibus alijs aliò abreptis, diſſipatur. Nauis prætoria, ad Vynmuthum Angliæ portum appulſa eſt, & princeps cum ſuis in ſcapham exſcendens, ad terram delatus eſt, ex maris iactatione, animo, corpore fatigatus, ac de ſociorum ſalute ſolicitus. Ibi agnitus, in Freneherdij ædes diuertit. Paucis diebus *Henricus* Rex, nuncio accepto, principes inuitatum miſit, qui in arcem Vvideſorum deduxerunt, vbi Rex erat: à quo benignè exceptus, & Londinum deductus, ibi poſt renouatum inter ipſos fœdus, iam reparata claſſe, in Hiſpaniam venit, magna omnium ordinum lætitia, & effuſæ multitudinis plauſu exceptus. Hiſpani quum principem tanto ſatellitio videre ſtipatum, ſumma cum admiratione tum in ipſum Principem, tum in aulicos, oculos defixos tenentes, nouum quoddam & aliàs inuſitatum genus hominum aduenisse dicebant, non habitu tantùm, ſed ſtatura, colore, totaque corporis facie à ſua gen-

CIV. *Philippi ſtatura.* te diuerſum. Erat *Philippus* robuſtus corpore, plenus pectore, concinnis membris, decora facie, virtutibus animi clarus, grauitatem ingenua liberalitate mulcebat. Comitabantur eum longa ſerie, illuſtres ex Germania & Belgio viri quamplurimi corpore, & cultu ſuſpiciendi. Satellites ex omnibus prouincijs ſuis conquiri iuſſerat, decora proceritate conſpicuos. Hiſpani *Philippum* videntes ætate florentem, commodis moribus, bonis actibus, & facundia præditum, tanto in eum ſtudio accenſi ſunt, quòd *Ferdinandum* etſi virum prudentiſſimum, ſenio tamen confectum, & ſui vel ætatis vitio minus liberalem, vti rebus inutilem contemnere cæperunt. Accedebat aulicorum inconſtantia, quæ ſolē macula adorare orientem, quàm occidentem: vnde qui partes *Philippi* ab initio fouerant, ne *Ferdinando* locus daretur vindictæ, alienum à *Philippo* curabant, ſuadentes, vti Caſtellæ regnum genero relinqueret. *Ferdi-*

CV. *Philippus cum ſocero tranſigit.* *nandus* itaque ſibi tranſactionem extorqueri paſſus, regnorum omnium Hiſpaniæ gubernationem depoſuit, præter *Aragoniæ*; eo pacto *vt annua viginti quinque aureum nummum millia ex Caſtellanis vectigalibus, Indicarum item prouinciarum portoria & redditus* *Sal. Ann. 1505.* *acciperet, tribus ſacris militum magiſtratibus, diui Iacobi, ſcilicet, Alcantaræ, & Calatraua præeſſet, & Neapolitanum regnum ſolus poſſideret.* His conſtitutis, ſuorum leuitatem *Ferdinandus* incuſans, ad Aragonius priùs, inde Neapolim ſe contulit, verens ne *Conſaluus* regnum ſibi vindicaret, vel *Philippo* traderet; nam Hiſpani Caſtellæ ſumptibus acquiſitum ferentes, eius Regi cedere contendebant, eius tamen conſilia minimè probante *Philippo*, qui *Ferdinando* digreſſo, *Valledolid* à procuratoribus regni vnà cum vxore CVI. fuerat Rex ſalutatus, eiuſque filius *Carolus* Caſtellę princeps dictus. Tantam *Philippi* potentiam Gallus ægrè ferens, dum varia ſecum *Carolus Caſtellæ princeps.* conſilia agitaret; Cæſaris ſuperuenère legati, *quingentos cataphractos quos* Ludouicus *promiſerat, vt in Italiam ituro Cæſari mitteret, reliquum pecuniæ caſtra paucos dies ex pacto numerandæ daret, Inſubres exules in patriam reſtitueret*, petentes. *Ludouicus* præter verba nil dedit. Sed clam Venetos concitabat: Præ- CVII. uiderat namque poſt confirmatum ipſi imperium, quòd de eligendo filio in Regem Romanorum, Cæſar meditabatur. Hinc *Ludouicus* Auſtriacus fœdus videns minimè ſibi conducere, filiam *Carolo* principi pactam, *Franciſco Angolimenſi* deſpondet. Id ne prorſùs videretur iniquum, iam cum Ordinibus *Gallus fœderi Auſtriaco renuntiat.* regni (*parlamenta* vocantur) cōpoſuerat, vt in ſpetiem recti, legationem ad eum adornarent, rogantes, *vt in tenui ſpe maſculæ prolis, filiam vnicum regij ſanguinis germen ad exteros non traduceret.* Quod ſine iniuria, & belli motu petentibus negare non potuiſſe, *Philippo* Regi ſignificauit: Non multo poſt, vt apertè à fœdere recedere apparèret, *Carolum Geldrum* nouis inſtruxit ſuppetijs, quibus *Philippi* ſubditos diuexaret: miſſoquè in Italiam milite, qui Cæſarem Romam euntem impediret: Sed is Hungarorum motibus implicatus, intermiſſa Italica expeditione, in Auſtriam deſcenderat. Erat inter Hungariæ CVIII. primates *Stephanus* Tranſiluaniæ regulus (*Palatinum* Hiſtorici, *Vayuodam* indigetes appellant) qui *Ioanni* filio *Annam* filiam in- *Motus Hungar.* fantem Regis *Vladiſlai*, deſponderi poſtulabat, idque *Vladiſlaus* & aduerſa valetudine

fati-

Sal. Ann. 1506. fatigatus, & importunis ſuorum precibus coactus, conceſſurus videbatur. Clamabant Hungari nullum ſe ex Germanis accepturos Regem. Propterea Cæſar Poſonium armatus profectus imparato Regi, & ad bellum minimè idoneo terrorem incuſſit. Poſtquàm verò grauidam intellexit, datis inducijs retroceſſit. Reginà ad Cal. Iul. enixà puerum, *Ludouici* nomen eſt datum. Hunc cute nondum enata editum memorant, quam vnguentis medici produxere. Nato puero, inita pace, ſucceſſionis pacto firmato cum Hungaris,

CIX. *Legatio Cæſaris ad Venetos ex* Petro Iuſtiniano.

Maximilianus, Italiam recogitans, ad Venetos mittit, vt à Gallorum ſocietate retraheret. *Vincentio Quirino* (qui apud eum legationis munus obibat,) iuſſit ad patres ſcribere, ſe pacatè per Imperij Veneti fines ad accipiendam Romæ coronam tranſiturũ. Nullum *Quirino* per plures dies dedere Patres reſponſum; vnde aliam legationem *Maximilianus* ad Senatum miſit, qua eadem petebat, pollicebaturque, pacatiſſimum iter ſuum fore; adiiciens, ſi ex fœderis formula, qua Gallo Regi Veneti tenebantur, non poſſent *Maximiliani* rebus ſatis honeſtè fauere, apertè affirmabat, nullam fidem, nullum iuſiurandum in Gallo Regi eſſe, nihil penſi habere, quo minus rem ſuam ſpreto gentium iure agat. Cæſar vero ſanctè, ac inuiolabiliter fœdera, quæ maximè expetebat, omni tempore cum Veneta Rep. ſeruaturus eſſet: vellent igitur patres ſocia cum Cæſare arma iungere: certiore autem per litteras a Senatu Gallorum Rege de *Maximiliani* poſtulatis reddito, incredibili indignatione, atque odio in Venetos Cæſar accenſus eſt, quòd conſilia ſua Veneti inimico Regi aperuiſſet; atq; hinc Camaracenſis fœderis cauſa potiſſimùm orta fuiſſe dicitur, *Dominicus* Maurocenus *Paulus* Barbus, & *Andreas* Venerius, viri ætate, conſilio, & prudentia longè clari ad Germanam amplectendam ſocietatem patres hortabantur: vicit tamen ſententia ſeruandi cum Gallo fœderis; reſpondendumque in hunc modum Cæſaris Oratoribus Senatus cenſuit: *Non deeſſe ſibi voluntatem Cæſari quacumque in re gratificandi, quæ abſque graui ſuarum rerum incomodo fieri poſſet. Cum verò tota Italia ſuperiorum temporum concuſſa bellis, multorumque animi in ipſos ſint exacerbati, periculum eſſe, ne ſi Cæſar armatus eò venerit, graues ex eo motus exiſtant. Æquius eſſe, vti ad coronationem abſque armis, parentis ſui, & multorum Cæſarum exemplo proficiſcatur, neminem iter illud, rem omnibus plauſibilem, impediturum. Quod ſi fecerit, legatos abs ſe obuiam illi venturos, qui officij cauſa deducant: ſin minùs, armato ſe cum armis occurſuros, neque dubium eſſe, quin Galliæ quoque Rex, & alij, quorum intereſſet, idem ſint facturi.* *Sal. Ann. 1506.*

Dum hæc cum *Venetis* aguntur; obitus *Philippi* Regis nunciatur. Annos natus viginti octo, magnam de ſe ſpem excitauerat. CX. *Mors Philippi.* Corpus Granatæ Beticæ: cor Bruxellis conditum eſt cum tali epitaphio.

Vrbes & populos diuerſaque regna tenebam
Spes dabat Imperiũ, Spes dabat orbis opes.
Si ſpes in quẽquã fuerat mihi gloria prima:
Heu heu quanta fuit ſpes mea tãta iacet.

Carolum & *Ferdinandum* reliquit filios, Cæſares futuros. *Leonoram Emanuelis Luſitani* priùs, inde *Franciſci* Galli: *Catharinam Ioannis* item Luſitani, *Iſabellam Chriſtierni Dani*: & *Mariam Ludouici* Pannonici Regum vxores. *Ioanna* vxor vidua, quæ virum vnicè dilexerat, luctu conſternata patrem euocauit *Ferdinandum* ex regno Neapolitano ad Caſtellæ regimen; Turbabatur interim nouis Italia diſſidijs. Lyguſtici, Gallorum excuſſo iugo, ad ſe redimendum à nobilium tyrannide, iactabantur arma tractare. CXI. *Ianuenſium motus.* Poſtquàm verò bellum in ſe decretum audierunt, manifeſtè Regis detrectarunt imperium, *Paulum Nonium* ſerici panni tinctorem, de plebe hominem, ſed induſtrium Ducem creantes. Rex haud morandum ratus, cum validis copijs in Italiam *Gallus in Italiam deſcendit.* deſcendit, non ſine timore Pontificis, qui per literas in gratiam Ianuenſium intercedebat. Omnia Gallus benignè promiſit, diuerſa tamen pectore ſeruans, Genuam propriùs acceſſit, nec magno negotio reſiſtentes in fugam coniecit. Vide ſupra pag. 197. numer. 73. nummum thriumphalem, in quo *Hyſtricem* aſſumpſit, quæ teſte *Oppiano*, cum ſpinas, ſiue aculeos, albicantes alios, alios nigricantes, conſpecto hoſte extendit, nulla in ſyluis opacis fera horribiliore aſpectu appareat, ad terrorem potentiæ ſuæ, quò magis, quàm gladijs Genuenſes ſibi fecit obedientes: vltus

iniu-

Sal. Ann. 1506. *iniurias non ſuas modò, ſed & auorum*, à quibus ea vrbs non ſemel defecerat. Hinc tanto magis Papa timebat. Cum fama eſſet, aſpirare Gallum, vt *Iulio* deiecto Cardinalem *Rothomagenſem* in Sedem Apoſtolicam collocaret, qui ei coronã imponeret imperij Huius rei certiorem fecerat *Maximilianum*, qui tum in frequenti Principum conuentu Conſtantiæ erat. Aderant Septemuiri Electores omnes perſonaliter, cœterique Eccleſiaſtici

CXII. & ſeculares Principes. Lectis literis commoti ſunt vniuerſi. Tum Cæſar, *Hoc eſt* (inquit) *quod iam præuideram, & in omnibus comitijs proponere ſolitus, apud vos fidem minime inueni. Vnde Gallus noſtris ſimultatibus fretus, conatur Germaniæ iugum imponere. Noſtra fouet diſſidia, vt ſpetie recti, iura vſurpet Imperij. Maiores noſtri, cum Gallorum ſatis apertam haberent verſutiam, numquàm illudi paſſi ſunt: neque nos illudi patiemur, ſi prò viribus quiſque copijs, & pecunijs Cæſarem veſtrum Romam euntem proſequi velitis. Cum Reipublicæ gratia, centies centena aureum nummum millia ex meo impenderim, vixque ab imperij Ordinibus quadraginta millia acceperim, æquũ eſt, vt vos à maioribus ad hoc iter contribui ſolita, eò liberalius præbeatis, quò & iuſtiores magiſque neceſſariæ ſunt cauſæ. Italia ita ſe habet, vt ſi firmis copijs Cæſarem inſtructum viderit, vti dominum agnouerit, eiuſque ſocietate haud difficile fore, Gallum repellere, & Imperij dignitatem in priſtinum locum aſſerere.* Hiſce commoti principes, ad arma clamabant, donec fama redeunte de Regis ex Italia diſceſſu, feruor ille in comitio deferbuit. Qui vero Auſtriacæ incremento familiæ non ſatis æqui, parcendum contendebant impenſis, nec tam magno exercitu opus eſſe. Pontifex ipſe non minus à Cæſare quàm à Rege timens, miſſo ad illum *S. Crucis Cardinale*, vti pacato veniret itinere, hortabatur; Gallus ſibi non deerat, ne cum Cæſare comitia coirent; idque facilius erat, quod ad inuadenda Pontificis, atque Imperij iura nil palam attentaret. Octo tamen equitum, & viginti duo peditum millia decreta Cæſari, qui cum ſemeſtri ſtipendio in Italiam euntem comitarentur, in tormenta verò & reliquos belli ſumptus, centum viginti aureum Rhenenſium millia, ad medium Octobrem præſentanda. Reliqua ſuo Marte

Cæſar in Gallum concitat principes Germaniæ.

Decreta auxilia Cæſari in comitijs.

curaret. Heluetij quoque per legatos ſollicitati, auxilia mitterent, nè à comuni totius Imperij viderentur diſſentire conſenſu, ſex hominum millia pollicebantur, ea tamen lege, ne in Gallos arma moueret. Ad hæc reſpondère legati, Heluetios aut Cæſari in omnibus obſequi, aut Domi relinqui debere. *Maximilianus* quo occultiora haberet conſilia, legatos Italicos ſeorſum ab aula ſua iuſſit commorari. Gallus verò vt Cæſari negocium faceſſeret, Geldriæ regulum nouis inſtruit copijs. Is cum *Roberto à Marca* fratre *Erardi* Leodienſium Epiſcopi, Brabantiam ingreſſus, plurimi oppidis expugnatis, Antuerpienſes mercatores, Francofurtum ad nundinas ſpoliauit proficiſcentes. Ex Gallorum fœdere adeo alta conceperat, vt ad totius aſpirare videretur imperium. Vide eius ſymbolũ *n.* 100. *Maximilianus* vero Tridentum profectus, III. Non. Feb. publicis peractis ſupplicarionibus Italicum iter per *Mathæum Langium*, epiſtolarum magiſtrum, è ſuggeſtu publicari mandauit, non iam Regis, vt hactenùs, ſed Romani Imperatoris deinceps appellandi. Inde commeatu & impedimentis Atheſi amne præmiſſis, cum quingentis equitibus, & duobus peditum millibus iter ingreſſus, ad Siagij montis radices, foſsas, & aggeres impediendo militi excitatos complanari iubet. Miſerat per eos dies Veronam ex ſuis, qui aduenire ipſum, & ſine iniuria per eorum agrum iter facturum ſignificarent, & quatuor equitum millia illic collocari peterent. Huic Veronenſis Magiſtratus ex Senatus Conſulto reſpondit, *Veronenſibus iniunctum eſſe, vti pacato itinere venientem cum honore excipiant, armatum ne admittant, iam verò tormentorum ſubuectionem & reliquum belli apparatum non poſſe nõ ſibi eſſe ſuſpectum.* Hoc reſponſo ſatis intelligere erat, quid animi Venetis eſſet. Cumque ſuorum litteris intellexiſſet, maiores bellorum apparatus ab eiſdem in Carnis fieri, Tridentum reuerſus, *Fridericum Brandenburgicum* principem, cũ filio *Caſimiro*, & parte copiarum, ijs in locis relinquit, *Georgium Neideccium*, Epiſcopum Tridentinum ſummæ rei præficit. Ipſe† *Piſonum* profectus, equites quadringentos cum quinque millibus peditum, ex Tirolenſi agro conſcriptos, in Cadurianum agrum præmittit.

Sal. Ann. 1506.

CXIII.

Cæſar in Italiam deſcendit.

CXIV. *In Venetos mouet.*

† *Vulgo Bolſanum*

Sal. Ann. 1508.

tit. Miſerat ei Pontifex diploma aureis exaratum literis, quibus eum Cæſaris titulo ornabat, non aliter quàm ſi auream eius capiti impoſuiſſet coronam; eo voto nè cum exercitu vlterius tenderet, verens ne antiquum in Italia ius imperiale repeteret. Non contentus *Maximilianus*, progredi cum exercitu placuit. Mox aſſumptis ſecum ſex peditum millibus, in Carnos ſe conuertit, reliquis copijs ad Tridentum expectare iuſſis. Qui præmiſſi erant, in valle Caduriana, caſtellum quoddam ad *Plauim* fluuium, vnà cum præfecto Veneto *Petro Ghiſio* cepere; *Maximilianus* ipſe Venetorum fines ingreſſus, San Martini & Plebis arces, ijſque vicina loca expugnat, & in agrum Taruiſianum ducit. Cum verò audiret Venetos *Bartholomæum Liuianum*, & *Georgium Cornarium*, magni nominis Duces euocaſſe, & auxilia non contemnenda a Gallo expectare, vti & ipſe ſi maiores pararet copias, Vlmam redijt; vbi conuentu indicto, & Sueuici fœderis viribus ſolicitatis, promiſſa ab Imperio auxilia, in alios ſex menſes prorogari poſtulauit.

CXV. *Cæſar Belgium petit.*

Interim propter Geldrorum aſſiduas excurſiones, in Belgium qua potuit celeritate profectus, prouinciarum gubernatione Bruxellis ſuſcepta, & pecunia in bellum Geldricum imperata, in Germaniam redijt. Dum Veneti, ſuperatis, quæ Cadurium ducunt,

CXVI. *Cæſarei à Venetis victi.*

anguſtijs, recta in Germanos ibi agentes aciem direxère. Hi quod ex improuiſo ſe ſe circumuentos, & effugia ab incolis locorum Veneti nominis ſtudioſis, inſeſſa videbant, neceſſitate pugnandi in fortitudinem verſa, facto globo irrumpunt, ſed victi, ex ijs cecidere mille, reliqui capti ſunt. *Liuianus* inde *Cadurium* arcem difficili nec incruenta victoria expugnauit. Perijt in ea oppugnatione *Carolus Malateſta* ex Ariminenſium regulis, ictu lapidis, eximia indole adoleſcens, & aliquot cum eo viri fortes. Victoria vſus *Liuianus*, Cremonſam in edito colle poſitam armis, Portum Naonis deditione occupat. Goritiam obſidione cingit, capit: parique fortuna Tergeſtum terra, marique circumuallatum

Induciæ inter Cæſarem & Venetos.

expugnat. Cum in hunc modum res non proſpero gereretur ſucceſſu (neque enim promiſſa ad tempus pecunia numerabatur, & auxilia alij citiùs, alij tardiùs aduentarent) de inducijs agi ceptum. Conuenère ad Ripam Benaci lacus, Imperatoris nomine *Tridentinus Præſul*, & *Cyprianus Serentinus* ab epiſtolis, à Venetis *Zacharias Contarenus*. Gallorum quoque Regis mandato, ſine quo Veneti nihil paciſci volebant, aderant *Ioannes Iacobus Triultius*, & *Carolus Iufredus*. Cumque de inducijs ad triennium ſeruandis ageretur, in eo difficultas erat quòd Gallus generales eſſe illas, & Geldrum ijſdem comprehendi volebat. Veneti verò, vt bellum à ſuis auerterent, finibus ac induciarum tempore imperia ſua in locis nouiter occupatis, confirmarent, ſeorsùm à Gallis conſilia habere ceperunt, & ſuo tantùm nomine inducias fecerunt, reclamantibus Regis legatis. Idoneam cauſam videbantur præferre (quòd *Tranſalpinarum rerum cura nihil ad ipſos pertineret, ſed de mutuo in Italicis bellis auxilio fœdus eſſe factum, & Regi ſi inducijs comprehendi vellet, locum & tempus relictum eſſe* dicerent) rem tamen grauiter tulit Gallus, & Venetam amicitiam minùs ſtudio colere

CXVII. *Origo Cameracenſis fœderis.*

cepit. *Maximilianus* memor Cadubrinæ cladis totque oppidorum alienatione permotus, iniuriæ auctorem Venetum occultè oderat, mox in apertam inimicitiam prorumpens, horrendum *Camaracenſis fœderis* excitauit incendium. Sunt, qui *Iulium* Pontificem auctorem faciunt, vt qui opibus ſuis minus poterat, illorum viribus adiutus, Ariminum, Fauentiam à Venetis recuperaret.

Huc facit votiuus nummus eiuſdem Pontificis, in quo *tenebris caſtellum obducitur*, ſed & coruſcat ſerena luce Diana. Tenebras *Iulio* multas offuderunt Peruſia, Cæſena, Foriliuium: ſed nouum ei exoritur iubar, pacto cum potentiſſimis magnatibus fœdere. Alter eſt *Maximiliani* cuſus in Venetos bello ſuſcepto. Accedebat ad veterem in illos indignationem, quòd cum ipſe Vicentinum Epiſcopatum, poſt defunctum Sancti Petri Cardinalem nepotem ſuum, *Sixto* alteri nepoti dediſſet; Veneti eo contêpto,

CXVIII. *Iulij II. Pontificis odium in Venetos.*

alium ex patricijs ſuis ſuffecerant. Miſſus itaque in Gallias *Sixtus*, vt Regem cum *Maximiliano* coniungere ſperans; *Ferdinandum*

Sal. Ann. 1507. vtrique neceſſitudine illigatum, in eandem facile fore ſententiam. Haud magni negotij fuit, hos Principes conciliare, quòd ſuas quiſque cauſas habere ſe ſe putabant, & omnium coniunctionem peroportunam videbant. Igitur adnitente in primis Pontifice, eò res de- *Sal. Ann.* 1507.



ducta eſt, vti Imperatoris nomine *Margaretha* eius filia, Belgarum gubernatrix, & *Mathæus Langius*, à Rege Galliæ Cardinalis Rothomagenſis, quem ſequebatur *Iacobus Albionus* Aragonum Regis legatus *Cameraci* cõuenirent. Sed ne vera conuentus cauſa *Venetis* innoteſceret, ſparſum in vulgus pro pace cum *Geldro*. Paucis diebus tranſacta inter illos res eſt, & in formulã ſequentẽ fędus percuſsũ. *Fœdus Cameracenſe.* *Maximilianus* diuina fauente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, & Hungariæ, Archidux Auſtriæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, & Carinthiæ: ac Marchio Sacri Rom. Imperij, &c. Recognoſcimus, & præſentium tenore notum eſſe volumus vniuerſis, quòd quum Sanctiſſimus in Chriſto pater, & Dominus, Iulius, diuina prouidentia Sacroſanctæ Rom. vniuerſalis Eccleſiæ ſummus Pontifex, Dominus noſter Reuerendiſſimus ſæpius, & repetitis vicibus nos pariter, & Sereniſſimum, atque Excellentiſſimum Principem, Dominum Ludouicum, Regem Franciæ, fratrem noſtrum chariſſimum, alioſque Chriſtianos Principes inſtantiſſimè admonuerit, vt tanquàm veri, & deuoti filij Eccleſiæ vellemus, ad conſeruationem Chriſtianæ Reip. intendere, quæ in dies à truculentiſſimis Turcis, & cęteris infidelibus maximas iacturas patitur, ac etiam ad conſeruationem iurium, & bonorũ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, atque Beatitudinis ſuæ, totis viribus noſtris aſſiſtere ad recuperationem eorum, quæ poſtpoſita fide, omnique religione contempta, nulla habita ratione, æqua, honeſta, & iuſta, Veneti pluribus iam annis de Beati Petri, & Sanctæ Rom. Eccleſiæ patrimonio tyrannicè inuaſerunt, vſurparunt, & occuparunt, ac de præſenti nullo iuſto titulo indebitè occupant, & detinent: cui exhortationi Sanctiſsimi D. N. Nos Imperator præfatus pro ſyncera noſtra in Sedẽ Apoſtolicã obſeruãtia

(vt

Sal. Ann. 1508. (vt par eſt) parere volentes, huiuſcemodi defenſionem, & conſeruationem Reip. Chriſtianæ, nec non incrementum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ iuxta maiorum noſtrorum veſtigia, & exempla, tamquàm etenim illius aduocatus, & protector cum ſummo deſiderio amplecti, & ſuſcipere fuimus ſemper ex animo inclinati; conſiderantes etiam grauiſſimas iacturas, iniurias, rapinas, & damna, quam præfati Veneti nedum ſacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, ſed & ſacro Romano Imperio, domui Auſtriæ, Ducibus Mediolani, Regibus Neapolitanis, & alijs multis, Principibus violenter intulerunt, illorum bona, poſſeſſiones, ciuitates, oppida, perinde ac ſi in communem omnium perniciem conſpiraſſent, tyrannicè occupando, & vſurpando: propter quod non ſolùm ſalubre, vtile, & honorificum, ſed & omnibus prædictis neceſſarium eſſe exiſtimamus, vt omnibus ad iuſtam vindictam excitatis, tandem ad reſtinguendam inſatiabilem Venetorum cupiditatem, & dominandi libidinem, tamquàm ad commune incendium accurratur, iunctiſque viribus, & armis, bona per eoſdem Venetos ablata, & occupata recuperentur, & reintegrentur; eaque de cauſa nuper Illuſtriſſimam Principiſſam Margaritam Archiduciſſam Auſtriæ, Duciſſam Burgundiæ, relictam viduam Sabbaudiæ, filiam noſtram chariſſimam ad ciuitatem noſtram Imperialem Cameracenſem miſimus, quæ vigore pleni & ſufficientis mandati noſtri tamquam ſpecialis noſtra in hac parte procuratrix poſt concluſam generalem pacem inter nos, & ſupranominatum Sereniſſimum fratrem noſtrum Regem Franciæ cum Reuerendiſſimo in Chriſto patre, D. Georgio de Amboſia tit. Sancti Sixti, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ presbytero Cardinale Rothomagenſi, ac Sedis Apoſtolicæ per Franciam de latere Legato, facienti ſe in hac parte fortem nomine Sanctiſſimi Domini Noſtri etiam iã dicti Sereniſſimi Regis Franciæ fratris noſtri ad hoc deputato procuratore, ac cum ſpectabili Iacobo de Albion milite, Sereniſſimi Regis Aragonum Oratore, & ad hoc etiam ſpeciali procuratore, tractauit, iniuit, fecit, concluſit, & iurauit, ac litteris ſuis roborauit, fœdus, confœderationem, vnionem, & ligam, contra ipſos infideles, Sal. Ann. 1508. ac etiam contra Venetos, iuxta capitula, puncta, & articulos: quarum litterarum, capitulorum, punctorum, & articulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. In primis, quia hodie nos cum præfato Domino Cardinali Rothomagenſi Legato, & ex prædictorum Sacratiſſimi Domini Imperatoris, & Chriſtianiſſimi Francorum Regis nominibus iniuimus, & concluſimus pacem generalem, atque confœderationem, in qua etiam inter cætera Sanctiſſimum in Chriſto patrem, & Dominum, D. Iulium II. diuina prouidentia S. Rom. Eccleſiæ ſummum Pontificem, Dominum noſtrum obſeruandiſſimum, & Sereniſſimum Aragoniæ Regem incluſimus, atque vtrique parti adhuc facultatem reſeruauimus, infra quatuor menſes poſſe alios ſuos confœderatos nominare, & eidem paci, ſeu confœderationi includere. Et quoniam Veneti in maximum præiudicium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſacrique Romani Imperij, & Dominorum Auſtriæ, ac Chriſtianiſſimi Regis Franciæ ad cauſam Ducatus Mediolani, ipſiuſque Sereniſſimi Regis Aragoniæ ad cauſam Regni Neapolitani iamdudum tyrannicè, & violenter occuparunt, detinuerunt, & præſentialiter vſurpant, occupant, & detinent quàm plurimas prouincias, vrbes, & dominia, ipſis Sacratiſſimo Domino Imperatori, & Regibus prænominatis, ſingula ſingulis referendo pleno iure pertinentia; tractatum, & conuentum eſt, inter nos nominibus antedictis, quod nec Sacratiſſimus Dominus Imperator Romanorum, nec Chriſtianiſſimus Francorum Rex debeant, nec poſſint Ducem, & Dominium Venetorum, aut eorum ſubditos, nec alios communes hoſtes, contra quos mouendum bellum, pro confœderato, vel confœderatis ſuis nominare, ſeu huic paci, & confœderationi hodie factæ qualitercunque includere, quinimò præfatus Dux, & Dominium Venetorum, atque eorum ſubditi, à præfata pace & confœderatione prorſus debeant eſſe excluſi. Item actum eſt, & conuentum, quòd ſit vna ſpiritalis liga, vnio, amicitia, atque confœderatio inter Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Papam, & inter prædictos Sacratiſſimum D. Imperatorem Romanorũ, &

Sal. Ann. 1508. Sereniſs. Franciæ, & Aragoniæ Reges, contra ipſum Ducem, & dominium Venetorum, atque eorum ſubditos, pro recuperatione ſeu reintegratione omnium deperditorum. Item pro celeriori huius rei expeditione actum & conuentum eſt, quòd ipſi Sanctiſſimus D.N. & Sereniſſimi Franciæ, & Aragoniæ Reges, & ipſorum quilibet cum ſufficiẽti militum, & peditum exercitu, ac cum artellaria neceſſaria teneantur infra diem primam Aprilis proximè venturam pro recuperatione antedicta, communibus armis eoſdem Venetos hoſtiliter inuadere, nec prius à prædicta inuaſione, ſeu guerra, aut armis per aliquem eorum deſiſtetur, quàm omnino & integrè Apoſtolica ſedes recuperauerit Rauennam, Ceruiam, Fauentiam, & Ariminum, earumque diſtrictus, ac alia oppida Imolæ, & Ceſenæ, cum omnibus earum iuribus, & pertinentijs, ac omnia alia, quæ de ſtatu, & iuribus. Eccleſiæ Romanæ dicti Veneti occupant, & detinent, & Præfatus ſacratiſſimus dominus Imperator recuperauerit Roueretum, Veronam, Paduam, Vincentiam, Taruiſium, Forumiulium, cum territorijs, ac pertinentijs eorum, necnõ Patriarchatum Aquileienſem, cum ſingulis ſuis pertinentijs; omniaque alia loca, & dominia per ipſos Venetos in hoc vltimo bello capta, & occupata ex terris, & Dominijs domus Auſtriæ, & pari modo ipſe Chriſtianiſſimus Francorum Rex recuperauerit totaliter Brixiam, Bergomum, Cremã, Cremonam, Geradadam, cum ſingulis ipſorum locorum diſtrictibus, territorijs, at pertinentijs, & generaliter omnia ea, quę fuerunt antiquitùs de Ducatu, & domo Mediolani, ac prædeceſſorum ipſius Chriſtianiſſimi Regis in eodem Ducatu: & ſimiliter ipſe Sereniſſimus Rex Aragonum recuperauerit ea omnia, quæ ipſi Veneti de Regno Neapolitano, & ex pręceſſoribus in ipſo Regno quouis modo abſtulerunt, & vſurparunt, ac de præſenti quo vis colore vſurpant, detinent, & occupant, videlicet, Tranum, Brunduſium, Otrãtum, & Gallipolim, ac omnia alia, quæ de Regno Neapolitano per eos occupantur. Item poterunt etiam Illuſtris Dux Sabbaudiæ pro Regno Cypri, & Dux Ferrariæ, & Marchio Mantuæ pro recuperatione eorum, quæ dicti Veneti eis detinent, & occupant, ſe huic ligæ adiungere, & in hac confœderatione ſe includere. Item quod etiam ſit facultas Sereniſſimo Regi Angliæ ſe includendi in hac confœderatione, & liga contra Venetos, ſiue ad offenſionem, ſiue ad defenſionem tantùm, ſiue ad vtrunque, pro vt ei melius videbitur. Huius fœderis vide *Maximiliani* caſtrenſem nummum ſub Anno 1509. *Sal. Ann. 1508.*

Hoc fœdus in templo proclamatum, & iure iurando confirmatum eſt. Nec multo poſt Rothomagenſis, cum *Alberto Pio Carpenſi*, & *Lutetiano* præſule ad *Maximilianum* proficiſcuntur, qui & ipſe, eodem ritu, quo cæteri, fœdus comprobauit. Veneti, cum ingens ſibi bellũ à maximis orbis Chriſtiani principibus imminère viderent, nam Pontifex *Fauentiam*, *Ariminum*, *Rauennam*, *Ceruiam*; Rex Romanorum *Patauium*, *Vicentiam*, *Veronam*, Imperij nomine; *Forum Iulij* & *Taruiſium* ad Auſtriam domum ſpectantia; Rex Galliæ *Cremonam*, *Girradadam*, *Brixiam*, *Bergomum*, *Cremam*; Rex Catholicus *portus*, oppida à *Ferdinando* Neapolitano Rege oppignorata, magnis & ipſi viribus ſe ſe muniunt, quibus ſi primum hoſtium impetum aut propulſare, aut aliquandiù ſuſtinère poſſent, malè ſartam inter fœderatos concordiam, non fore ſperabant diuturnam. *CXIX. Federatorum poſtulata.* Nam Pontificem timere Cæſarem, & toruis oculis Gallum in Italia aſpicere ſciebant. Imperator facili momento inuiſus Gallis, non diù in fœdere conſtans ſperabatur. Colloquia itaque cum Pontifice captantes, *Ioannem Petrum Stellam* cum mandatis ad Imperatorem mittunt, qui nec in conſpectum admiſſus, ne fœderi aduerſari diceretur. Anno itaquè ineunte 1509. Gallorum Rex, cum Duce Lothringiæ, & totius regni nobilitate in Italiam deſcendens, miſit fæcialem *Mongioiũ*, vt patribus bellum indiceret; is veſte lilijs aureis intertexta ornatus, in curiam aſcendit, arrogantique ſermone, *Tibi* (inquit) *Princeps, et vobis Veneti, tanquàm alieni imperij vſurpatoribus, raptoribuſque infidis Ludouici Regis mei nomine bellum indico, repetituruſque ea armis ipſe venit, quæ vos per vim, & iniuriam, à veris dominis ablata, tam diù iniuſtè retinetis.* *CXX. Gallus bellum Venetis indicit.* Tum Princeps *Nicolaus Lauretanus* ad Gallum pacato vultu conuerſus, *Nihil Galle hæc Reſpub. in Italia, alibive iniuſte poſſidet, neque* *Lauretani Principis effigiẽ vide nu. 118.*

fidem

Sal. Ann. 1509. *fidem vnquàm cuiquam fallit, cuius obſeruatores ſemper conſtantes fuimus. Abi, & noſtro nomine Regi tuo nuntia: bellum, quod nobis tam arroganter indicis, Dei Immortalis ope fortiter propulſabimus, quem ſperamus propitium hoc bello habiturum, & eumdem aut in hac mortali vita, aut apud inferos ob rupti fœderis ſcelus, Gallicæ impietatis vindicem fore.*

Per eoſdem dies Pontifex ijſdem ſub grauiſſima cenſuræ eccleſiaſticæ denuntiatione, vti omnia per Æmiliam loca, cum vectigalibus cæteriſque redditibus ſibi intra paucos dies reſtituant, iniungit. Illi igitur quantas

CXXI. *Poſtulata Pontificis.* poſſunt copias ex omni ditione ſua congregant. Ex Creta, iubente Senatu, Sagittarij venerant, agreſte ac ſemiferum genus hominum; ex Peloponeſſo, ac tota Græcia equites leuis armaturæ, *Stratiotæ* dicti. Ex Campania, Apulia, Latio delecti milites; cenſaque in caſtris ſupra triginta peditum, ac decem leuis, grauiſque armaturæ equitum millia, quarum omnium copiarum imperium *Nico-*

CXXII. *Nicolai Vrſini & Liuiani effigies vide nu. 118.* *lao Vrſino* Petiliani comiti Senatus mandauit. Cum eo aderant clariſſimi bello Duces, *Bartholomæus Liuianus* gubernator exercitus, vir acer, & intrepidus, *Petrus Montanus, Ioannes Paulus Manfronus, Citolus Peruſinus, Dyoniſius Naldus, Ioannes Græcus, Lactantius Bergomenſis, Franciſcus Gambara, Ioannes Siccus, Sonzinus, Benzonus.* Legati erant *Georgius Cornelius*, & *Andreas Grittus*, viri fortiſſimi, *Grittus* ingruentis belli molem vſque ad finem cum ſuſtinuiſſet, optimè de patria meritus, ducali trabea donatus fuit, vt ex numiſmate, quod ſupra vide *nu.* 118. *Gritti, & Cornelij effigiem vide pag. nu. 118.*

In hoc vno Veneti videntur peccaſſe; quòd fortaſſe, vt par erat, in hoſtem ad flumen Abduam omnibus copijs non occurrerent, ſed diuiſi ad Fauentiam quingenti milites, totidem leuites, & quinque millia peditum, ad Veronam totidem, ad Forum Iulij quingenti haſtati equites, in Iſtria quoque ad mille peditum ordines adſcripti eſſent. Inſuper in lacu Benaco *Zacharias Lauretanus* cum inſtructa biremium, celotiumque claſſe nauigabat, ne vis aliqua ex Germania ingrueret. Et quia ſimul cum Pontifice Dux Ferrariæ, & Rex Hiſpaniæ hoſtis erat, & paſſim terra, marique bellum enixè parabatur, Apuliam prouinciam *Ioannes Maurus* cum claſſe quadriremium ſortitus eſt. *Laurentius Sagredus* cum armatis cymbis littora Flaminiæ; & *Sebaſtianus Maurus* cum paduana claſſe proxima flumina. Cęteræ omnes copiæ caſtramentatæ fuerant ad Pontem vicum. Ante horum aduentum *Ciamontius* Regis iuſſu Abduam fluuium prope Caſſianum, vado traijciens, Treuium & vicina quædam loca inuadit, præfectos aliquot capit. Eo tamen abſente, & Mediolanum ad Regem properante Treuium Veneti recuperarunt. Triuiliana hæc victoria Venetis exitio fuit: nam *Veneti victi.* Sal. Ann. 1509.
dum milites omnes ſine ordine, ſine imperio ad prædam diſcurrunt (quinimo multi onuſti præda domum abierunt, vt è Cremona, Crema, Brixia, & Verona opus fuerit ſuppetias mittere) eam occaſionem Galli nacti, quàm tutiſſimè cum innumeris tormentis, flumen Abduam, anguſto calle traiecerunt impunè. Pluſquàm centum hominum millium traièciſſe ſcribit *Andreas Mocenicus.* Superato Abdua, caſtra propè hoſtem poſuit leuibus velitationibus pugnæ copiam quærens. Senatus verò crebrò *Pitilianum*, & Legatos admonebat, ne temerè quicquam agerent, & ſolùm in extremum adducti driſcrimem cum hoſte confligerent. Tria paſſuum millia inter Gallorum & Venetorum caſtra planicies erat: ibique leuia committebantur prælia, præ Venetis ſæpè ob antecurſorum Epyrotharum virtutem cum proſpera contingerent; Regij ob hæc inde digreſſi ad *Riuoltellam* oppidum caſtra admouerunt. *Liuianus* ab exploratoribus certior factus, Gallos loco ſe mouiſſe, cum equitibus quadringentis, ſub lucem caſtris eſt profectus, vt quid hoſtes agerent, exploraret. *Illi tamen* (verba ſunt Petri Iuſtiniani) *confecto celeriter itinere, tormentiſque ad Riuoltellæ muros poſitis, paruo temporis ſpacio deditione municipium occuparunt: hinc cum omnibus copijs Pitilianus caſtra quingentos prope hoſtes paſſus ſuo loco poſuit, ibique diem alterum vterque exercitus in armis ſe continui. Poſtero die Rex Pandinum verſus ſigna mouit, ac ſecundum flumen acie diſpoſita iter ſilentio arreptum, eo conſilio, vt cum noſtris manum confereret, idque ipſum Liuianus maximæ optabat. Contrà multa, belli vſu, & experientia, ſenilique prudentia Pitilianus, dubios præliorum euentus animo reputans, modis omni-* CXXIII. Lib 2.

Sal Ann. 1509.

omnibus, vt à pugna ſe abſtineret, Liuianum, quem incredibili committendi prælij ardore rapi cognouerat, hortabatur, Galloſque inopia coactos, breui ſe in ſuos fines recepturos aiebat, ita vt certam victoriam ſine ſanguine partam, bellumque fœliciter confectum fore pollicebatur, ſi pugnæ caſus omitteretur, at Liuianus temerè in certamen exardens, pugnam ſuadebat, ac ſigna conuulſa in hoſtes inferri penè videbatur. Tum Pitilianus ad eum conuerſus, Caue, precor, ne te nimium magni animi tui confidentia prouehat, reſque noſtræ temerario auſu concidant: ſi enim ferro conſtricto, reconditoque vincimus, quid nos tentare prælij fortunam oportet? hæc prudens Imperator: verùm Liuianus ſpreto ſaniore conſilio, hoſtes abiſſe ſentiens, ad inſequendum eos penè amens ferebatur, dictitans, non bene Reip. conſuli, cunctando, ſedendoque: eam enim ſe, ſuaque omnia ipſorum fidei commiſiſſe, fruſtraque tantum conflatum exercitum, tot opes, theſauroſque profuſos, ſi ante ipſorum oculos Imperij fines ferro, ignique vaſtentur, oppidaque, & municipia nullo defendente capiantur; ſuumque eſſet dedecus, militaremque ignominiam, hæc perferre, exclamabat. His vocibus impulſus Pitilianus, conclamatis vaſis, caſtra moueri, & ſigna tolli imperat, munitioreque loco relicto, quando pugnandum erat, in patentes campos exercitum traduxit, ex eoque quatuor acies conſtituuntur, ſingulæque earum parem equitum, peditumque numerum habebant, totuſque ſub ſignis exercitus ita iam proceſſerat, vt priores acies cum Imperatore ipſo, ab extrema, cui Liuianus præerat, tria millia paſſuum abeſſent: quare Rex certam victoriam animo concipiens, copias ſtatim ad confligendum parat: & quum non procul à flumine inter vtrumque exercitum eſſet foſſa ad deriuandas aquas ab incolis confecta, profunda, lataque, ad extremam eius partem ſigna firmat, atque ab itinere agmen tantiſper continet, donec tres noſtrorum acies exercitum ſuum præter greſſas eſſe cognouit: tum vt vltimã aciem diſiunctam aggrederetur, ac cum paucioribus manum conſereret, agmina, ſignaque retorqueri iubet, factoque in noſtros impetu, prælium initur, quod atrox, cruentumque primo congreſſu fuit. Rex autem ipſe media acie ſuos hortando accendebat, omnes circumiens, monere, obteſtari, vt memores Gallicæ virtutis, pugnam alacres inirent, ad hæc præmia, honoreſque polliceri his, qui fortiter pugnarent, ad iniquum locum Venetos tractos, vt ad ſatietatem Gallus cæderet, liberaretque inſigni victoria è ſeruitute Italiam, iuſſitque eodem temporis momento in Venetum tormenta diſplodi, ex quibus igneæ pilæ conuolantes plurimos ex noſtris diſcerpſere: magna tamen fortitudine Liuiani milites hoſti ſe ſe obiicientes, eius impetum repreſſerunt, adeoque is armis cominus vrgebatur, vt de fuga interdum cogitaret: reſiſtebat autem pudore victus, dum Rex in medio congreſſu bellator adeſſet, cuius præſentia Galli confirmati magno impetu à latere, à fronte Venetum premebant: in tantoque rei diſcrimine Petrus Montanus, peditatus ductor, ſtrenuam operam nauauit: is enim hoſtium impetum excipiens, quum fortiſſimè, & quantum humana vis poterat, mille ſtipatus, qui ſub eo merebant, bellaciſſimis militibus, pugnaſſet, magnumque hoſtium numerum ferro concidiſſet, & reliqui feſſi vulneribus iam fugam circumſpectare viderentur, ſubmiſſa ſtatim à Rege auxilia prælium reſtituerunt, in quo Montanus cum octingentis ſuorum in media acie fortiſſimè pugnando occubuit: & Liuianus ab alia parte cum ſuis in hoſtes ſe iniiciens, rem præclare geſſit, effecitque, vt æquato certamine priſtinum pugnandi ardorem hoſtis remitteret, & Pitilianus, qui cum maiori exercitus parte non procul aberat, ducta in hoſtes, à Liuiano Legatiſque euocatus, impetum facere parat, fuga noſtrorum conſpecta, à pugna abſtinuit,

CXXIV. Veneti victi.

vel quia militem ſiſtere fugientem minimè poſſet, vel quòd victoriam deſperaret, & *Liuiano* ira ſuccenſus accurrere dedignatus, quia ſe inuito pugnam inierat, *ſatius eſſe iudicauit, partem exercitus illæſam Reip. ſeruare, quàm eam certæ cladi obiicere, quam Liuiani temeritate noſtris infligi cernebat: nam Rex ſeu formidine, ſeu ignauia Venetorum animaduerſa, in tanta bene gerendæ rei occaſione haud ceſſandum ratus, cum militum robore celeriter in aduerſam aciem incurrit, regiamque phalangem ſequuta vis armatorum ingens Venetum adeo perculit, vt momento temporis fuſum, profligatumque magna clade affecerit: nam omnia impedimenta cum ſignis militaribus, belliciſque tormentis venerunt in hoſtium poteſtatem. Liuianus quoque graui vulnere accepto captus eſt, vnaque Citolus Peruſinus, vir bello clarus: ceci-*

dereq.

Sal. Ann. 1509.

dereque ex Venetis eo ad Abduam prælio ad octo millia: alij ſex tantùm vtrinque deſiderata tradunt, & in his è noſtris clari nominis Petrus Montanus, Saccotius Spoletinus, & Franchus Burgius ſagittariorum equitum turmæ præfectus. Diſiectique reliquias exercitus tantus terror inceſſit, vt omnes in fugam verſi, quocunque ferebat animus, dilabebantur, militiamque recuſabant, ac pauci omnino fuere, qui non è Venetis caſtris abierint, adeo militum animos iam antea inuictos, hæc noua Gallorum victoria perculſerat. Ad Carauagium autem, vbi Ludouicus Michael præfecturam oppidi gerebat, poſt cladem Pitilianus cum reliquijs exercitus ſe recepit, ibi Legatorum induſtria diſſipatæ copiæ in dies colligebantur, pauore tamen, conſternationeque omnium animi pleni erant: & Rex adhuc in Abduana glarea cum victore exercitu ſedebat, Liuianoque, & alijs captiuis in Galliam miſſis, ad Carauagium caſtra mouit, oppidumque, & arcem primo ſtatim acceſſu in deditionem accepit: alijs quoque proximis municipijs Rex potitur: interea acceptæ cladis nuncius ciuitatem ingenti mœrore affecit, vulgoque omnes dolere, Gallorumque extimeſcere immoderatam regnandi cupiditatem, tabernæque tota ciuitate clauſæ ſunt, & iuſtitiam indictã: patres quoque iam diu pacis ſtudijs aſſueti, bellicis rebus aduerſis non parum turbati: in tanto tamen motu Venetorum virtus non omnino oblanguit: nam audito hoc publico vulnere Paulus Barbus vir ſapientiſſimus ſtatim lectica in Senatum, quod parum proſpera valetudine vtebatur, ſe deferri iuſſit, atque vt (erat facundia inſigni) grauiſſima oratione patres conſolatus eſt; eoque authore, placuit, primùm exercitum reparari, qui fuga militum pene ad nihilum redactus erat: creatique ſunt à Patribus ſtatim duo Legati, Chriſtophorus Maurus, *&* Petrus Duodus, *quibus mandatum, vt diſperſos milites congregarent, nouoſque largo ſtipendio conſcriberent, claſſis quoque ad quinquaginta triremium numerum aucta, eaque Angeli Triuiſani imperio demandatur, & ad placandam iram Dei ſupplicationes piæ indictæ. Præterea miſſæ ſunt à Senatu litteræ ad Pontificem, quibus eum orabat, obteſtabaturque, ne Venetos obſeruantiſſimum Pontificij nominis populum tam inhumanè ſua Sanctitas impugnaret, quærique hoc bello Italicæ libertatis oppreſſionem, quando Reges inſatiabili dominandi cupidine impulſi, ad id ſolum ſpectare viderentur, tentantque omnia Imperia vi, armiſque ſibi aſſerere: proinde cum ſummis precibus orare (vt ſicuti optimum Pontificem decet) curam illam ſuſcipiat, pacis inter Principes Chriſtianos componendæ, deſiſtatque ſpiritualibus, temporalibuſque armis Venetos inſectari, reddatque hac animi placabilitate eos in perpetuum Apoſtolicæ ſedi obnoxios: verùm omnia fruſtra tentata, Rexque motis ex Carauaggio celeriter caſtris, victorem exercitum in Cænomanos duxit,* Bergomum, Brixiam deditione occupat. Piſcaria aliquandiu reſiſtere auſa, vi expugnatur, præfecti vna cum militibus ad vnum cæſi. *Terreſtri ſpoliantur imperio.*

Interim *Maximiliani* auſpicijs *Chriſtophorus Frangipanius* Piſinium, Diuiniumque in Iſtria arces; *Ericus Brunſuicenſis* Feltrium ac Bellunium capit. Aduenientis *Maximiliani* fama excitata Goritia, Tergeſtum, ad Aquilas rediere. Pontifex quoque pleraque Æmiliæ oppida, Gallorum magis terrore, & victoria, quàm ſuis armis recuperauit. CXXV. *Alphonſus* etiam Ferrariæ Princeps, non tantum agros depopulabatur, ſed nauigijs quibuſdam Atheſim & Padum infeſtabat. Tantis difficultatibus Veneti circumuenti, nullum in armis ſperantes præſidiũ vltrò hoſtibus quod amiſſuri erant, offerendum rati: de relinquendo continentis imperio, cępere conſilium, & Magiſtratibus, quos Patauij, Veronæque & alijs locis habebant, vti locis in ciuium poteſtate relictis, ipſi domum redirent, imperarunt auctore *Mathæo Priolo*, qui in ſecundo Collegij ordine præconſultor erat. CXXVI. *Imperio terreſtri cedunt.* *Ariminum, Rauennam, Ceruiam,* accepit Pontifex. *Veronam, Vicentiam, Patauium* Cæſar. *Apuliæ maritimas vrbes* Hiſpanus. Poleſinum *Alphonſus* Dux Ferrariæ. Hac voluntaria deditione terreſtris imperij credidere Veneti Reges placare. Nihilominus quia non eſt cupiditati terminus; hoſtilia adhuc agentes fœderati Venetos in tantis rerum anguſtijs, cupidiſsimos pacis adegerunt, vt *Antonium Iuſtinianum* legatum ad *Maximilianum* mitterent, à quo quibus poſſet conditionibus afflictæ ciuitati pacem redimeret. *Ex Petro Iuſtiniano*

CXXVII *Pacem petentis non auditur à Cæſare.*

Ad Cæſaris conſpectum admiſſus quod ita verba faceret, refert *Guicciardinus*; ſed negant Veneti, *Veteres Philoſophos, atque ſummos*

mos

Sal. Ann. 1509. mos illis temporibus viros, Inuictiſs. Cæſar, cum eam gloriam quæ ex ſui ipſius victoria cōparatur, veram, firmam, æternam, immortalemque eſſe affirmarunt, eamque ſuper omnia regna, trophæa atque triumphos extulerunt, minime erraſſe manifeſtum certumque eſt. Hæc Scipioni maiori tot victorijs claro, maiorem ſplendorem quam Africa deuicta & Carthago domita dedit. Nonne hæc eadem res magnum illum Macedonem immortalitate donauit? cum Darius maximo prælio ab illo victus, Deos immortales vt regnum ſuum ſtabilirent precatus eſt: quod ſi ſecus ſtatuiſſent, ſe non alium ſucceſſorem, quam tam benignum hoſtem, tam manſuetum victorem ab illis petere. Cæſar ille dictator, à quo Cæſaris cognomentum habes, & cuius fortunam, liberalitatem, magnificentiam, aliaſque virtutes obtines, nonne concedendo, remittendo, condonando, qui in deorum numerum referretur dignus eſt iudicatus? Denique Senatus populuſque Romanus ille mundi domitor, cuius imperiū in terris in te ſolo eſt, cuiuſque amplitudo et maieſtas in te conſpicitur, nonne plures populos atque prouincias, clementia, æquitate, & manſuetudine, quam bello armiſque Imperio ſuo ſubiecit? Quæ cum ita ſint, minime inter poſtremas laudes id tibi aſcribetur, Cæſar, ſi cum victoriam aduerſus Venetos in poteſtate tua habeas, quam humanæ res caducæ ſint memor, ea moderate vti noueris, magis ad pacis ſtudia, quam ad dubios belli euentus propenſus. Quanta enim rerum humanarum inconſtantia ſit, quam incerti caſus: quam dubius, varius, fallax, obnoxiuſque periculis ſit mortalium ſtatus, externis priſciſque exemplis oſtendere non eſt opus. Satis ſuperque Veneta Reſp. docet, quæ paulo ante florens, ſplendens, clara atque ita potens erat, vt eius nomen & fama non iam Europæ finibus contineretur, ſed egregia pompa Africam, Aſiamque percurreret, atque in extremis orbis terræ terminis magno cum plauſu reſonaret: hæc eadem nunc vnico eoque leui aduerſo prælio rerum geſtarum gloria orbata, opibus ſpoliata, lacerata, conculcata, atque euerſa, omnium rerum ac præſertim conſilij egens ita corruit, vt omnis priſtinæ virtutis imago conſenuerit, omniſq; armorum ardor deferbuerit. Sed falluntur proculdubio, falluntur Galli, ſi hæc propriæ virtuti tribuunt. Antehac enim Veneti grauioribus incommodis agitati, maximis detrimentis cladibuſque perculſi atq; attriti, numquam animum abiecerunt, ne tum quidem cum ingenti periculo cum ſæuiſſimo Turcarum tyrāno multos annos bella geſſerunt: imo ſemper ex victis victores facti ſunt: Idem & nunc ſperaſſent, niſi Maieſtatis tuæ tremendo nomine copiarumque, tuarum viuida inuictaque virtute audita, ita omnium animi concidiſſent, vt nulla non modo vincendi, ſed ne obſiſtendi quidem nobis ſpes relicta fuerit: Quo circa armis abiectis, in maieſtatis tuæ incredibili clementia, vel potius diuina pietate ſpem omnem locauimus, quam nos rebus noſtris perditis inuenturos minime diffidimus. Itaque Principis, Senatus, populique Veneti nomine, humili deuotione ſupplices oramus, obteſtamur, atque obſecramus, vt clementiæ oculis res noſtras afflictas reſpicere digneris, ijſque ſalutarem medicinam afferre. Omnes pacis leges quas tu nobis impoſueris amplectemur: omnes iuſtas, honeſtas, & ab æquitate rationeque minime alienas ducemus. Sed fortaſſe qui nobis ipſis mulctam imponamus digni ſumus. Ad te verum & legitimum Principem omnia quæcumque maiores noſtri Sacro Imperio & Auſtriæ Ducatui ademerunt, redeant: quibus vt decentius veniant, omnia quęcumq; in continenti poſſidemus adiungimus, quarum rerum iuribus quocumque modo partis cedimus. Præterea quotannis tuæ maieſtati, et legitimis Imperij ſucceſſoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus: Imperijs, decretis, legibus, præceptiſque tuis libenter obtemperauimus: defende nos quæſo ab illorum, cum quibus paulò ante arma noſtra coniunximus, inſolentia: quos nunc ſæuiſſimos hoſtes experimur: qui nihil aliud expetunt quam Veneti nominis interritum. Tua iſta clementia conſeruati, te Vrbis noſtræ parentem, genitorem, conditoremque appellabimus: ingentia beneficia tua in annales referemus: liberis noſtris perpetuo memorabimus. Nec verò parua hæc erit ad tuas laudes acceſſio, te primum eſſe ad cuius pedes Veneta Reſpub. ſupplex ſe humi proſternat, cui ceruices ſupponat, quæ velut Deum cælo delapſum colat, reuereatur, obſeruet. Si Deus Opt. Max. eam mentem maioribus noſtris dediſſet, vt res aliorum attingere non ſtuduiſſent, iam noſtra Reſpublica gloriæ plena, reliquas Europæ ciuitates longe ſuperaret: quæ nunc in ſquallore, ſordidus, & fætore langueſcens, ignominia, probroque Sal. Ann. 1509.

Sal Ann. 1509. *broque deformis, ludibrio atque contumelia referta, vnico momento omnium victoriarum laudem amiſit. Sed vt vnde incępit, eò mea reuertatur oratio, in tua poteſtate eſt Cæſar, Venetis tuis ignoſcendo & condonando nomen laudemque comparare, quæ nemo vmquam vincendo maiorem ſplendidioremque adeptus eſt: hoc monumentum nulla vetuſtas, nulla antiquitas, nullus temporum curſus ex mortalium mentibus delebit: ſed omnia ſecula te pium, clementem omnium principum glorioſiſſimum prædicabunt, appellabunt, confitebuntur. Nos tui Veneti, quod viuemus, quod auras cœleſtes carpemus, quod hominum commercio fruemur, id omne tuæ virtuti, felicitati, clementiæque tribuemus.*

Falſitatis tamẽ ſupradicta redarguit *Petrus Iuſtinianus*; & præcipuè quòd quinquaginta aureorũ nummũ millia Veneti polliciti fuerint Cæſari ſoluere *in perpetuũ cenſus nomine*, vt pacẽ ab eo impetrarent, *non enim perpetuò, ſed decennio* (ait Iuſtinianus) *tantùm donatiui nomine ea pecuniæ ſumma oblata fuit, vt publico conſtat mandato, quæ Commiſſio à noſtris appellatur, quam ego diligenter perlegi, dum veritatis huiuſcemodi indagandæ percupidus, publicas tabellas ex Archiuis euoluo. Nec negare poſſum, magnam animorum conſternationem in ciuitate fuiſſe, prò tot Rep. aduerſis, dubijſque fortunæ caſibus, dum omnis Europa coniunctis armis furens, infeſtaq; in Venetum nomen debacchatur.* Et infra: *Adde quod dilucidiorem prorſus cauſam facit, ne quis vllo modo addubitet, Guicciardinum manifeſto erraſſe, quùm plane conſtat, Iuſtinianum legatum in Germaniam proficiſcentem, Cæſarem in conſpectum ſuum venire non permiſiſſe, nec victoria elatum alloqui voluiſſe. Vnde Iuſtinianus à Cæſare non admiſſus re infecta in vrbem redijt.*

Interea Germani in Forumiulium, atque Hiſtriam iuſto exercitu erumpentes, eas quoque prouincias Cæſareę ditioni ſubigere tentarunt; Tergeſtoque, & Goritia occupatis, rẽ Venetam armis vndique infeſtabant, ad inhibendos autem Germanorum conatus miſſus eſt à Patribus in Carnos cum valida militum manu *Ioannes Paulus Gradonicus*, cuius virtus Germanorum aliquantum repreſſit ferociã. Taruiſij inde à ciuibus tumultuatum, eam vrbem ſibi ſtatim reddi, Cæſare per Legatos petente, quare plurimi ex ciuibus proſperam fortunã ſequuti, ingenti fauore rẽ ad *Maximilianum* trahebant; alij *Hieronymi Marini* Sal. Ann. 1509. prætoris ſuaſu, in antiqua Venetorum fide perſeuerare malebant: diuerſæque erant in populo voluntates; ſed vnus ex plebe vir inquilinus fuit, *Marcus Pelizarius* nomine à Crema oriundus, qui vexillum *Diui Marci* manu tenens, in forum cum paucis perexit, & Venetos ſequendos eſſe, atque eorum ſocietatem colendam, magna voce omnes adhortabatur. Quo duce populus priſtinam erga Venetos fidem retinuit. Taruiſiumq; per hunc maximè modum, repulſo Cæſare, veteri ſeruatum eſt imperio, miſſique ſtatim ſunt ad vrbis pręſidium ſeptingenti milites, & Legati nomine *Petrus Duodus*. Poſtea circa Patauinum agrum dum ſeueriſſimo Germani in colonos, villicoſque vtuntur imperio, acminis, edictiſque prohibent, ne Veneti è ſuis prædijs fruges in vrbem aſportent, aliaque ſuperbè, ac tyrannicè agunt, commota vniuerſa ciuitate ex rei indignitate, Patrum animi per ſe antea exacerbati, ad finitimam vrbem recipiendam, infeſtiſſimoſque hoſtes Germanos ex ea expellendos, vehementer accenduntur: omnes itaque ciuitatis ordines in eam cogitationem incumbere, vt Patauium vrbem proximè poſitam aliquo modo reciperent. Itaque patres antequàm ad alios belli conatus deſcenderent, curarunt, ſecretiſſimo conſilio rem ad optatum exitum perducere: nam ſub ſpecie Germanicæ Legationis ad *Maximilianum Fran. Capellus* vir ſolerti ingenio à Senatu electus eſt, vt confeſtim ſe Patauium tacitè conferret, *Leonardumque Triſſinum*, qui vrbi Cæſaris nomine præſidebat, conueniret, cum quo iam à pueris intima familiaritas, amicitiaque intercedebat: eique polliceretur, ſi Patauium Venetis reſtituat, exilij lege antiquata, qua antea damnatus ipſe fuerat, ei liberis, poſteriſque, ciuitatis, comitiorumque ius, & Cittadellam municipium, quo *Pandulphus Malateſta* proditionis cauſa eiectus fuerat, patres dono daturos. *Capellus* igitur cum his mandatis Patauium ſubuectus, dum vrbem tacitè ingreditur, cognitus ab ijs, qui vigili cura portam cuſtodiebant, cum toto comitatu intercipitur, nec alloqui *Triſſinum*, vt mandatum fuerat potuit: cumque ſe apud eos ciues, qui in magiſtratu erant, legationis iure defenderet, res ſuffragijs acta eſt, num *Capellus* inter-

Sal. Ann. 1509. fici, quod Patauium furtim veniſſet, an domũ incolumis remitti deberet, quòd legatione fungeretur, quæ ſacroſancta, inuiolabiliſque iure gentium vbique habetur. Octo erant ex nobilitate ciues, totidem ex plebe, qui ſuffragium in capitalibus rebus ferebant: ſeptem ex his male animati *Capellium* ad necem cõdemnauerunt, nouem quia Legati perſonam gerentem abſoluerunt. Ita in magno vitæ periculo verſatus, duobus tantum ſuffragijs à morte liber, ad vrbem trepidè redijt. Ea arte poſtquàm nil actum eſt, *Aloyſius Molinus* in ſecundo ordine præconſultor legem tulit, rogans, apertone bello, armiſque res gerenda eſſet in Patauio recipiendo. Tum *Lauretanus* Princeps id agendũ minimè cenſens, hęc orando è ſuggeſtu in medium protulit:

Multum profectò Patres conſcripti, fortuna nobis hactenus acerba, grauiſque fuit, quam ad præſens etiam temerario, vanoque auſu irritare tentamus, & id alieniſſimo ſanè tempore, quum victricibus vndique potentiſſimorum hoſtium armis premimur: nam hinc Pontifex, Italiq; Principes, illinc cum Cæſare, Galliarum, Hiſpaniarumque Reges nos oppugnant. Et iam pulcherrimi imperij membra adeò diſcerpſere, vt parum à ſupremo diſtemus excidio. Quonam igitur pacto, quibus viribus, Patauium aggredi volumus? vtinamq; Dij immortales darent, vt clariſſima vrbs ex hoſtium manibus erepta, in Venetam reſtitueretur poteſtatem: ſed quæ dudum tam amplæ fuerunt nobis opes, fœdis cladibus, quarum memoria adhuc caligant oculi, nunc exinanitæ defecerunt, vixque afflictum reſpirat imperiũ: hoſtis contrà prępotens imminet, cuius impetum, armaque fortuna aduerſa depreſſi nunc ſuſtinebimus, qui in ſumma rerum proſperitate olim cõſtituti ceſſimus? Sed fac, Patauium recipias, ſtatim vndique hoſtes, qui iam ex voluntaria vrbiũ traditione ſatis pacatos erga nos animos gerunt, armaque depoſuere, iterum ijs reſumptis in amicitiam coibunt; belloque ardentius reparato, vrbem haud ſatis munitam, vtpote, quæ diu florẽtiſſimo Gymnaſio pacis artes, Muſarumque ſtudia coluit, vallo, armis, bellicis operibus, infinitoque copiarum numero circumuallatam expugnabunt, noſque tanta clade affecti, in nouos terrores incidemus. Patauio enim occupato, creditis ne hoſtis ferociam, iramque ſuam deponet? Taruiſium, Forumiulium, ac reliquam continentis oram inuadet; ſpoliabimurque toto terreſtri, vtinam mentiar, imperio. Rem igitur Patauinam omittamus, & quando ita Dijs immortalibus placuit, anguſtis imperij finibus contenti, vrbes, quas iampridem victoribus vltro ceſſiſtis, in perpetuum dimittite; ad maritimaſque res, ut quondam à maioribus noſtris factum eſt, animi conuertantur, fundata enim medio mari diuino cõſilio hęc vrbs, naualiumq; rerum peritia excellẽs, propitia facile in maritimo imperio propugnãdo habebit numina, quę in terreſtri retinẽdo, aduerſa multo ſuo magnoque malo hucuſque experta eſt. Sal. Ann. 1509.

Dubios, diſcordeſque patrum animos Principis oratio reddidit, variæque ſententiæ per ſubſellia ſingulorum inuicem habitæ, ac diu ambigua hæſit conſultatio. At Molinus *Senator* facundia, ac ingenio æque clarus, in roſtra aſcendens, ita diſſeruit;

Dum præſentem rerum ſtatum Princeps optime, mecum tacitus conſidero, nõ tantum profectò fortunæ acerbitate commoueor, quæ varia, inconſtanſque hanc Remp. ad internitionem propè adduxit, quàm animorum noſtrorum mollitiem improbare meritò poſſũ; nec aliunde, quàm a nobiſmetipſis forſan tot mala eueniunt, qui dũ nimiũ timemus, Reip. inconſultè officimus: quidnã illud, quod nuper factũ fuit, quàm præceps, quã pudendum? quòd tot clariſſimas, munitiſſimaſq; vrbes, has in Flaminia, illas in Gallia, alias in Apulia, ac prope in viſceribus noſtris hoſtiũ faucibus prętimore vltrò inieciſtis, quas nec attentare armis vnquam illi quidem auſi fuiſſent, vt nõ tãtum hoſtium vis, quàm noſtra ignauia, et deſperatio rem Venetã afflixiſſe videatur. Trebia, Traſimenus, Cannas, totq; aliæ ſuper alias clades Romanorum illos ſpiritus non fregerunt, nos Abduana vna pugna ita depreſſit, vt manus victas dare turpiter cogere debeat: quòd ſi Romana contemnuntur exempla, noſtra ſaltẽ ante oculos ponite: antiquiora prætereo, Lygur perpetuus huic imperio hoſtis, delacta ad Polam claſſe, Hiſtria omni ferè ſubacta, ciuitate fame laborante, Clodiam finitimam vrbem armis occuparat: plena omnia fugæ, terroris, lachrymarum erãt; non tamen in tãta calamitate patres animos demiſere, ſed publicis, priuatiſque opibus in medium collatis, ſuprà triginta triremium claſſis inſtruitur, quæ ſtatim in hoſtes profecta, Clodiam circumſedit, finitimaque vrbs fame domita, poſt decimum obſidionis menſem tandem recipitur. Nos Patauium ad imperium retrahere dubitamus, cuius vrbis receptio haud difficilis ſanè futura eſt,

Sal. Ann. 1509. *eſt, quū iā ciues tędio Germanici imperij res nouas moliri cęperunt, ac ſub Venetam redire fidem miro omnes flagrant deſiderio: adde, quòd vrbs parum cuſtodita fęlicem nobis ſucceſſum facile ſpondere videtur. Non igitur omittenda eſt tāta bene gerendæ rei occaſio, qua, Patauio recepto, reliquę quoque vrbes eodem victorię curſu breui recuperari poterunt. Turpe etenim eſt, tam amplū terreſtre imperium, quod ſummis laboribus, periculis ac proprio ſanguine maiores noſtri partum nobis reliquere, ab auita virtute illa nos degenerantes, per ignauiam amittere. Patauium aggredimini, indeque hoſtis vi, armiſque expellatur, vocant nos populi, barbaricum iam nomen exoſi: benignitatem enim Venetam iampridē experti, exteræ gentis iugum impatienter ferre poſſunt, apud quos ſordeſcunt iure illius actiones: at veretur Princeps optimus, ſi Patauium cęperimus, ne indignabundi hoſtes ſtatim cum maximis copijs accurrant, vrbemq; illam obſideant, ac reliquias miſeri imperij, quod in continentis ora Veneti nominis adhuc ſupereſt, pęnitus euertant, nouoſque nobis terrores proponit: maritimū præterea laudat ſtudium, amplitudinem ex hoc ſpondet imperij, opeſque immenſas: ſapienter ſanè, ſed rerū terreſtrium cura iccirco tam demiſsè eſt ne abijcienda? in quibus, et ſi multa aduerſa nobis huc uſque contingere, in Deo tamen Optimo Maximo, Patres cōſcripti ſperate, vindice, vltoreq; hoſtium impietatis: quòd ſi animos aduerſa belli fortuna depreſſit, virtus contrà veſtra erigat: immoderatus enim timor eſt ponendus, audendumque, & nouandum aliquid improuiſum, ne extinctus penitus Venetus ille animi vigor videatur. Nec mihi omnino medius fidius dubium eſt, quin ciuitas illa quando recepta in noſtram venerit poteſtatem, ab hoſtili oppugnatione tuta, illæſaq; non egregiè ſeruetur: nam firmiſſimis præſidijs communita omnem facile hoſtium impetū ſuſtinebit: veniat Cæſar, veniant Reges, Europaque omnis, ac vallo, foſſiſque armatæ cingant Patauiū acies, eludet profectò inuicta, inexpugnabiliſq; vrbs omnes hoſtium conatus, magnāq; nobis gloriam hæc victoria pariet, exiſtimatione priſtina illa retenta, quæ aduerſa fortuna noſtra apud terrarum Principes nunc abiecta, contemptibiliſque habetur. Cęterùm Dij immortales, qui huius Imperij ineffabili clementia ſua curam omni tempore habuere, mentes veſtras Patres optimi hodie, expulſis tenebris, ita illuſtrent, vt decreta ea hodie approbentur, quæ Reip. poſt tot fędas calamitates, ſalutaria illuceſſere poſſint.* Sal. Ann. 1509.

CXXVIII Reticente *Molino*, patrum animi diuerſa inter ſe rurſus conſilia agitabant; tandem initis ſuffragijs, Senatus ferè omnis in *Molini* ſētentiam pedibus iuit, cenſuitque, vt admoto quàm maturè exercitu, Paduæ recuperandæ, quòd fęlix, fauſtumque Veneto nomini eſſet, expeditio tentaretur. Senatuſconſulto igitur in caſtra perlato, de quo datum omnibus ſub ſilentio iuſiurandum fuit, *Andreas Grittus* tacito agmine Taruiſio egreſſus, *Saccardum Soncinum* virum impigrum præmiſit ad exploranda hoſtium conſilia. Eodem item die complures cymbæ cum armatis hominibus ad omnia itinera diligenter cuſtodienda miſſæſunt, ne quis Patauium ad eam rem nunciandam ab vrbe occultè ſe conferret. Saccardus autem parum cuſtoditam vrbem Patauiū intuitus, ſpeculatuſque, ad *Grittum* reuerſus egit, vt Venetę copię intempeſta nocte prope Patauium ſtatim ducerentur, diluculo itaque *L. Maluetij, Lactantijque* Bergomenſis ductu ad portam vrbis ſemiclauſam miles Venetus clanculum acceſſit, quæ paulò antè quibuſdā feni, ac ſtramentorum plauſtris patuerat, nec procul aberant cęteræ Venetorum copiæ ſub *Pitiliani* imperio, ad Noalumque oppidum *Grittus* cum quingētis equitibus ſubſederat, & *Chriſtophorus Maurus* alter Legatus ad Citadellam mille pedites, & quinquaginta Cataphractorum equitum alam habebat: conuenerat & ad Stratam vicum *Philippus Paruta* cum collectitia duorum millium agreſtiū manu, nec non *Aloyſius Dardani* cum armatis clientibus aderat, vt ex cunctis locis maturè Veneto præſto adeſſent ſubſidia: itaque paratis omnibus, porta *Caudæ longæ* quę nullo cuſtode tenebatur, ac ſemi aperta erat, à milite Veneto occupatur, primumque Epyrhoticus equitatus nullo ex hoſte obuio, vrbem ingreſſus eſt; ſequuti deinde. *L. Maluetius, Lactantius Bergomenſis*, & *Vulpenſius Ductor*, cum peditum robore in forum magno armorū ſtrepitu peruenere: excitique bellico tubarum cantu Germani milites cum *Leon. Triſſino*, & *Brunorio Sarego* eorum Ducibus, Veneto occurrunt, pugnaq; ſtatim tumultuaria committitur, diuq; hoſtis numero longe inferior certamen protraxit; aduentantibus poſtea

Sal. Ann. 1509 CXXIX. cum tota mole exercitus Pitiliano Imperatore, & Gritto Legato, facilè Germani Veneto ceſſere: captiſque hoſtium Ducibus, *Triſsino*, & *Sarego*, obtruncatiſque plurimis, recipitur vrbs illuſtris, ædeſque Iudæorum, aliquotque ciuium rebellium domus direptæ ſunt: arx quoque ſuperatis per ruinas tormentorum ictibus diſiectas, muris, capitur, vbi *Manfredus Faccinus*, vir egregia virtute, eſt interceptus, quem Grittus, quod is diu in Reip. exercitibus magna cum laude militaſſet, liberum dimiſit. Patauinæ vrbis receptio, quæ fuit menſe Iulij feſta luce Diuæ Marinæ, ingentem patrum animis lætitiam attulit: viſaque res Veneta noua hac proſperitate aliquantum reſpirare, ſtatimque Prætor, qui ius Patauinis diceret, comitijs maioribus *Petrus Balbus* creatur, vir inter Senatus Principes prudentia, moderationeque animi inſignis, collegaque ei in præfectura datus eſt *Zacharias Delphinus* pacis, bellique artibus planè inſignis, ſtuduitque Senatus deinceps Cæſarem ſibi amicum facere, ad eumque in Germaniam *Franciſcũ Capellium* Oratorem deſtinauit, qui ſtatim è regni finibus abire iuſſus eſt. Noua quoque non multò poſt legatione *Maximiliani* animus tentatus, miſſique *Aloyſius Mocenicus*, & *Antonius Iuſtinianus*, ij pariter nec admiſſi, nec auditi à Cæſare: idque ſanè Veneto fœliciter ceſſit: pacis enim patres ſtudioſi, retentis ſolum duabus vrbibus, Patauio, ac Taruiſio, cętera Regibus ſponte concedebant, quæ ipſi præſenti bello ad illum vſque diem ex Veneto Imperio pactione, armiſque acquiſierant. Sed quũ illi nullum cupiditatibus ſuis, proſpera fortuna elati, modum imponunt, parta amiſere, & Venetus receptis vrbibus, reparatoque ex parte Imperio, in priſtinam reſtituitur dignitatem, pacis igitur mentionę poſita, bellum vtrinque reparatur: ſtatimque ex Germania nouæ Cæſaris copiæ ſub Ducis Branſuicenſis auſpicijs in Italiam aduenere, ac ſub primum eius acceſſum, translatis in Forumiulium armis, munitiſſima oppida, Feltrum, & Bellunum ſtatim ab hoſte occupantur: admotis poſtea ad Cluſenſem arcem Germanorum copijs, res proſpere à Venetis ea expeditione geſta eſt, repelluntúrque à mœnibus hoſtes çum ignominia, & cæde: affuit & paulò poſt Analtius Princeps cum decem millibus armatorum ex Germania à Cæſare miſſus, quo Duce Monfalconus oppidum fruſtra eſt oppugnatum: inde in montana hoſtis profectus, Cadubrium cœpit, & Veneti ad tuendum prouinciæ ſtatum *Leon. Hieroſolymitanum* equitem virum impigrum, ac manu promptum, cum delectis copijs eò miſere: is verò diligenti, fidelique in reparanda Rep. opera vſus eſt, Cadubriumque recepit, atque hoſtes ad Valleſellam profligauit. Interim Dux Branſuicenſis maioribus auctus copijs, Vtinum aggreditur. Sed parum vis hoſtilis nocuit, ciue, ac milite ſingulari virtute oppidum tuentibus: dimiſſo itaque Vtino, ad ciuitatem Auſtriæ ad Nariſſonem fluuium poſita caſtra ſunt admota: ibi quoque rem infœliciter hoſtis geſſit. Defenſoremque habuit inſigne oppidum, *Federicum Contarenum*, virum militari diſciplina clarum, aderant & cum eo *Vicus Peruſinus*, *Antonius Semperius*, *Lucas Anconitanus*, & *Paulus Baſilius*, bellatores fortiſſimi, quorum ſtrenuitate à mœnibus cum cæde hoſtis eſt repulſus: inde ſtatim digreſſus, Buriſtagnum tentauit, oppidum in ſummo altiſſimi montis iugo poſitum, cui *Nicolaus Bollanus* præerat: iſque ignauia plenus, miniſque territus, oppido hoſti tradito, deditionem fecit. Tulminium quoque captum, ac ferro iniquè finitimus ager deuaſtatus. In Hiſtria pariter *Chriſtophorus Frangipanis* cum Crouatis equitibus Venetos fatigabat, eam verò prouinciam Epyrothæ antecurſores ſub *Ioannis Franciſci Paſqualici* ductu armis tuebantur: ſed pauci numero hoſtium iniuriæ obuiam ire non poterant; quare plurimis Hiſtri affecti ſunt cladibus. Acceſſit poſtea in prouinciam Senatus iuſſu *Hieronymus Contarenus*, claſſis legatus, cum quatuor triremibus, alijſque nauigijs, ac terreſtribus etiam copijs comparatis, Tergeſtum oppugnari placuit; reiectuſque Venetus terra, marique primo armorum conatu, & ex altera parte *Angelus Triuiſanus* maris Imperator cum ſexdecim triremibus, Flumen Lyburnię oppidum ſubito aggreſſus eſt, illudque, propugnatoribus è cuſtodia murorum depulſis, vi cępit, captumque fœde diripuit, ac deſolatum penè reddidit, victricique inde claſſe ad Tergeſti oppugnationem

Sal. Anni 1509. nem reuerſus, vrbem rurſus nouo belli apparatu terra, marique inuaſit; ea verò valido munita præſidio, vanos ſecundò effecit Venetorum conatus; terreſtres tamen copiæ proſperiore fortuna vſæ, Pinguentum à Germanis antea occupatum recepere: nec in ocio hoſtis ferox fuit, qui *Chriſtophoro Frangipane* Duce, per Noricum in Hiſtriam iterum delatus, trepidationem ingentem illius prouincię populis incuſſit; omneſque cum coniugibus, & liberis ex agris in vrbes profugi emigrabant, inſolituſque pauor cunctorum mentes inuaſerat, quum hoſtis irarum plenus nemini parceret: auſus etiam eſt per caduceatorem petere, vt Iuſtinopolim, cui vrbi tunc *Aloyſius Iuſtinianus* pater meus præerat, Cæſari oppidani vltro traderent: ſed quum id contumelioſe ab hoſte factum eſſet, poſitis inſidijs, dum caduceator ad ſuos reuerteretur, in itinere prætoris iuſſu interfectus eſt: venitq; proinde patrum decreto *Damianus Tarſius* cum mille ſcutatis peditibus in prouinciam, vt ſocios tueretur, iniuriaſque armis repelleret: virque is vnus ſalutarem Hiſtris opem attulit: circa Patauium verò in magno motu res erant: Pitilianuſque vrbem munire irrequieto opere ſtudebat; nam ingentem exercitum, vireſque bellicas *Maximilianus* ex tota Germania ad Patauium oppugnandum comparare dicebatur; & Veneti id futurum rati, omnis generis præſidijs ſtatim vrbem firmant, immiſſique abunde commeatus, pecuniæ, milites, arma: dum hæc à Venetis fiunt, *Marchio Mantuæ* ad inſulam Scalæ iuxta Leniacum cũ ſexcentis peditibus inexploratò conſederat: ad eum opprimendum ſtatim *L. Maluetius*, & *Citolus Peruſinus*, viri fortiſſimi, Imperatoris iuſſu, cum octingentis peditibus, & ducentis equitibus leuis, grauiſque armaturæ, ſub vmbra noctis tacito agmine profecti ſunt: ſequutique ad mille, & amplius agreſtes, & ad locum concubia nocte accedentes, hoſtes repente aggrediuntur qui ſummo preſſi ex ſtratis vix exiliunt, trepidanteſque, ac inermes obtruncantur: ſed maior pars deditione facta, in victoris poteſtatem venit. Marchio autem tenebrarum beneficio vſus clam per poſticum in campos ſolus euaſit, errabunduſque per agros latibula quæritabat: orta autem luce poſt Siliginem, Melicamve deprehenſus, vbi tota nocte delituerat, a quatuor agricolis capitur, quos nunquam præcibus, premiove flectere potuit, vt liberatus dimitteretur: illi autem cum inſigni captiuo Patauium ſtatim profecti, Imperatori, & Legatis Marchionem vinctũ, captiuumque obtulere: miſſuſque is ſubitò eſt ſub diligenti cuſtodia Venetias, exceptuſque ſummo honore à Principe, ac patribus, in publica turri aſſeruandus traditur: agricolæ verò cumulati muneribus, ac immunitatibus, præmijſque donati, gratum nobiliſſimi facinoris fructum recepere. Interea hoſtium exercitus indies ſocialibus Regum auxilijs augebatur, accreueratque ſupra quinquaginta ferè armatorum millia, progreſſuſque vſque ad oppidum Liminum, paruo negocio illud vi cępit: ademptæque eo loco poſitis obijcibus fuerant aquæ, ne ad vrbem fluere poſſent, vt molis triticeis ciuitas priuaretur: deinde Ferrarienſes ex altera parte agros populari, prædas agere, ferro ſæuire cęperunt, magnaque omnia deuaſtatione replebantur. Itaque ex cunctis locis ingens paſſim fuga facta eſt, & ad imas paludes perducta armenta, & miſeri agricolæ villis, tugurijſque relictis cum ruſticana ſupellectili Venetias commigrarunt, quibus publica impenſa penus eſt inſtructum, parataque vicatim habitacula, ſtatiſque locis diſtributa nauigia ad conuehendam paganorum turbam, qui metu hoſtium in fugam verſi, Venetam petebant vrbem, & ſanè plena omnia trepidatione erant, iamque Cæſar cum innumerabili exercitu Patauium cicumſeſſurus propediem videbatur. Igitur patres de ſumma rerum ſolliciti, nocte, dieque in curia, ac Senatu, quid agendum, conſulere, hæc decernere, alia mandare, omniaque maturè diſcutere. Et conuocatis comitijs, *Leon. Lauredanus* Princeps ad nobilitatem ex Ducali ſolio huiuſcemodi verba fecit:

Quum de re omnium veſtra viri patritij hodie agatur, iure apud vos, qui hoc in loco Veneti imperij Maieſtatem repræſentatis, publica cauſa pertractanda eſt, in qua multa acerba, grauiaque commemorari poſſunt: eaque inuoluenda ſilentio duxi, ne vulnus refricem: ſed veſtram virtutem hìc excitamus: hoſtis enim in propinquo adeſt, ferox, immitis, implacabilis, hæretque

propè

Sal. Ann. 1509. *propè in viſceribus noſtris, quum Patauiũ huius ciuitatis ſuburbium aggredi armis parat: periculis autem occurrendum eſt, quibus non ſolùm opulentiſſima vrbs ſubiecta eſſet videtur, ſed veſtrum imperium, ac tota fermè Italia. Nã Patauio amiſſo, nullum poſtea impedimentum hoſtis habebit, quominus omnia facilè in Italia armis occupet: in primiſque res veſtra agitur: nobis enim Imperium, nobis libertas aufertur, vita quoque in dubio eſt: totis proinde viribus annitendum, vt Patauium conſeruemus, nec ſolum opibus, ſed etiam corporibus noſtris tantæ vrbis poſſeſſio, vnde Venetæ Reip. Italiæque totius ſalus dependet, retinenda. Quis igitur veſtrum patriæ opem negabit? cuius tuendæ ſemper in maioribus noſtris laudabile, accuratumque fuit ſtudium: hoc idem facere nos debemus, eorumque ſequi veſtigia, qui pro patria res præclaras bello geſſere, præſentiſque eæ temporis eſt conditio, vt minime nos obtorpeſcere patiatur, euigilandum, audendumque in tanto Imperij diſcrimine. Nec profectò viri patritij, hoſtium arma timebimus, ſi ſubſidium veſtrum Reip. præſto aderit, quin eos facilè debellabimus. Neque quiſquam veſtrũ nimis audax id conſilium noſtrum reputet, animique arrogantiam coarguat, quando ciuium virtus deſperare de ſumma rerum prohibent, vt magnis omnibus bellis victi numquàm porrò ceſſimus. Vetera omittamus, Pipinum, Hunnos, Sarracenos, Lygures, à Philippico bello incipiam, quot claſſes mari, Pado, Atheſi, quot Duces, quot exercitus, bello amiſſi ſunt? acerba ſiquidem adhuc præteritarum cladium memoria in animis viget iam quid hoc bello recenti Gallico memorem? omnes vos ijs aut cladibus affuiſtis, aut eis acerbe ſenſiſtis. Abdua pugnæ illius teſtis eſt, in qua exercitu noſtro cæſo, ac profligato, incredibile vulnus Reſp. accepit. Adde defectionem Galliæ, Flaminiæ, Apuliȩ, vbi tot præclaras vrbes vno propè die amiſſimus: adde vltimum terrorem in Meſtrinos vſque fines, & ad imas paludes, amiſſa tota ferè continentis ora, prædabundum hoſtium agmen, progreſſum, auditusque ex propinquo armorum ſtrepitus, ploratuſque, atque vlulatus multus, in hac ruina rerum ſtetit inuicta Veneta illa indoles, voſq; omnium primi Patauium, eiecto hoſte, recepiſtis: ex eo autem die res Imperij melior habita eſt, ſperandumque, deinceps, virtute veſtra Duce, ſolitaque Reip. fortuna, vt lætiores, fœlicioreſque ſucceſſus in dies nobis contingent, dummodo patriæ operam noſmetipſi hoc tempore præſtemus, armatiſque clientibus eundum eſt, viri nobiliſſimi ad Paduæ cuſtodiam, vt veſtro exemplo alij quoque inuitentur ad arma pro Rep. capeſſenda: nam noſtra multum intereſt, ac ſicut populo honore patritius præſtat, ita ad omnia dura, & aſpera ſubeunda ille Princeps eſſe debet: induite igitur iuſtiſſima arma, ad Patauiumque ſeruandum, vrbem finitimam, claram, inſignem properate, quã hoſtes innumerabilibus copijs iamiam circumuallaturi videntur: ijs noſtra corpora opponamus, ijs pectora, ijs animos: ite Deo bene iuuãte in tam illuſtrem militiam, ex qua ſiquid in rebus humanis certi eſt, indubitatam ſperare licet nobis victoriam: nam vrbem præualidam defenditis, foſſis, propugnaculis, aggeribus, egregie communitam, vbi Pitilianus Imperator, vir fide, ac prudentia clarus, totque alij Duces fortiſſimi cum viginti armatorum millibus adſunt: vos quoque illuc profecti, cum auxiliari manu maximum præſidium afferetis: vtinamque ego id præſtare poſſem, nec ſenio, valetudineque impedirer, in muneribus militaribus vobiſcum obeundis, libenter profectò, quod reliquum vitȩ mihi ſupereſt, patriæ neceſſitatibus impenderem: ſed quando ipſe ob corporis imbecillitatem, effœtaſque vires id præſtare nequeo,* Aloyſius, *&* Bernardus *filij, vicem patris gerent, armatique eò aduolabunt; Princepſque veſter iam ſenio confectus domi ſedebit, conſilioque, vt poterit, bellum adminiſtrabit: ij vero arma tractabunt, ferrumque expedient, qui manu prompti habentur, & corporis viribus præualent: cæterùm tametſi grauibus, acerbiſque hactenus Reſpublica belli turbinibus agitata eſt, in maximaſque incidit fortunæ ſæuitia calamitates, & adhuc plurimum laboramus, in Deo tamen Optimo, Maximo ſpes omnes veſtras pie conijcite, qui nos breui à tanto belli furore liberabit, & in priſtinum ſtatum Chriſtianiſſimam Rempublicam conſtituet: hanc vero certam, viri patritij, ſpem animis tenete, quòd diuino ob iuſtitiam noſtram ſubleuabimur auxilio.* Sal. Ann. 1509.

Vbi Princeps conticuit, maximo omnium conſenſu eius oratio excepta eſt, pietaſque in patriam commendata: ex vrbeq; ſtatim trecenti viri patricij cum armatorum manu Patauium ſecundo flumine profecti, circa portas, turreſque vrbis diligentem cuſtodiam ſuſcepe-

Sal. Ann. 1509. ſceperunt, poſitæque vbique ſtationes, & ordines diſtributi, vt omnes equites cataphracti intra prima vrbis mœnia continerentur, in foro *Antonius Pius* cum peditatu conſiſteret, & ad portam Sanctæ Crucis vſque ad põtem Baſſanelli *Citolus Peruſinus*, & *Lactantius Bergomenſis* tuendę ciuitatis curam haberent: Pontis curui, Portellique cuſtodia *Dyonisio Naldo* demandata eſt: & porta, quæ dicitur, Caudalonga, *Bernardino Parmenſi*: reliquas verò copias Imperator *Pitilianus* in Pratouallis inſtructas, paratasque tenebat, cuius iuſſu ſtatim circa vrbem per mille paſſus cuncta ædificia, tuguria, arbores, agreſtæque caſæ complanatæ ſunt, liberque, & apertus campus relictus, ne hoſtes latibulis abſconditi, furtim ciuitati inſidias molirentur. *Petilianus* etiam erecta media vrbe ſolemni ara, poſt ſacra ritè celebrata, ſingulos Ductores, Tribunos, Centuriones, ac reliquos milites altaribus admotos tactis ſacris iureiurando adegit, fidem omnes Reip. in Pataujo aduerſus hoſtium conatus tuendo, inuiolabilem ſeruaturos. Illi quoque à *Gritto* paucis adhortati fuiſſe dicuntur, vt militaris ſacramenti memores fortiſſime pugnarent, eriperentque virtute ſua inſignem vrbem ab efferarum gentium manibus: nec de re Veneta ſolùm, ſed de totius Italiæ libertate agi, quando nefaria conſpiratione Reges tentant, vt depreſſo Italiæ ſtatu, Venetos & imperio, & libertate ſpoliarent: nullius tamen fortunæ acerbitate Venetus vnquam adduci poterit, vt quicquam efficiat, quod non ſit ex eius dignitate, euertat opes, & fortunas omnes cum imperio crudelis hoſtis, libertatem à Veneto numquã eripiet, qua nihil apud eos antiquius, nihil dulcius: hanc ſi auferat, & vitam quoque ille extinguat, neceſſe eſt quum nil aliud priſcos illos Venetos, relicta continentis ora, in ſtagna, paludeſque commigrare impulerit, quam quietis ſtudium, & libertatis amor: hęc duo à natura Venetorum animis adeò infixa eſſe, vt quicquid vnquam terra, marique geſtum memoratur, omne id eorũ cauſa factũ ſit, egregiam igitur, & ſtrenuam operam illi nauarẽt, ne ciuitas omnium in Italia pulcherrima, & opulentiſſima in exterarum gentium poteſtatem cadat, qua ſeruata præmia ingentia, immortaleſq; laudes bellatorũ manebunt.

Non multò poſt Cæſaris exercitus in Pa- *Sal. Ann.* 1509. CXXX. tauinum agrum prædabundus irrupit: aduenereque ſtatim in eius caſtra cum auxiliaribus fœderatorum Principum copijs fortiſſimi Ductores: nam pro *Iulio Pontifice Maximo Ludouicus Picus* affuit, vir ſcientia militari clarus: pro Gallorum Rege, *Dominus Paliſienſis*, pro *Ferdinando Fracaſſus Sanſeuerinus*, *Alphonſi* vero Ferrariæ Ducis nomine *Hyppolitus Cardinalis* eius frater cum magno tormentorũ apparatu. Luſtrato exercitu, ſupputatoque equitum, ac peditum numero, Volonumque ingenti turba: ad centum armatorum millia in hoſtium caſtris fuiſſe dicuntur. *Maximilianus* Cæſar præſens ipſe aderat. Cœptaque eſt vrbs oppugnari, mœniaque à porta Porcellij vſque ad Caudam longam per multa paſſuum millia tormentis diruta procubuere, nemo tamen ex hoſtibus vrbi appropinquare auſus eſt, ob ingentem vim miſſilium, ac machinarum, quæ ex vrbe frequentiſſimo iactu in eos emittebantur, coactique ſunt ob id hoſtes in profundas foſſas, ſcrobeſque manufactas, ac depreſſiora loca deſcendere; erumpebant etiam ſubito impetu leuis armaturę equites, ac ad hoſtium vſque tentoria illati, cædem, ſtragemque fędam eorum edebant; ſæpeque his tumultuarijs prælijs cum hoſte commiſſis, Veneti cum victoria in vrbem reuertebantur; nec dies vlla vnquam præterijt, in qua præclarum aliquod facinus miles Venetus non ediderit, poſtea omnes hoſtium copiæ ſub ſignis, in campum è caſtris progreſſæ, terribilem oppugnationis apparatum procul oſtenderunt, hinc equites, illinc pedites, ex cunctis fere nationibus Germani, Galli, Hiſpani, Itali, vrbem corona cinxerunt, conſpectuſq; eorum horribilis, formidoloſuſque reddebatur, nec contrà in vrbe amplo eius ambitu die, noctuque diligentiſſimæ cuſtodiæ deerant, *Pitilianuſque* Imperator cum *And. Gritto*, *Chriſtophoro Mauro*, Legatis, & *Petro Balbo* prætore, vbique adequitare, ciues, militeſque monere, adhortari: tertius quoque Legatus *Ioannes Paulus Gradonicus* in circumeunda vaſta vrbe inſomnes noctes agere, ac omnia impigre curare, quæ in Pataujo ſeruanda vſui forent: idem Principis filij, *Aloyſius*, & *Bernardus*, cæterique pariter nobiles Veneti facere,

Sal. Ann. 1509. cere,& quum pecunia in ſtipendium per plures dies exercitui, qui Patauij cuſtodiam agebat, miſſa, ex vrbe non fuiſſet, quòd itinera hoſtes vndique inſiderent, ad Legatos Senatus ſcripſit, vt aliquam rationem ipſi inirent, qua tuto pecunia eò tranſmitti poſſet, tum re maturè diſcuſſa, Legatorum iuſſu, trecenti Peloponeſſiaci equites ad Medoaci oſtium, quod quinque paſſuum millibus à Clodia diſtat, tacitè acceſſere, ibique delatam decemvirum nauiculis ſtipem acceperunt, quæ inter eos, qui velociſſimos equos habebant, diuiſa eſt: & *L. Maluetius* cum ducentis cataphractis equitibus ſe his adiunxit; atque, vt hoſtes, ſi ſe in itinere adorirentur, eluderet, miro aſtu vſus eſt: duos enim magnopere valentes mulos ſacculis arena plenis ad ſpeciem pecuniæ dorſo impoſitis, medio in agmine ſecum duxit, at hoſtes, qui ad omnem occaſionem intenti, noſtrorum reditum expectabant, vbi conglobatos eos videre, ingenti equitatu circumfuſo, in aduerſos ſe magno impetu intulerunt; contractoque certamine, dum acerrimè vtrinque pugnatur, qui pecuniam ferebant, ex acie velociſſimè abiere, & hoſtes viſis ſacculis, quos muli dorſo geſtabant, eam illam eſſe prædam, quam petebant, rati, ad eos intercipiendos citato agmine ſe conuertunt, tum deceptos, deluſoſque ſe eſſe videntes, per multa paſſuum millia Epyrhotas, qui pecuniam aſportabant, fruſtra inſequuti ſunt: nam mira celeritate illi vſi, longo ſpacio hoſtium equitatu relicto, in vrbem omnes cum pecunia rediere. *Maluetiuſque*, & Epyrothæ ingentem ex hoc facto laudem ab omnibus conſequuti ſunt. Interim dum Patauium circumſedetur, cohors vna egregiæ virtutis Hiſpanorum magno impetu caſtellum nuncupatum Gattenſe, aggreditur, id autem extra muros ad portam Caudæ longæ tumultuario opere Venetus erexerat, pro vrbis ex ea parte defenſione. *Citolus Peruſinus* caſtelli cuſtodiam cum ſelecta militum manu retinebat, ac tacitè motus hoſtiles expectans, quietem ſuos agere iuſſit. Hiſpani verò celeri paſſu ad locum accurrentes, ferro ſibi viam faciunt, nemineque reſiſtente, ſcalas admouent, ac vno agmine ſupra ducenti caſtellum conſcendunt: tum *Citolus*, qui de induſtria ad eam horam cum ſuis quietem egerat, vbi temerè hoſtem progreſſum vidit, in apertum cum armata acie prodiens, Hiſpanum inuadit, accenſoque puluere ſulphureo ad id parato, fœda hoſtium oritur ſtrages, ad vnumque ex his omnes partim flamma, partim ferro periere, ac reliqui, qui omnino pauci fuere, à propugnaculo in præceps deuoluti ſunt. Alia quoque vrbis parte Germani ex gloriæ æmulatione fortunam tentarunt; ſed & ipſi telorum multitudine penè obruti, cum cæde, & ignominia à mœnibus ſunt repulſi: continuitque per multos ob id dies Cæſar ſuos ab tentata ſæpe infeliciter oppugnatione, crebris interim eruptionibus magnus captiuorum numerus, ingenſque ex omni genere præda è caſtris in vrbem ab armato milite abducebatur. CXXXI. Venetorum tunc religio enituit Chriſtiana, nam *Baiazete* Turcarum CXXXII Rege triginta armatorum millia offerente ad *Recuſat ſuppetias Turcarum.* Venetos ſubleuandos, maluit Reſpublica inter Chriſtianos & Chriſtiana cadere, quàm fulcro infideli reſurgere. *Tentatus eſt ſolùm* (ait Iuſtinianus) *per And. Baduarium, Anglicæ linguæ peritum, Henricus Britanniæ Rex, ad inuadendam vicinis armis Galliam, vt Ludouicus domeſtico bello implicitus, Venetos in Italia armis infeſtare deſiſteret, leuaretque ob id patres aliqua ex parte grauiſſimi belli onere: verum auxilia necunde miſſa aduenere, in Deoque optimo maximo Venetus ſpe omni coniecta, ſuis ſolis viribus bellum ſuſtinuit: in conſilio poſtea à Cæſarianis agitatum, nunquid totis viribus Patauium oppugnari deberet; multorum ex ductoribus eò inclinabant ſententiæ, vt quando egregia fortiſſimorum militum ex omni ferè natione indoles in caſtris adeſſet, acerrima oppugnatio, quæ ſucceſſum proſperum, fœlicemque habitura eſſet, tentaretur; idque ex Regum dignitate fore omnes cenſebant. Cæſar verò difficilem, ſanguinolentamque munitiſſimæ vrbis oppugnationem animaduertens, vt natura pius erat, nullo modo tot virorum fortium ſalutem, ac exiſtimationem ſuam dubijs Martis caſibus ſubijci paſſus eſt: accedebatque illud, quod grauis in exercitu Cæſaris controuerſia inter Germanos, Gallos, Hiſpanos, atque Italos, vertebatur, quinam eorum primi vrbem admotis ſignis aggredi vellent, declinabatque vnaquæque natio vel animi proteruia, vel periculi magnitudine primas oppugnationis partes: ſtatuitque ob id*

Cæſar,

Sal. Ann. 1510.

Cæſar, quum etiam hyems iam obrigeſceret, non ſolum oppugnationem tentare, ſed obſidionem quoque ſoluere: repente itaque motis ab vrbe caſtris, poſt quadraginta circiter dies Patauium à grauiſſima obſidione liberatur, trecentique ſupra bellatores patritij parta inſigni ſeruatæ finitimæ vrbis laude in patriam acceſſere; hoſteſque male habiti deformi reditu, alij adeò dilapſi sũt: quòd ſi longiorem Cæſar moram diutius circa vrbem traxiſſet, procellarum vi, imbriumque inundatione, qui non multò poſt ſecuti ſunt, diſſipatum exercitum ægrè ex Italia, Euganeiſque oris in tutum abduxiſſet.

Paucos poſt dies ex Italia Cæſare diſcedente; *Grittus* eodem ferè ſucceſſu, quo Patauium
CXXXIII. receperat, Vincentiam occupauit. Poſt tormentis Puſterlenſe concuſſum ſuburbium, ex eo de nocte in vrbem introductus: Germani cũ ciues omnes à Venetis ſtare viderent, illinc abière. Sequens Venetus proſperum victoriæ curſum bipartito exercitu Veronam quoque tentauit: ſed fruſtra recentibus Germanorũ, Gallorumque copijs ſuffultam. Cum igitur, qui prior aduenerat, *Grittus* ab vrbe recedere coactus eſſet; *Maluetius*, qui alteram copiarum partem ducebat, nihil intùs à ciuibus moueri videns, retroceſſit. Mox vterque iunctis viribus, duo Germanorum millia Baſſano prædatum egreſſa, intercludunt; Sed ex oppido accurrentibus ſocijs, via patefacta ferro, nonnullis amiſſis, in tutum euaſere Germani Baſſano relicto, quod defenſoribus vacuum Venetus occupauit. Non minori felicitate per eoſdem dies, redemptis Feltrio, & Ciuitali Auſtrio, Dux *Alphonſus* cum grauis incumberet; nouam in eum expeditionem adornarunt Patres. Iuſſus itaque *Angelus Tri-*
CXXXIV. *Infelix expeditio Venetorũ in Ferrarienſes.* *uiſanus* cum ſexdecim triremibus, & quinquaginta minoribus nauigijs in Padum irrũpere; antequàm expeditionem obiret, monuit ſecretò Patres, in Pado magna imminere diſcrimina, ob validas munitiones quas in ripis *Alphonſus* erexerat. Litora obijci Apuliæ, vbi oppida nudata præſidio expugnare non diffideret, ſi Senatus permitteret. Importunis tamen ciuium vocibus, qui Ferrarienſium odio arma concitabant, *Triuiſano* mandatum, in hoſtẽ ducere. Is ſtatim Senatui obtemperans, ſubuectis Pado nauibus, vtrãq; fluminis ripam occupauit: magnoque terrore incuſſo, Ferrariæ trepidatum eſt, in maioréq; metum ciuitas incidit, quũ *Triuiſanus* triremibus ad latitudinẽ fluminis diſpoſitis pontẽ ſuper eum inieciſſet, quo *Io: Pauli Gradonici* Legati æquitas vltro, citroque ad incurſiones exercendas, hoſteſq; ſuſtinendos, commearẽt, eiuſq; præſidio breui poſtea Rodigiũ, Lendenaria, Abbatia, munitiſſima Poleſſini oppida, armis ſunt recepta. Et ad Suauiũ in Veronenſi oppidum *Pitilianus* Imper. cũ reliquo exercitu, ac Legatis *And. Gritto*, & *Pet. Marcello* cõſederat, vt hoſtium trãſitum in Ferrarienſem agrũ ab ea parte impediret, ſi qua forte armatorũ vis inde prorumperet. Interim pars claſſis *M. Ant. Cõtareno* Duce Comaclum inuaſit, oppidumq; vi captum, fœde diripuit, prædaq; ingens, hominum, pecorumq; omnis generis, ac ſalis, piſciumq; facta eſt: cunctiq; metu perterriti accolæ Ferrariã cum cõiugibus, & liberis profugerunt. *Triuiſanus* autẽ claſſis Imp. quum ad Piloſellã munitiſſimum Caſtellum erexiſſet, Eſtẽſes illud ſubito impetu aggreſſi, multis, varijſq; armorum conatibus expugnare tentarunt: ſed hoſte male habito, cæſoque *Hercule Cãtelmo* iuuene claris natalibus Neapoli orto, Venetus locũ fortiter retinuit. Poſtea quũ Padus aſſiduis imbribus auctus triremes, ſuper quas pós fabricatus erat, ad ripæ propè ſummitatẽ ſuſtuliſſet, *Alphõſus* Dux re cognita, haud cunctandũ ratus, arma, tormẽtaq; tacitè parat, ac inſtructa ad dimicandum acie intempeſta nocte è Ferraria profectus, ad flumen accurrit, tormentiſq; in ripę margine plurimis diſpoſitis, iuſſit hæc in triremes magno impetu fulminare, quorum crebrerrimis ictibus Claſſiarij exciti ad arma cõclamarunt: at nocturno, improuiſoq; prelio omnes cõterriti trepidare, tumultuari. Bellicis interim hoſtium machinis omnia proſternebãtur, cadebãtq; promiſcue nautæ, & milites magno numero, ac cõfractę, perfoſſeq; triremes, dilapſis fuga rectoribus fluitabant. Tum *Triuiſanus* Imper. rem inclinatam videns, fortunę ceſſit, paruoq; conſcenſo nauigio publicum vexillũ è pretoria triremi, magnamq; auri vim ſecum abſtulit. Potituſq; eſt Eſtenſis inſigni victoria: nam quindecim tormentis perforatæ triremes Ferrariã captiuæ abducuntur; plurimiq; nautæ, & remiges cæſi, ſaucijque, ac male habiti, ferro, aquiſq; periere: complures tamẽ ad alterã ripam adnatantes ſeruati ſunt, à *Gradonicique* equitibus turati, exceptique incolumes

Sal. Ann. 1510.

mes ad vrbem rediere. Attulit hæc Padana clades ingentem ciuitati mœrorem, ſed ſolita patrum virtus tanti malis minime ſuccubuit: claſſiſque altera ſtatim inſtruitur, quæ triginta triremes habuit, quarum octo in Creta, Corcyræ duæ, in Dalmatia ſex, in vrbe quatuordecim armatæ fuerant, earumque omnium imperium, Triuiſano dignitate abrogata, *Antonio Trono* primò demandatum eſt, qui ſtatim, quòd nō eſſet rebus maritimis aſſuetus, imperio ſe abdicauit, & in eius locum *Petrus Balbi*, Patauij prætor ſublegitur.

CXXXV *Pitiliani mors.*

Maiora ne molirentur Veneti obitus obſtitit *Pitiliani* Annos nati 67. paulò ante mortem, conuocatis legatis, cœteriſque armorum ductoribus, eos grauiſſimis verbis hortatus erat, rem Venetam præſenti bello leuarent; quæ ſi hoſtium armis oppreſſa rueret, omne prorsùs militare Italiæ decus, atq; libertas pariter extingueretur. Venetijs conditur, equeſtri in Gemellorũ ęde, inaurata ſtatua S.C. donatus. *Pitiliano* defuncto, *Ioannes Maria Fregoſus* Lygur, Venetum rexit exercitum.

C XXXVI. *Legatio ad Cæſarem.*

Interim duo oratores, *Aloyſius Moccenicus*, & *Io: Cornelius* ad Cæſarem in Germaniam miſſi, vt honeſtis conditionibus de bello tranſigerent; re infecta receſſerunt.

Ad Papã.

Ad Pontificem conuerſa Reſpublica, ſex Oratores miſit.

C XXXVII

Nec difficile fuit abſolutionem impetrare, quòd Galli totius Italiæ ambirent imperium. Venetos itaque ſubleuandos ducens, eorum legatos in Vaticano adiecta ſolenni precatione, prò templi foribus expiauit. Ictoque ſubinde fœdere, quo multa imperabantur, tam circa ſacerdotia libero Pontificis arbitrio diſponenda, quàm circa Adriaci nauigationem, Pontifex in amicitiam recepit.

Papæ reconciliati Veneti.

Abſolutionis nuncio turbati Reges, verebantur, ne Venetorum potentia Eccleſiaſticò fauore ſuffulta exurgeret. Iam militem, & ductores ſuos Venetis permiſerat Pontifex, ac Cæſarem eis reconciliare ſtudebat. Et quamquam Rex Gallorum, poſt *Rothomagenſem* fato functum, miſſo Romam *Pio Carpenſi*, omnia ſua conſilia Pōtificis arbitrio permitteret, nihilominùs in Gallũ Papa excitabat Heluetios. Angliæ quoque Regem, propoſito *defenſoris Eccleſiæ* titulo, in bellum ſtimulabat.

C XXXIII. *Papa in Gallos cõcitatur.*

Cæſar aſſiduè ſollicitatus ab eo, nullam pacis mentionem admittere volebat, niſi relicta ſibi Verona; quam Veneti oblata ingenti pecunia, reddi ſibi poſtulabant. Conatus quoq; eſt Pontifex in partes trahere *Alphonſum* Ferrariæ Ducem, ſed Veneti nominis hoſtis ex imperij vicinitate, clam cum Gallis percuſſo fœdere, nullas aliorum minas timebat. Ab hiſce initijs nouum bellũ exarſit.

Sal. Ann. 1510.

Fruſtra mouet in Ianuenſes.

In Tirrheno mari Pontifex claſſem parare curauit, vt Genuam, eiectis Gallis, in libertatem vindicaret. In gratiam Pontificis duodecim Veneti inſtruxere triremes, vt eodem tempore ac *M. Ant. Columna* cum Eccleſiaſticis copijs pedeſtri itinere ad Vrbem aduentarent. Ita Veneti ſumma celeritate adauctis copijs, Germanos Vicentinum agrum populantes inuadnnt. Ab altera parte nouus Pontificis exercitus (cui præerat *Franciſcus Vrbinas* fratris filius) in Mutinenſem agrum irrumpens vrbem armis occupat eccleſiaſticis.

C XXXIX. *Mutinam capit.*

Fuit Mutinæ terminus Pontificiæ felicitatis; nam in cęteris belli conatibus, fortuna *Iulio* Pontifici, ſocioq; nomini parũ arriſit.

Comitia Auguſtæ.

Auguſtæ Vindelicorum Cæſar conuētum principum inſtituerat, in quo, de continuando in Venetos bello præcipuè actum. At dum ibi lentè proceditur, Veronæ noui inter ciues & militem motus, Venetis vrbis potiũdæ occaſionem penè dederunt, qui *S. Bonifacio* à nonnullis clam acciti, dum ſcalas muris altitudine breuiores, inter ſe coniugunt, vel à vigilibus auditi, vel auditos ſe ſe, ex ſtrepitu temerè exorto veriti, eadem nocte, qua venerant, ſcalis relictis, abiere.

CXL. *Vincentia fœderatis deditur.*

Cum verò *Ciamontius* exercitum ſatis validum ijs in locis haberet, *Analtenſis* cum quingentis equitibus, pleriſq; Gallis, & tribus Germanorum peditum millibus, Verona ægreſſus, vnà iuncti Vicentinos deditione capiunt. Veneti namq; prælium non audentes, ſe tenebant in tuto. Finito interim Auguſtano cōuētu, *Maximil.* Oenipontum venit: per celeres nuncios ſolicitato *Ciamontio*, ne cum ſuis Mediolanum abiret, priuſquàm ipſe eò veniſſet. Germani à Gallis adiuti, Citadellam, Moroſticum, & Baſſanum fugiente Veneto, occuparunt. *Analtenſis* Feltrium, & montana vicina. Pontifex communicato cum Venetis conſilio, vti vno & eodē tempore, & Ianuenſibus, & Ferrarienſibus arma inferrentur, effecerat. *Ciamontio* verò ad Inſubres profecto; Veneti Vincentia, & alijs vicinis oppidis receptis, Germanos

A Venetis recuperatur.

retroce-

Sal. Ann. 1510. retrocedentes, Veronam vſque perſecutus, tormentis eam quatere incępit. Tenebatur ciuitas firmo Germanorum præſidio, qui ad octo peditum millia, Italis longè exercitatiores habebantur. Ibi diù laboratum, cumque Veneti à ciuibus nihil moueri viderent, vt ſperabant, Germanorum irruptione coacti, receſſerunt, poſtquam ter Verona armis petita, ter ab ea, re infecta diſceſſum.

CXLI. Gallus bellum, vbi minimè putauerat, à Pontifice excitatum indignè ferens, fędus cũ Cæſare inſtaurare tentabat, oblatis auxilijs ad recuperanda quæ Veneti tenebant, ſed Romam ipſam impetendam. Sollicitauerat Cæſar per *Helianum*, Regem Pannoniæ *Ladislaum* ad bellum Veneto inferendum in finibus Dalmatiæ, quæ antiquo iure ad Pannones ſpectabat; pollicituſque erat *Helianus* Cæſaris, ac *Ludouici* Regis nomine, quotannis centenna aureorum nummum millia ſoluere: claſſis adhæc oblata, & regia connubia. Annuit *Ladislaus*, delectique ſunt quatuor millia pedites, Crouatæquè gentis bellicoſa conſcripta agmina. Nouum fędus in maximũ Venetos adducebat diſcrimen, niſi Reges diſcordi animo promiſſis defuiſſent deficiente pecunia; vnde & ipſe Pannon arma depoſuit. Sacra etiam arma Gallus expediri, & generale concilium conuocari ſuadebat; quòd *Aragonium*, vtriuſque auctoritate motum, crederet impediturum nõ eſſe, omneſq; Italiæ Cardinales eius rei auctores fore. Rex itaque ſuis epiſcopis ad Id. Septemb. Aurelianum conuenire iuſſis, conuentum paulò poſt ad Turonum vrbem tranſtulit; quò *Mathæus Langius* Epiſcopus Gurcenſis à Cæſare legatus profectus, tantis honoribus exceptus fuit, vt facilè apparèret quàm exoptatus fuerit eius aduentus.

CXLII. *Hungari in Venetos mouent.*

CXLIII. *Galli vrgent concilium.*

CXLIV. Iam aliqui Germanorũ *Iulio* Pontifici infenſi *Maximil.* Cęſarẽ concitauerant, & *libello grauaminum nationis Germanicæ* porrecto, ad ferẽdum infraſcriptũ edictum impulerãt, quo *Maximil.* Põtificem obliquè tangebant. *Cæſar in Papam cõcitatur.*

GRAVAMINA NATIONIS GERMANICAE CVM REMEDIIS & auiſamentis ad Cæſarem.

1. *Qvòd ad ſeruandas bullas, pacta, priuilegia, & literas ab anteceſſoribus abſque omni derogatione conceſſas, ſucceſſores Pontifices teneri ſe non arbitrantur; imò per crebras diſpenſationes, ſuſpenſiones, reuocationes, ad cuiuſcunque (etiam vilis) perſonæ inſtantiam contraueniunt.*

2. *Quod electiones Prælatorum quandoque reijciuntur.*

3. *Quod electionibus Præpoſiturarum, quas quarundam Eccleſiarum Capitula multo ære impetrarunt, contrauenitur: Spira ſcit & Haſela, cuius bulla de eligendo Præpoſito eneruata eſt, eo adhuc ſuperſtite, qui dederat.*

4. *Quòd beneficia & dignitates maiores Cardinalibus & Protonotarijs reſeruantur.*

5. *Quòd expectatiuæ gratiæ abſque numero conceduntur, & multæ interdum ad vnum Collatorem. Vnde ſurgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur, tum illæ, quæ pro bullis gratiarum (quæ numquam effectum ſortientur) expoſitæ ſunt, tum illæ, quæ pro litibus deducendis conſumuntur. Inde apud quoſdam ortum eſt prouerbium:* Quiſquis gratiam expectatiuam ab vrbe extraxerit, centum aut ducentos aureos nummos in ciſtam ſimul ad ipſam gratiam reponat, quibus ad proſequendam litem opus habebit.

6. *Quòd annatæ abſque dilatione & ſine miſericordia, etiam Epiſcopis intra paucos annos mortuis, exiguntur. Interdum plus, quàm debeatur, extorquetur, propter noua officia, & nouos familiares. Exemplum de Moguntinenſi & Argentinenſi Eccleſijs.*

7. *Eccleſiarum regimina minus dignis (Romæ videlicet) committuntur, qui ad mulos magis quàm homines paſcendos & regendos eſſent idonei.*

8. *Indulgentiæ nouæ cum reuocatione aut ſuſpenſione veterum, Laicis contra Clerum murmurantibus, ad corradendas pecunias conceduntur.*

9. *Decimæ ſub prætextu expugnandorum Turcarũ exigũtur, nulla expeditione ſubſecuta.*

10. *Cauſæ, quæ in Germania, in qua & docti & iuſti Iudices ſunt, terminari poterant, ad tribunalia Romana indiſtinctè trahuntur. Quod ſanctus Bernardus ad Eugenium Papam ſcribe valde reprobare videtur.*

Sal Ann. 1510. Sal. Ann. 1510.

REMEDIA CONTRA GRAVAMINA GERMANIAE.

CXLV. SI Cęſareæ Maieſtati conſultum viſum fuerit, proponatur Sūmo Pontifici et ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quòd graue, imò intolerabile ſit Nationi Germanicæ, amodò tantas expenſas & moleſtias pati, tantas pro confirmatione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum inferre annatas, præſertim quæ in quibuſdam Epiſcopatibus ſucceſſu temporis auctæ, in quibuſdam duplicatæ eſſe dicuntur.

2. Nam Sedes Moguntina (vt dicitur) olim ſolùm dedit decem millia florenorum. Quæ cùm quidam illic electus dare renueret, ſicque vſque ad mortem ſuam perſiſteret, electus poſt eum confirmationis cupidus ſe opponere timuit Sedi Apoſtolicæ, offerens antiquam ſummam, puta decem millium florenorum. Is nec confirmationem impetrare potuit, niſi & reliqua decem millia ſimul redderet, quæ adhuc extabant à ſuo prædeceſſore nondum perſoluta.

3. Sicque cogebatur dare viginti millia florenorum: quæ tunc indubiè in regiſtrum cameræ ſignata ſunt, & vſque ad noſtram ætatem à ſingulis Archiepiſcopis exacta: & nedum viginti millia, ſed & viginti quinque, propter noua officia et nouos Pontificum familiares. Tandem excreuit ſumma vſque ad viginti ſeptem millia, quæ Archiepiſcopus Iacobus cogebatur nuper perſoluere, vt retulit Vicarius in ſpiritualibus Moguntinenſis. Sicque in vita vnius hominis ſepties viginti quinque millia à ſolo Archiepiſcopatu Moguntinenſi pro confirmatione Archiepiſcopi Romam peruenerunt.

4. Et cùm Archiepiſcopus Iacobus vix quatuor annos ſediſſet in Archiepiſcopatu, mox poſt eum electus Dominus Vriel ad minus viginti quatuor millia coactus eſt perſoluere: quorum partem mutuò forſan accepit à mercatoribus, ſed vt illis ſatisfaciat, imponere coactus eſt ſubſidium aut exactionem in ſuos populos & pauperes agricolas, quorum aliqui nondum ſatisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio à ſuo prædeceſſore Iacobo impoſitæ. Sicque non ſolùm euiſcerantur noſtrates, & ad extremam inopiam rediguntur (de qua reuerendiſſimo Domino Bernardino ſanctæ Crucis Cardinali, & nuper Legato, conſtat) verùm etiam incitantur ad rebellionem & querendā vtcunq; libertatē: et vbi poſſunt, inter ſe ſuſurrant de ſæuitia in Clerum.

5. Admonendus etiam videtur Summus Pontifex, quòd per varia bella terræ Germanorum paſſim deſolatæ ſunt, ac per crebras mortalitates numerus viuentium diminutus.

6. Sicque ob paucitatem cultorum agri pro magna parte inculti iacent, & ipſa telonea diuerſis euentibus attenuata, & uenæ minerales exhauſtæ ſunt, pereuntque indies prouentus, ex quibus Archiepiſcopi & Epiſcopi (alijs etiam honeſtis & neceſſarijs impenſis grauati) Sedi Apoſtolicæ annatam perſoluere poſſint.

7. Non ſine cauſa Iacobus Archiepiſcopus Moguntinenſis iam ferè moriens dixit; ſe de morte ſua non adeò dolere, quàm ob id, quòd ſubditi ſui pauperes iterum pro pallio grauem exactionem dare cogerentur.

8. Mitiùs ergò Summus Pontifex, velut pius pater filiorum ſuorum amator, & fidelis ac prudens paſtor, cum filijs ſuis Germanicæ Nationis agat, ne propediem vel in vniuerſos Chriſti Sacordotes perſecutio ſuboriatur, vel inſtar Bohemorum plerique ab Eccleſia deficiant Romana.

9. Mitiùs ſaltem agat, quotiens Archiepiſcopus aut Epiſcopus ad paucos annos rexerit: ſicut de Epiſcopis Bambergenſibus accidit, quorum tres intra paucos annos mortui ſunt.

10. Quid de alijs multis Epiſcopatibus? ſiquidem Germania, Aenea Syluio teſte, ſupra quinquaginta Epiſcopatus habet. Quid de Abbatibus? quorum aliqui Romæ confirmantur.

11. Eſto, quòd in Germania maiores eſſent ex agris, ex mineris, ex teloneis obuentiones: indigeret tamen Cæſarea Maieſtas, & cæteri Principes, theſauro & neruo belli, contra hoſtes, præcipuè infideles; & ad conſeruandam in Germania pacem, atque ad iuſtitiam vnicuique miniſtrandam: ad quod Conſiſtorium Regalis Cameræ, cum magnis impenſis ſanctè inſtitutum, maximè deſeruit.

12. Prætereà opus habet Cæſarea Maieſtas pecunijs ad comprimendos Imperio rebelles, & ad exterminandos ſicarios atque latrones: quorum nonnulli Eccleſiis nocere, earum bona diripere, imò in Clericorum perſonas ſæuire atque graſſari non erubeſcunt.

13. Demum natio noſtra non ſolùm pro re-

para-

Sal. Ann. 1510. paratione Eccleſiarum & Monaſteriorum auro indiget & argento, ſed etiam pro hoſpitalibus, pro pueris expoſititijs, pro viduis, pro pauperibus, pro orphanis, pro filiabus pauperum (ne ſtupro cadant) deſponſandis, pro domeſtica inopia laborantibus, pro annoſis & effœtis, pro valetudinarijs, ac pro puſtulatis, quorum (proh dolor) plena eſt Germania, alioqui etiam populoſa, vti ſexum minimè faſtidiens muliebrem. Sal. Ann. 1510.

REMEDIVM PRO CIVITATIBVS IMPERII ET ANIMARVM SALVTE.

SI ſollicitante Cæſarea Maieſtate, à Sede Apoſtolica impetraretur, quod Vriel Archiepiſcopus Moguntinenſis impetrauit, ne quis deinceps in ciuitatibus Imperij ſimul poſſit habere Canonicatus aut Vicarias, in diuerſis eiuſdem ciuitatis Ecclesijs, ſed vt ſingulæ in ſingulas diſtributiones deſeruirent. Tùm minuerentur lites: Reſpublica magis ſentiret commodum, plures docti, Imperio & Fidei vtiles, promoueri poßent, plures miſſæ legerentur, & omnis diuinus cultus alacrius & laudabiliùs perageretur. Sicut de Baſilea & Spira exemplum adduci poſſet. In vtraque enim ciuitate nullus ſimul in diuerſis Ecclesijs plures Canonicatus aut Vicarias ex ſanctiſſima conſuetudine poſſidere poteſt. Ideoque vtrobique religio & diuinus cultus, egregiè floret. Et Summi Pontificis (Aenea Syluio teſte) intereſt curare, vt honoretur Deus, & illi laudes atque hymni canantur.

2. Expediret Reſpublicis & animarum ſaluti, ſi Summus Pontifex immutabiliter ſanciret, vt in quolibet Collegio duæ ad minus eſſent Præbendæ gratijs non ſubiectæ, ad quas duo Theologi, aut vnus Theologus & alter Canoniſta, duntaxat promoueri poſſent.

3. Atque vt idonei, puta Philoſophiæ, Canonum, & ſacræ paginæ docti, eò promptiùs curas ſubirent animarum, expediret quòd auctoritate Apoſtolica, Monaſteria & Collegia Parochijs, quas ſibi incorporatas tenent, ſufficientia & certa emolumenta inferre cogerentur. Hoc enim, ſi Aeneæ creditur, Papam decet curare, vt Euangelium Chriſti, quod eſt optimum animæ pabulum, omnibus ſyncerè prædicetur, vt omnes errores, omnis blaſphemia eradicetur, vt bella ſopiantur, vt furta, rapinæ, incendia, homicidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, contentiones, odia et rixæ de medio tollantur. Ad harum rerum perſuaſiones Theologi et Canoniſtæ magis idonei quàm Curtiſani auari eße videntur. Imò & Theologi docti, concionibus apti, Summum Pontificem, reuerendiſſimoſque Dominos Cardinales in honore & auctoritate ſermonibus ſuis commodiùs tueri & conſeruare poſſent.

AVISAMENTA AD CAESAREAM MAIESTATEM.

SIcut regnum Franciæ Pragmaticam habet ſanctionem, cui in conferendis beneficijs innititur, ſic Imperium Romanum habet Concordata Principum; vtque ea illæſa conſeruentur, intereſt Cæſareæ Maieſtatis. Rarò tamen hactenus per Summos Pontifices violata ſunt: & Auditores Rotæ iuxta illa hucuſque feruntur iudicaſſe. Et ſi aliquis Curialium per quamcunque diſpenſationem conaretur illa infringere, quòd Epiſcopus vel Princeps vel Senatus eiuſdem loci, principijs obſtando, in faciem ei Concordata inculcaret, piè exhortans ne contraueniat, quoniam audacia ſua ſuſtineri nequaquàm poſſet, cùm & Turcæ & Iudæi pacta fidemque ſeruent. Quis Curtiſanorum tam inſolens aut ſtultus eſt, vt contra voluntatem Epiſcopi, Principis, aut totius alicuius Communitatis in aliqua ciuitate habitare præſumat?

2. Poßet etiam Cæſarea Maieſtas per literas aut Oratores facilè in regno Franciæ experiri, quomodo illic beneficia conferantur, & quam authoritatem in beneficijs conferendis habeat Summus Pontifex. Secundùm hoc poßet moderamen fieri in Imperio Romano, & frenum inexplebili auariciæ Curtiſanorum adhiberi. Si præclaræ Vniuerſitates, præcipuè facultas Theologica Pariſienſis, approbauerint modum illum, qui de diſponendis & conferendis beneficijs in Francia ſeruatur, nemo dubitet, Cæſaream Maieſtatem & Principes Germanos, ſi ſe iſti modo conformauerint, apud Deum tutos fore et excuſatos. Præſumendum enim eſt, quòd tanti Prælati, tanti Doctores, tam probati viri, qui in regno Franciæ ac in ſtudio Pariſienſi viuunt, nihil approbent, quod contra Deum aut contra iuſtitiam committeretur.

3. Pro-

Sal. Ann. 1510.

3. *Prouideat tamen Cæſarea Maieſtas, ne Archiepiſcopi Electores in hoc ſancto inſtituto à ſe diſſentiant, ſibique non adhæreant, propter cenſuras Apoſtolicas, quas timebunt; & populus interdictum diu non ſuſtinebit.*

4. *Prouideat etiam Cæſarea Maieſtas, ne Fratres Mendicantes contra ipſam prædicent, qui Sedi Apoſtolicæ libenter deferunt, timentes perdere priuilegia ſua, vtinam Chriſto & naturæ innixa: quamuis iuſtiſſimam cauſam dudum habuiſſet contra tantam auariciam tantoſque abuſus prædicandi.*

5. *Timeat Cæſarea Maieſtas, ne Papa mandet Electoribus, vt ad electionem noui Regis Romanorum procedant: ſicut contra Fridericum Secundum Landtgrauius Thuringiæ & Guilhelmus Hollandiæ Comes iubente Papa fuerunt electi.*

6. *Timeat Cæſarea Maieſtas omnes Prælatos Eccleſiarum, præcipuè Præpoſitos, qui ex iuramento tenentur auiſare Papam.*

7. *Timeat Cæſarea Maieſtas, ne S. D. N. Papa obedientiã à ſubditis auferat, et circumiacentes populos prouocet, vt in terras Cæſaris ſeu Archiducatus Auſtriæ irruant: quod iſti homines ſub colore obedientiæ Apoſtolicis mandatis præſtandæ promptiſſimo animo ſunt facturi.* Sal. Ann. 1510.

8. *Timeat Cæſarea Maieſtas cenſuras Apoſtolicas, à quibus S. D. N. non abſtinebit.*

9. *Timeat Cæſarea Maieſtas, ne Papa argutiſſimis locis rudi populo perſuadeat contra Pragmaticam, ſeque excuſans ſimplicium beneuolentiam captet; allegaturus, quod Eccleſiam S. Petri in Vrbe magnis impenſis inſtauret, & certis in locis contra Turcas ædificet, quodque bellis ſuis nulli vmquam fecerit iniuriam: quoniam recuperet terras ad Eccleſiam ſiue patrimonium S. Petri pertinentes, ad quod ex officio teneatur. Circumſpiciat ergo & deliberet Cæſarea Maieſtas, qualiter ſapientiſſimo ſuo conſilio omnibus illis Romanorum ſubtilitatibus, ſi neceſſitas exegerit, ſit reſponſura.*

CONCLVSIO ET EXORTATIO AD CAESAREM.

Nihil ſanctius, nihil Deo gratius, nihil ſempiterna memoria dignius efficere poterit Cæſarea Maieſtas, quàm vt tantas Germanicæ Nationis moleſtias & exactiones moderetur, vt Laicis Clerum perſequendi occaſionem auferat, vt parochias (quarum aliquas Epiſcopatus Italicos Aeneas æquare ſcribit) ex faucibus Curtiſanorum, concionari, conſulere, & conſolari neſcientium, eripiat; vt diuinum cultum augeat; vt auaritiæ & impietati Curtiſanorum frenum imponat; vt ius patronatus Laicorum in vtriſque, et nominationes Canonicorum, collationeſque Eccleſiaſticorum in ordinarijs menſibus obſeruet: ut multorum Illuſtriũ, Nobilium, & ciuium filijs in Germania conſulat, qui in Vniuerſitatibus ab adoleſcentia diuinas & humanas literas diſcunt, vt & ipſi extra Curiam Romanorum abſque inquietiſſimis vexationibus, ſumptuoſiſſimiſq;, interdũ etiam indignis litibus, ad prębendas Eccleſiaſticas aſcendant, qui & Imperio Romano conſilijs, et toti Eccleſiæ orationibus ſuis opem ferre poſſint. Neque enim minima cauſa eſt, cur tantoperè floreat Franciæ regnũ, niſi quod tantos tamq; præſtantes in omni bona doctrina viros multos habet.

2. *Si Cæſar hanc impietatem eneruauerit, ſi Germaniam tributo graui oppreſſam in priſtinam libertatem vendicauerit, ſi doctis & honeſtis ad præbendas aditum fecerit, tum verè liberator Germaniæ, libertatiſque reſtitutor: tum verè pater patriæ, perpetuò ab omnibus paſſim poterit appellari: nec minorem ſibi gloriam, Germaniæque fructum afferet, quàm ſi prouinciam aliquam bellicis ei viribus adieciſſet. Sicque non minores vni* Maximiliano *gratias debebit, quàm his omnibus, qui translato ex Græcis in Germanos Imperio, multis antè temporibus regnauerunt.*

EDICTVM MAXIMILIANI IMPERATORIS.

Summum Eccleſiæ Paſtorem, & omnem Clerum, exemplo chariſſimi patris noſtri, Friderici Romanorum Imperatoris Tertij, hactenus venerati non paruos dignitatum & Eccleſiarum parochialium prouentus ex terrarum noſtrarum finibus, Clericis & Prælatis abſentibus clementer inferri permiſimus. Quos etiam clàm pro humana fragilitate delinquentes cum Conſtantino prædeceſſore noſtro chlamyde operire non dedignaremur. Verùm cùm ex noſtra largitate diuini cultus detrimentum profluat, vnde diuinæ laudis, pſalmorum & miſſarum amplificatio

Sal. Ann. 1510. *ficatio debuerat proficiſci, noſtra intereſt, qui abſque meritis in ſolium Romani Imperij lecti ſumus, vt inter cæteras maximas pacis & belli occupationes vigilanter quoque circumſpiciamus, ne Eccleſiæ pereant, ne religio labaſcat, ne diuinus cultus diminuatur, & ne animabus defunctorum, qui Eccleſiis & ſacerdotibus de ſuo patrimonio benefecerunt, contra vltimas ipſorum voluntates tardius ſuccurratur. Quod maniſeſtiſſimè experti ſumus, et in dies experimur, ex ineffabili atque à nullo diſpenſabili quorundam auaritia prouenire, qui in beneficijs aſſequendis nullum finem conſtituunt: per quorum abſentiam (cum in vno ſolo perſonaliter reſideant, & diſtributiones deſeruiant) diuinus cultus diminuitur, vltimæ benefactorum voluntates caſſantur, defunctorum animæ tardiùs ex igne purgatorio eripiuntur, ædificia labant, Eccleſiæ decreſcunt, Eccleſiaſtica libertas læditur, literæ & monumenta perduntur, hoſpitalitas et elemoſynæ minorantur, patrimonia parentum & nerui Rerum publicarum ex crebris huiuſmodi auarorum collitigationibus euaneſcunt: Clerici pro doctrina ſua & virtute beneficijs digni, ſuaque prudentia Eccleſijs in temporalibus & ſpiritualibus vtiles, à præbendis repelluntur, impediuntur, indignè vexantur, iniuſtè cis lites mouentur, ſcandala Laicis præbentur, ipſorumque odium & murmur in reliquos honeſtos Sacerdotes excitatur atque augetur.*

2. *Eas ob res ex officio Cæſareæ Maieſtatis, ex amore incrementi cultus diuini, ex zelo Rerum publicarum hortamur & requirimus, ne quiſquam amodò in vna noſtrarum noſtrique Romani Imperij ciuitate Canonicatum aut Vicariam poſſidens, in altera eiuſdem ciuitatis Eccleſia aliam Præbendam occupet, niſi primam infra ſpacium anni in perſonam idoneam ac Eccleſiæ vtilem ſit dimiſſurus, neque alium in beneficijs aſſequendis per iniuſtas lites aut ambages indignè vexet, aut circumueniat; nec quemcumque, qui non ſit de numero deſcriptorum familiarum (iuxta Concordata Principũ & pacta Nationis Germanicæ falsò familiarem fuiſſe fingat in ordinariorum Collatorum præiudicium. Nec Laicis ius patronatus auferre tentet; nec exiles præbendas, potiſſimùm verò curatas Eccleſias, penſionibus grauet. Nec in adipiſcendis beneficijs & bullis quacunque fraude, dolo, falſis inſtrumentis, corruptis teſtibus, Simonia etiam palliata vtatur. Neque regreſſum, aut alia ſacris canonibus inimica, contra ius, æquum, honeſtum, & rectam rationem impetrare præſumat, ſub pœna criminis læſæ Maieſtatis, & grauiſſimæ noſtræ offenſæ: quam non ſolùm ipſi ſic contra Deum & omnem honeſtatem exorbitantes, ſed & omnes eorum fautores, auxilium, conſilium, hoſpitium, & mutuum dantes, omneſque nuncios, curſores, ſollicitatores, notarios, procuratores, fideiuſſores, & reliquos amicos incidiſſe volumus, condignam pro tantis iniquitatibus & noſtri huiuſmodi mandati contemptu pœnam accepturos. Ex Oeniponte.* Ann. Sal. 1510.

EPITOME PRAGMATICAE SANCTIONIS.

CXLVI. MAXIMILIANVS, *diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, &c. Honorabili, deuoto, nobis dilecto, Iacobo Vvimphelingo Selectadienſi, ſacræ Theologiæ Profeſſori, familiari noſtro.*

Honorabilis, deuote, dilecte, mittimus in præſentiarum ad te Secretarium noſtrum cum Pragmatica ſanctione regni Franciæ, commiſimuſque ei, tibi noſtro nomine nonnulla referenda. Quæ cùm ex mente noſtra proficiſcantur, cupiamuſque omninò interueniente opera & induſtria tua in talibus nobis ſatisfieri: ideò hortamur te, & per tuam in nos & ſacrum Romanum Imperium obſeruantiam, quam opuſculis & lucubrationibus tuis iamdudum habuimus compertam, requirimus, vt non modò Secretario noſtro indubitatam adhibeas fidem, ſed te eum in his, quem etiam non requiſitus à nobis præſtitiſti, exhibeas. Cupimus autem dictum Secretarium noſtrum, quoniam eius opera diutiùs carere non poſſumus, cum hoc voto noſtro à te expeditum, quam primùm ad nos remitti. Datum in oppido noſtro Imperiali Vberlingen, die XVIII. menſis Septembris, Anno Sal. MDX. regni noſtri Romani XXV.

Per Regem.

Inuictiſſimo Domino noſtro Imperatori Maximiliano, Iacobus Seleſtadienſis Humilimam Commendationem.

VIctorioſiſſime Cæſar, lecta Cæſareæ tuæ Maieſtatis epiſtola, moxque accepta à Secretario inſtructione, totis ad id viribus me accinxi,

Sal. Ann. 1510.

accinxi, vt id quod Cæſarea tua Maieſtas deſiderat, (quoniam tum cum Deo, & abſque conſcientiæ vulnere fieri poteſt) efficiam. Ab ineunte enim ætate omnem operam meam Cæſareæ primùm tuæ Maieſtati, deinde Germanicæ Nationis & ſacri Romani Imperij amplificationi, deuoui atque dedicaui. Quamuis me voto tuo & inſtituto longè imparem ſciam, & multi ſint in Aula tua, qui hoc munus abſolutiſſimè implere valeant, quibus maior eſt eruditio, maiorque rerum iſtarum communium experientia. Sunt & apud reliquos Principes, et apud Senatus Rerumpublicarum, optimi doctiſſimique viri, qui Germaniam exornare, et ad pacem concordiamque vniuerſalis Eccleſiæ, atque ad totius Cleri Chriſtiani diſciplinam reducendi famam & gloriam perſuadere poſſent. In qua re non modò tua Maieſtas, ſed & tui in Imperio prædeceſſores, Carolus Magnus, eiuſque filius Ludouicus Pius, Otthones denique, Conradi, Friderici & Henrici, nouiſſimè autem Sigiſmundus, Summa induſtria operam nauarunt, impellent ipſos indubiè zelo & charitate in Deum Opt. Max. & gratitudine in Chriſtum pro ipſius in humanum genus beneficijs, præcipuè autem amariſſimæ paſſionis. Neque enim Chriſtus pauper pro nobis factus eſt, vt nos in omni rerum opulentia & luxu de ipſius patrimonio cupiditatem noſtrã & ambitionem prodamus: neq; famem pertulit, vt nos ingurgitemur: neque labores, caſtimoniã, et dira tormenta ſubijt, vt nos in ocio, in laſciuia, inq; omnibus delicijs & voluptatibus verſemur.

2. Neque hi, quibus res Eccleſiaſtica ſua debet incrementa, quantum ad ditionem temporalem attinet, huc reſpexiſſe videntur, vt in ocio tantùm Clerici degerent, omnibus rebus ad vota fruentes, citra tamen laborem. Alia certa cauſa fuit, cur illi ſeque ſuoſque nonnumquam ſpoliantes, Eccleſiam ditandam cenſuerint, nimirum ut commodiùs diuinis officijs vacare poſſent, abſque ſollicitudine defuturi victus, quem ex agris, nemoribus, pratis, aquis facilè colligere liceret: & vt pauperibus Chriſti, viduis, orphanis, & ſenibus, quos robur corporis prorſus deſtituit, ac ægrotantibus elemoſynam liberaliùs impertirent. Sic enim in Inſtitutionibus Canonicæ Profeſſionis, quas auſpicio Imperatoris Ludouici Pij conſcriptas putamus, ab Epiſcoporum Concilio comprobatas; ſic (inquam) legitur: Res Eccleſiæ (ſicut à ſanctis Patribus traditur, & in ſuperioribus Capitulis continetur) vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore & Chriſti amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedium, & cœleſtis patriæ deſiderium, ſuis proprijs facultatibus ſanctam locupletem fecerunt Eccleſiam, vt ijs & milites Chriſti alerentur, Eccleſiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captiui pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac ſolerti cura prouidendum eſt his, qui eius facultates adminiſtrant, ne eos in ſuos ſolummodò vſus conuertant, ſed magis, iuxta poſſibilitatem rerum, Chriſto famulãtium, imò eorum in quibus Chriſtus paſcitur & veſtitur, curam gerere penitus non negligant. *Subſcribit huic ſententiæ Proſper, aſſerens viros ſanctos res Eccleſiæ* non vendicaſſe in vſus ſuos, vt proprias, ſed vt commendatas pauperibus diuiſiſſe. *Nam* hoc eſſe poſſidendo contemnere, non ſibi ſed alijs poſſidere: nec habendi cupiditate Eccleſiæ facultates ambire, ſed eas pietate ſubueniendi ſuſcipere. Quod habet, *inquit*, Eccleſia, cum omnibus nihil habentibus habet commune: nec aliquid inde eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, erogare debet: quando nihil aliud eſt habentibus dare quàm perdere. *Hactenus aliena retulimus.*

Sal. Ann. 1510.

3. *Proinde cùm omnes Chriſti religionem profeſſos eidem Seruatori noſtro gratos eſſe expediat, magis tamen id peculiares eius miniſtros, hoc eſt Sacerdotes ſacris initiatos, & de liberalitate tanta Imperatorum & Procerum, cæterorumque fidelium affatim prouiſos, vt ab aratro et manuum laboribus alieni ſimus, tantorum beneficiorum decet meminiſſe, quo noſtra vita populo bilem non moueat, nec ad oblocutionem & odium præbeat anſam: ſed vt ædificentur Laici, amicitia mutua floreat, offendicula & ſentes euellantur, reuerendi Antiſtites, cum ſuo Clero pietati dedito ſint in ſua veneratione, & in ipſum quoque Summum Pontificem, ſacroſanctamque Romanam Eccleſiam vniuerſorum filialis affectus, et in ſpiritualibus obedientia fulciatur.*

4. *Quapropter Sereniſſime Cæſar, Celſitudini tuæ, quæ tam honeſto & ſancto negotio Chriſtianiſſimè afficitur, non potui non morem gerere, collectis tumultuariè nonnullis, quę dedita opera*

& apud

Sal. Ann. 1511. *& apud diuerſas Eccleſias & in Conuentibus præſtantium virorum partim vidi, partim ex fide dignis audiui: quæ mihi, ſi tollantur: ad Germaniæ commodum, & ad diuini cultus amplificationem plurimùm conducere videntur.*

5. Et eò ad id abſoluendum, tuæque Maieſtati in omnibus obſequẽdum, promptior fui: primùm, quòd nepotem meum, Iacobum Optegel *tuæ Maieſtatis Secretarium, ex labore meo maiorem tuam in ſe benignitatem aſſecuturum confiſus ſum: deinde quòd ſub Imperio Romano natus et alitus, meritò, vti natura ſubditus, tuæ inſeruio voluntati: poſtremò, vt hac opera patriam meam Maieſtatis tuæ patrocinio commendatiorem facerem. Seleſtadium enim, natale mihi oppidum, omnibus terris charius, in Alſatiæ meditullio ſitum, prouincijs Auſtriacæ ditionis paruo ſanè interuallo cingitur. Quantum enim Briſages abſunt? quantum Sungauij? quantum Vallis Albertica in Voſego? vt de minutioribus locis taceam. Si igitur Seleſtadium vel à Gallis, vel ab alijs hoſtibus (quod abſit) premi contingat, quis illi meliùs ſubuenire poſſit, quàm Princeps Auſtriacus? ſi quidem vicinus vicino Deus eſt. Et ſolet nonnumquàm ingentis beneficij eſſe cauſa paruum obſequium in tempore exhibitum. Ex Argentorato, Calendas Nouembris M D X.* Sal. Ann. 1511.

EPITOME

In Proœmium Pragmaticæ Sanctionis.

Proœmium.

In proœmio Pragmaticæ ſanctionis narratur, quòd ab exordio naſcentis Eccleſiæ Reges Franciæ, Prælati & Proceres in regno & Delphinatu, erexerint & dotauerint Eccleſias, Cænobia, & alia loca ſacra, ad gloriam Dei, & ad augmentum diuini cultus.

2. Item quòd inſtituerint in illis locis miniſtros idoneos ad propagandam fidem, ad bonos mores, & exempla virtutum.

3. Item quòd à ſanctis Patribus conditi ſunt canones pro felici regimine ſtatus Eccleſiaſtici.

4. Item quòd quamdiu canones illi obſeruati fuerunt, floruit in Eccleſia Dei honeſtas, diſciplina, religio, pietas, & pax.

Additio ad Pragmaticæ Proœmium.

Similia narrare poſſet Cæſarea tua Maieſtas, quomodo Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ in Germania erectæ, & ampliſſimis donationibus dotatæ ſunt à Romanis Imperatoribus, ab Illuſtriſſimis Ducibus, & cæteris Principibus: ſicut in Lupoldo De zelo & feruore veterum Principum Germanorum *clariſſimè reperitur. Et certò conſtat, multas Eccleſias à Carolo Magno & Henrico Cæſare erectas & dotatas: Spirenſem à Ducibus Sueuiæ & Auſtriæ locupletatam, &c. Argentinenſem à Dogoberto Rege Auſtraſiæ exaltatam. Sicque de alijs Eccleſijs & Cænobijs Germanicæ Nationis in Auſtria, Saxonia, vtraque Burgundia, cæteriſque Germanorum Principum regionibus, erectis atque dotatis.*

Pergit Proœmium.

Conſequenter exordium Pragmaticæ narrat, quòd ex ambitione & auaritia, quæ Patrum decreta contemnit, ſubſecutæ ſunt maiorum corruptiones atque deformationes, ſtatus Eccleſiaſtici dehoneſtationes, vſurpationes grauiſſimæ: præſertim hæc fieri per Prælaturarum & dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum reſeruationes, & per gratiarum ad vacatura beneficia expectatiuarum, à iure valdè exorbitantium, multiplicationes, & per innumerabiles conceſſiones, grauiſſimaque & importabilia onera, quibus Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiæ regni afflictæ, oppreſſæ, & quaſi ad internecionem redactæ his diebus conſpiciuntur.

2. Nam Eccleſiarum & beneficiorum pecunias indigni exterique occupant. Maiores dignitates opulentioraque beneficia perſonis conferuntur incognitis & non probatis, Pauci in Eccleſijs reſident: quia cùm ſint plurales, vbique reſidere & præſentias deſeruire non poſſunt, vultuſque commiſſi ſibi gregis non agnoſcunt. Animarum cura neglecta, temporalia commoda ſolùm quæruntur. Chriſti cultus diminuitur: animarum cura negligitur: ſubtrahitur hoſpitalitas: Eccleſiarum iura depereunt: ruunt ædificia: populi deuotio attenuatur. Clerici regni noſtri ſcientijs & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis noſtræ vacare poſſent, & qui pro Regijs & Eccleſiæ publicis conſilijs forent opportuni, diuinarum humanarumque ſcientiarum ſtudia

Sal Ann. 1511. *ſtudia deſerunt, propter promotionis ad beneficia ſpem eis ablatam. Votum alienæ mortis oritur. Lites infinitæ, contentiones & rixæ, rancores & odia inter Chriſti miniſtros ſuſcitantur, nutriuntur atque fouentur. Pluralitatis beneficiorum execrabilis ambitio fouetur. Pauperes Clerici cum rerum ſuarum diſcrimine per calumnioſos cauiloſoſque opprimuntur. Beneficia inofficiata relinquuntur. Beneficia ſimoniacè adquiruntur. Iuuenibus bonæ indolis euagandi licentiæ præbetur, qui literis & virtutibus intendere deberent. Prælatis & ceteris Ordinarijs Collatoribus ius ſuum atque miniſterium aufertur. Ordo Eccleſiæ Hierarchicus confunditur. Plurima aduerſus diuina & humana iura in animarum perniciem, & Eccleſiarum regni noſtri oppreſſionem & conculcationem perpetrantur. Sicque iura Coronæ noſtræ depereunt, atque theſauri regni noſtri in externas regiones deportantur.*

3. *Præmiſſa hæc Carolus VII. Rex Francorum, cæterique Prælati Eccleſiarum cognoſcentes, talia ſtimulantibus eorum conſcientijs, abſq; grauiſſima Dei offenſa, diutiùs diſſimulare non potuerunt. Itaque decreta hæc Baſilienſis Synodi partim vt iacent, partim cum quibuſdam moderaminibus aut epikijs recipienda conſenſerunt.*

Additio ad Procemium Pragmaticæ.

Vt ad oculum hæc omnia vera eſſe demonſtrentur, diſcernant boni & æqui iudices, qui ſaltem diligenter conſiderarunt, ſi non floreat diligentior diuinus cultus, ordinatior cantus: ſi non fiant pauciores in Choro confuſiones: ſi non ſint minores factiones, minores lites, minor pecuniarum effuſio, minora offendicula ſeu ſcandala, minor concubinarum pompa & luxus, in illis Collegijs & Eccleſiis, ad quæ per gratias Apoſtolicas non patet aditus. Exemplum ſumatur de Eccleſia Parochiali Friburgenſi, de Collegio Badenſi, Heidelbergenſi, & Nouæ ciuitatis Spirenſis diœceſi, vbi licet parua ſint Collegia, mediocreſque præbendæ, quaſdam tamen alias, quas inſatiabiles Curtiſani occupare, & in quibus poſt crebras lites patrimoniorumque diſſipationes, præbendas pinguiores poſſidere poßunt, in omnibus diuinis officijs, in omni Eccleſiaſtica diſciplina, & in perſonarum concordia, pace, & tranquillitate excellere videntur: Ignoſcant mihi multi optimi Sacerdotes, qui & in Cathedralibus & in Collegiatis deuotè Deo ſeruiunt, quibus contentiones, lites, leuitates, euaginationes, confabulationes, & cæteræ diſſolutiones admodum diſplicent. Exemplum denique ſumatur ab Eccleſiis Parochialibus, ad quas gratiæ Apoſtolicæ ſeſe non extendunt, quibus de idoneo Rectore ſeu Curato citiùs prouidetur, quàm his quæ ſub gratias cadunt: quippe quæ interdum propter diuerſos collitigantes, variaſque ipſorum aſtutias, ad biennium aut triennium certo & idoneo Paſtore caruerunt. Et cùm vix tandem aliquis Curtiſanorum victor aliorum in Parochia aliqua vtcunque euaſerit, vel in ea non reſidet, vel ſi reſidet, non prædicat, nec cancellos aſcendit, vt ſaltem pro Summo Pontifice, proque ſacroſancta Eccleſia Romana, proque Cæſarea Maieſtate, aut contra Turcas, ad Deum preces à populo fieri exhortetur. Non ſic contingit de Eccleſia Parochialibus, ad quas Curtiſani ſeu Curiales per gratias Apoſtolicas non admittuntur. Exemplum ſumatur de Eccleſia Parochiali Friburgenſi, Heidelburgenſi, Badenſi, Vlmenſi, Francofurdenſi, ad quas, cùm vacant, è veſtigio de idoneis Rectoribus ſalubriter abſque omni lite, abſque multa pecuniarum effuſione prouidendas, vel Principes, vel Vniuerſitates, vel Senatus, ius præſentandi habentes, maturè & ſtatim deliberant, & ad Dei honorem animarumque ſalutem bonos atque doctos viros eis abſque controuerſia præficiunt: qui perſonaliter reſidentes per ipſos prædicant, populum verbo & exemplo ædificant, ac ſuas oues in viam ſalutis vt veri paſtores dirigunt: de quo Summis Pontificibus Paſtoribuſque noſtris gaudendum & exultandum eſſet, qui & rectè agerent, ſi ad ſimiles quoque Curatos in alijs locis fideli populo præficiendos ſint cooperaturi. Ipſi enim de animabus omnium Chriſti fidelium, pretioſo eius ſanguine redemptorum; exactiſſimam Domino Deo in extremo iuditio rationem ſunt reddituri: *ſicut Iulius Secundus Summus Pontifex noſter in exordio Bullæ ſuæ contra Ioannem Bentiuolum ſponte & humilimè confitetur. Et Platina in Celeſtino V. eidem Reuerendiſſimos Dominos Cardinales affirmaſſe narrat,* omnia mala tum accidentia in die iudicij ſibi imputatum iri. Sal. Ann. 1511.

De electione. CAPIT. I.

Generalis reſeruatio omnium Eccleſiarum, Monaſteriorum, & dignitatum electiuarum per Romanum Pontificem fieri non debet: neque

Sal. Ann. 1511. *neque factis eſt vtendum, præterquàm in terris Eccleſiæ Romanæ ſubiectis.*

2. Quòd omnibus illis Eccleſijs per electionem & confirmationem canonicam, ſecundum iuris communis diſpoſitionem, prouideatur.

3. Quòd priuilegijs & conſuetudinibus rationalibus per hoc non derogatur.

4. Nec Sũmus Põtifex contraueniat, niſi ex legitimis cauſis, in Bullis nominatim expreſſis.

5. Papa in aſſumptione ſua hæc ſe iure obſeruaturum.

6. Electione Prælati vel Epiſcopi facta, confirmator non ſolùm ratione confirmationis aliquid quantumcunque paruum non exigat, ſed etiam gratis oblata ſub nomine ſubuentionis, ſubſidij, gratitudinis, aut alio colore, prætextu cuiuſuis conſuetudinis aut priuilegij, per ſe vel per alium nullatenus recipere præſumat.

7. Qui his contrauenerit, ipſo iure confirmationis perpetuò ſit priuatus.

8. Nec Summus quidem Pontifex aliquid pro confirmatione accipiat: alioquin futuro Concilio deferatur.

CAPIT. II.

De reſeruationibus.

Omnes reſeruationes reuocantur, exceptis illis, vel quæ in corpore Iuris expreſſæ ſunt, vel quæ in terris Eccleſiæ Romanæ ſubiectis fiunt.

CAPIT. III.

De collationibus.

Præter damna, quæ in proœmio narrata ſunt, alia etiam incommoda oriuntur ex multiplicatione gratiarum expectatiuarum.

2. Primò quòd Clerici in gratijs patrimonium & parentum opes exhauriunt.

3. Secũdò quòd hi, quibus aut maior proximum circumueniendi aſtutia, aut ad litigandũ facultas ſuppetit vberior, beneficia ſibi vendicãt.

4. Tertiò quòd ſub inuolutionibus prærogatiuarum aut antelationum & aliorum huiuſmodi gratias concomitantium plurimæ fraudes committuntur.

5. Propter iſtas, & alias in proœmio expreſſas, cauſas ſtatuit ſancta Baſilienſis Synodus: Quod Summus Pontifex gratias expectatiuas aut nominationes amodò nulla ex cauſa cõcedat.

6. Poteſt tamen diſponere Papa de vno beneficio ad collationem, in qua decem: & de duobus ad collationem, in qua fuerint quinquaginta & vltrà beneficia.

7. Locus eſt præuentioni, ſi Ordinarij ſint negligentes.

8. Ordinarij hunc ordinem in conferendis beneficijs & dignitatibus ſeruent. In omnibus Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſijs ſit Theologus. Sal. Ann. 1511.

9. Tertia pars præbendarum conferatur graduatis, præcipuè Theologis: niſi fortè eſſet, qui duas priùs obtineret præbendas, quarum vna ad æſtimationem valeret ducentorum florenorum Cameræ, hoc eſt, ducatorum.

De Parochialibus Eccleſijs. CAPIT. IV.

De Parochialibus Eccleſijs ſic prouideant Ordinarij. In Eccleſijs Parochialibus, quæ in ciuitatibus aut villis muratis exiſtunt, inſtituantur perſonæ idoneæ, quæ ad tres annos in Theologia vel altero Iurium ſtuduerint, ſeu Magiſtri in artibus ſint.

De numero Cardinalium. CAPIT. V.

Eccleſiæ Romanæ Cardinales ſint numero tantùm viginti quatuor: nec aſſumantur minores triginta annis. Sin Magiſtri, Doctores, vel Licentiati in iure diuino & humano: Sit ſaltem tertia vel quarta pars de Magiſtris aut Licentiatis Theologiæ. Pauci verò ex eis ſint filij, fratres aut nepotes Regum & magnorum Principũ.

Iulius igitur Pontifex, vbi videt, ſe à Gallis vi aperta, & varijs inſidijs ad euertendam dignitatem ſuam oppugnari; à *Ferdinando* Rege Catholico, & ab *Henrico* Britanniæ Rege auxilium implorat. Eccleſiaſticam ditionẽ, & Pontificiam maieſtatem nefarijs vexatam queritur armis; cogendi Concilij poteſtatem ad ſe ſolum ſpectare, demonſtrat. Monet præterea vt caueant, ne Gallorum gens vbique victrix totius Italiæ vindicaret imperiũ. Nec mora, animaduerſo illi periculo, quod ex hoſtili Gallorum infeſtatione Eccleſiæ, & Pontifici imminebat, arma corripiunt; dum bellum paratur; Pontifex ingenti animi magnitudine aliud ſolemne concilium Romæ in Laterano celebrandum edicit: Pſeudo Cardinales vti ſchiſmaticos, & conciliabuli (quod Piſas transferre decreuerant) auctores, ſacri pilei priuat honore. Ita ludebat fortuna, & mutuis cladibus Chriſtianos vexabat. Heluetij, ſibi penſiones augeri petentes, cum minimè impetraſſent, adeo moleſtè tulerunt, vt ſe eius hoſtes declararint, tametſi à *Iulio* Pontifice minus, quàm à *Ludouico* ſtipendium accepturi. Cauſam religionis obtendebant, cuius pro-

CXLVII. CXLVIII *Lateranenſe concilium.*

Sal. Ann. 1511.

CXLIX. propugnatores videri volebant. Ex aduerſo cum *Iulius* Bononia Rauennam ſeceſſiſſet; Bentiuollis tumultum excitantibus, Galli vrbẽ occuparant. Sic *Iulius* dum Ferrariã occupare tentat, Bononiam amiſit. Proxima nocte æream *Iulij* ſtatuam plebs deiecit, & fune (*Bentiuola* factione id procurante) per vicos abſenti traxit inſultans. *Iulius* ad vindictam magis accenſus cum *Ferdinando*, ac *Venetis* ſocietate firmata, Romæ, in æde Mariæ quæ Populi dicitur, coram ipſo *Iulio*, ac Cardinalibus, exterarumq; nationũ legatis, nonis Sept. recitari mandauit. Capita fuere ſequentia.

Heluetij hoſtes Gallorum facti. Boncnienſium inſolentia.

Fœdus Papæ cum Hiſpanis et Venetis.

CL. *Fœdus hoc præcipuè ad Eccleſiæ vnitatem & concordiam tuendam fieri, & ad Piſanum Conciliabulum extirpandum: Bononiam quæ optimo iure ad Sanctam Sedem pertineret, ac reliqua loca* (quibus Ferraria comprehendebatur) *recuperanda, atque ad eos, qui ſe ſe his rebus opponerent* (his verbis Rex Galliæ notabatur) *Italia pellendos validus inſtrueretur exercitus; in quo Pontifex quadringentos grauis, quingentos leuis armaturæ equites, ſex millia peditum aleret. Sen. Venetus octingentos cataphractos, mille leuis armaturæ equites, peditum octo millia: Aragonius cataphractos mille & ducentos, equites leuis armaturæ mille, & Hiſpanorum peditum decem millia: ad quos fouendos Pontifex toto belli tempore in ſingulos menſes viginti ducatorum millia numeraret, totidemque Veneti, duorum menſium ſtipendio in præſentia numerato: intra quos menſes in Aemiliam, vel quocumque fœderati conueniſſent, & ipſi conuenirent, Aragoniæ Rex duodecim triremes armaret, Veneti quatuordecim, qui eodem tempore in Inſubria Galliæ Regi bellum inferrent. His copijs Raimundus Cardona patria Catalanus, Regni Neapol. ProRex præeſſet. Si in Inſubria aliquod oppidum, quod Imperij Venetorum fuiſſet, caperetur, eius eſſet cui à Pontifice adiudicatum eſſet:* ſed Pontifex ſtatim peculiari ſcripto Venetis reſtituendum declarauit. Quod factum, quia *Ferdinandus* prò Venetis arma ſumere, videri nolebat, ne *Maximilianum* offenderet. Cæſari, Angloque locum, vt in ſocietatem admitterentur, reliquere. De Cæſare ſpes erat incerta. Pro Anglo Cardinalis Eboracenſis legatus eius ſpondebat. Hoc fœdus à Pontifice, Italiæ liberandæ à barbaris ſpetie percuſſum, varias hominum excitauit interpretationes. Galli *vanam ſpem ſumma temeritate cumulatam dicebant: quia militari diſciplina apud Italos penitùs ſublata, Iulium, Venetoſque militaria munera haud obeuntes, ac mercenario, nec ſtrenuo milite vtentes, ſine magni nominis ducibus,* victoris victores *fore, & Gallos, Germanoſve in armis natos, atque educatos prudentibus Regibus moderantibus, ſummis ducibus bella procurantibus, Italia exterminare poſſe ſperaret? præſertim quum Iulius ætate decrepitus (ex alienis namque viribus pendebat) diuturni belli finem non videretur viſurus, cuius morte ſuſceptum bellum omnino perturbatum iri veriſſimile eſſet; quum Itali principes inter ſe non ſatis conſentirent, optandum potiùs fuiſſe, ne tanti Reges Italiæ duas extremas, eaſque primarias regiones inuaderent; proximum eſſe, quandoquidem iam inuaſiſſent, vt cæteræ intermediæ libertatem retinerent, & altero minitante, ad alterum reſpectum haberent, ne ijdem Reges inter ſe committantur, tum enim vniuerſam Italiam prædæ fore: victorem autem æmulo ſublato ſuo arbitrio imperaturum.* Hæc Galli ſpargebant in vulgus, quaſi ipſi paterna pietate rem Italam curarent, dum diſcerperent. Pontifex conſilijs ſuis nouo fœdere auctis, Hiſpanos vrgebat, vt ante omnia infeſtis armis Florentini peterentur, qui Piſano fauebant Concilio, vt ope Mediceorum à Gallo alienaret, in *Petrum Soderinum* dictatorem accẽſus, cuius ſuaſu Florentini à Gallo non diſceſſerant, & vt Piſis concilium celebraretur, auctor fuerat.

Sal Ann. 1511. *Fœderis opiniones.*

Eò *Ludouicus* Gallorum Rex ex toto re- CLI.
gno, quatuor & viginti Epiſcopos miſerat; Cæſar minimè cum Gallo conſtans, poſt Lateranenſe Concilium à Pontifice promulgatum, neminem Piſas legauit, ſed Epiſcopos ſuos Auguſtę Vindelicorum ſuper hoc negotio conſultare iuſſit; Cardinalis verò S. Crucis, & qui cum eo Piſis erant, Cæſarem, vti oratorem ſuum eò mittat, orabant. Rex *Ludouicus* ad eum miſerat *Andream Burgium* Cremonenſem, qui idem peteret, ac offenſum ipſi amplis promiſſis reconciliaret. Is ad Regem reuerſus, poſt multas de ipſo querelas, Cæſarem (cuius vxor *Blanca Maria* prid. Cal. Ian. diem obierat) poſtulaſſe refert, *vti Rex filiolam natu minorem, cum dotali Burgundia, Carolo nepoti deſponderet, puellam ſtatim*

Cæſar recuſat mittere ad Cõcilium Piſanum.

Ann. Sal. 1512.

Sal. Ann. 1512.


tim traderet, Bononienſes, Ferrarienſes, & concilij Piſani res, ipſius arbitrio permitteret, exercitum Romam verſus ire ne iuberet, neque enim permiſſurum quòd Regis potentia per Italiam extendatur. Rex cernens alienatum abs ſe *Maximiliani* animum (nam Germani Pontifices Auguſtano conuentu damnauerant Piſanum concilium) Paciſque nulla ſpes eſſet: prius enim, quàm de pace ageretur, vt Bononia, Ferrariaque ſibi reſtituerentur, ac Piſanum Concilium diſſolueretur, *Iulius* poſtulabat; & rebus verba confirmans Cardinales, Pontificeſque Gallos, qui Concilio affuerant, de gradu deiecerat: Omnis propè Italia *Ludouico* infeſta erat; Angli iam claſſem parabant. Florentini magis in *Iulium*, & *Ferdinandum* propendebant, ad quem legatum miſerant, *Ludouicus*, vti hoſtem (antequàm cum eo Cæſar ſe coniungeret) debellaret, aut operæ pretium aliquid inſigne faceret, Pontificios, Hiſpanoſque, quos in primis oderat, viribus (vt ferebatur) inferiores aggredi

CLII. *Cōcilium Piſanum Damnatur.*

decreuit, ac belli tentare fortunam; & ſi ea proſperè ſucceſſiſſet, Romam, Romanaſque ditiones quamprimùm occupare cogitabat: vtque inuidiam declinaret, & ne ſacras poſſeſſiones vſurpare videretur, bellum Concilij nomine perſequi inſtituit: hinc Concilij legatum ſuis copijs intereſſe *Federicum Seuerinatem* voluit, vt corporis, ita animi magnitudine clarum, & bello magis, quàm eccleſiæ natum. *Gaſtoni Foiſſeio* etiam iniunxit, vt fœderatorum exercitum perſequeretur, & ſi fieri poſſet, ad pugnam eliceret.

Sal. Ann. 1512. CLIII. *Gallorum ambitus.*

Vide numiſmata Pontificis, Regis & Ducis *Alphonſi*. Cum ægrè ferret *Iulius II.* in Gallico fœdere perſiſtere *Alphonſum*. Dicunt alij *Iulio* forſam infẽſi, quòd cũ Ferrariæ opes iam animo inuaſiſſet: vrbemque figendæ ſuorum dominationi aptiſſimam videret, ipſe in caſtra profectus, nulla itineris, & temporis difficultate, quo minùs id bellum perſequeretur, deterreri potuit. Nolebat quippe quenquam *contra ſtimulum ſuum calcitrare*.



Ex aduerſo *Alphonſus* Gallico confiſus patrocinio, nummos & ipſe caſtrenſes cudi fecit; quorum alter haſtam habet, caput Leonis ſuſtinens, cuius in ore apes, ſub lemmate *de forti dulcedo*. Habent namque hiſtorici Regem *Ludouicum* ſæpè teſtatum, ſe libenter omne imperium, pro *Eſtenſis* incolumitate expoſiturum.

Reliqui ſunt numi caſtrenſes Regis *Ludouici* cuſi circa pugnam ad Rauennam, comiſſam Anno 1512. *Foiſſeius* itaque & Regis auunculi mandato, & rebus antea geſtis, ac naturali gloriæ cupiditate, regnique Neapolitani (quod ei *Ludouicus* deſtinauerat) ſpe ſtimulatus, pugnam quærebat. Fœderatorum alia mens erat; antequam ſex Heluetiorum millia in caſtra conueniſſent, bellum ſubire detrectabant. Diſertè etiam *Ferdinandus* inhibuerat, ne confligerent, priuſquàm ipſe, atque Anglus è diuerſis regionibus Galliam inuaſiſſent. Tum enim *Ludouicus* militum partem reuocare coactus, certiorem

Sal. Ann. 1512. tiorem ſine cæde, ac ſanguine reliquiſſet victoriam. *Foiſſeius* verò nouo Regis accepto maturãdi belli mandato, quum fęderatos nec ad pugnã pertrahere, nec ob Flaminiæ vrbiũ commoditatem commeatu prohibere poſſet, quin potiùs ipſe prohiberetur, Rauennam oppugnandam accepit. Eodem die, quo Rauennam peruenerat, oppugnationem inſtituit cruentam. Sed en fœderatorum aduentat exercitus. Tum Galli in ordines redacti, tormenta ſtatim ad ſe receperunt, de pugna capeſſenda cogitantes. Fœderatorum diſcordia in acie inſtruenda, Gallis obtulit victoriæ palmam. Conſerta acie cecidere vtrinque fortiſſimi quique ad decem millia, quorum trientem ex Gallis, reliquos ex Italis, & Hiſpanis, qui fortiter rem geſſerant, fuiſſe memorant. Victoria penès Gallos luctuoſa ſtetim, propter & nobilium quorundam cædem. *Foiſſeius* integram victoriam haud ſibi partam arbitratus, ſi Hiſpani non fugientes, ſed quaſi victores abirent, in eos cum paucis equitibus irruit. Illi paucitate contempta, laxatis ordinibus viam venienti aperuerunt: mox vndique concluſum adoriẽtes cum ſuis ad internecionem ceciderunt, ex equo vulneratum, atque in ipſum relapſo deturbatum, haſtaque traiectum produnt. Nec longè ab illo paulò poſt *Odetus Foiſſeius* eius frater patruelis, à *Lautreco* oppido *Lautrecius* appellatus, viginti vulneribus debilitatus inter mortuos inuentus eſt, & ad ſuos relatus, ſedula medicorum opera vires recuperauit. Mortuo *Foiſſeio*, Hiſpani nemine perſequente diſceſſerunt. *Io: Cardinalis Medicei* Iulij legatus ab Epirotis interceptus, ad ſeuerinatem Piſani Concilij legatum deductus eſt. Cæſorum numerum auget *Paulus Iouius* ad viginti millia, & cladem vtrobique exæquat. *Aegidius Viterbienſis* ſcripſit terram hoc bello plus cruoris hauſiſſe, quàm imbris; minus imbris bibiſſe, quàm ſanguinis. Gallis in caſtra reuerſis, Rauennates de deditione egerunt: ſed interim dum conditiones præſcribuntur, cuſtodiaque ſibi negligentius cauent, Vaſcones, atque in primis *Iaquinus* centurionum omnium perditiſſimus, ſcalis murum, quà pridie tormentis depreſſus fuerat, conſcendentes, in vrbem irrumpunt, ſacra, prophanaque omnia compilant: ciues trucidat; vim matronis, virginibus ſacris inferunt. *Ann. Sal. 1512.*

CLIV. *Gaſto Foiſſeius victoria parta, occiditur. Effigiem vide ſupra nu. 118.*

CLV. Nuntium tantæ cladis Romam *Octauianus Fregoſius* attulit. Pontificia aula ad rumorem obſtupefacta *Iulium* rogabat, vt honeſtis conditionibus cum *Ludouico* tranſigeret. Deo ne repugnaret; iam Gallos Romam iter intendere. Contra Hiſpani, Venetique legati res non ita deſperatas eſſe, vt paucis impenſis non reficeretur exercitus. Hiſpanos pedites, cæſo hoſtium duce, euaſiſſe victores potiùs, quàm victos. Mortuo *Foiſſeio* cunctare Gallos, Heluetios iam aduentare. Reliqua omnia magis, probanda, quàm cum infamia in vilem ſe abijcere ſeruitutem. Pontifex Cardinalibus pacem velle reſpondebat, Florentinos qui cũ Rege agerent, appellari iuſſit, ita tamen vt intimos eius ſenſus nemo poſſet rimare. Gallo interim victoriam proſequi formidãte, Heluetico milite in ſuppetias Pontificis occurrente, *Iulius* vires reparauit, & V. Non. Mai. Lateranenſis Concilij initium fecit. Tanta pertinacia Heluetij cum *Ludouico* inimicitias exercebant, vt quum bellis ſuperioribus, domo non exirent, priuſquàm aliquot menſium ſtipendium acciperent, tunc florenum duntaxat ſinguli acceperunt, & alacres prodierunt in bellum. Coniunctis itaque viribus, *Ludouico* Regi aqua & igni interdixit Pontifex, niſi ille ſe à Piſano Concilio remoueret. Firmantur quoque inter *Maximilianum* Imperatorem, & Venetum Senatum, Pontifice procurante, ſex menſium induciæ. Galli tantis impares viribus, in tutum ſe recipere feſtinarunt, præcipiteſque acti Alpes verſus die, noctuque indefeſſo curſu proficiſcebantur; Heluetij, Venetique extremum abeuntium agmen continua inſectatione carpebant: ad Ticinum vrbem Gallus perueniens, portas, mœniaque præſidijs firmauit: appropinquantes poſtea Venetum, & Heluetium expectare noluit, relictaque vrbe per auerſam portam rapto agmine abijt.

Romanorum timor.

CLVI.

Galli Italia pulſi.

CLVII. *Conuentus Coloniæ.* Eodem ferè tempore *Maximilianus* Coloniæ conuentum habuit; indicta læſæ Maieſtatis pœna, nequis ex ſubditis Gallo militaret. Inter renuentes, & contumaces *Emicho* comes *Liningenſis*, proſcriptus eſt, & iuſſu Cæſaris, aliquot arcibus à Palatino multatus. Germani, qui in *Paliciæ* Gallo-

Sal. Ann. 1512. CLVIII. Gallorum Ducis caſtris erant, reuocati paruere; in ebrios etiam, cæteraque vitia in eodem conuentu ſequentia leguntur decreta. Sal. Ann. 1512.

Cæſar Gallo inſenſos.

MAXIMILIANI EDICTVM IN EBRIOS. Anno 1512.

CLIX. *IN inſtitutis à* MAXIMILIANO I. *Imper. Treuirenſibus Comitijs anno ſupra milleſimum quingenteſimum duodecimo, poſteà Coloniæ finitis, vti de grauiſſimis alioquin Imperij negotijs, de pace nimirum publica conſeruanda: de auxilijs Imperatori, communi ſubditorum Imperij contributione præſtandis: de ſchiſmate Cardinalium non tolerando: de proſcriptione Edezardi Comitis Emdani, Imperatoris mandatis non parentis: de Groninga Phryſiæ metropoli, Georgio Duci Saxoniæ reſtituenda: ita quoque de vitio ingluuiei, & ebrietatis, radice omnium flagitiorum, præſentibus omnibus Septemviris & Ordinibus Imperij, conſultatio diligens inſtituta eſt, de qua grauiſſimè concluſum, edictoq; publico confirmatum talem in modum.*

Nos MAXIMILIANVS I. *Dei gratia, electus Romanorum Imperator, &c. Quamuis ant hæc tempora aliquibus in Conuentibus aliquoties de ingluuiei vitio, ipſaque adeò ebrietate vitanda, pronunciatum grauiſſimè ſit, tamen id in effectum hactenus nondum eductum.*

Quo circa cùm ex immoderata & vitioſa ingluuie cibi potuſque ebrietas: ex ebrietate verò, tanquam vberrimo fonte & ſcaturigine pleniſſima, omnis generis impietas, blaſphemia, iniuriæ, cædes, aliaque ſcelera quàmplurima, promanent & exoriantur, ac reuerà ea ſit litium propagatio, furoris genitrix, petulantiæ magiſtra: experientia inſuper teſtetur, quòd ebrij ex ſe quaſi rapti, non ſolùm omni praeminentiæ, exiſtimationis, dignitatis, aliorumque honorum faſtigio, ſummo cum decore, & ignominia haud contemnenda, ſeipſos priuent, verùm etiam animæ, rationis, ſenſuum, fortunarum, bonorum, vitæ denique, corporis, ac ſalutis æternæ iacturam faciant certiſſimam, irreparabilemque, tenore harum vniuerſis ac ſingulis noſtris, & S. Rom. Imperij, Regnorum, Dominorum, Prouinciarumque noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut praeminentiæ exiſtant, tam Eccleſiaſticis quàm Sæcularibus, ſeriò mandamus & iniungimus, vt contumaces ac violatores huius noſtri Cęſarei mandati, ſi quos fortè compererint, pœna non contemnenda mulctari, alijſque idoneis ac opportunis medijs coerceri curent, nec id quenquam impunè violare, ſpernere aut tranſgredi permittant. Si qui verò è Nobilibus, aut Equeſtris Ordinis viris ab hoc vitio ſibi temperare minimè velint, eos cane peiores et angue abominandos, ac ab officijs & muneribus S. Rom. Imperij publicis, alijſque dignitatum tam eccleſiaſticarum quàm politicarum faſtigijs remouendos ac abdicandos ſancimus & volumus, remotoſque & abdicatos, neque promouendos, neque ampliùs dignitatibus præficiendos vllis eſſe, cenſemus & ſtatuimus. Tenuioris autem fortunæ homines pęna afficiendos capitali pronunciamus. Si quis porrò Magiſtratus ſuperior aut inferior, in exequenda hac pœna, negligentior aut remiſſior extiterit, noſtram & S. Rom. Imperij indignationem grauiſſimam, ac mulctam fiſco ſiue ærario noſtro Imperiali, omni ſpe veniæ ſublata, irremiſſibiliter ſoluendam, ipſo facto ſe nouerit incurriße. Iis verò in locis, vbi hoc ingluuiei gulæque vitium conſuetudine veteri introductum perſpiciant, ſumma cum animaduerſione, ſimili pœna propoſita capitali, illud declinent.

CONSTITVTIO DE TABELLIONIBVS.

CLX. MAXIMILIANVS *diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus, ac Germaniarum, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ & Geldriæ; Landgrauius Alſatiæ; Princeps Sueuiæ; Palatinus in Habſpurg & Hannoniæ; Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tirolis, Goritiæ, Artheſii, Holandiæ, Selandiæ, Firretis, in Kiburg, Namurij & Dusburgi; Marchio Sacri Romani Imperij Antuerpiæ, Super Anaſum, & Burgouiæ; Dominus Phriſiæ, Marchiæ Sclauonicæ, Mechliniæ & Salinarum.*

1. *Gloria Reipublicæ decuſque totius Romani Imperij, & ſubditorum vtilitas, in quorum proſperitate vtique proſperamur, Nos, qui*

ſuperna

Sal. Ann. 1512. *ſuperna prouiſione, & non noſtris meritis, ad culmen Imperialis ſeu Cæſareæ Dignitatis, & plenitudinem poteſtatis, ſublimati ſumus, inducunt, vt non ſolùm ad ea, quæ ad augmentum & ſublimationem Imperij, ſed & ea, quæ ad reformationem deformitatum, correctionem errorum, & defectuum emendationem pertinent, ac periculorum ſubmotionem, quæ in Republica aliquando contingunt, & ſubditis quotidiè imminent, aciem noſtræ conſiderationis dirigamus, hinc in initio regiminis noſtri, & ſuſceptæ adminiſtrationis in Imperio pro iuſtitia & pace conſeruanda, quæ tunc quodammodo in finibus Imperij exulauerunt, certas, per quas celerius cauſæ in iuſtitia expediantur, & illi qui pacem turbare conantur, acrius quàm antè coherceantur & comprimantur, edidimus Ordinationes.*

2. *Verùm quia nedum pro iuſtitia & pace manutenenda, ſed etiam quæ quotidiè in Republica & ſubditis occurrunt, tabellionatus ſeu tabellariorum officium perutile et neceßarium exiſtat, per quod placita, vota & geſta hominum (ne memoriæ labilitati ſeu obliuioni ſubdantur) per ſcripturæ miniſterium certæ & perpetuæ memoriæ traduntur, publiciſque firmãtur documentis. Et quamplurimi Notarij ſeu Tabelliones & ſe ſaltem officio Notariatus ingerentes in Imperio (vt per experientiam didicimus, multorumque accepimus clamore) defectuoſi & indigni inueniantur: tamen ratione conditionis & qualitatis perſonæ, tum ratione defectus etiam ſciẽtiæ & morum, ac qui aliàs multipliciter inutiles exiſtunt, utpote aliqui ſeruili conditioni aſtricti, alij de falſo, præſertim etiam circa tale officium Notariatus conuicti, aut etiam alijs criminibus irretiti, ſeu publicè diffamati, alij negligentes, nonnulli indocti & imperiti, & quorum imperitia, negligentia & malitia innumeros homines defraudari, negligi & grauari non eſt dubium. Ad obuiandum igitur huiuſmodi periculis & defectibus, neceßarium eße putamus deſuper fieri prouiſionem, viriſque doctrina & harum rerum experientia ſuffultis mandauimus, qui noſtra autoritate præſentem ordinationem compilauerunt. Quam cùm nobis obtuliſſent, eamque diligenti ſtudio perlegißemus, animaduertiſſemuſque multiplicem eius fructum & vtilitatem, ipſamque noſtra Imperiali autoritate de noſtrorum ac ſacri Romani Imperij Electorum, Principumque, & Statuum aliorum, conſilio confirmamus, approbamus, atque pleniſſimum robur attribuimus, atque per vniuerſum Romanũ Imper. diuulgari prçcipimus.* Sal. Ann. 1512.

3. *Hanc igitur ſaluberrimam reformationem & ordinationem ſtudeant Notarij publici, ad quos præcipuè pro Notariatu, officiorum exercitio, & practica ipſa porrigetur, humili deuotione amplecti, ſummaque diligentia ſeruare, ac iuxta eandem & alia, quæ ſuis in iuramentis ſuper huiuſmodi officijs præſtitis, vel etiam à iure communi, vel locorũ laudabilibus conſuetudinibus, tradita introductaq; ſunt, officia ſua legaliter, fideliter & ſincerè exercere, prout vltra damna & intereſse, ad quæ aliàs partibus à ſe neglectis vel defraudatis tenebũtur, noſtræ Imperialis Maieſtatis ſeueram euitare velint correctionẽ.*

CAPIT. I.

DE PERSONARVM QVALITATE, ET GENERALIBVS Notariorum regulis.

IN primis igitur ordinamus, quòd circa perſonas approbandorum vel denuò inſtituendorum habeatur ratio conditionum & qualitatum earundem, ne approbentur vel inſtituantur prohibiti, vtpote infideles, ſerui, infames, præſentis ordinationis & aliorum requiſitorum non informati: Item vel excommunicatione maioris vel Imperialis banni cenſuris innodati. Et in ſumma qui à teſtimonio iure repellantur, quoniam teſtium vice fungantur.

2. *Et cùm ſit de iure communique practica & conſuetudine introductum, vt ſeruetur circa publica inſtrumenta eorumque ſolemnitates talis forma, vt videlicet à principio inuocato diuino Nomine, à quo cuncta bona progrediuntur, imponatur annus ſalutis, indictio, nomen ac annus Principis, dehinc Menſis, dies, hora, locus, loci locus, deinde facti ſeu actus geſti ſeries, hinc teſtium adhibitio, quorũ ſingulorum nomina & cognomina clarè deſignentur, & finaliter ſignctũ, ſubſcriptioq; Notarij, qui ſemper debet de hoc rogari, ſeu requiri, & de rogatu ſuo atteſtari.*

3. *Mandamus ergò, præcipimus & ordinamus huiuſmodi formam vlterius ſeruari, ſaluis non minus alijs de cuiuſvis loci conſuetudine ſeruandis: Ita tamen, vt ſaltem in terris S. Romani Imperij nomen & annus regiminis, ſeu Imperij Romanorum Imperatoris vel Regis pro tempo-*

Sal. Ann. 1512. tēpore exiſtentis, nullo modo ſicut hactenus à nōnullis et malè neglectū eſt, de cętero omittantur.

4. Deinde mandamus, vt quiuis Notarius ſtudeat omnimodo habere, & quidem ſumma cū cuſtodia conſeruare, ac poſt ſe relinquere vnum protocollum, in quo per ſe ipſum, non alium, ſinguli actus coram ſe geſti, & de quibus rogatur, ordine inſcriptis redigantur, inſtrumentorumque quæ inde edita fuerint, copias de verbo ad verbū concordanter regiſtratas retineat & conſeruet, vt de perditis antea editis inſtrumentis, ſiue ante ſiue poſt mortem ſuam, quando, & quotiens alia inſtrumenta de nouo fuerint edenda, vel prætextu editorum ſuſpitio, error, dubium, vel altercatio occurrit, ad tale protocollum regiſtrumq; poſſit haberi recurſus. Hoc autem vſque adeo ſeruetur, vt huiuſmodi protocollata etiam partibus quæ contraxerunt vel egerunt conſentientibus, vel pro infectis nulliſque haberi volentibus, ſeu deleri ex libro vel cancellari petentibus, non ſaltem pro tanto deleant ſeu cancellentur, quin non minus legibilia maneant & retineantur. Quid enim ſi alterius tertij, ſiue fiſci, ſiue priuati interſit, ſeu intereſſe cœperit, rem ſic eſſe geſtam, et ex protocollo veritatem apparere poſſe.

5. Caueant etiam Notarij, ne quis ad quantumcunq; fide dignam relationē quicquam aliud plus vel minus quàm quod coram ſe & teſtibus ad hoc adhibitis actum geſtumue, atq; de quibus tempore actus huiuſmodi non antea vel poſt ex interuallo rogatus fuerit, atque etiam quod corporeis ſenſibus perceperit, eò quòd officium ſeu autoritas ſua ad alia ſe non extēdat, in protocollo ſuo ſcribat, vel deſuper inſtrumētum edat. Sed in his ſenſibus eſt habenda diſtinctio. Nam in viſu & auditu ſufficit, Notarius in pręſentia teſtium videat & audiat; in alijs verò, vt guſtu, tactu vel odoratu requiritur, quòd teſtes coram ſe guſtent, tangant vel odorent, & de qualitatibus eorum quæ per huiuſmodi ſenſus perceperint, coram partibus, teſtibus, et ſe Notario atteſtentur. De eiſdem enim ſic atteſtatis, non autem de proprio ſuo guſtu, tactu vel odoratu Notarius efficaciter poteſt teſtificari. Si tamen Notarius ſe ſimiliter ſic guſtaſſe, tetigiſſe, vel odoraſſe, atque percepiſſe addiderit, non modicum fidei facit.

6. Poteſt autem & Notarius rogari de actu muti, & ſcribere ſigna ſeu nutus eius, vtpote ſic, cùm talis propter accidens loqui non potuerit, interrogatus à me humeris vel capite innuendo conſenſit, & ſimilia. Sal. Ann. 1512.

7. Et licet ex conſuetudine Notarius tolleretur per alium fidelem (quando eſt alijs impeditus facere) ad mundum ſcribere inſtrumentum à ſe dictatum et completum, poſtea per ſeipſum ſubſcribendum & ſignandum, tamen Protocollum ſuum ſeu extenſionem eius per ſe ipſum, non per alium facere: vel ſi ex aliquo accidenti pro tunc ſcribere non poſſit, ea vice alteri extendendum de verbo ad verbum pronunciare, & in ſubſcriptione de huiuſmodi impotentia & alterius ingroſſatura atteſtari debet.

8. Et quamuis non requiratur plena, & tanta extenſio Protocolli, ſicut inſtrumenti inde extracti, tamen Notarij debent ſaltem breuibus et ſūmarijs verbis ſubſtantiales clauſulas ipſius actus aut contractus, etiam iuxta cuicumque contractus ſeu actus naturam, vel loci conſuetudinem ſolitas, & ſignanter clauſulas reſignationum præiudicialium attingere.

9. Nam cùm conſenſus et intentio contrahentis vel agentis ſit de ſubſtantia contractus ſeu actus celebrati, ſingulorumque, de quibus conuenerunt partes, etiamſi ſolita ſint apponi, neque talis conſenſus porrigatur ad ea quæ quis ignorat, requiritur quod Notarius coram ſe & teſtibus ſaltem ſummariè recitet ac legat partibus pacta, renunciationes & clauſulas ſingulas, ſuper quibus fundatur Ius ipſius coram ſe geſti, ac conſenſum deſuper exprimi curet. Licet enim Ius præſumat contrahentes ſingulis quæ ſecundum contractus naturam uel loci conſuetudinem ſolent apponi, conſenſiſſe, etiamſi ex Protocollo non appareant, neque à partibus exprimantur, nonnullique velint à Notario hoc non requiri: tamen tutius & æquius eſt ſic obſeruari propter multa. Præterea Iudicis eſt, non Notarij, ad præſumptionem ſcribere, ſed de his ſoliſque corporeis ſenſibus percipiuntur, vt ſuprà dicitur, quum ad inſtar teſtis Notarius ſcribere debeat.

10. Maximè autem iſta ſunt ſeruanda in contractibus & actibus, in quibus ſcriptura eſt de ſubſtantia, imò extunc, requiritur vt coram contrahentibus & teſtibus de verbo ad verbum ſingula relegantur: quia antequam ſcriptura compleatur, & à partibus pro completa habeatur, contractus non cenſetur perfectus vel efficax: Poſtea verò quicquam addi, detrahi, vel mutari, etiam de partium conſenſu non poteſt.

Sal. Ann. 1512.

11. *Poterit tamen Notarius de his, quæ partes mutare, addere vel detrahere vellent, denuò rogari, & deſuper facere inſtrumentum, prioribus geſtibus manentibus in Protocollis.*

12. *Præcipuè autē ſint cauti Notarij à fraudibus & fallacijs aliquorum, ſiue coram eis contrahentium, ſiue aliorum, qui ſimulantes ſe Notarios à laborum prolixitate releuare velle per ſe vel alios ſubordinatos dictant inſtrumenta ex inebriatura ipſis edenda, & ad mundum ſcribi faciunt, ac poſtea offerunt Notarijs ſubſcribenda & ſignanda. In eis enim ſæpè dolosè & in præiudicium aliorum ſecum contrahentium rei geſtæ detrahunt, vel addunt quæ ſenſum vel ſubſtantiam immutant, quod facile quandoque vno verbo, vna ſyllaba, imò interdum vna litera fieri poteſt, & tam inaduertenter & ſubtiliter, quòd vel Notarij, vel alij ſecum contrahentes vix, vel nullo modo ſentire poßunt. Ex quo ipſi Notarij intelligant quàm periculoſum eſſet Protocolla ſeu inbreuiaturas ſuas per alios, maximè alteri parti ſuſpectos, vel qui actibus protocollatis non interfuerunt, extendi facere.*

13. *Secus tamen eſſet, ſi antequam contractus ſeu actus abſolueretur, ſeu concluderetur talis extenſio ſiue ab ambobus contrahentibus, ſiue altero eorum fieret, & poſtea coram ipſis & Notario et teſtibus legeretur, & vbi ſic placeret contrahentibus, ex tunc Notarius rogaretur. Poßet enim tunc Notarius ſecurè ſcribere, partes iuxta iſtam extenſam formam ipſis lectā & approbatā corā ſe et teſtibus requiſitis cōtraxiſſe et egiſſe, ac cæteris protocollis ſuis adiūgere atq; poſtea publicare.*

17. *In ſumma maximo ſtudio aduertāt Notarij, ne circa protocollorum ſeu abbreuiaturarū impoſitionem feſtinent ſeu præcipitanter agant, ſed cum diligentia & conſideratione clauſulas quaſuis protocollent. Nam tota officiorum, iuramentorumq; ſuorum deſuper præſtitorum vis & ſubſtantia in hoc cōſiſtit, vt benè diligenterq; aduertant & intelligant coram ſe geſta, & de quibus rogantur, & ea quæ viſu audituque proprijs in teſtium ſimiliter animaduertentium præſentia perceperint protocollent, & publicent, ſincerè ac fideliter, ſiue vel veritatis occultatione, vel falſitatis admixtione quauis, adhibitis ſolēnitatibus à Iure vel locorum, in quibus inſtrumenta faciēt, conſuetudinibus introductis, vt ſuprà dicitur.*

18. *Notarius autem ſeu Tabellio, cū ſit Reipublicæ ſeruiēs, virtute ſui officij tenetur de et ſuper his de quibus ſaltem cum mercedis præſtatione rogatur (dūmodo aliàs ſint licita & non prohibita) facere inſtrumēta, niſi ſit factus Doctor, Decurio, Monachus vel clericus. Veruntamen ijdem ſi ſe rogari permiſerint, tenentur imbreuiaturas ſuas publicare, valentq; inſtrumenta eorū. Poſſunt tamen pro his, quibus vltrò ſe ingerunt, tanquam prohibitioni contrafacientes puniri.*

Sal. Ann. 1512.

19. *Sciant etiam Notarij, eorum nullum poſſe officio ſuo renunciare, niſi in manus Principis, cuius authoritate eſt creatus: Vel ſignetum ſuum conſuetum ſaltem ſine Iudicis authoritate, cauſaque rationabili mutare, aut inſtrumentum alieno ſigno ſignare.*

20. *Et quamuis Notarius Protocollum ſiue abbreuiaturam ſuam extendere, et omnia ponere quæ declarant mentem contrahentium vel teſtatorum citra ſubſtantiæ mutationem poſſit: tamen alterius ſiue viuentis ſiue mortui protocollum ſeu abbreuiaturam etiam ſibi legatam extendere, ſeu huic quicquam addere vel detrahere, ſeu aliter quàm de verbo ad verbum in publicam formam redigere ſine auctoritate Iudicis non poteſt nec debet cum extenſo, & quid ſub iſto ſigno &c. vel alijs diſectuoſis, vel abbreuiatis verbis fortè inibi poſitis comprehendi intelligatur, ad Iudicis, non Notarij æſtimationem ſpectet.*

21. *Aduertant etiam Notarij, quòd quando in extenſione & ingroſſatione inſtrumentorum raſuras maximè notabiles & in locis ſuſpectis, in vna uel pluribus rigis faciunt vel verba interlinealia, ſeu ad margines apponunt, à quibus quantum poteſt cauendum eſt, quod ex tunc in corpore inſtrumenti, vel ſaltem ſubſcriptione de his faciant mentionem & approbationem. Et hoc maximè quando talis interlineatura eſt ſcripta ad marginem facta, non eſt manus propria ipſius, qui inſtrumenti tenorem ingroſſauit.*

22. *Item Notarij caueant, quia præſenti ordinatione prohibentur ſcribere inſtrumenta ſua nimis abbreuiata vel obſcura, vel ambigua verba, quæ vitiant inſtrumenta, nec per ziferas, ſigna, vel notas, maximè non communiter omnibus cognitas, cum facilè poſſint mutari & corrumpi, ſed ſcribant per literas integras, communes, legibiles & cognitas, in pergameno, non papyro, in Latina, uel noſtra Alemanica lingua.*

23. *Si caſu amittatur alicuius Notarij protocollū, & de hoc doceatur, poterit Notarius agere contra detinentem inſtrumenta prius inde extra-*

cta,

Sal. Ann. 1512. *cta, vel ſi haberi non poßunt, examinari facere teſtes, qui interfuerunt, & inde nouum facere protocollum.*

24. *Sint etiam Notarij circa inſtrumentorum editionem et publicationem diligētes et cauti, ne cōmittāt errores, cùm partes inde ad plures incōmoditates, pericula, et expenſas ſæpe deducātur, quas ſine dubio ipſi errantes refundere tenebūtur.*

25. *Quòd ſi verò ſiue probabiliter ſiue improbabiliter contigerit aliquē incidere errorē, ſiue in ſolemnitatibus, ſiue nominibus, locis, temporibus, ſubſtantia, ſiue alijs, tutius eſt vt ſaltem poſt editionem, cùm Notarij poſtea videantur functi ſuo officio ad euitandas ambiguitates diſputationū et altercationes varias, nō ſua, ſed Iudicis deſuper aditi autoritate errores huiuſmodi emēdētur.*

26. *Poſſunt etiam Notarij actuum coram ſe geſtorum, dum modò tamē ab eo vel his, de cuius vel quorum voluntate dependent actus huiuſmodi deſuper tempore eorūdem actuum rogati fuerint, ſine trepidatione alteriuſque autoritate, imò tenentur ſub pœna in Iure expreſſa edere inſtrumenta eis qui rogarunt, ſeu eorum Procuratoribus, hæredibus, ſucceßoribus, vniuerſalibus vel ſingularibus ſaltem ſemel. Sed quando ſæpius eiſdem vel alijs petentibus et prætendentibus ſua intereſſe, maximè vbi quæſtio, ſeu dubium deſuper eſſet vel timeretur, aut alijs periculum ſeu preiudicium ex tali editione veriſimiliter immineret, tutius ac conſultius eſt propter varias in hoc opiniones, vt Notarij faciant ſe citari coram Iudice, cuius autoritate vocatis vocandis editionem huiuſmodi faciant vel denegent.*

27. *Notarij autem ſciant, ſe non de nocte, niſi ex vrgente cauſa quam exprimant, vel in locis occultis, ſeu clam rogari, vel inſtrumentari debere, cùm hoc non ſine ſuſpicione procederet.*

CAPIT. II.

De Teſtamentis.

Debent autem Notarij præcipuè eſſe ſolliciti & diligentes circa Teſtamentorum & aliarum vltimarum voluntatum confectiones, propter magna ex eis imminentia præiudicia. Sunt enim ſecundum ſacratiſſimas leges teſtamentorum genera duo: alterum quod fit in ſcriptis ſeu mediante ſcriptura, clauſa ſeu inuoluta: alterum verò & communius, quod per ſolam nuncupationem ſine ſcriptura, vel aliqua literali ſolemnitate fieri ſolet, & ideo nuncupatiuum dicitur, neque ſcripturam de ſua eſſentia requirit. Item poteſt & tertium genus adhiberi, quòd fit à cæco cæcaue per nuncupationem, tamen non ſine ſcriptura, vtpote tam à Notario quàm teſtibus adhibitis, & rogatis proprijs manibus ſubſcripta ſingulorumque ſolitis ſignetis ſignata. Ann. Sal. 1512.

2. *Et aduertant ipſi Notarij, quòd ad ſingulorum teſtamentorum præmißorum genera cōficienda requiruntur ſecūdum leges, teſtes ad minus ſeptem, incluſo ipſo Notario. In Codicillis autem, in quibus legata & fideicommiſſa relinquuntur ſine hæredū alicuius inſtitutione, vel in donationibus cauſa mortis, & in rure, vbi ruſtici teſtantur, & plures haberi non poßunt teſtes ad minus quinque. In parentum autem inter liberos, vbi nullum aliud teſtamētum procedit, quod infirmandum ſit, & in militum caſtris, non autem bellicis expeditionibus exiſtentium teſtamētis remittitur numerus teſtium vſque ad duos.*

3. *Milites autem in expeditionibus bellicis exiſtentes etiam ſine omni ſolemnitate vel teſte, quocunque modo velint teſtari, poſſunt: non autem exiſtentes in talibus expeditionibus ſeu caſtris, iure communi teſtantur.*

4. *Requiritur etiam quòd in teſtamentis non ſolùm rogentur teſtes, ſed ſpecialiter ad actus huiuſmodi teſtandum vocentur, & adhibeantur, vel ſaltem ſi caſu illinc ſint, ad hoc premoneātur.*

5. *Item requiritur in omni teſtamēto, quòd teſtator teſtatrixue verbis intelligentibus loqui aut ſcribere ſciat. Nam neutri eorum ſciens mortuo ſimilis in hoc reputatur, & teſtari non poteſt.*

6. *Præterea etiam requiritur in omni teſtamento, etiam nuncupatiuo, ut ſingula geſta in notam iam recepta relegantur coram teſtatore, teſtibuſque, antequam ab inuicem receſſerint.*

7. *Caueant ergò Notarij ſe ab his, qui neque articulatim & intelligibiliter loqui, neque ſcribere poſſunt, cùm ſint inteſtabiles.*

8. *Videant autem Notarij teſtamentis adhibiti, & etiam teſtari volentes, quos adhibeant teſtes, quia multi prohibentur adhiberi, vt regulariter omnes qui ſunt actiuè vel paſſiuè inteſtabiles: & præterea mulier, hermophroditæ, in quibus muliebria præcellunt, in poteſtate teſtantis exiſtens hæres ſcriptus, et cum eodem in eadem exiſtens poteſtate. Vnde conſulitur vt ad requiſitum numerum teſtes alij recipiantur, ne propter aliquorum inhabilitatem teſtamenta irritentur.*

9. *Teſtamenti autem in ſcriptis (quod magno in vſu amplius non eſt, ſed ab eo fit, qui in eius vita neminem ſuæ vltimę voluntatis conſcium eſſe*

Sal. Ann. 1512.

eſſe vult) talis eſt forma: Producit teſtari volens in medium coram teſtibus ſeptem ad id ſpecialiter conuocatis ſeu præmonitis & rogatis viris, liberis, puberibus, omnibus ſimul præſentibus ſcripturam conſignatam vel ligatam, vel tantùm clauſam vel inuolutam, ſiue ipſius teſtatoris, ſiue alterius cuiuslibet manuſcriptam, offertque illā iſtis teſtibus à ſingulis eorum ſubſcribendam, & ſignatis ſuis ſolitis ſignandam: dummodò tamen apertè dixerit, ſuum eſſe teſtamentum quod offertur, ibique coram teſtibus ſua manu propria ſubſcripſerit: vel ſi ipſe ſcribere neſciat, vel tunc non poſſit, alterius octaui teſtis manu, nomine et iuſſu ſuo, in reliqua parte teſtamenti ſubſcribi faciat. Tunc eodem die & tempore nullo interuallo, vel etiam actu extraneo, niſi fortè neceſſitatis cauſa, & modico interrumpente per ſingulos ſeptem teſtes proprijs ſuis manibus ſubſcribitur, & ſigillis ſuis ſeu ſignis ſolis ſignatur.

10. *Teſtamenti autem nuncupatiui forma eſt: Quia teſtari volens eius vel eorum, quem ſeu quos hæredem ſeu hæredes ſuos eſſe velit, legatariorumque nomina, et ea quæ in eo contineri vult, coram ſeptem teſtibus ad hoc vocatis & rogatis palam & dilucidè nuncupat & exprimit.*

11. *In cæci autem teſtamento requiruntur ſubſcripta, primò quòd tam Notarius quàm teſtes ſeptem ad hoc vocentur, et cuius cauſa vocati ſint, certificentur: Secundò, quòd teſtator hæredem ſeu hæredes à ſe inſtituendos, & nedum nomen ſeu nomina, ſed & dignitates ſeu conditiones alias eorundem pro tanto, quod propter ſolam nominis ſeu nominum expreſſionem nō oriri poſſit ambiguitas, et præterea aliam ſuam voluntatem tam circa eorundem hæredum inſtitutiones, quàm ſubſtitutiones, fideicommiſſa atque legata coram ipſis Notario & teſtibus clare exprimat. Tertiò, quòd tabellio, vel ſi is haberi tunc non poſſit, octauus teſtis vocatus vice eiuſdem, atque teſtes ſinguli per teſtatorem ad hoc rogati, vno & eodem tempore, loco, & nullo interuallo ſeu actu extraneo, niſi forte modico, & neceſſitate naturæ interueniente, ſeſe in fine vtpote in margine inſtrumenti inferiori ſubſcribant, ſimulque conſignent. Poteſt autem teſtari volens vel in ipſo actu coram teſtibus, vel ſi magis placet, antea per alium quemcunque voluntatem vel teſtamentum ſuum dictari & ſcribi facere, & poſtea coram teſtibus & tabellario, prius patefacta, cuius cauſa vocati ſint, chartulam ipſam coram ſe & teſtibus recitare: & vbi tenor eius omnibus notus fuerit, profiteatur teſtator elogium ſuum id eſſe, & ex animi ſui, quæ lecta ſunt, diſpoſuiſſe ſententia, & in fine ſequantur ſubſcriptiones atque ſignacula, tam teſtium vt prædicitur ſingulorum, quàm tabellarij.*

Sal. Ann. 1512.

12. *Poteſt etiam vnus vel plures, ſi proprijs ſignis carerent, alterius ſeu aliorum ſigno vel ſignis in hoc vti.*

13. *Iſtam autem formam non ſolùm in teſtamenti cęci, ſed codicillorum vel aliarum vltimarum voluntatum confectionem obſeruari neceſſe eſt.*

14. *Scituris omnibus Notarijs, quòd præfatas teſtamentorum formas à lege traditas diligenter obſeruare negligentes, præter hoc quòd teſtamenta aliter facta de iure ciuili non ſubſiſtunt, etiam iuris pœnas non euitabunt.*

De inſinuatione literarum Imperialium. CAPIT. LI.

Circa Imperialium autem, vel Cameræ noſtræ Cæſareæ Iudicij literarum citatoriarum, vel quarumcunque aliarum continentium inſinuationes, ſi quis deſuper rogatus fuerit, aduertat, vt ſub præſtito in officio ſuo fidelitatis iuramento literas huiuſmodi originales illi vel illis ad quem ſeu quos diriguntur, retento tamen penes ſe toto tenore inde deſcripto, et poſtea in inſtrumento inſinuationis integrè inſerendo, in perſonam ſeu perſonas proprias, vel ſi commodè haberi non poſſunt, ad domum ſeu domos ſolitæ habitationis eorundem, vel per edictum per Iudicem decretum præſentent, legant, inſinuent, atque illi relinquant quàm fideliter.

2. *Quòd ſi verò ac quotiens contigerit, aliquas tales literas plures perſonas in diuerſis reſidentibus domibus ſeu locis continere, quibus ſingulis facienda ſit præſentatio, ſeu inſinuatio earundē, ſciant Notarij huiuſmodi præſentationem, et inſinuationē ſingulis eorū, de quibus rogati fuerint, cum oſtenſione et lectione originaliū eſſe faciēdū, modū et forma præmiſſis, relicta et tradita cuiq; eorum copia collationata et concorde, niſi forte in vna ciuitate ſeu villa, in diuerſis tamen ædibus habitantes paucioribus copijs fuerint contenti.*

3. *Præſentationum autem ſeu inſinuationum ſuarum huiuſmodi & earum, dies, menſes, annoſque & loca ſingula, & ſi fortè aliquis, cui fit inſinuatio, ſe parere nolle, vel in Imperatoris vel Iudicij Camerę contemptum ſeu ignominiam irreuerenter verba proruperit, inſtrumentis ſuis*

tam

Sal. Ann. 1512. *tam his, ad quarum inſtantiam, quàm illis quibus facta fuerit præſentatio ſiue inſinuatio edendis vna cum literarum inſinuatarum tenoribus integris referāt & atteſtētur ſincerè & fideliter.*

De conſtitutionibus Actorum & Procuratorum.

CAPIT. IV.

In conſtitutionem autem tam actorum, quæ à Tutoribus vel Curatoribus minorennium ante lites conteſtatas, & quidem cum autoritate et decreti interpoſitione Iudicis fiunt, & fieri debent, quàm Procuratorum ad lites, attendant benè Notarij, cùm ad Iudicium Imperiale veniant quotidiè inſtrumenta procuratoria defectuoſa, vt quantum tam ad actus ſpecialia requirentes mandata, quàm alias clauſulas apponi ſolitas & conſuetas, de quibus etiam vulgaris habetur forma, benè extendantur inſtrumenta cum clara ſpecificatione quem vel quos conſtituent, ſiue in ſolidum, ſiue coniunctim, ſiue diuiſim Procuratores velit habere, ita, quòd non ſit melior conditio vnius quàm alterius ſeu aliorum. Sed quicquid vnus incęperit, alter id continuare poſſit, mediare, & finire: videlicet ad agendum, defendendum, libellandum, litem conteſtandum, iurandum de calumnia, & aliud quodcunque licitum iuramentum præſtandum, ponendum, articulandum, poſitionibus aduerſis etiam per iuramentum reſpondendum: Teſtes & alias probationes producendum, excipiendum, replicandū, duplicandum, triplicandum etc. concludendum, ſententias audiendum, ad appellandum & prouocandum: Si ad Iudicia inferiora diriguntur, Apoſtolos petendum, recipiendum, appellationes cauſas proſequendum, aliū vel alios loco ſuo ſubſtituendum, iſtos reuocandum, & iterum totiens quotiens ſubſtituendum &c. Et generaliter omnia & ſingula &c. faciendum cum promiſſione & cautione ſolitis de rato & releuando, ſub omni conſtituentis rerum & bonorum obligatione, & hæc omnia in extenſa communique forma.

2. *Et quia multum nunc inoleuit practica, vt iuretu[illegible]alumnia, idemque iuramentum plura in ſe contineat capitula, qu[illegible]unque iſta in animas ſuas iuranda mandantes ignorant, neceſſe eſt vt de his ſingulis informentur, & in inſtrumentis poſtea inſerantur. Sunt enim capitula à iure tradita, & in Iudicio Cameræ exprimi ſolita, vt tam actor quàm reus per ſe, vel ſuum Procuratorem iuret, quòd credat ſe iuſtam habere cauſam litigandi, quòd protelandi cauſa, ſeu fraudulenter dilationes non petat, quotienſcunque interrogatur veritatem non occultet, & quòd alijs quàm quibus ius permittit, nil penitus donet vel promittat, quo pro ſe ſententiam obtinere poſſit, dolo & fraude omnino ſemotis.* Sal. Ann. 1512.

3. *Iurat autem articulos ſeu poſitiones ſuas offerens, ſi petit & vult quòd aduerſarius per iuramentum reſpondeat ſic, quòd contenta in eis, quantum factum proprium concernunt, vera ſint, & quantum alienum continet factum, quòd credat ea eſſe vera & probabilia.*

4. *Reſponſurus autem iuret, ſe reſponſurum veritatem, vtrum credat vel non credat ea quæ ſibi obijciuntur eſſe vera.*

De inſtrumentis Appellationem.

CAPIT. V.

De Appellatione autem et formalibus ſuis, in quibus plures & quotidiani occurrunt defectus, Notarij ſcire debent, quòd de Iure ciuili & ordinatione S. Romani Imperij omiſſo medio vel ab interlocutoria ſeu grauamine, quòd poſtea mediante appellatione à diffinitiua eſt reparabile, regulariter non appellatur. In caſu autem præmiſſo appellare volens ab interlocutoria, eam in ſcriptis, & cum cauſarum grauaminis inſertione faciat, cùm ex cauſis alijs iuſtificari nō poſſit.

2. *A diffinitiua verò vbi appellari nō prohibetur, ſine cauſæ ſeu cauſarū grauaminis expreſſione appellari poteſt, & quidem verbaliter et ſine ſcriptis, dummodò in continenti poſt ſententiam latam, hoc eſt, antequam diuertatur ad alia, fiat, poſtea tamē in ſcriptis redigēda: alioquin autē ſi ex interuallo appelletur, in ſcriptis fieri neceſſe eſt.*

3. *Et in ſumma ſciant & aduertant omnes Notarij, quod ipſi debent eſſe Iuriſperiti in his ſaltem, quæ Notariatus officium reſpiciunt, hoc eſt, ſummam Notariæ, ad hoc vt ſciant, partes coram ſe contrahentes ſeu agentes, de ſolemnitatibus & clauſulis ad contractus & actus huiuſmodi, earumque validitatem requiſitis certificare, & ſe à contractibus & actibus à Iure reprobatis et prohibitis abſtinere, cùm aliàs teneātur de imperitia & partibus læſis ad intereſſe.*

4. *De præmiſſis igitur tanquam pro generalioribus principijs atque cunabulis quibuſdam traditis non ſtent adeo contenti Notarij, quin in dies diſcant & aduertant alia à Iure circa tabellionatus officium tradita, & quæ ſecundum locorū, in quibus actus huiuſmodi geruntur, conſuetudines introducta ſunt, & circa difficultates ſeu ambiguitates in actibus coram ſe gerendis*

pro

Sal. Ann. 1512. *pro caſuum varietate & diuerſitate quandoque occurrentes ad peritiores recurrant, ne imperitia culpaque eorum alijs noceat, quia de his tenentur, vt ſuprà monſtratum eſt.*

Datum in Ciuitate noſtra Imperiali Colonienſi, octaua die menſis Octobris, Anno à Natiuitate Domini milleſimo, quingenteſimo, duodecimo: Regnorum noſtrorum, Romani vigeſimo ſeptimo, Hungariæ verò vigeſimo tertio.

Per Regem
Ad mandatum Dñi Imper. proprium
Sernteiner ſſt.

Ad bellica redeamus. Gallo abeunte, Veneti Vallegium, Aſulam, Piſcheriam primis aggreſſibus quum cępiſſent, Benaci lacus oppida ferè omnia ad Rempub. rediere: ad Cremonam poſtea itum, quam vrbem Cardinalis *Sedunenſis*, excluſo Veneto arroganter occupauit. Crema, *Benedicti Criuelli* fauore, qui Gallicæ cohortis in oppido præfectus erat, ad Venetos redijt. Brixiam cum *Cardonius*, Regis *Ferdinandi* nomine temerè occupaſſet, Papam Veneti conuenere, is verbis videbatur fęderis ſacramentum intemeratum velle; ſed aduenięte *Gurcenſi* Epiſcopo, legato Cęſareo, & pacem Cęſaris nomine ea lege dante, ſi Cęſari præter eas, quas habebat, Vincentiam traderent, triginta aureum nummum millia quotannis, cenſus nomine ſoluerent, cum (*Gritto* inſtigante) illi ſubſcribere recuſarent, neq; *Gurcenſis* de poſtulatis quicquam remitteret; Pontifex, qui ad diſturbandum aduerſariorum concilium, Cæſaris auctoritate opus habebat, fœdus ſeorſum à Venetis, in hunc modum percuſſit. *Cæſar, Piſani conciliabuli actionibus antiquatis, Lateranenſe concilium approbaret, Alphonſo Ferrariam & Bentiuolis Bononiam retinentibus, opem ne ferret, Germanos ab illius ſtipendijs reuocaret. Pontifex Venetos hoſtium loco haberet; ſacris profaniſque armis, quoad omnia ſua recuperaſſet, Cæſarem iuuaret; nullam eo inconſulto, pacis actionem, cum illis inſtitueret; neuter abſque alterius conſenſu cum quoquam noua fœdera, ſocietatemque contraheret; regi Ferdinando ſuus in hoc fœdere locus relinqueretur.* His ita conuentis, & publice promulgatis, *Gurcenſis* Lateranenſe conciliũ, proximo conſeſſu, præſens comprobauit, Piſano reprobato conuentu. Impetratis poſtea in Venetos monitorijs, Roma diſcedens, *Maximiliano Sfortiæ*, qui iã ex Germania Veronam veniſſe dicebatur, obuiã profectus (cum is *Sedunenſi* Cardinali inſtigante, non expectato illius aduentu, Cremonam abijſſet) eò & ipſe aſſecutus Mediolanum vſquè deduxit. Ibi magna cum omnium lætitia, ſolemni ritu inauguratus eſt *Sfortia*. Suſpice nummos triumphales patroni, & clientis. Symbo-

Margin notes: CLXI. — *Diſcordia fœderatorum.* — *Sal. Ann. 1512.* — *Gritti effigiem inſpice num.* 163. — CLXII. *Fœdus Papæ cum Cæſare in Venetos.* — CLXIII. *Maxim. Sfortia Dux Mediol.*



lum Ducis elegans eſt, quo ad magnas quidem res capeſcendas præclarè ſe animatum oſtendit: deſperare verò de votis animi ſui, ob vitæ breuitatem, complendis. Sic *formica* auſu, niſuque præclaro ad Cælum vſque reptare conatur, vita verò ſpirituque deſtitui-

tur

Sal. Ann. 1512. tur ante, quàm finem optatum aſſequatur. CLXIV. Agebaturque eodem tempore crebris internuncijs de nuptijs inter *Maximilianum* Imperatorem, & *Ludouicum* Galliæ Regem, cuius filiam Renatam *Carolus*, ſeu *Ferdinandus*, Auſtriæ Principes ex *Philippo* patre geniti, qui *Maximiliani* filius fuit, in vxorem acciperet, Mediolanumque, & omnis Ciſalpina Gallia dotis nomine traderetur: nulla tamen concluſio ſequuta eſt. Nam ad Heluetios ex tota fermè Italia, exteriſque Regibus Legationes aduenere, quibus bellicoſæ gentis ſocietas expetebatur, ad occupandum Mediolani principatum, quem *Maximilianum Sforcia* ex Illuſtriſſima Galeatij, & *Ludouici* proſapia ortus, hæreditario iure ſibi meritò vendicabat: eum autem Germani, Hiſpani ſibi ſocijs Helueticorum armis aſciſcere tentabant, cum & idem Francorum Rex moliretur. At illi in Badenſi concilio, reiectis magno animo Regum poſtulatis, *Maximilianum Sforciam* in principatu retinere armis CLXV. ſtatuerunt. Qua ſpe deiectus *Ludouicus*, aut cum Cæſare, aut cum Venetis ſibi conueniendum eſſe duxit. Id præſentientes fœderati, in primiſque *Gurcenſis* Vicentiam toties denegatam Venetis permittebat: at illi, qua de cauſa ſententiam *Gurcenſis* mutaſſet, con-

CLXVI. *Vincentia oblata Veneti Veronam petunt.* ijcientes, animoſque tollentes, vt Veronam quoque, ſed ingenti pecunia redimēdam, reciperent, inſtiterunt: qua non impetrata cum *Ludouico* priſtinum fœdus, quo Cremonam, Abduanamque Glaream accipere debebant, renouare decreuerunt; ſequeſtre *Poncherio* Senonenſi Præſulæ, Venetos Cæſari præferebat: præſertim quòd Cæſarem non ita pridem in priuato colloquio dixiſſe conſtabat, ſe decem & ſeptem iniurias ſibi à Gallis illatam data occaſione vlturum. Ex aduerſo *Anna* Regina, cum eis, qui *Renatam* filiam *Carolo* nepoti *Maximiliani* collocare cupiebant, ita diſſerebant. *Ambitionem, atque vtilitatem apud eos, qui rerum potiuntur, ſemper locum principem obtinere, cæteras animi affectiones iſtis plurimùm pollentibus cedere, ac poſthaberi: quod maius beneficium accipere Cæſar poteſt, quàm ſi ſumpta de Venetis vltione ſua reciperet, & ad nepotem Carolum principatum Mediolanenſem transferat? Hiſpanum Ferdinandum vel nolentem Caroli item nepotis vtilitati ceſſurum, & ad eandem ſocietatem vltro acceſ-* *Sal. Ann. 1512.* *ſurum. Quid porrò magis Iulium Pontificem perterrefaciat, quàm ſi tantos principes ſibi inuicem reconciliatos, & tam arcta affinitate coniunctos videat? Venetam penitus indignam videri, qua Cremonenſem, Abduanumque agrū dimidiatam fere Ducatus Mediolanenſis partem iterum recipiant, pro quibus recuperandis totum prope Chriſtianum orbem* Ludouicus cō*mouerit: nec eorum auxilia tanti eſſe, ut inde aliquam de cæteris fœderatis victoriam ſperare debeant.* Hæc potior viſa fuiſſet ſententia, niſi *Renatam* ſibi ſtatim in manum tradi Cæſar perſtitiſſet; quàm *Carolo* pactam quoad matura viro fuiſſet, aut ſaltem annum duodecimum impleuiſſet. Hinc *Aſparrus Lautrecij* frater, qui cum hiſce mandatis ad Gurcensē proficiſcebatur, ab itinere reuocatus eſt. At *Ferdinandus* Venetos Vallis reconciliari moleſtè ferens, Veronam reddendam; & Burgundiam Venetorum pecunia redimendam author erat: Eiuſque ſolicitudine oſtenſus Cæſar, dixiſſe fertur, cum legatos *Ferdinan-* CLXVII. *di* verba facientes de Venetorum cauſa audiret, *Venetorum ſibi legatos potiùs, quàm Ferdinandi eos videri*. Inducias tamen ad finem Aprilis prorogari conſenſit. Pontifex pœni- *Iulij Papæ* tentia ductus, ſeipſum tacite incuſabat, quòd *mors.* tam durus, & illiberalis in Venetos fuiſſet, hominumque ſermonibus non parum angebatur, dicentium Venetis occaſionem dediſſe, Gallos euocandi in Italiam: quare in dies magis dolore confectus, vbi ſomnique incapax, ægritudine conſumptus interijt. Succeſſorem habuit *Leonem X.* qui ſtatim occultè cū *Maximiliano*, & *Ferdinando* in Venetos con- CLXVIII firmato fœdere, conuenit, vt reliqua terre- *Ferdinan. Dux Auſtriæ.* ſtris Venetorum ditio armis deuicta, *Ferdinando* Auſtriæ Duci nepoti Cæſari traderetur. *Ludouicus* etiam Gallorum Rex ad bellum Italicum reſumendum accenſus, cum Venetis CLXIX. ſocietatem coiuit; vti *illi decem peditum mil-* *Galli fœdus cum Venetis.* *lia, octingentos grauis mille quingentos leuis armatuer equites pro Genua, Aſta, Mediolanenſiq; principatu recuperando mitterent.* Ludouicus viciſſim *mille quingentos cataphractos, octingentos leuis armaturæ equites, octo Germanorum, ſeptem Gallorum peditum millia in armis haberet, opemque ferret, donec quicquid ante Cameracenſe fœdus in Gallia Tranſalpina,*

Tauri-

Sal. Ann. 1512.

Tauriſanoque agro (Tranſpadanam vocant Italiam) *Veneti poßediſſent, in ſuam poteſtatem redegißent.* Valido itaque contracto exercitu profectionem Galli parabant; Liuianus interim Piſcheria, & Valegio receptis. Cremonam tentauit, & Brixiam. Mox Galli numero viginti mille, mira celeritate Alpibus ſuperatis, *Tramuliæ*, & *Triultij* Ducum auſpicijs in Italiam deſcendentes, Nouariam oppugnarunt, vbi *Maximilianus Sforcia* cum quatuor Heluetiorum millibus præſidio aderat. Hiſpani milite validi ſtudebant ad Placentiam, Padum, & Trebiã iungere ponte, vt cum Heluetijs arma ſociarent. Ex aduerſo Veneti obſtare, ne iungerentur caſtra. Cumque acies inter Gallos & Heluetios breui immineret, canes ingenti numero, qui heros ſuos in bellum ſequuti fuerant, è Gallorum

Nota de canibus.

ſtatione in Nouariam, ac proxima caſtra ad Heluetios celeri tranſiere curſu, eorumque pedes ore lambendo, caudaque eblandiendo, quaſi futurorum præſcij, ſe ſe victoribus ſubmittebant. Heluetij hoc quaſi oſtento freti, intrepidè prodierunt in aciem. Pugna primùm leuis, mox crudelis exarſit, diuque circa bellica tormenta dimicatum eſt, quæ Gallo adimere ferox contendebat Heluetius. Mox ex Nouaria Heluetiorum erumpente phalange, laborantibus opem latura ſocijs, Gallorum reprimitur impetus, cædeſque eorum ingens edita. Retulit Heluetius victor opima ſpolia; ex Gallis deſiderantur ſupra decem armatorum millia: ex Heluetijs circiter mille quingenti, inter quos *Mottinus* eorum fortiſſimus ductor. Regij exercitus clade Veneti permoti, retro caſtra ad Atheſim, relicta Brixia retulere, atque in reditu Leniacum oppidũ *Liuianus* recepit. Sic Belli alternante fortuna, dum Hiſpani & Heluetij coniunctis copijs feruntur in Venetos, Piſcheriam illi, & Leniacum iterum cum vicina regione recipiunt. Patauij, Taruiſijque mœnibus Veneti incluſi, qui paulo ante Veronam tentare auſi fuerant. Montagnana verò, & Vicentia potiti Germani, in Patauinum agrum vnà cum Heluetijs irrumpentes, vrbem ad *Baſſanelli* portam muralibus tormẽtis quatere cœperunt. Sed ciuitas egregiè munita hoſtilẽ irridebat inſultum; imò quotidie Veneti ex vrbe erumpentes, proſpero Marte in aduerſa agmina depugnabant, fœda Germanorum ſtrage; qui protinùs obſidione ſoluta, ad Bachilionem caſtra retulerunt, extremum abeuntium agmen Veneto procurſante equitatu.

Ann. Sal. 1512.

CLXX. Angli Terouanam obſident.

Dum hæc in Italia geruntur; *Henricus VIII.* Anglorum Rex traiecto mari, Terouanam Morinorum vrbem obſidione cingit; ad quem Cæſar cum pulcherrimo equitatu profectus, ſuo nutu & imperio bellum adminiſtrabat, quòd belli ſciens, & locorum gnarus eſſet. Eodem fere tempore Heluetij Burgundiam adorti, numero viginti mille, Anglico conducti ſtipendio, quibus Cæſar mille equites adiunxit, Duce *Vdalrico Vuirtembergico*; Diuionem primam regionis obſident vrbem. *Tramollius* qui loco præerat, vt imminens euitaret periculum, petito cum Heluetiorum tribunis colloquio, ita tranſegit, vti Rex omni Mediolanenſis principatus iure ſeſe abdicans, certis penſionibus ſexcenta aureum nummum millia ipſis perſolueret, hac vna lege obſtricti, vt domum redirent. Has conditiones duriſſimas, quas ſuggerebat neceſſitas, æquitas & occaſio reuocabat: Regi namque mutandi aut improbandi non deerant cauſæ: Nam & Heluetij ſtipendia ab Anglo ad præſtitutum ſolutionis tempus miſſa non eſſe, cauſabantur.

CLXXI. Diuio ab Heluetijs obſeſſa.

CLXXII. Ad Morinum cæſi Galli.

Interim in Morinis Galli abs Rege, vti commeatum in vrbem inferrent, miſſi ab Anglis quibus Cæſar cum quatuor milliũ equitatu ſuppetias venerat, in fugam acti ſunt, & vrbs auxilio deſtituta ad nonum Cal. Sept. deditionem fecit. Vel vt alij narrant, accenſa Gallos inter & Anglos pugna, cum acriter ab vtriſque certaretur, cum peditatu, & tormentis leuioribus *Maximil.*, accurrit Gallos profligat cæſis *Franciſco Spinola*, & *Boiardo* cum aliquot nobilibus; *Longeuillæ* dominus & *Frodota* viui in poteſtatem venere. Capti ſunt præter eos 350. currus onerarij 150. Vrbem *Carolus* Archidux cum ſibi tradi poſtularet: Angli contra iure belli ſuam eſſe contenderent; Ea res, ne diſcordiæ ſemina inter ipſos iacèret, vrbem incendio euaſtari placuit, ſalua immunitate templorum. Sibi tamen non defuere Galli: concitato in Anglos *Iacobo IV.* Scotorum Rege. Is

CLXXIII Iacob. Rex Scotorum cæſus.

Angliam

Sal. Ann. 1513. Angliam bello aggreditur; ſed (*Catharina* Anglorum regina præſentia ſua augente vires) ab Anglis ad Filum amnem occiſus, fęminæ reliquit triumphum. Poſt victoriæ nuncium, cum iam ante Cæſar abijſſet è caſtris: *Henricus Tornaco* celebri Neruiorum ciuitate, Gallis erepta, & præſidio firmata, Germanis dimiſſis, in Angliam victor abijt.

Non diuerſa fortuna pugnabant Veneti. *Sal. Ann.* 1513. Hiſpani Germani (ex *Petro Iuſtiniano* tranſcribere placuit) eductis è Vicentia, & Verona copijs *Cardonio* Duce, Patauinum agrum fędiſſimè depopulati ſunt: ferro, flamma graſſatum: prophana & Sacra pari ſcelere polluta. Sacratiſſimam Euchariſtiam vt è flammis *Cardonius* eriperet in æde D. Franciſci









extra *Plebis Sacci* męnia conflagrantem, religione motus, ſemiuſtam ingreſſus eccleſiam, magna pietatis laude proprijs manibus deuotè ſumptam linteolo inuoluens, in viciniorem traduxit Eccleſiam, argenteo loculo religioſè recondens. Furor inde Mergariam vſque *Troilo Sabello* Duce peruaſit, vnde modico ſtagnorum interuallo Veneta vrbs medio mari poſita conſpici poteſt: in eamque Germanus bellica tormenta diſplodi iuſſit. Loco poſtea *Lacefucina* incenſo, per quem artificioſo opere è Medoaco flumine in æſtuaria hinc inde tranſportantur nauigia, ad ſuos *Sabellus* in caſtra redijt. Tot laceſſitus *Liuianus* iniurijs ſecum indignabatur hoſtem impunè diſcurrere. Contractis itaque copijs, ac quindecim dierum cibarijs ſumptis, priùs certiorato Senatu, patenti ad pratum Vallis campo, ſacra in exercitus conſpectu, ſummo mane celebrari iuſſit. Inde inſtructa acie, Patauio ægreſſus, ad *Liminum* octo millia paſſuum ab vrbe prima caſtra fecit. Germanus verò quàm cautiſſimè poterat, Venetorum declinabat occurſum, iterque accelerans, Medoacum fluuium ad Cittadellam ſuperare contendit, vbi Venetus antea pontes reſciderat, ad impediendum hoſti tranſitum, lintreſque omnes à fluminis ripis abſtulit, vel incendit. Hic deſperato tranſitu, Fontanellã tentauit Hiſpanus; ſed conſpectis in aduerſa ripa bellicis tormentis, magnaq. ſagittariorũ manu ad impediendũ tranſitũ illuc profecta, aliò iter flexit, ab incolis edoctus, ſupra tria paſſuũ millia ad Nouã Crucẽ, vado in vlteriorem ripam tranſgredi poſſe. *Liuianus* autẽ vt aſpera loca hoſti aſtrueret, itinera arborum truncis, ac glebarum obicibus per obliquum conſtitutis, vndiq. dudũ obſepſerat, tormentaq. certis locis diſpoſuit, & ad Bachilionem ipſe quadrato agmine progreſſus, quod ad Medoacũ facere non potuerat, opportuniùs hic armis trãſitũ impedire cogitauit. Quo facto, cũ prælij capeſcẽdi neceſſitatem aduerteret, ac ſpẽ victoriæ cõciperet, aduocata cõcione militẽ excitauit, pone aciẽ aduxit. Epirotæ aſſiduo curſu Hiſpanum montana petentem preme-

Ann. Sal. 1513. premebant, & Vicentiam vſque carpendo inſectabantur. Fatigatus Hiſpanus *ad Vlmum* pagum conſedit, inde Veronam proficiſcens, itinera impeditiſſima offendit. Armatæ quoque Venetorum cohortes non procul aberant cum tormentis currulibus. Quumque iam adueſperaſcet, caſtra eo loco firmauit, noctemque plenam habuere terroris, dum à tergo, a fronte, à latere crebris tormentorum ictibus petebantur. Pedites metu vulnerum proſtratis humi corporibus iacebant; equites inter virgulta latitabant. Commeatus acceſſit penuria, rerumque omnium inopia: conſumpta re frumentaria, ſolis iumentorum carnibus iam biduò milites veſcebantur. Quare primo mane *Cardonius* Imperator conuocatis Ducibus *Columnio, Sabello, Daualo, Iauadeo, Alarcone*, quid agendum in tantis rerum anguſtijs conſuluit? ea vicit ſententia, vt omiſſo cœpto itinere, retro Baſſanum versùs dextrorſum caſtra mouerentur, eo conſilio, vt *Liuianus* natura ferox, pugnæ auidus in æquum ad confligendum deduceretur, vbi tentata prælij fortuna, quum inconſultè temereque omnia ageret, facile vinci poſſet: quòd ſi forte ille pugna abſtineret, illi dimiſſa Vicentia, per Tridentinos montes, inuito *Liuiano*, cum incolumi exercitu, Veronam reuerterentur incolumes. Adprobata ſententia, eadem hora *Cardonius* caſtra mouit: quod vbi *Liuianus* cognouit, immoderato, vt erat, pugnandi deſiderio, ſigna extemplò canere iuſſit, hoſtemque incompoſito agmine prope omnes inſequitur. Ille verò inſtructa incedens acie, ad Creatium ignobilem in agro Vicentino pagum conſedit, nullum dimicandi moram facturus, ſi à Veneto laceſſitus eſſet: interim *Liuianus* cum omnibus copijs appropinquans, in hoſtem ferociter ibat: erat autem in medio Creatij loco planicies ſatis ampla, & collibus ferè ab omni parte cincta, habebat & profundam vallem, vepribuſque & dumetis plenam, paruoque riuo irriguam. Huc igitur vterque exercitus inſtructa ad dimicandum acie proceſſit. Sed prior *Liuianus* præmiſſo equitatu, ac tribus æneis machinis, in hoſtem ferociter vadit: excepere irruentem Venetum impauido animo cathafracti Hiſpanorum, Germanorumque equites, concionabunduſque *Proſperus* hos in prælium accendebat. Primo congreſſu facile Venetorum equeſtri ala repulſa, *Liuianus* iam collatis vtrinque ſignis, certamineque iniecto, *Balleonum* à dextro cornu cum peditum robore in hoſtium latus immiſit, procurritque à leua eodem impetu *Antonius Pius*. At conuerſi hoſtes, quod tantopere expetierant, prælium capeſſunt, pugnaque oritur ſtatim vtrinque atrox, ac varia, & implicita, quum pedites, equiteſque immixti inuicem nullo ordine pugnarent. Tantus porrò fuit Venetorum equitum grauis armaturæ impetus, vt ad ſigna vſque Germanus, Hiſpanuſque bellatores loco ſummoti trepide refugerint: poſtea ſubſidio ſuis *Sabellio*, & *Alarcone* aduenientibus, æquata eſt in hoc loco pugna: certabaturque acerbiſſimis vtrinque odijs, norant autem hoſtes, crudelem, efferatumque *Liuiani* animum, cui ſi victoria contingeret, ferro omnes eius iuſſu æquè caſuri eſſent: proinde Hiſpani, Germanique acerrime dimicabant, præoptantes potius in acie pugnando mori, quàm victi, captique indecora cœde extingui. Hinc *Liuianus* in barbaram gentem odio ardens, quæ tot annis Italiam belli clade afflixerat, Venetamque nuper rem ad *Meſtram* penè euerterat, hoſtem totis viribus debellare nitebatur, atque huc & illuc circa acies curſitans & Imperatoris, & militis munus obibat, tantaque eius fuit ferocia, vt ſummotus loco hoſtilis ceſſerit equitatus: interimiturque circa ſigna *Corneus Hiſpanus* cum filio adoleſcente. Hæc intuiti *Cardonius*, & *Columna* in primam aciem prouolant: & quid (inquiunt) milites, Venetum toties à nobis victum timetis? quæ ignauia? quis pauor? exclamanteſque eodem momento *Daualum Hiſpanum*, & *Iauadeum Germanum* tribunos fortiſſimos cum ſubſidiarijs legionibus iubent in mediam Venetorum aciem irrumpere: horum tantus fuit impetus, vt cohors *Babonis Breſegelli* vix conſpectis ſignis, terga hoſti turpiter verterit. Duxque ipſe author fugæ primus extitit, cœteri verò concepto timore ex *Babonis* fuga, qui vir omnium Ann. Sal. 1513.

Sal. Ann. 1513. nium fortiſſimus in Veneto exercitu habebatur, pedem referunt: tum hoſtis Duce Alarcone viro impigro, in turbatam aciem impetum facit, ceduntur que plurimi ab Hiſpanis, & plerique metu acti ſigna deſerunt, alij trepidant, nonnulli effugiunt, reſtiterunt tamen re iam propemodum inclinata, militaris decoris non obliti aliquot fortiſſimi Ductores, pugnamque ſæpe reparare, *Liuiano* vbique accurrente, adhortanteque conati ſunt: verùm deiecto imperatorio vexillo, obtruncatoque *M. Antonio Montano*, qui illud equo vectus alte ſublatum geſtabat: terror omnes cępit, inde aperta fit fuga, ac equitum, peditumque ingens cædes oritur: profligaturque tandem Venetus fęda clade exercitus: nam ſupra quatuor armatorum millia deſiderata ſunt, occubuereque in acie contrucidati hi clari nominis viri, *Sacromorus* Inſuber, *Hermes Bentiuolus*, *Ioan. Baptiſta Dottus*, *Ioannes Letius*, & *Seraphinus Gallia*, *Alphonſus Mutius*, *Philippus Carſeolus*, *Hannibal Simonius*, & *Fr. Saxatellus*: alij autem ad Bachilionem delati, ſe ſe in flumen metu hoſtium inſequentium proiecere, qui ad vnum aquis abſorti ſunt, in quibus fuit *Antonius Pius*, Ductor clarus, factiſque armorum in Veneto exercitu illuſtris, & *Conſtantius* filius: multique ad montes profecti, vitam ſeruarũt: at *Meleager* Forliuienſis, & *Carolus Montonius* clariſſimi bellatores poſt diſſipatum exercitum media fuga oppreſſi ab hoſtium equitatu circa Vicentiam interficiuntur. Ex Legatis *And. Lauredanus*, quum captiuus traheretur, qui magnam (vt ſe redimeret) hoſti pecuniam pollicebatur, orta inter Hiſpanos, & Germanos controuerſia, cuius ille eſſet Poteſtatis, ſtans in medio armatorum, à temerario milite iugulatur: alter Legatus *And. Grittus*, veloci equo Vincentiam profugit, catharactaque ſtatim demiſſa, vix in vrbem per portulam exceptus eſt. Liuianus autem Imperator cum paucis equitibus ad Bachilionem contendens, magno vitæ periculo rapaciſſimum flumen tranauit, Patauiumque, Deum incuſans, ſe recepit: capiturque ab hoſte *Ioannes Paulus Balleonus*, ac plerique alij cum eo viri illuſtres venere & in victoris poteſtatem: tormenta currulia, caſtrenſia impedimenta, ac ſigna militaria, cumuli armorum, ſarcinæ, atque vtenſilia ablata; & quod luctuoſius eſt, campi cadaueribus, & ſanguine oppleti. In hac autem hoſtium victoria, mitis Italus, Hiſpanuſque, contrà, Germani efferatiſſimi fuere: hi enim Cadubrinæ cladis memores in Venetos milites (quicunque in ſuam venere poteſtatem) inhumana crudelitate ſæuierunt. Et hæc eſt Vicentina illa clades, & virorum illuſtrium cæde, & rerum bellicarum iactura memorabilis, inexpectatoque euentu fœda, & acerba, vnaque omnium mentes pauore perculit. Fertur *Proſperus Columna*, Italici nominis ſtudioſus, licèt Hiſpanum mœreret ſtipendium, per *Alexandrum Bigolinum* familiarem contubernalemque ſuum *Liuianum* paulò antè monuiſſe, cuius præproperum in bello norat ingenium, vt prælio abſtineret, quum prorſus, ſi in aciem deſcenderet, aduerſo Marte vinceretur. Sed ille *Proſperi* monita paruifaciens, quòd exiſtimaret hæc ab eo dici ad remorandos futuri prælij ſucceſſus, in cladem hanc inexpectatam incidit, quæ Venetijs obnunciata, ingenti ciuitatem mœrore affecit, ſtuporque cępit omnes rei ita infœliciter geſtæ, quum victoria certa expectaretur, quã *Liuianus* Senatui ſæpe per litteras conſtanter ſpoponderat: & ſane niſi tam temerè ad pugnam properatum eſſet, hoſtis fame domitus, ſub iugũ ſponte veniſſet, memorabilemque ac incruentam ea die Venetus victoriam reportaſſet: ſed res pręter humanam opinionem contingunt. Nec tamen Patres aduerſa fortuna agitati, ſolitam fortitudinẽ animi remiſerũt: nam in tanto Reipub. vulnere, magna conſtantia vſi ſunt, qui inexpectatæ cladis dolorem *Leuiani* culpa contractæ prudenter diſſimulantes, ad eum ſtatim duos ampliſſimos Senatores *Petrum Balbum*, & *Dominicum Triuiſanum* deſtinarunt, congratulatique ei ſunt Senatus nomine, quòd ſe hoſtium manibus eripuiſſet, incolumiſque Patauium reuerſus, copiarum reliquias ſeruaſſet, eumque ſolando ad ambas vrbes *Patauium*, & *Taruiſium* ſolita virtute tuendas cohortati ſunt, ipſe modò conſtanti animo bello incumberet, nec victorem hoſtem timeret, quum Veneti parati ſint, reparato exercitu bellum eodem ipſo Duce ardentius proſequi, *Sal. Ann. 1513.*

Sal. Ann. 1514. quibus verbis non parum Liuiani animus erectus eſt, tutandique Imperij maiorem fiduciam cepit. Imitatique in hoc Veneti ſunt Romanos, qui C. Terentio Varroni nimine ſuccenſuere, cuius vnius temeritate illa inſigni clade ad Cannas accepta, euerſum penè corruit Imperium, quin è caſtris Varroni accito, vrbique appropinquanti, obuiam Senatus (vt Liuius prodit) effuſus, gratias egit, quòd de Repub. non deſperaſſet. Idem fermè apud Venetos erga *Liuianum* animorum habitum fuit, qui tantam cladem eius culpa contractam prudentiſſimè diſſimulantes, iram continuere, ne præcipitis viri animus turbaretur.

CLXXVI. *Gurcenſis purpura donatur.* Eodem tempore *Matheus Gurcenſis* Romam profectus, vt Pontifici Cæſaris nomine præſtaret obſequium: Aduenienti *Leo* Pontifex inſignia miſit Cardinalatus, quibus ille, antequàm veniret in vrbem, vti noluit. Annum clauſit Marani (oppidum eſt maritimum) occupatio à Germanis facta prodente


CLXXVII. *Maranũ amittunt Veneti.* *Bartholo* loci ſacerdote, familiari *Alexandri Marcelli*, qui oppido præerat. *Bartholi* fraudi, *Chriſtophori Frangipani* aſſociatur impietas. Maranæ villæ agreſtes, ſtudioſi Veneti nominis, hoſtium commeatus intercipiebant; horum ducentos Frangipanes capit, & oculos crudelem in modum eruit; dexteræq. manus pollices ſingulis abſcindit, Æginenſium exemplò, quos olim Athenienſes ſimili iniuria affecere; villam poſtea incendit.

Sal Ann. 1514. *Venetum incendiũ.* Ita Veneta res foris afflicta, nec domi quieuit, fatigata incendio, & penè maris inundatione concuſſa. Tot caſibus tamen minime fracti,

Maranũ obſident. Maranum terra, marique obſident. Sed ſtrenuè gerentibus, propugnatoribus cum ad claſſem ſe reciperent, ipſo obſidente mare, triremes inuenerunt aquarum obſeſſas refluxu, in ſicco iacère: quòd vbi hoſtis aduertit, non omittendam tam benè gerendæ rei occaſionem ratus, magno impetu erumpens, claſſem aggreditur; triremis capitur in ſolo deſtituta, præter tormenta, & inſignia aliquot, quæ Venetus amiſit. Non propterea ceſſabat Pontifex conſilia pacis miſcère: Chirographum Cæſari, & Venetis dederat, quo nihil ſe abſque partium conſenſu pronuntiaturum; promittebat cum iam Veneti de reddenda Verona tacerent, eò rem adducere ſatagebat, vt poſitis armis, pacis *Ann. Sal. 1514* leges intra annum reciperent. Interea proponebat Cæſar ea loca, quæ vel ipſe, vel Hiſpani in Patauino & Taruiſino agro cæperant, retineret, Cremã depoſiti nomine acciperet, idq. intra proximum menſem ratum haberetur, & tum Veneti viginti aureum nummum millia, & altera totidem intra tres menſes Cęſari penderent. Has conditiones Veneto repudiante, *Liuianus* in Forumiulij profectus, Portum Naonis, Montẽ Falconis recepit, ſed non ſeruauit. Cæſar Oenipontum profectus, dum cum ProRege Neapolitano belli gerendi conſilia miſcet, de pace Anglorum cum *Ludouico* nuntius ſuperuenit. Sororem ſuam iuuenculam *Henricus* Gallo dederat, nam CLXXVIII *Nuptiæ Ludouici Regis Galliæ.* prior, eius anni initio è viuis exceſſerat. Pontifex verò ne *Ludouicus* Anglorum metu ſolutus, in Italos arma conuerteret, nouum & ipſe cum *Maximiliano* & Aragonio fœdus percuſſit. Iam enim Gallus palam profitebatur, non ſtaturum pactis, quæ *Tramollius* ſuo iniuſſu Diuione promiſerat: & obſides Heluetijs dati, ſe fuga ſubduxerant. Dum igitur CLXXIX. *Ludouici Regis mors.* ex Gallia noui motus inſtarẽt, Rex nouæ nuptæ amori, præter ætatis, & infirmæ valetudinis rationem pluſculùm indulgens, in febrim incidit, qua noui anni Calendis extinguitur. Succeſſit in regnũ *Franciſcus Valeſius* gener, *Franciſcus I. Rex Gallorũ.* Engoliſmenſis regulus, huius nominis Rex Gallorum *Primus*, ſocero è regia ſtirpe gradu proximus, cui *Claudia* eius filia vxor erat. Is *Sal. Ann. 1515.* eodem die, quo regno initiatus eſt, Mediolanenſis ducatus titulum ſimul aſſumpſit, & fœdus cum *Venetis* confirmauit. Heluetios CLXXX. *Gallorum & Venetorum fœdus.* quoque tentauit; ſed hi nec legatos audierunt: minantes, niſi Gallus promiſſa ſeruaret, ſe in Burgundiam arma laturos. Hoc rerum ſtatu Imperator volens affinitatibus, & clientelis domum firmare, *Ioannem Cuſpinianum Vladiſlao* Pannoniæ Regi nunciatum miſit, *ob inopinatum Gallorum Regis obitum, dubioſque Heluetiorum motus, integrum ei non fuiſſe, ad expetitum venère colloquium cum eo, & fratre illius Sigiſmundo Poloniæ Rege. Ad VI. Idus Iulij, placeret omnes Viennæ Auſtriæ conuenire.* Id cum facturos eſſe audiuiſſet; Venit Cæſar cum ſplendidiſſimo equitatu, & ad quintum ab vrbe lapidem, obuiam illis progreſſus, in arce Trautmanſdorffia pernoctauit. Poſtridie

Sal. Ann. 1515. Colloquiũ Cæſaris cũ Regi Hũgar. et Poloniæ.

die Reges(quorum *Sigiſmundus* eam noctem Hamburgi, frater ponte ad Leitham egerat) ad Cæſarem perrexere, iam arce egreſſum. Ita tres potentiſſimi principes, cum ſuo quiſque comitatu, cum in apertis campis ſtetiſſent, *Maximilianum* ita ſtantem comme- *Sal. Ann. 1515.*



morant: *Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*. Moxque intuliſſe *Sigiſmundum: Faxit Deus hunc noſtrum conuentum Reipublicæ ſalutarem*. Viennam ingreſſis, dies aliquot dati colloquijs vbi, cum *Vladislao* Regi ex *Anna Gandala* (illuſtris ea in Vaſconibus familia eſt) liberi *Ludouicus* & *Anna* eſſent, de his ita conuenit, vti ambo Auſtriacis illigati nuptijs, perpetuæ pacis, amicitiæque fœdus confirmarent. Sunt qui *Vladislaum* filiæ coniugium Cæſari priùs obtuliſſe affirmant, eumque reſpondiſſe: *auditum ſibi aliquando ex parente Friderico; principi ætate prouecto mitius non poſſe adferri mortem, quàm ſi ei iuuencula coniugatur. Conſultius videri, ſi Anna alteri nubat nepoti*. Ad decimum Calen. Auguſti, qui dies publicæ ſponſalium confirmationi dictus erat, *Maximilianus* vtroque Rege præſente, *Annæ* coronam auream impoſuit; hæc eum florenti ſerto donauit. Hinc ad D. Stephani itum, vbi ſacris peractis, verba præeunte Strigonienſi; *Anna*, accepto in fidem annulo, ita *Maximiliano* deſponſa eſt, vt intra annum aut *Carolo*, aut *Ferdinando* coniungeretur. *Ludouico Maria* Cæſaris neptis, præſens ipſa deſponſa eſt, lachrymas vbertim fundente *Vladislao*. Nuptias excepère epulæ, ludi, choreæ cuſa miſſilia, quę hic habes. Eſt etiam nummus triumphalis *Sigiſmundi* Regis Poloniæ, quem

C LXXXI. *Maxim. ſponſam accipere recuſat.*

deuicto *Baſilio* Moſchouitarum Duce ad Orsham Anno 1514. rerum felici ſucceſſu, mortalitatis nihilominùs memor cudi fecit, ſub lemmate, quod latinè ſonat, *ius omne viuens poſcit*. Lampas vitæ humanæ typus eſt: qua oleo, ſeu humido radicali deficiente, extincta, mors ſubſequitur, cranio ſignificata. Liber ſacrarum literarum de vitæ huius fragilitate mortales admonet. Porrò claſſicum Gallo tonante, à Venere redierũt ad Martem. Sperabant plerique *Franciſcum* Gallorum Regem primo ſuæ inaugurationis anno, nihil noui tentaturum. Cæſar verò & *Ferdinandus* conſilia inuicem communicantes longè aliud, nec fruſtra ſibi perſuadebant. Mouebat viros prudentes iuuenilis *Franciſci* ætas, animus gloriæ appetens; quem *Foiſeij* recens felicitas ad tentandas res Italicas facile permoueret: tum ingentes belli apparatus à *Ludouico* relicti, vt non de nouo conſulere, ſed iam benè prouiſum perſequi videretur. *Leonem* itaque Pontificem, atque Heluetios in belli ſocietatem ſolicitarunt. Papa verò blandis ſermonibus vtrobique beneuolentiam captabat. Heluetij veterum contumeliarum memores, prò Italiæ tutela fœdus ineuntes, Burgundiam, & delphinatum inuadere ſuſceperunt, acceptis in ſingulos menſes à cæteris fœderatis, triginta nummum aureorum millibus. *Ferdinandus* quantas poſſet copias

à fonte

Sal. Ann. 1515. à fonte Rapido, aut Perpenniano in Galliam eodem tempore immitteret, vt Gallos ab alienis inuadendis ad ſua reuocaret. Interea

C LXXXII. *Franciſcus* cogendæ in bellum pecuniæ, ac militi conſcribendo intentus ſuadente *Prato* Cancellario, magiſtratus vendidit, nec ſine iniuria (venales enim magiſtratus, venales quoque ſententias habere conſentaneum eſt) Pecuniæ *Pratus*, militum *Franciſcus* curam

Franciſcus Rex Galliæ vẽdit magiſtratus.

C LXXXIII haberet. Is *Petrum Nauarrum* in cuſtodia habitum accerſiuit (quem pugna Rauennate captum *Ferdinandus* neglexerat, vel quod fugitiui infelicitatem pugnæ in *Nauarrum* referrent; vel quod *Ferdinandus* de Duce multum ætate prouecto redimendo parum curaret) & ſua pecunia redimens pretio viginti nummum aureorum mille (tanta erat multa in *Nauarri* caput, & *Regulo Longauillano* donata) ſex Cantabrorum, Vaſconumque millibus præfecit. Priuſquàm tamen ſe Gallis ſacramento obligaret, ſe *Ferdinando* excuſauit: *quandoquidẽ de ipſo redimendo nullã Ferdinandus curam adhibuiſſet, ſe neceſſitati*

C LXXXIV. *cedere*. Tanto apparatu fretus *Franciſcus*, Lugdunum venit; vbi Angliæ Regis audiuit legatum, conantem à Mediolanenſi expeditione Gallos retrahere; quia hæc expeditio Chriſtianam turbaret Rempublicam. Affinitatem *Franciſci* cum *Carolo Auſtriaco* initã ægrè ferebat *Henricus*, ac tantos principes reformidabat concordes. *Franciſcus* porrò nihil ea legatione commotus, à propoſito itinere non deſtitit. *Heluetij* de eius aduentu in Italiam moniti, Gallorum magis odio, quàm ſtipendiorum ſpe, ex Allobrogum finibus digreſſi, circa Nouariam conſedère. Tentauit Rex priuſquàm acie dimicaret, ſibi eos conciliare oblata ingenti auri quantitate: conditioneſque placebant; verùm Cardinalis *Sedunenſis* vir ferox, ac pugnandi auidus omnia turbauit, Heluetioſque ad prælium capeſſendum accendit: Vnde Regius exercitus Nouaria occupata, ad Marignanum iuxta amnem Lambrum ſigna conſtituit: atque iterum de pace cum hoſte agebatur, quam *Sedunenſis* ſemper reiecit. Interim *Liuianus* ne ſocio Regi deeſſet, tentabat Pontificios, & Hiſpanos auertere, ne cum Heluetijs caſtra coniungerent; Venetiſque copijs propriùs admotis, Laudam proficiſcitur; indeque

Angli tentant reuocare Gallos ab Italia.

Heluetij in Gallos mouent.

Liuianus.

ægreſſus, hoſtium veſtigia inſtructa acie ſequebatur. *Triultius* verò prætoriana cohorte prope Mediolanum accedens, & per caduceatores vrbem Regi tradi poſtulans, ſuperbum tulit reſponſum. Aduenit poſtea *Sedunenſis* cum copijs, qui ſtatim aduocato concilio, in quo Dux *Sfortia* aderat, *Roſtius* & *Angiardus*, ac *Ronna* Heluetij viri fortiſſimi, ſuaſit, vt illicò cum hoſte aperto campo prælium committeretur: & ne inſtabiles Heluetiorum animos mora reuocaret, falſum rumorem diſſeminari iuſſit, Gallos cum Hiſpanis manus conſerere, proinde in aciem prodeundum eſſe; qua ſimulatione ad arma repentè conclamatum eſt, Mediolanoque ſub ſignis (iam propè Sole in occaſum vergente) ad viginti quatuor Heluetiorum millia, Duce Sedunenſi, in Gallos erumpunt: illi autem ad Marignanum ſedentes, ſubita hoſtium impreſſione, vix ſpacium acies explicandi habuere: impigre tamẽ Regij Duces *Borbonius*, *Triultius*, *Nauarus*, in primum agmen accurrunt, hoſtemque ferociter inuectum ſuſtinent, diuque pari fortuna certatum: ſummouetur tandem loco Vaſconius, Germanicuſque peditatus, qua in trepidatione ſeptem currulia tormenta Gallis ſunt adempta; maiorique vi addita, Heluetij primam aciem profligant, conglobatique eodem impetu in media agmina feruntur, cædeſque vtrinque oritur atrox, ac pugna vſque in noctem ſanguinolenta protracta eſt: iterum, vix orta luce, certamen initum, tormentiſque hoſtem loco ſummouere Galli conabantur: contrà, ille ordines ſeruat, morique potiùs, quàm cedere ſtatuit: id *Borbonius*, & *Triultius* conſpicati, cataphractos equites egregiæ virtutis in Heluetium peditatum ſtatim immittunt, quorum impetus pugnaces hoſtium manus paululum compreſſit; nec tamẽ mota eſt loco aduerſa acies, ſed maiori audacia præliari cęptum; accurrenteſque integræ Heluetiorum cohortes, equitatum regium à tergo inuadunnt: tum redintegrata pugna vehementius incrudeſcit, Roſtiuſque, & *Angiardus*, & *Ronna* in primam aciem aduolant, Galloſque armis fatigant. Duces quoque adſunt regij non minori fortitudinis exemplo: ferociter tamen Heluetius inſtat, circumuentique Galli pene in fugam vertuntur;

Sal. Ann. 1515.

Sal. Ann. 1515. tur; ſed Regis præſentia animati, locum retinent, totiſque viribus connixi, in Heluetios acerrime pugnant. Rex quoque armis inſignibus cultus, coronamque ſuper caſſidem auream geſtans, in media acie verſatur, ſuiſque pugnans adeſt, hæretque circa eum tota prælij vis. Ter haſta in thorace Rex percuſſus fuiſſe dicitur, cruorque occiſorum in eius oculos per galeæ rimulas quandoque proſiluit, & iam Regij cedere videbantur; miſſaque ab hoſtium Ducibus ſex peditum millia vno agmine in Gallos à tergo irruebant: at *Liuianus* à Rege per nuncios alios ſuper alios euocatus, Veneta caſtra è Laudenſi agro mouit, ipſeque ante alios, vt certamini intereſſet, cum quinquaginta tantum equitibus præcurrens, in hoſtem fertur; iuſſitque reliquas copias ſub *Dom. Contareni* Legati ductu ad properare. Phalangem interim illam ſex mille Heluetiorum *Liuianus* inuadit, hoſtiſque ex templo turbatur, cum Veneta ſigna conſpexit, ac magno timore illi permoti, fugam circumſpectare cœperunt: appropinquante poſtea vniuerſo Veneto exercitu, inſtructa ad dimicandum acie, priuſquàm ferrum miles ſtringeret, apertam Heluetius in ea parte fugam capeſſit; & ex quinquaginta illis equitibus, qui *Liuianum* ſequuti fuerant, cecidit ſclopetaria glande traiectus *Chiappinus Vrſinus Pitiliani* comes, magni ſupra ætatem adoleſcens animi, qui à *Nicolao* patre noſtri exercitus Imperatore, viro fortiſſimo, cæteriſque maioribus ſuis, ita cadendo minime degenerauit: vulgato autem Veneti exercitus ſubito acceſſu, & Regijs ſtrenuitas, fortitudoque addita eſt, & Heluetijs eodem temporis momento imminuta. Inclinata iam re, quum per altum diem dubio, cruentoque Marte vtrinque pugnatum eſſet, Heluetij & viribus diuturno certamine exhauſtis, & Venetis nouo appulſu irruentibus, magna cæde profligantur: nam ſupra quindecim millia ex his deſiderata ſunt, & reliquos Venetus equitatus inſequutus multa occidione Mediolanum vſque proſtrauit: nec incruenta Gallis victoria fuit, quorum ad

C LXXXV. *Franciſcus Mediolano potitur.* ſex millia in ea pugna ferro periere. Paulò poſt *Franciſcus*, Heluetijs domum abeuntibus, Mediolanum ingreſſus eſt; *Sfortia* ſe in arcem recepit. Huius rei fama territus Pontifex, per Allobrogum Principem cum Rege pacem fecit: Octobri ineunte *Sfortia* arce dedita, in Galliam captiuus abducitur ibiquè obijt; *Franciſco Sfortia* fratre relicto, cuius etiam fortuna varia, & inconſtans infauſto amborum principatu, *Sfortium* nomen, quòd tam clarum in Italia refulſit, dira fati acerbitate extinguitur. Huius expeditionis teſtis eſt nummus caſtrenſis cuſus in honorem *Franciſci* Mediolanenſi occupato ducatu. Duo globi, terreſtris atque cœleſtis ſub lemmate *Vnus non ſufficit Orbis*, quem vide pag. 258. *littera L. num.* 194. Sal. Ann. 1515. *Maximil Sfortia captiuus ducitur.*

Interim Veneti Gallis iuncti, Brixiam obſederant, (ibi febri correptus *Liuianus* obijt.) C LXXXVI *Liuiani mors.*
Sed cum ab Hiſpanis, & Germanis, ciuitate ægreſſis, bellicus puluis incenſus, & tormenta aliquot abducta eſſent, & recentes Germanorum copiæ, numero viginti mille aduentare dicerentur, obſidionem ſoluerunt: in Galliam redeunte *Franciſco*, ineunte eius ſæculi decimo ſexto. *Veneti Brixiam obſident.* Hoc *Franciſci* ſucceſſu Arragonius de regno Neapolitano ſolicitus; noua cum Cæſare, & Anglo agitabat, quæ expedire non potuit in morbum relapſus, quo correptus obijt, regni ſui anno XLII. Sal. Ann. 1516. C LXXXVII. *Ferdinan. Arragonij mors.*
Fuit *Ferdinandus* optimis virtutibus, ſummo ingenio, conſilioque & rerum gerendarum dexteritate inſignis. Mauros ex Betica regione, quam cum magno Chriſtianorum probro octingentos propè annos tenuerant, expulit: tot punicas vrbes à Syrtibus ad Herculis columnas cœperat; nouum Orbem Europeis antea incognitum aperuerat: regnum Neapolitanum ſumma prudentia ac virtute vendicarat: Quòd tenacem, & auarum plurimi dixerint; mors eà ſuſpicione liberauit. Cum enim duos & quadraginta annos regnaſset, nullos reliquit theſauros. Triginta circiter dies ante eius mortem *Conſaluus* (qui rerum geſtarum gloria clarus *magni Ducis* cognomen accepit) extra eius comitatum, qui illi propemodum interdictus erat, *Ferdinandum* quaſi ingratum accuſans, mortuus erat Eximios tamen funeris honores, qui ſolis Regibus tribui ſolent, Rex exhiberi iuſſit. C LXXXVIII *Conſalui mors.*

Audita *Ferdinandi* morte, *Franciſcus* ad Neapolitanum regnum iam antea propenſus, non multum in eo inuadendo negotij ſibi

fore

Sal. Ann. 1516. fore putabat, quòd *Carolum* Belgij, & Hiſpaniarum rebus plus ſatis occupatum crederet, Italiæ curam neglecturum. Muſſitabant Tarraconenſes in *Carolum*, quia ex fœmina deſcendentem. Vbi enim fœminæ arcentur; arceri & earum liberos opus eſt: nec plus iuris poſteris relinquere potuerunt, quàm ipſæ habuerint. Et quamuis *Ferdinando*, & *Iſabella* iubentibus, Regij conuentus vetera ſtatuta ita fuerint interpretati, *vt mares ex fœmina venientes non excluderentur, ſi proximiores eßent*, non dubitabat tamen *Franciſcus* nouos motus in *Carolum* ſuſcitare, ſi opus foret. *Gallus cogitat Neapolim inuadere.* Porrò dum aliena inuadere *Franciſcus* deſtinat, ſua tueri (Cæſare in Italiam deſcendente, acceptis à *Ferdinando* centum & viginti nummum aureorum millibus, equitum quinque, Heluetiorum quindecim, adiun-

CLXXXIX. *Cæſar in Italia.* ctis decem Germanorum & Hiſpanorum millibus) coactus fuit. Timebat Cæſar, ne Brixia in extrema iam neceſſitate conſtituta, Venetis ſe dederet; & quid Gallus in animo haberet, non ignorans, in tempore ſatagebat accurrere. Qui in Brixiano erant agro Galli & Veneti Piſcariã progreſſi, ad Mincij fluminis ripam, Cæſarem operiri & tranſitu prohibere decreuerant, ſed eo propiùs aduenıente, ſe recepere Cremonam, non obſcura confeſſione timoris. *Maximilianus*, Aſula per aliquot dies nequicquam oppugnata, omnem inter Ollium, Padumque & Abduam amnes regionem, præter Cremonam, & Cremam, occupauit. *Lautreccius*, qui Regi ſuo ſcripſerat, Cæſarem, ne Abdua exercitum traijciat prohiberi poſſe, ad Caſſianum caſtra metatus erat, ſed cum Heluetij, qui expectabantur, non in tempore venirent, hoſtem nòn expectandum ratus, Mediolanum

CXC. *Mediolanum obſidet.* abijt. Abdua ſuperato, *Maximilianus* Laudam deditione accepit; dein recta Mediolanum ducens, fecialem præmittit, qui, emiſſis Gallis, vrbem tradi poſtularet, quod niſi ante triduũ exactum fiat, peiora quàm olim ſub *Friderico ſecundo*, timerent. Iam Galli de relinquenda vrbe cogitabant; quòd Heluetij aut non venturi aut pugnaturi non eſſent, Contra verò *Andreas Grittus*, & *Triuiſanus*, Venetorum legati, cum defenſioni intentos eſſe, & meliora de auxilijs ſperare iuberent; aduolat nuncius *Albertum Petram* cum decẽ Heluetiorum millibus poſtridie ad fore. Id *Sal. Ann. 1516.* cum ita eſſet, iamque *Albertus* nutantes Gallorum animos confirmaſſet, Cæſari ab Hel- CXCI. uetijs, quos habebat, illud fieri cœpit, quod *Heluetiorum tumultus in Cæſarem.* Galli à ſuis timuerant. Illi enim tumultuari in caſtris ob non ſoluta ſtipendia, pugnam in cognatos detrectare, imperia contemnere, ſeque aut Mediolanum, aut domum abituros palam dicere, niſi intra quatriduum pecunia daretur. Non ignorabat Cæſar, quid *Ludouico Sfortiæ* olim in eodem loco, cum vtriſque in caſtris eſſent Heluetij, contigiſſet. Præterea vetus illius gentis in Auſtriacos odium formidans, ne periculum aliquod præſens incurreret, longiùs ab hoſte recedendum ratus, Abdua traiecto, duxit in Bergomatium agros; Laude ſubſiſtentibus Heluetijs, quibus breui allatum iri pecuniam dicebat: quo voto Tridentum abijt. Venerat in caſtra *Caſimirus Brandemburgicus*, Cæſaris nomine, & *Sedunenſis* Cardinalis Bergomi cum pecunia ab Anglo miſſa, iam eſſe dicebatur. Heluetij tamen à nemine contineri poterant, quò minùs per Volturenam vallem domum abirent. Eadem contumacia polluti Germani, & Hiſpani, ſupra tria millia ad Venetos transfugère. Reliqui alio dilapſi; tanti exercitus fama penè euanuit. Veneti Gallo iuncti, ambas vrbes veteri adijcere ſtudebant imperio. Tertio itaque Brixiam circumſedentes, itinera, *Brixiæ oppugnatio.* ſaltus inſederunt; nè commeatus importaretur in vrbem. Diu, noctuque in mœnia contorquebantur tormenta, prociderantque latè muri. Venetus miles intempeſta nocte admotis ſcalis, vrbem occupaſſet, ni ſerò Galli accurriſſent. Fame tamen Germanus domitus, niſi ſubſidium ſex dierum ſpatio Cæſar immitteret, exire promiſit. Præſi- CXCII. debat *Maximiliani* nomine *Aloyſius Icari*, à *Brixia Veneto dedita.* quo vrbem (vbi nulla ſpes affuit ſubſidij) poſt octauum annum Venetus recepit. Veronam protinus *Grittus* perrexit; ſed *Lautreccius* vbi depercutiendo fœdere inter *Franciſcum*, & *Carolum* nepotem Cæſaris audiuiſſet, rei euentum expectans, ex compſito tar- *Gallorum fraus.* diùs mouebat; & Germanorum ſex millia, quos ſub Venetorum ſtipendijs ſecum habebat, arma in Veronenſes ferre nolebat. No- *Fœdus Caroli & Franciſ. I.* uiodurni conuenerat, à Gallorũ Rege Præſul Pariſienſis cum Regiæ Domus præfecto, à *Carolo*

Sal. Ann. 1517. rolo qui iam Hiſpaniarum Rex dicebatur, *Guilielmus Cheurienſis*, & *Maximiliani* cancellarius. Hi fœdus percuſſere, cuius capita, *Pax & fœdus inter Reges ad mutuam defenſionem ſeruaretur. Gallus Hiſpano filiam Ludouicam, cum ea Neapolitani regni parte, quæ ex diuiſione Ludouico regi ceſſerat, vxorem daret. Carolus in educationem puellæ, quoad nubilis fieret, mille auri pondo quotannis penderet, Nauarræ regnum reſtitueret, quod niſi fecerit, arma prò rege cognato ſumere Franciſco liceret. Cæſari in fœdere locus intra duos menſes eſſet, qui etſi aſſumatur, nihilominus regi Venetis, ad Veronam recuperandam auxilia ferre liceat. Quod ſi Veronam Cæſar nepoti ea lege tradat, vti Franciſcus illam ante exactas ſex ſeptimanas acciperet, tum rex illi centum Ducalium nummum millia, totidem Veneti duabus intra ſex menſes penſionibus perſoluerent. Interim Ripam Tridentinam, Robertumque & capta in Carnis (ac Iulij foro loca ipſe, Veneti quæ habebant, vti erant, ita retinerent, quoad de finium controuerſia, Gallorum ac Hiſpanorum Reges, arbitrium tuliſſent. De Geldrenſi quoque regulo conciliando actum eſt.* De Verona (dicunt aliqui) ita conueniſſe, vti niſi intra duos menſes expugnaretur locum haberent conuenta. Veneti ne tantam pecuniam ſoluerent, vocato *Lautreccio*, duobus Atheſim pontibus traiecto

CXCIII. *Verona obſeſſa.* milite, Veronam arcta obſidione circundant. Erat in oppido *M. Antonius Columna* cum octingentis equitibus, & quinquies mille peditibus Germanis, ac mille quingentis. Hiſpanis, qui muros egregie propugnabant. Iam in caſtris conſumptus erat bellicus puluis, & dum nouus adueheretur, accidit, vti excitato ex rotarum colliſione igne, octingenta dolia cum carnis, & iumentis conflagrarent. *Mocenicus* Gallis temerè ignem ferentibus adſcribit. Cum nouem hominum millia, *Maximiliani* iuſſu, ex agro Tirolenſi conſcripta in itinere eſſe, iamque Cluſium deditione, Couolum vi cæpiſſe fama vulgaſſet; *Lautreccius* aut concepto, aut ſimulato metu, quòd in mandatis haberet à Rege pacem bello præferre, Villamfrancam abijt; à quo Veneti relicti obſi-

Sal. Ann. 1517. dionem ſoluerunt: illico Verona commeatu recreatur. Huius obſidionis teſtes ſunt nummi caſtrenſes; quorum alter Cæſarianorum eſt, & ex vrbico inſigni creditur; Veronæ caſus, dum obſideretur à Venetis. Hunc vide pag. 160. *littera B.* *Sal. Ann. 1517.*

Alter eſt M. Antonij Columnæ, Cæſaris in Verona Præfecti *thalarem tunicam* referens *inter flammas illæſam*; quia ex Amiantho lapide conflata ſub lemmate, *ſemper perſicax*. Et conſtantiam annuit *Columnæ*, qui etſi globi ictu ſaucius, noctu tamen dieque ſtrenui Ducis munia obiuit. Vide ſupra pag. 160. *littera C.*

Anno itaque ineunte XVII. eius ſeculi Veneti cum armis non potuiſſent, Veronam pacto adiere. Cum fœdus Cæſar firmaſſet. *Veronam recipiunt Veneti.* *Lautreccius* & *Grittus* cum armatis copijs, ſignis Imperatoris, & tubarum cantu, per portam nouam, ingrediuntur vrbem, rectaque in prætorium progreſſi obuium habuere Epiſcopum Tridentinum, qui Cæſaris nomine aſſignata vrbe *Lautreccio*, vrbe cum præſidiarijs exceſſit: mox eam *Lautreccius* cum clauibus *Andreæ Gritto* reſignauit. Anno 1517, Die XVII. Calend. Ianuar. grandi Veneti nominis gloria, quòd tam graue, & formidabile bellum poſt annos octo glorioſe, confeciſſent.

Hiſce peractis, quo arctior inter confœderatos neceſſitudo contingeret colloquium Cæſaris & vtriuſque Regis proponitur. CXCIV. Iam *Cheurenſis*, & Magnus Franciæ Magiſter, Cameracum præceſſerant, qui colloquio locus dictus erat. Dum iterum *Franciſcus Maria Rouereus*, *Vrbinas regulus* noui belli fundamenta iacebat. *Franciſcus M. Rouereus ditione ſpoliatur.* Superiori æſtate *Leo* Papa cauſis ſiue quæſitis, ſiue oblatis eum bello aggreſſus omni ſua ditione ſpoliauerat, & *Laurentium Mediceum*, agnatum ſuum rebus impoſuerat. *Rouereus* patria extomis, & ſacrorum vſu prohibitus, amicorum opem implorabat. *Fridericus Gonzaga*, Bozolenſis regulus ob vetera amicitiæ iura non deſerendum ratus, quòd & bellicæ gloriæ cupidus eſſet, & *Laurentium* odiſſet, amici tutelam libens arripuit. Eius exemplo facile in conſortium adducti ſunt aliquot militares præfecti, qui aſſiduis bellis, & oppi-

Sal. Ann. 1517. oppidorum direptioni aſſueti, pacem ægrè ferebant. Peditum quinque millia, & octingenti leuis armaturæ equites natione Hiſpani coierunt ſub ſignis. Quibus Vrbinas auctus, ditionem recuperauit. Nec profuit Pontifici *vis*, nec *virtus* Sal. Ann. 1517. CXCV.



quas pila ventoſa, eique *ſubiectus follis* in ſymbolo notat ſub lemmate *Vi, & Virtute*. Franciſcus hac famæ tuba, quòd hoſtibus potentiſſimis non ceſſiſſet, *Immortalitatem*

ſibi

Ann. Sal. 1517. ſibi comparauit. Vide ſymbola in *pag. 260. littera D. E.* Ab hoc bello cœteri Principes credebantur immunes, ſed diuerſis ſtudijs animum ſuum declarabant. Pontifici proniores videbantur Cæſar, & *Carolus*, qui militibus ſuis, ne arma in illum ferrent, prohibuère. Forſam quia iam à Gallo abalienatus *Maximilianus*, quòd *Leo*, in caſtris Gallicis ob *Lautrecij* oculos factã *Rouerci* cõſpirationem Cæſari indicaret, is ſocietatem cum Anglo coierat; & *Carolo* nepoti, ne ad Cameracenſe colloquium accederet, perſuaſerat. Mandauit prætereа *Carolus* comiti *Potentiano*, vt ex Regn. Neapolitan. quadringentos cataphractos, Pontifici adduceret in ſuppetias: vtque beneuolentiam ſuam erga Pontificem teſtaretur, *Franciſcum Mariam Rouereum* quaſi rebellem Sorano principatu, quem *Ioannes Rouereus* præfectus vrbis eius pater redemerat, ſpoliauit. Hæc etſi in ſpetiem defenſionis Gallo tamen ſuſpecta erant. Pax tamen turbata non eſt inter Reges Chriſtianos, propter bellum, quod à *Selymo* Turcarum tyranno timebatur. Ann. Sal. 1518.

DE BELLO TVRCICO.
Anno 1518.

POſtquàm *Baiazethum* patrem veneno (*Baiazethi* ſymbolum & effigiem vide *pag. 260. littera H.* nempe *panem Euchariſticum* ſuper laurum ſub lemmate *victoriæ teſtis*. Eo namque teſte victoriæ Barbarus, perfidiæ nos arguit. Quia ea tempeſtate eſſent, qui barbaris datam fidem violari poſſe cenſerent) fratres duos, eorumque liberos ſuſtuliſſet Selimus, *Campſone* Egyptiorum Sultano in pugna cœſo, & *Thomumbeio* eius ſucceſſore (quorum effigies videre eſt *pag. 260. littera K. N.*) capto, Syriam, & Ægyptum ſuo adiecit imperio; in Chriſtianos animum vertit tyrannum, ſymbolo *Lunæ creſcentis* ſibi propoſito, ſub lemmate *redibo plenior*, vt videre eſt *pag. 260. littera I.* Hoc rerum ſucceſſu territus *Leo* Pontifex, indictis Romæ ſupplicationibus, literas ad Chriſtianos principes dedit, vt iunctis viribus, illius potentiæ proculdubio in nos conuertendæ ſe obijcerent, exhortatur. Imperator, accepto *Breui*, in ſequentem modum reſpondit.

CXCVIII. *Beatiſſime Pater, Domine Reuerendiſſime: Nuntius Beatitudinis Veſtræ apud nos reddidit nobis Breue Sanctitatis V. in quo nobis ſignificat illuſtrem victoriam Turcarum Tyranni aduerſus Sultanum Aegypti Dominum: noſque toto animo hortatur, rogat, obteſtatur, vt ſanctam expeditionem aduerſus tam impium Chriſtiani nominis hoſtem ſumere velimus, & vna cum Beatitudine V. illius furorem comprimere, & Chriſtianæ Reip. pariter conſulere. Idque etiam ex relatione præfati Nuntij ſui intelleximus, & quo fidei amore, qua pietate optet animam ſuam pro ouibus ſibi commiſſis ponere. Quæ quidem res gratiſſima nobis, ſed & moleſtiſſima fuit. Quippe non potuimus non afflictim dolere Chriſtiano nomini inimiciſſimi Tyranni tantam & tam nobilem victoriam: cui, vbi ille, quem optat, finem impoſuerit, ac ſuam ſibi potentiam firmauerit, in quos potius aut libentius debacchabitur, quam in miſeros Chriſtianos? Miſeros eos appellamus, qui cum opibus florentiſſimi ſint, viribus & animi magnitudine egregij: quorum virtuti non Aſia ſolum cederet, ſed & ſi alter terrarum orbis reperiretur: quaſi tamen nullibi locorum diuitiæ extent, niſi inter ipſos Chriſtianos, nullibi ciuitates, ſed inuicem abſumunt: perfidos autem Chriſti hoſtes, hac & illac victores impune vagari permittunt, quin & (ſi Deo placet) de ſemet triumphum referre ſinunt. Cæterum cum animo noſtro repetimus, quod nullus Deus fortis eſt, præter Deum noſtrum: nullus porrò alius, qui conuinciat gentes in fortitudine brachij ſui, in eam ſententiam deuenimus, vt pro certo habeamus, Turcarum victoriam Chriſtianis ſalutarem fore. Voluit enim Diuina Maieſtas per hanc cęcas Chriſtianorum aliquorum mentes illuminare, & dormientes excitare, ac ianuam pulſare,* tempus iam eſſe ex ſomno ſurgere. *Quæ nobis cogitantibus omnis mœror ille à nobis recedit, & in lætitiam potius vertitur. Speramus enim iam prope futurum, cum externæ & infidæ gentes agnoſcēt Chriſtum Dominũ Deum ſuum, neque Turcarum tanta victoria nobis formidoloſa eſſe debet. Scimus enim quoties omni-*

Sal. Ann. 1518. *omnipotens Deus hoſtibus ſuis vires dederit, vt ſuorum ſcelera ac peccata vlciſceretur. Nouimus etiam, quoties voluerit fidos numinis ſui cultores parua manu ingentes hoſtium copias fundere.* Sperauerunt in eo patres noſtri, ſperauerunt, & liberauit eos.

2. *Quod ſi tam cecæ aliquorum mentes erunt, quæ tam certis futuri exitij nuntijs nondum reſipiſcant, non tamen nobis deſperandum erit tali Pontifice, qualem multa ſecula non tulerunt. Scimus egregias virtutes, inclytas animi dotes Beatitudinis V. & nunc cernimus, quo feruore, qua pietate pro commiſſo ſibi grege inſudet. Quæ quanquam nobis gratiſſima ſunt, vnum tamen nobis ſummæ admirationi fuit, admiratione an potius mœrori, quod Sanctitas V. optat, ut Deus aures noſtras aperiat ad audiēdam aliquando veritatis vocem, quaſi vero veritati aures hactenus occluſerimus, atque ita de nobis reſpondemus, nos non tam profundo ſomno ſopitos in hanc vſque horam obdormiuiſſe, vt hæc demum Turcarum victoria nos excitaret, ſed diu ante præuidimus ea, quæ nunc ante oculos habemus, Sanctiſſimæque memoriæ prædeceſſores Sanctitatis V. qui ætate noſtra vixerunt, monuimus rogauimuſq. et per viſcera miſericordiæ Dei obteſtati ſumus, vt Chriſtianæ Reipub. conſulerent. Quorum aliqui nobiſcum conſenſerint, ſed tamen ſemper reperti ſunt, qui tam glorioſæ, & tam Deo acceptæ expeditioni inuiderent, & omni nixu nobis aduerſarentur. Quod ſi illi ijdem Sanctitatis V. prædeceſſores viuerent, qui ætate noſtra fuerunt, redderent veritatis teſtimonium, & nobiſcum vna Chriſtianæ Reip. tam lugubrem hoſtium victoriam ingemiſcerent, & ſponte ſua faterentur expeditionem iſtam non hac tempeſtate magis quam ſemper neceſſariam fuiſſe. Verum Deo Opt. Max. gratias agimus, quo Maieſtas ſua nos potiſſimus excitare voluit, Beatitudine V. eius vices gerente, & gregem ouium ſuarum egregie tutante. Quæ ſi cœptum iter peregerit, duce virtute ſua, nullum diſcrimen, nulla calamitas Chriſtianæ Reip. ſubeunda aut pertimeſcenda eſt. Noſque, quoad vita ſupererit, nunquam deſeremus tam glorioſam prouinciam, tam neceſſariam, tam ipſi Deo acceptam: ſed opes, vires, ſanguinem noſtrum etiam ad certum exitium pro Chriſti fide conferemus.*

3. *Non laboret in nobis itaque S. V. qui à teneris annis, cum adhuc, quid eſſet bella gerere, per ætatem neſciremus, cum tamen audiremus, eſſe Turcas, qui Chriſti religionem negligerent, odiſſent perſequerentur, eos potiſſimum, cum primum licuiſſet, radicitus euertere optabamus. Non laboret in nobis, qui vbi adoleuimus, & militarem artem didicimus, non eam ſcire voluimus, ad Chriſtianorum ciuitates occupandas, ſed potius ad eas vindicandas è manibus Tyrannorum: non ad fines adimendos, ſed tuendos: non ad eorum dedecus, ſed ad laudem: non ad perniciem denique, ſed ad cuſtodiam, huiuſque rei teſtes erunt cuncta bella, quæ geſſimus ſemper inuiti, ſemper laceſſiti, ſemper coacti. Et nunc cum videremus Beatitudinem V. tot perſuaſionibus nos ad pacem & concordiam cohortari, & ita velle, pro bono Chriſtianitatis flecti nos permiſimus, & conditiones quaſcunque ſuſcepimus, ne mora vlla in nobis eſſet, ne per nos defuiſſe videretur, quin labanti fidei Chriſtianæ opitularemur: neue vnquam vox iuſti coram Deo ſuper nos clamaret. Neque vero nos cohortetur Sanctitas V. qui, poſtquam Imperij ſceptrum ſuſcepimus, ipſi nunquam deſtitimus cum quocunque Pontifice agere, vt ſanctam hanc expeditionem ſuſciperet. Scimus enim eam & neceſſariam, & vtilem, & glorioſam fore.* Sal. Ann. 1518

Excitet modo ſe B. V. & Chriſti vexillum erigat, & cum reuerendiſſimis illis Patribus iter feliciſſime aduerſus hoſtes arripiat: nos comitabimur eam, & opes ac vires noſtras omnes conferemus. Neque ætas noſtra, quæ iam celeri gradu ad ſenectutem feſtinat, nos tantillum morabitur: quin ſi mors illa pro Chriſti nomine optatiſſima obtigerit, reuiuiſcere nos ad æternam gloriam ſperamus. Sed quid de nobis dicimus? Nemo tam impudens erit, aut tam Chriſtiano nomini inimicus, qui ſi viderit Dei Vicarium cum Reuerendiſſimis Cardinalibus bellum in Turcas mouentem, ac me in expeditionem euntem, non omni renunciata merce, etiam ad certam mortem conuolet. Imbecillis nimirum ſexus, & infirma ætas Beatitudinem V. ſequetur.

4. *Quare nos itidem rogamus Sanctitatem V. imploramus, obteſtamur, vt prouideat, ne quid detrimenti Chriſtiana Reſp. capiat. Confirmet opinionem, quam omnes de ea conceperunt, ſuccurrat nutanti Reip. Chriſtianæ, liberet*

Sal. Ann. 1518. ret è faucibus ſæuiſſimorum luporum oues ſibi commiſſas. Neque expectet, quo ad Chriſtiani Principes congregentur (quippe longum illud eſſet & fortaſſe periculoſum) ſed S.V. gladio Domini ſuper fęmur potentiſſimum cincta iter auſpicatiſſimum ingrediatur. Quæ quanto magis ab alijs Principibus derelicta erit, tanto erit glorioſior, tantoque magis immenſa Chriſtianorum multitudo confluet, Deo victimas gratias offerri optantium. Nos verò qui aut vbi S.V. deſeremus, qui vltro cupimus hanc fragilem & corruptibilem coronam, quam gerimus, cum illa pretioſiſſima & æterna martyrij corona permutare? Neque vero ſubuereatur B.V. Turcarum potentia. Non tot apparatibus non tanta bellorum copia indigemus. Ipſe namque Deus eſt, pro quo certaturi ſumus, ipſe docebit manus noſtras ad prælium, & ponet vt arcum ęreum brachia noſtra, ipſe dabit nobis protectionem ſalutis ſuæ, & dextera eius ſuſcipiet nos. Quod ſi hæc tam ſancta deliberatio in auras euaneſcat, prout aliæ hactenus fecerunt, neque alia expeditio fiat, tum ſummum illum rerum opificem obteſtamur, per nos non defuiſſe, quin vita & ſanguine noſtro Chriſtianæ Reip. conſuluerimus: videbuntque gentes, & ipſe, cui nihil ignotum eſt, Deus, nos nulla alia pro re magis vnquam elaboraſſe. Per quem vero deerit, is ſciat ſe rationem ante tribunal Dei redditurum. Cætera intelliget S.V. ab Oratore noſtro, cui latius ſcribimus.

Datum in oppido noſtro Mechliniæ, die vltimo menſis Februarij, anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo: Regnorum noſtrorum, Romani triceſimo ſecundo, Hungariæ vero viceſimo ſeptimo.

Maximilianus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Auſtriæ: Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Palatinus, &c.

Maximilianus

Ad mandatum Cæſareæ Maieſtatis proprium.

Iac. de Panniſſis.

CXCVII. Poſtea Auguſtæ Vindelicorum celebrato conuentu, ad quem Principes ſolito frequentiores venere. Adfuit à Pontifice *Thomas Caietanus* Cardinalis, qui Eccleſiæ nomine & collegarum ita diſſeruit.

Boni adſumus nuncij (Illuſtriſſimi Principes,) Leo Pontifex Maximus poſt Apoſtolicam benedictionem, Romanum, Chriſtianum, idemque veſtrum imperium occupatum à Turcis, reſtitutum vobis veſtra ac Chriſtianæ reipublicæ virtute & opera cupit, diſponit, ac primùm à vobis petit. Memoria ſiquidem cum repetimus maiorum veſtrorum gloriam, animi magnitudinem, & ea quæ fortiter ac ſtrenue geſſerunt pro republica geſſerunt, ſi Eccleſiæ præſertim religioniſue cauſa ageretur, non poſſumus læti atq; hilares nos ipſos continere: cum non intra nos dicamus, non admiremur, non conijciamus, non æſtimemus, ſed ipſis, vt aiunt, oculis conſpiciamus, quanto ſitis animo, quantis viribus ad Chriſti rempublicam capeſſendam, priſcorum veſtigijs inſiſtentes accerſiti. Ita vt qui annis prope ſeptingentis Romanum imperium ereptũ à Græcis, receptum à Gallis, ſumma fide Apoſtolicæ Sedi ſeruaſtis: idem quoque nunc ſit non modo non diffidendum, ſed quacumque orbis patet, veſtra quoque virtute ac fide propagandum. Italia omnis ſi quam ſpem reliquam habet, ſi quam victoriæ lucem videt, Germanos Chriſtiani huius belli auctores, ac duces, eoſdemque confectores ſibi pollicetur. Nullibi enim tantum Chriſtiani nominis ac fidei patrocinium, quantum in Cæſare & Germanis Principibus eſſe, & reſidere arbitratur: nec uos degeneres futuros ab Ottonibus, Henricis, & id genus alijs, in periculo præſertim religionis & imperij, ſibi perſuadet. Nolite itaque pati, ut qui tantam de vobis opinionem conceperunt, irritam ac inanem fuiſſe poſtea fateantur: præſertim cum præſidere Deum Opt. Max. veſtris ductibus ſciamus. Cum enim cauſa hæc agitur, Dei cauſa agitur: cum in nefarium impurumque Turcam acies inſtruitur, pro Deo pugnatur. Cum in hoc mortis genus itur, pro Deo cadimus. Feliciſſimum profecto mortis genus, quo vita comparatur, & ea æterna. An forte timendum vobis eſt Germani, vt hoſtibus cedatis, qui ipſas quoque Romanas legiones, aliàs inuictas profligaſtis? Et ſi enim qui imminet hoſtis late dominetur, ne dicam regnet: licet Syriam & Aegyptum nuper ſubegerit: ſi tamen ad mentem reuocemus, cum quibus pugnam manuſque conſeruerit, nihil eſt quod vltra admiremur, cum imbelles quoſque deuiciſſet. Cum Orientalibus quippe pugnatum eſt. Sinite, ſinite cum Germanis congrediatur: inueniet

Sal. Ann. 1518. CXCVIII.

Sal. Ann. 1518.

inueniet legitimos milites, experietur inuicti roboris viros, ſentiet Omnipotentis Dei in vobis manum. Perſequimini tantum (vt diuinum vſurpem oraculum) inimicos veſtros, et corruent coram vobis. Perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum ex vobis decem millia. An forte abbreuiata eſt manus Domini, ut ſaluare nequeat? In promptu eſt, vnde conuertatur Deus & ignoſcat. Dabunt ſiquidem tot millia hominum nomen in Chriſti militiam: ſignum ſacroſanctę crucis, omnium culparum expiatiuum tanta multitudo ſuſcipiet: criminaq; noſtra paſſim pijs in ſanctum hoc opus largitionibus redimemus, ut procul dubio factus caro & frater noſter Deus, non ſæuiat in ſuos: qui cum niſi Dominus humani generis eſſet, pugnauit pro externis, ac pro ſeruis. Agite quod veſtra intereſt, & venite, & arguite me, ſi deero vobis, dicit Deus Optimus Maximus. Bella nō vſquequaque extincta, ne tam neceſſario diuoque operi impedimento ſint, Apoſtolicis, ut par eſt, mandatis quinquennalibus inducijs tolli rogamus. Ieſu Chriſti proprium admiramur, venerarumque opus, efficere pacem hominibus bonæ voluntatis. Nobiſcum bene agetur, ſi aliquantula fiet quies, etiam inquieto animo retento. Bello autem ſuſcipiendo, quæ via, quiſue modus habendus, (licet quot capita, tot ſenſus) probata cum plurimorum ſapientum conſilio ſententia fuit, oportere imponere ſacris initiatis Decimas, plebeijs quinquageſimas, cuiq. domui ſtipendium vnius militis, diuitibus annui cenſus ac lucri viceſimam: nec uos terreant, Decimæ, viceſimæ, aut quinquageſimæ inſueta nomina nouaque horrenda quoque nobis (hæc affirmauerimus) ſi nuda occurrerent. Verum cum quinquageſimas, viceſimas, decimaſque non ſit ſoluere ſed deponere, idque tutiſſime, ut ea lege debeant, ut niſi definito tempore in expeditionis iſtius opus conferantur, illis qui depoſuerint reſtituantur, pium, ſanctum, optabileque cuilibet fore Chriſtiano cenſebitis. Quare trepidare timore vbi non eſt timor, deſinant: deſinant & circumloqui, aſſerentes, expeditionem hanc fucatam eſſe, et auri ſacram ſubtergere famem. Deſinant inquam iactare, nos Turcæ ſumus, quibus expellendis incumbitur: in nos expeditio iſta ſæuiet. Vacate & videte, quæſo, quam ſuperuacaneus eſt metus & ſermo iſte. Percipite, quam pie, quam ſancte, & cum ſacris initiatis, & populis uniuerſis agatur. Nolumus nos aut Theſaurarij, aut Exactoris officio fungi. Non eo tendimus, ut in noſtram poteſtatem æra redigantur. Veteres reuoluite hiſtorias, inquirite, ſi ullo vmquam tempore Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales de Latere Legati, interdictis etiam à iure facultatibus, ad Pontifices, eorumque rem pertinentibus, ut in præſentia cernitis, prodierint? & animaduertite omni exceptione laudeque dignam, maiorem Leonis Pont. Max. pietatem, atque liberalitatem, ex proprijs tot per regna legatis opportuna conferentem. Non quærit profecto veſtra, qui ſua pro uobis ſponte magnificeque largitur. Sed quid Pontificij animi argumentis immoramur? Reipſa comprobare operæ pretium eſt, nos non quærere ueſtra. Inuenite uos ipſi: inueniant metuentes ipſi modum quempiam, quo quicquid auri argentiue collatum fuerit, tutum adeo ſit, ut nec in exactorum cuſtodumue ſtipendia aliquid cedat: ſed integra uniuerſa, aut ad expeditionis huius vſum cedant, aut ad eos qui dederint redeant. Non quærimus Germanicum ærarium in Italiam transferre: at in Germanorum militum ſtipendia erogare cuncta ſummus Pontifex uult: atque præcipit, nullum locum dolo fraudiue relinqui: quin & uos clara luce videtis, quod Chriſtiana Reſpub. religio, regnum, templa, urbes, oppida, in ueſtra ſe propunacula contulerunt, veſtram opem implorant, veſtris genibus aduoluntur. Si iſta deſtituitis, uos ipſos Germanis deſtituitis quando omnes in Maximiliani aquilas reſpiciamus, nec aliunde quam à Rom. imperio auxilium expetamus: quando res ueſtra non minus quam aliorum regnorum agatur. Contermina ſiquidem Turcis Germania præ alijs eſt. Italia enim, quamuis Turcarum claſſi magis ſit obuia, prius tamen quam in Italiam Turcarum copiæ terreſtri itinere inuadāt (quo in exercitu conſtat vim omnem belli victoriaq. ſitam eſſe) Germaniam oppetere oportet: niſi Carinthiam, Styriam, Croatiam & Vngariam Germaniæ mœnia eſſe inficiati fuerimus. Solertiſſimus Leo Pontifex, dici non poteſt, quantis vigilijs in hanc rem incumbat. Non dies, neque noctes ab hac cogitatione auelli poteſt: non ſi comedat, aut bibat, aliud pectore agitat. Non ſua tantum iam, ſed ipſum, ſanguinem & vitam ipſam, pro Chriſtiana religione & imperio geſtit exponere. Supereſt ut Cæſareus hic Senatus expedi-

Sal. Ann. 1518.

tionem

Sal. Ann. 1518.

tionem in Turcas indicat, efficiendamque ſuſcipiat. Expectat Romana Eccleſia: vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. capita & membra, in Sereniſſimum hunc conuentum reſpiciunt. Si definitur nunc nihil: ſi in alium conuentum differtur: confundemur omnes in expectatione noſtra. Cauete per Deum, ne dilatio hoſti componendi cum Perſis, finitimiſque alijs tempus præbeat: Germanos Principes linguarum morſibus exponat, Chriſtianiſque populis deſperationem inducat. Animaduertite grauiſſime, iſtum Conuentum fundamentum eſſe, ſuper quo tanta moles expeditionis erigenda eſt. Contantibus quippe vobis, Chriſtiani Principes reliqui retrahent proculdubio animum, & manum ab hac expeditione. Dicent: Si Germania cuius primum intereſt, quia Romani Imperij dignitate gloriaque illuſtratur, & cui Eccleſiæ defenſio eſt tradita, verba dat, deque conuentu in conuentum deffinitionem transfert, quid nobis agendum ſit, diſcimus facile ab exemplo, ſicque veſtra mora, Chriſtianæ Reipublicæ quod abſit, ruinam parturiet. Cauſabuntur forte multi, abſentum libertatem: Dicent, Iureiurando noſtris tenemur Eccleſijs, nihil contra earum commoda illis inconſultis agere: non eſt nobis delegata poteſtas abſentes colligendi. Ibimus illos conſultum atque hortatum: referemus deinde altero in conuentu. Cum bona venia illorum dixerimus: verba ſunt hæc, non multum diffidentia ab inficijs. Impoſſibilia à vobis petit nemo: fidem violari horremus, quã & hoſti ſeruandam eſſe didicimus. Quod veſtra intereſt, & quod in veſtra ſitum eſt poteſtate, poſcimus decerni, ſcilicet nunc expeditionem in Turcas, ac definire modum comparandi nummos, nullius cum iniuria: Iureiurando demum ſpontaneo præſentes adſtringi, daturos ſe bona fide operam, vt hic definita executioni demandentur. Non ſunt hæc contra iuſiurandi cultum. Non excedunt hæc veſtræ limites poteſtatis: non obſunt hæc abſentium libertati. Tollite itaque moras: ſemper nocuit differre paratis. An non parata ſunt omnia ad expeditionem indicendam, quando vniuerſa oblata ſunt? Quid amplius enim à Romana Eccleſia exigitur? Quid vltra ab externis petitur, quando ſe & ſua omnia dedunt? Felix initium Sereniſſimi Caroli Regis, feliciore nos auſpicio trahat. Turcarum Imperium ille adhuc adoleſcentulus nuperrime in Africa extinxit: pellite vos Europa. Nec longe adſunt maxima quæque præmia. Enimuero numquam honeſtior, numquam facilior ad ſummam gloriam, ſi vobis cupidine gloriæ ardet animus, via vobis patuit. Capeſcentibus quippe Germanis expeditionem in Turcas, ſi quæ à nobis dicta ſunt fient, ſuprema vos belli auctores et duces gloria manet. Sin vero, quod Deus nolit, irrita eſſe contingat, parta iam vobis in dicta expeditione gloria, integro apud eos ſplendore fulgebit, nullo accepto incommodo. Si regnum appetitur! de propagando veſtro Imperio agitur. Si terrarum orbis non ſufficit! paratum vobis à conſtitutione mundi cœleſte regnum adeſt. Si in ius cauſa deducitur! aſtricti eſtis pro Chriſti nomine ac fide bellum inire: quandoquidem prior ipſe Rex Regum aëreas proprio ſanguine ac cruce poteſtates debellauit, vt nos de perenni captiuitate in libertatem filiorum Dei referret. In manu igitur veſtra populorum libertas atque ſalus cum poſita ſit, exaudite benigniſſimi Principes, nos Apoſtolico nomine pro vniuerſa Eccleſia ſupplicantes. Miſeremini ſimul tam vaſtæ multitudinis, abſque Baptiſmi gratia in æternæ mortis interitum præcipitis. Si quod vni ex minimis ſit factum, ſibi factum cenſet Chriſtus Dominus: quanti facturum putatis illum, quod innumeris ſuis Eccleſiis tam ingens beneficium collatum fuerit? Vobiſcum igitur quia partiri curas, & rerum molem ſummus Chriſti ouium paſtor deſiderat, ab vtriſque par eſt, vt oues protegantur, & lupi arceantur: ab illo Cruce, à vobis gladio: quo ſub vtraque protectione quietam & tranquillam vitam tranſigamus.

Sal. Ann. 1518.

Poſt hæc exhibuerunt Principibus conſultationem Romanam, his verbis conceptam.

CONSVLTATIO ROMANA.

CXCIX. Romæ habita à Summo Pontifice, & Sacro Cardinalium Collegio, in conſultationibus ſanctæ expeditionis, quæ ad principes imperij mittenda viſa ſunt, eorum quoque prudentia, & conſilio examinanda, ſi quid addendũ, minuendumue videatur, Die XII. Nouemb. M.D.XVII.

I. An hoc bellum ſit ſuſcipiendum?

II. Si ſuſcipiendum, defenſiuumne an offenſiuum?

III. Quæ

Sal. Ann. 1518. III. Quę belli ſuſceptionem impedire poſſe videantur: & quoquo modo ea dimouenda.

IV. An bellum ſuſceptum per omnes Chriſtianos Principes gerendum, an per aliquos tantum, & per quot, aut quos.

V. Quanto apparatu bellum hoc inſtrui & geri conueniat: & de rebus apparatus neceſſarijs. Primo de reconciliando Deo: ſecundo, de pecunijs: tertio, de copijs militaribus. Quo ad pecunias, quomodo cogendæ quæ ſatis eſſent: & per quos cuſtodiendæ, ac diſpenſandæ. Quoad militares copias, ex quibus potiſſimum nationibus, & ad quem numerum tam equeſtres quam pedeſtres aſſumendæ ſint, & hæc ad belli apparatum pertinent.

VI. Ad conſultationem vero & adminiſtrationem belli gerendi. Primo, qua via eundum ſit aduerſus hoſtes, Terrane an mari, an vtroque modo. Secundo, an diuiſo in partes exercitu & terreſtri & maritimo, an viribus in vnum coactis. Tertio, quo itinere & terra milites ducendi, & mari traijciendi. Quarto, vbi conuenire in vnum exercitus, & quæ primum aut potiſſimum loca hoſtium debeat inuadere, Quinto, quæ prouidenda, vt commeatus neceſſarij noſtris exercitibus ſuppeditentur.

Erunt & alia duo extrinſecus ad huiuſmodi belli rationem vel neceſſaria, vel vtilia. Primum ea, quæ hoc bello acquirentur, ſi Deus adfuerit, quomodo inter Chriſtianos Principes, & quorum iudicio diuidenda: & ante ne bellum, an poſt, vt cauſa litium amoueatur. Alterum, an aliquis infidelium ſibi metuens, & ſuſpectam habens Turcæ potentiam, ſit ad huiuſmodi belli partem capeſſendam ex ſuo latere per nos incitandus. Præmiſimus capita rerum, quæ in conſultationem veniunt per ordinem: nunc ſingulis eodem ordine explicandis noſtram ſententiam accommodabimus.

CAP. I.

An hoc bellum ſit ſuſcipiendum.

Hoc non videtur cadere in conſultationem. Non enim iam eſt in poteſtate noſtra, cum noſter æternus & potentiſſimus hoſtis, maximos apparatus fecerit, faciatque ad nos, & ſtatu, & fortunis, & vita ipſa exturbandos ac ſpoliandos, palamque iactet valde ferociter ſe Orientem modo ſubegiſſe: nunc ſtatim ad Occidentem arma conuertere: nec ſit niſi vniuerſa Chriſtianitate capta vllo modo quieturus, vt nos aut dare illi gratis noſtrum ſanguinem, aut ferro cum eo decernere oporteat. Nullum igitur habet locum conſultatio, vbi interuenit neceſſitas. Sal. Ann. 1518.

CAP. II.

Suſcipiendum ne bellum offenſiuum, an defenſiuum.

Ne hoc quidem valde dubitandum eſt, quia longe melior ſit conditio inferentis bellum, quam propulſantis. Primum, quia aggredi vltro hoſtem maioris eſt & animi & authoritatis, quam illius impetum expectare: cum aduerſarij animus eo magis minuatur, quo magis illum audere viderit, contra quem decertaturus eſt. Deinde ſi quid debile aut infidum eſt in ſtatu inimici, id data occaſione detegatur: qualia multa profecto in ſtatu Turcarum, ſi eo noſtri exercitus peruenerint, depræhendentur, quæ & pro nobis valde & contra illos facient. Poſtremo Ciuitates & populi externo bello perturbati, de ſalute ſua cogitant, nec habent ſpatium ad ea comparanda, quibus hoſtis in ſuis regionibus vexetur. Atque hæc incommoda cum hoſtibus importantur inferendo vltro bello, tum à noſtris remouentur. Poſſunt & aliæ plures rationes adduci, quare inferri bellum vtilius ſit: ſed eæ faciles cogitatu ſunt. Duo tamen in bello offenſiuo diligenter animaduertenda ſunt: primum vt eis viribus contra hoſtem eatur, quibus ille opprimi debeat. Deinde vt periti locorum atque hoſtium, ad omnia belli conſilia adhibeantur. Sed hæc & alia multa prudentia & vigilantia ducum non fallent.

CAP. III.

Quæ impedire hoc bellum poſſent, & quomodo ea dimouenda.

Eſſent enim impedimento maxime diſcordiæ & diſſenſiones, quod Deus auertat, Chriſtianorum Principum inter ſe, ſi quæ nunc ſunt, aut ſi quæ poſtea exorirentur. Ad quod malum exitiale tamquam ſemen Sathanæ penitus eijciendum, pax quidem optanda eſſet, ſed generales omnino induciæ ſaltem ad annum, ac deinde donec hoc Sanctiſſimum bellum manſerit, ac eo finito ad ſex menſes faciendæ ſunt: Quæ omnium Principum religioſiſſimo iureiurando ſanciantur: ac omnium Eccleſiaſticarum cenſurarum, Anathematiſque, priuationis quo-

Sal. Ann. 1518. que regni, bonorum, priuilegiorum, Iurium pœnis muniantur: vt qui eas læſerit, hoſtis publicus Dei & fidei Chriſtianæ ſit, appelleturque, dictaſque pœnas cæteri ab eo Principes repetere debeant. Si quæ vero oriantur controuerſiæ, aut per Romanum Pontificem & ſacrum Cardinalium Collegium dedicantur, aut poſt finem belli differantur, Eſſet etiã fortaſſe ſanctius & vtilius, vt fieret vna ſancta fraternitas Principum cum Roman. Pontifice, Iuramento votoque vallato, ſub eiſdem cenſuris & pœnis contra eam violantes: Iurarentque omnes & obligarent ſe, ruptorem huiuſmodi fraternitatis ſe communiter armis perſecuturos, appellareturque iſta Fraternitas Sanctæ Cruciatæ.

CAP. IV. *An bellum gerendum per omnes Principes ſit, an per aliquos tantum, & quos.*

Scribitur in Actibus Apoſtolorum, quod poſt aduentum Spiritus Sancti in Diſcipulos Chriſti, erat credentium cor vnum & mens vna. Hoc ſi in Chriſtianis Principibus maximo Dei munere ineſſet, iam pateret Dei voluntas, non ſolum de hac victoria, ſed de vniuerſo orbe terrarum ad ſuam ſanctam fidem conuertendo: quod tamen per eiuſdem gratiam Dei futurum confidimus. Nunc vero non videtur numerus Ducum pari poteſtate in vno exercitu neceſſarius: & tamen propter caſus humanos duos præeſſe conuenit, qui ſint potentia & auctoritate magni, & mutua charitate Deo auſpice coniuncti. Nec vero dubium eſt, qui maxime apti propter plurimas cauſas, Sacra Cæſarea Maieſtas, & Chriſtianiſſimus Francorum Rex: quas cauſas, eo quod pateant, non commemorabimus. Sed his duobus tantum terreſtrium exercitum ducentibus; & ſi cæteros Reges & Principes ad hunc laborem propter longinquitatem non vocamus, eorum tamen auxilium vt quiſque commodius poteſt, vel pecuniarum, vel militum neceſſaria ducimus. Ad quę conferenda omnes prompti eſſe debebunt: cum vnuſquiſque eorum nobilis ſit pars Chriſtianæ reipublicæ, Deoque acceptam referat Regiam ſuam dignitatem, & in communi ſalute defendenda ſuam quoque & ſuorum defendat. Omnium igitur auxilijs, ſed horum duorum concordi Imperio & prouidentia, bellum hoc recte adminiſtraturum iri confidimus. Qui duo iam ſe obtulerunt, ſimulque multi alij Reges, Principes, & Nobiles, ſuas facultates huic Sanctiſſimæ expeditioni polliciti ſunt: quorum virtutis & pietatis exemplum, Deo corda diſponente, reliqui, vt ſperamus, ſequentur. Ann. Sal. 1518.

De apparatu belli, & rebus ad apparatum neceſſarijs: ac primum de Dei auxilio. CAP. V.

Apparatus vero huius belli, cum multa & magna poſtulet: in primis eſt Dei auxilium pro nobis comparandum. In manu enim eius ſunt omnium fines, & omnium iura regnorum. Sine quo nihil validum eſt, nihil forte. Qui quamquam noſtris peccatis grauiter offenſus credi poteſt, tam eſt idem, ſi ad eius miſericordiam compuncti corde confugimus, clemens ac placabilis, qui Niniuem quã ſubuertere deſtinauerat, propter pœnitentiam illius populi ſaluam eſſe permiſit. Is ergo cum propter Principum olim populorumq. peccata Aſiam, Græciam, Traciam, Africam, aliaſque prouincias in prædam hoſti eidem conceſſerit, tota mente ab omnibus nobis deprecandus, obſeruandus, humillimeq. orandus eſt, ne nos in ſimilem det calamitatem. Modi autem quibus reconcilietur Dominus, ſunt preces diurnæ nocturnæque ieiunia, eleemoſynæ, ſacrificia, & inprimis cor contritum penitentia & humiliatum. Hoc enim maxime vult Dominus, qui teſte Propheta, non eget alijs honoribus, nec bonis noſtris. Reformandi igitur mores, animi ad Deum conuertendi, prædicatoreſq. paſſim in omnes populos, qui eos ad pœnitentiam hortentur, ſunt mittendi, Prelatiq. Eccleſiaſtici vt exemplis religionis, & bonis operibus ac verbis eoſdem populus inducant, commonendi. Sic enim placatus Deus cum fuerit nobis propitius, de hoſte ſuo & noſtro nobis concedat victoriam.

De pecunijs.

Quo ad pecunias vero, quæ nerui sũt belli, quoquo modo cogendas, & per quos cuſtodiendas ac diſpenſandas attinet: penſanda inprimis huius belli magnitudo, & vires hoſtis æſtimandæ: quæ ſunt profecto maximæ, & propter latitudinem Imperij, acceſſione quoque Ægypti ac Syriæ nuper aucti: & propter multitudinem militum: & propter copiam innumerabilium, vt fertur pecuniarum,

Sal. Ann. 1518. rum,& quia aſſiduis proſperitatibus ſublatus animo ac ſpiritu, nihil iam niſi maximum & ſperat, & cogitat. Vt ergo par contra illum vel ſuperior etiam inſtruatur exercitus, ingenti opus eſt pecunia: quam nos ad ſummam hanc exiſtimauimus proponendam ſat fore, ſi octuagies centena millia aureum inueniantur. Hęc autem pecuncia non difficulter redigi poterit. Primum vt Reges ipſi ac Principes Chriſtiani, ex ſuis vectigalibus bonam partem ad hoc Sanctiſſimum opus conferant: cum ipſorum imprimis res agatur: cum ſi hoſtis victoriam, quod abſit, habuerit, plus amiſſuri ſint quam priuati. Qui quidem hoſtis, ea fertur eſſe natura, vt plebem quidem negligat, nobilibus vero ac Principibus odio aduerſetur exitiali, eorumque capita imprimis poſcat. Itaque quocumque victor ſe contulit, Principum ſtirpes penitus excidit, Nobiles ad nihilum redegit, inaudita crudelitate horum ſanguinem ſitiens. Quo magis Chriſtiani Principes de ſuis vectigalibus bona parte oblata, vitæ & honori, & ſtatibus ſuis conſulere debent, quam partem nos non ducimus eſſe taxandam: ſed eorum prudentiæ ac liberalitati hoc remittendum.

Reliqua ſunt duo genera, Eccleſiaſticorum ac Laicorum. Eccleſiaſtici omnes decimas ſoluent in ſingulos annos, vel etiam ſi viſum fuerit vigeſima aut trigeſima parte bonorum ſtabilium, quibus maiores redditus fuerint, vendita, repræſentabunt ſemel pecuniam plurium decimarum.

At ſi aptius viſum fuerit, quodque forſitan eſt deliberatione dignum, ſi perpenſis & æſtimatis Eccleſiaſticorum beneficiorum, præſertim Monaſteriorum, & Cathedralium ac Metropolitanarum Eccleſiarum redditibus, tantum his relinquetur ex fructu annuo, qui eorum beneficiorum ſunt poſſeſſores, quod ad ſupplendas neceſſitates mediocres etiam commoditates, habita ratione perſonarum dignitatumque ſat fuerit: reliquum vero omne in hunc Sanctiſſimum vſum conuertetur. In quo quaſi gradibus quibuſdam, iudicio prudentium eſt facienda æſtimatio, vt qui minus habent in annuis redditibus, decimam ſoluant partem: qui plus, quartam, tertiam, dimidiam: qui plurimum, duas tertias, vel tres quartas partes. Denique vt reſeruata vnicuique Eccleſiaſtico portione, ad commoditatem victus frugalis neceſſaria, quod ſupereſt, huc conferant. Quod tanto magis fieri ab illis debet, quod patrimonij Chriſti poſſeſſores debent omnia Deo, & certum exemplum cæteri imitaturi ſint, libentiuſque ſua Deo oblaturi. Sal Ann. 1518.

Laici vero ſi nobiles fuerint, & aut dominia, aut feuda habuerint, Decimam, ſi priuati, vigeſimam: ſi vero artifices manibus victum quærentes, eam partem ſuorum redditUum ſoluent, quæ videbitur conuenire. Publicandæ etiam Indulgentiæ Sanctiſſimę Cruciatę, ferentibus opem defenſioni ſanctæ fidei. Ex quibus, ſi bellum fide bona geritur, magnæ profecto pecuniæ comparabuntur. Non enim mortua eſt fides in cordibus fidelium, nec cœleſtis patria vſquequaque contemnitur: ſed multi ſunt, & erunt, qui paruo pretio vitam æternam libenter ement, ſi viderint ſerio, & non ſimulanter pro Deo pugnari.

Has vero pecunias nos iudicamus ita eſſe & exigendas, & cuſtodiendas, & diſpenſandas. Primum, vt vniuſcuiuſque Ciuitatis cum ſua Diœceſi Ordinarius, Sacerdotem vnum, & Capitulum Cathedralis Eccleſiæ alterum deputent, qui ſint timentes Deum, & moribus probatis. Deinde Diœceſanus ciuitatis vnum idoneum eligat: deinde vniuerſitas Ciuium vnum idoneum ſeu duos, aut ex numero ciuium, aut Clericis ſecularibus, ſiue Regularibus, vt melius iudicant, conſtituat. Qui ſimul omnes & exigant pecunias ad ſupradictam rationem, & eas in capſa, aut in loco apto, cuius ſeorſum ſinguli habeant claues diuerſas, vt nullus eorum ſine cæteris omnibus attingere quicquam poſſit, congregatas & ſepoſitas teneant: rationemque totius huius pecuniæ diligenter in ſcriptis redigant. Quas pecunias nemo quauis dignitate præditus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ incurrendæ, nec non anathematis perpetuęq. indignationis Omnipotentis Dei pœnis conſtituendis, à quibus niſi per Romanum Pontificem, vel in mortis articulo, & debita ſatisfactione tunc præuia, non poſſit abſolui, nefario ſacrilego audeat, attingere, aut vllam aliā in rem quā ad belli huius

vſum

Sal. Ann. 1518. vſum conuertere: vt vel Sanctiſſimo huic & neceſſario bello deſeruiant: vel ſi quo caſu bellum omiſſum fuerit, ijs vnde exactæ fuerint, optima fide reſtituantur.

Quoniam autem neque ſimul omnis pecuniarum ſumma exigi, & continue in exercitu militibus ſtipendia ſolui opus eſt, neceſſe eſt, in omni prouincia conquiri mercatores, & nummularios boni nominis, qui hanc aſſumant curam pecunias tranſmittendi, ac vbi neceſſarium fuerit permutandi, cum honeſto lucro laboris ſui: quo quidem labore etiam cœlum lucrabuntur. Ac ſingulis mercatoribus ſuæ regiones diuidendæ, ex quibus redactæ pecuniæ ad eos referantur. Hæc enim videtur eſſe optima, & cuſtodiendi, & diſpenſandi ratio. Sed neceſſarium videtur ad cogendum exercitum, habere ſaltem tertiam partem ſummæ totius, quam diximus, in pecunia numerata ſtatim à principio: poſtea reliquum cũ commoditate tẽporis exigeretur, ac ſupradicto modo ad exercitũ mitteretur.

De copijs militaribus.

Robur omne exercituum poſitum eſt in peditatu, & equitibus cathaphractis: quo genere vtroq. Chriſtiani excellunt. Pedites aut ſumendi ſunt ex eis nationibus, quæ maxime huic militiæ pedeſtri & ordinibus ſeruandis ſtudent, vt Heluetijs, Germanis quos Lantzknechtos vocant, Hiſpanis, Boemis. Ac ex toto hoc numero Sclopetarij multi ſunt neceſſarij; propterea, quod ea quoque parte militum qui ſclopis vtuntur aduerſarius abundat. Videntur ergo peditum fortium virorum in exercitu neceſſaria ad minus ſexaginta millia. Cataphracti vero equites Gallici optimi & Italici, qui videntur ad numerum quatuor millium accedere debere, Duodecim autem millia leuis armaturæ equitum, quo vno fere militiæ genere præualet hoſtis nobis, duntaxat qui alia potiora ducimus, neceſſaria ſunt ex nationibus huius ſtudij gnaris, Hiſpanis, Italis, Dalmatis & Græcis. Hic terreſtris exercitus bonis gubernatus conſilijs, commeatuũ non egens, ſuorum tormẽtorum opportunis præſidijs inſtructus, cũ Domini benedictione futurus eſt inuictus. In maritimo autem claſſis apparatu Veneti & Genuenſes ex Italia, Galli ex prouincia Britannia, & alijs locis: Hiſpani à ſeipſis & vtraque Sicilia, Angliæ quoque & Portugalliæ Reges optimam & hominum, & nauium militiam ac copiam ſuppeditabunt, vt mox dicemus. Sal. Ann. 1518.

Quomodo conſultandum, & adminiſtrandum bellum. CAP. VI.

Ad conſultationem vero, & adminiſtrationem belli gerendi, quod ſexto loco propoſueramus, Primo, an ſit hoſtis terra an mari aggrediendus, deliberandum eſt. Et videtur omnino maritima quoq. claſſis, & ea potens cũ ducibus ſuis ad bellum neceſſaria, cum hoſtis trecentas iam triremes paratas habeat, aliaq. quotidie nauigia paret ad traijciendos, vt nos arbitramur, equos. Ergo è cõtrario nobis claſſis inſtituenda. Primum cum dimidium belli mari geritur, dura in conditione eſſemus ſine claſſe. Iam enim dimidio belli inferiores eſſemus. Foret enim hoſtis dominus maris: deinde ſine claſſe, nec cõmeatus, vehi ad exercitũ, nec vrbes & littora noſtra ab hoſte defẽdi poſſent. Tertio magnã authoritatis partẽ amitteremus, ſi ſine claſſe bellũ gereremus, magiſq. animum hoſtis & ſpem accẽderemus. Poſtremo, nec toto bello pares eſſemus, & fruſtra apparatus terreſtres faceremus, ſi maritimos dimitteremus. Quare eſt omnino claſſis neceſſaria: ſed ea ita potens eſt comparanda, vt hoſtilem claſſem non pertimeſcat. Ac triremium quidem numero pares eſſe non poſſumus: ſed facilis eſt aut certe non difficillima potentioris claſſis cõparatio hoc modo. Triremes videmur habituri cẽtum, hac computatione. Rex Chriſtianiſſimus in portu Maſſiliæ complures habet: has vt viginti ſint, poterit efficere: totidẽ Rex Catholicus, ſi ad eas duodecim, quæ continue in Sicilia ſunt, alias octo addiderit: quod non erit magni operis. Ad quadraginta Veneti. Romanus Pontifex cũ ſacro Collegio vt decem conferant, conabuntur. A Genuẽſibus vero tum triremes viginti, tum naues magnas quas Carachas, ſeu Galeones vocamus, exquiremus. Sed & magnarum huiuſmodi nauium copiam Reges Franciæ & Angliç poterunt ſuppeditare. Habent enim non mediocrem earum numerum paulo ante ædificatarum. Reges quoq. Hiſpaniæ & Portugalliæ grandem earum copiam afferent. Hanc autẽ claſſem prębebunt quæq. nationes partim ſumptu ſuo, partim cõmuni omnium collatione, & prouentibus ſanctæ expe-

Sal. Ann. 1518. expeditionis adiutæ. Hæ naues cum illis triremibus inſtructæ militibus Hiſpanis, & precipue Biſtainis, Portugallenſibus, Gallicanis ex prouincia Britannia, Normandia aliundeque & item Anglicanis ac Italis: tormentiſq; idoneis armatæ, ſtabilitate ſua pro numero erunt triremibus, claſſemque hoſtium abſq. controuerſia, aut repellent, aut obruent.

Duces à maritimi belli ab vnaquaque natione ſuis quidem claſſibus præficiendi ſunt: ſed ad quos totius belli ſummam referrent, qui ampliſſimam poteſtatem haberent, optandi eſſent Angliæ & Portugalliæ Reges, qui ambo ſeſe ſumma pietate obtulerunt. Verum ſi Rex Angliæ ob longinquitatem commodo ire non poſſet, Duce & Imperatore Portugalliæ Rege contenta eſſet maritima expeditio.

Secundo, an diuiſis, an coniunctis viribus & exercitu aggrediendus hoſtis ſit: non eſt dubium, quin noſtris vnitas & coniunctio virium, præſertim terreſtri bello ſit aptior. Nam & in minori numero, diuiſio minuit vires animoſque quod hoſti, qui copijs innumerabilibus abundat, nequaquam contingeret, & in vnum locum coactis copijs hoſtium erit inutilis minima multitudo. Noſter exercitus, nec præ turba confuſus, & viribus non impar, nullum pugnandi diſcrimen pertimeſcet. Deinde non carpere diuerſa loca, ſed ad hoſtem protinus, vel ad Regiam hoſtilem accedere, erit & virtutis, & dignitatis, & maximæ in vniuerſo bello vtilitatis.

Tertio, Quoad iter exercituum, & qua regione poſſint commode incedere: triplex via proponitur. Vna per Germaniam & Vngariam. Commoda hæc quidem, vbi ad Vngariam peruentum erit. Nam per Danubiũ flumen vehi exercitus, & paucorum dierum itinere ad Conſtantinopolim exponi poſſet: ſed hac longior, & quibuſdam Principum forſan parum grata. Altera per Dalmatiam & illyricum non longe fere à mari: ſed hæc difficilibus locis ſæpe impedita eſt, & equitatui maxime incommoda. Tertia quæ has difficultates euitat omnes, vt per Italiam ad vrbem Anconam ex Brunduſium Cæſarea Maieſtas, & Chriſtianiſſimus Rex perueniant cum ſuis copijs: hinc enim ſatis commodus eſt tranſitus in Epirum & Græciam: & per amicas ambo regiones ſunt profecturi. Ab Ancona vero traiectus claſſe faciendus eſt, præmiſſaque copiarum parte, Imperatores poſtea ſubſequi poterunt. *Sal. Ann.* 1518.

Quarto, vbi conuenire exercitus in vnum, & quæ primum loca hoſtium debeat inuadere. Terreſtres quidem copiæ Anconæ, & Brunduſij, vt diximus: nauales vero in Sicilia conuenire debebunt, atque inde maiore agmine, ad prædictos Anconæ portus & Brunduſij contendere, vt inde quoque noſtras copias traducere ad hoſtium littus poſſint. In terra autem hoſtili videtur portus Dyrrachij opportuniſſimus, quamuis ſit hoſtium. Sed non erit cæptu difficilis, claſſe & exercitu noſtris eo conuentibus, quamquam tutum illud littus hoſpitale & portuoſum eſt, vt futura ſit facilis adhibitis locorum peritis in terram, & ſi opus fuerit ad portum Venetorum Catharri defenſio. Primus autem conatus noſtri exercitus, vel ad ipſum Ducem hoſtium, vel ad Conſtantinopolim aggrediendam faciendus eſt. Caput enim petendum, quo oppreſſo facilior eſt reliquorum omnium acquiſitio. Sed hoc ſi noſtrarum & hoſtis virium periti, nos præualere ſenſerint. Nam aliter non eſſet tranſmiſſio facienda, ſed noſtra potius præſidijs tuenda. Sed hæc conſilio & prudentia Imperatorum diligentiſſime perpendenda ſunt.

Quinto, de commeatibus non erit difficile prouidere, claſſe noſtra mari dominante, vt dictum eſt. Nam & mercatores tuto commeabunt, ex Marchia, Apulia, Calabria, Neapoli, Sicilia maximos commeatus poterunt ſuppeditare. Venient etiam ex Lombardia, & tota fere Italia, ac etiam Gallia copiæ ingentes per commoditates fluminum, maximeque Padi, ad mare deuectæ: atque inde facile ad exercitum comportare vſque ad littus parui negotij erit: à littore vero ad exercitum, quomodo tuto fieri poſſit, eorum qui in re præſenti fuerint erit deliberatio. Sed illud erit curandum, vt mercatores idoneo conducantur, qui hanc prouinciam deferendorum commeatuum pro honeſto lucro capiant: atque eis poteſtas & nomen Commiſſariorum à locorum Dominis detur, quo maiore auctoritate negociari & ibidem curare neceſſaria poſſint.

Ann. Sal. 1518.

Capitula extrinſeca.

De duobus vero, quæ extrinſecus conſideranda duximus, tentare aliquem infidelem Principem, vtpote Sophin, ad bellum hoc contra Turcas, quibus inimiciſſimus eſſe debet, communicandum forte non eſſet inutile. Sed non in hoc magna ſpes à nobis, verum in Deo, & viribus, conſilijſque noſtris eſt collocanda.

De diuiſione verò eorum, quę bello acquirentur: ſic iuſte facienda, vt nemo conqueri, nec diſſenſionem quærere iure poſſit, videtur eſſe commodiſſimum, iam nunc iudices & arbitros huius diuiſionis eligere: puta Romanum Pontificem & Sacrum Collegium: aut alios communiter à Principibus conſtituendos: qui confecto bello iudicare deberent, ſecundum rationem proportionis ſumptus & laboris in hoc bellum impenſi: vel alia præſcripta, & ab omnibus accepta ratione: quorum iudicio omnes ſtare deberent, ſub pœnis ſupra in inducijs appoſitis. Vel ſi illa ſancta Confraternitas fieret, quæ recuperarentur communiter, ab ea tenerentur pro indiuiſo: quouſque per eandem deputati iudices determinarent. Diuidere autem res antequam partæ ſint, incongruum: & poſtea finito bello, ad diſſenſiones venire periculoſum. Hoc autem modo vnuſquiſque iam ſciret fere, quid ad ſe venturum eſſet, & nunc operam tempuſque in hac diuiſione, alienarum adhuc rerum non contereret.

Hactenus noſtræ ſunt in ſingulis capitulis ſuprapoſitis dictæ ſententiæ. Nunc quædam præterea addemus.

Si fieri poſſet, vt Vngariæ & Poloniæ Reges, paratis exercitibus Turcam ex ea parte inuaderent, non eſt dubium, quin multum proficeretur ad bellum conficiendum. Magnus enim terror inde inijceretur hoſti, eiuſque vires diſtraherentur. Itaque ſunt illi quidem cohortandi atque incitandi, auxiliaque illis danda: ſed ita vt de eo exercitu, & de ea apparatione, quam diximus, nihil omnino imminuatur. In hac enim neruus, & vis, & ſpes belli ac victoriæ ſita eſt. Verum ſi ſine huius apparatus detrimento, pecuniæ ex Cruciatis ac decimis ab illis extremis nationibus, Noruegiæ, Daniæ, Saxoniæ illis attribui poſſent, quibus exercitum alerent, eſſet id rebus noſtris magno adiumento.

Ann. Sal. 1518.

Item, ſi præter eum exercitum, quem ſupra vnitate coniunctum eſſe voluimus, tanta præterea militum copia eſſet, vt pluribus locis, impetus in hoſtium fines fieri, præſidia crebris in locis diſponi poſſent: quis non videt & hoc vtiliſſimum noſtris rebus futurum? Sed ea tantum, quæ neceſſaria ad bellum & ad victoriam eſſent, fieri oportere, diximus. Hæc reliqua adiuncta, optandaque tamen in Domino confidimus abundantiùs affutura. Quis enim erit nobili animo aut ingenio vir, qui non accenſus cupiditate veræ gloriæ ad hoc bellum ſtudeat properare? Quis cupidus rerum viſendarum, qui hac occaſione ablata ſuis armis arreptis non iter aggrediatur? Quis ſtudio acquirendi præditus, qui non ad tantam prædam conuolet? Quis virtuti denique & fortitudini ſuæ fidem, qui nō eam in hoc pulcherrimo & Sanctiſſimo opere, & Deo, & hominibus velit comprobare. Nam illa, quæ ſunt maxima, honor & amor Dei, ſalus veræ fidei, cœleſtis patriæ potiundæ cupiditas, omnes pariter commouere debebunt: Principes vt ſuas opes & authoritatem: fortes viros, vt ſuam virtutem: reliquos vt partem ſuarum facultatum in communem conſenſum, & præclaram hanc ſocietatem Dei & hominum conferant, ad acquirendam ſibi præmium ſempiternum. Nam quamquam hoſtis & potens vehementer, & ferox ſit: tamen hominum & militum robore ac diſciplina longe nobis inferior eſt, quæ in bellis valet maxime: vt (Deus modo preces noſtras benignis auribus admittat) ſit nobis victoria pro certo expectanda. Non ergo deerunt, nec opum, nec virorum magna ſubſidia. Clariſſimorum Regum ſuorū & Principum virtutem atque exemplum imitabuntur, qui quidem Principes non longo labore, nec maximo ſumptu, & ſuam augebunt hac victoria dignitatem, & fidem Dei ſui illuſtrabunt, & patrimonium Chriſti amplificabunt, digni qui ab ipſo Deo in tam excelſum honorem Regalis ſolij ſublati fuerint: cum tam grati Deo ſint futuri, qui hoc opere, hocque Sanctiſſimo bello conſequentur, vt præter amplificationem opum ſuarum, ſempiternam laudem ſuæ virtutis inter homines ferant, eorum autē nomina in cęlis ſcribātur.

De

Sal. Ann. 1518.

De itineribus expeditionis.

Imperator per viam Vngariæ, cum Rege Poloniæ, & Electoribus, cum gentibus Germanis Lantzknechtis, Boemis, Vngaris, Polonis, Danis, militibus Ordinis Teutonicorum LXX. M. armatorum, ſcilicet equitum XX. M. & peditum L. M. in ordinantia, & bona copia tormentorum.

Rex Franciæ per viam Fori Iulij, cum Gallis, Scotis, Suizzeris, Lotharingis, Sabaudienſibus, Venetis, Florentinis, Senenſibus, Lucenſibus, cum IV. M. cataphractis: VIII. M. leuis armaturæ, L. M. peditibus, & bona copia tormentorum.

Rex Portugalliæ cum claſſe maritima CCC. nauium magnarum & paruarum, & ad minus LX. triremium, quæ claſſis remanens armata exponet: vbi vellet XL. M. homines in terra, cum gentibus Hiſpanis, Anglicis, Portugallenſibus, Ianuenſibus, Neapolitanis, Siculis, Flandrenſibus maritimis, ita quod eſſent alia LX. M. armatorum equeſtrium & pedeſtrium, & bona copia tormentorum, & equorum ad illa deferenda per terram, & Sanctiſſimi P. N. claſſis poſſet eſſe cum iſta, vel ſicut videbitur: & hæc deduceret commeatus pro alio exercitu Occidentali præ terreſtri per Forum Iulij venienti: & poterit ire hæc claſſis Apoloniam & Dyrrachium, & ibi expectare alium exercitum cum Rege Franciæ venientem: &, ſi videbitur, inde diuertere ad Peloponeſſum, vel recta via Conſtantinopolim, vel iungere ſe ad ſinum Theſſalonicenſem cum prædicto exercitu, ſi erit neceſſe: vel ire ad Hieruſalem & Ægpytum: & alius exercitus per Vngariam, non erit tunc à Theſſalonicenſi ſinu multum diſtans. Sal. Ann. 1518.

Pro iſtis omnibus in duobus annis ſufficerent duodecim milliones ducatorum. Quod ſi Principes, non recognoſcentes ſuperiorem, volunt dare quartam partem redituum ſuorum: ac ſimiliter ſpirituales Principes vnam quartam partem reddituum ſuorum: & alij Principes, communitates, & Domini ſeculares recognoſcentes ſuperiorem vnam dimidiam decimam reddituum: & populus impoſitionem vnius quaterni, in minutis venditionibus per libram: & cum Cruciata pleniſſima bene prædicata, & ſoluta per totum orbem, creditur cum iſtis quinque rebus bene exactis & diſpenſatis, introitus erunt in duobus annis multo maiores quam impenſæ, vel exitus XII. Millionum.

Tum Cęſarem poſt legatos, verba in hunc modum fecisse *Goldaſtus* tradit.

MAXIMILIANI IMPER. PROPOSITIO De Bello Turcico.

Frequentia veſtra, & quæ hoc tempore præcipuè neceſſaria eſt Reipublicæ, & mihi pergrata, non obſcurè indicat voluntatem veſtram, & ſtudia erga hanc cauſam, propter quam domo exciti eſtis. Cum enim tam cupidè adueneritis, poſtquam in literis ſignificaui, nos de bello Turcico acturos eſſe, facile intelligo vos ipſos, vt decet ſapientes Principes & viros fortiſſimos, & intelligere, quid à vobis totus orbis terrarum, vniuerſa Chriſti Eccleſia, dignitas huius Imperij requirat: & animos veſtros ea virtute ac fortitudine præditos eſſe, vt bellum omnium, quæ vnquam fuerunt, longè iuſtiſſimum & glorioſiſſimum, omnibus votis expectatis. Quare exiſtimo mihi non longa oratione ad vos incitandos opus eſſe, & expectari à me potius claſſicum ad inferenda ſigna, quàm hanc in toga & in curia adhortationem. Sed tamen belli magnitudo et difficultas primùm deliberatione quadam eget, non vtrum ſit inferendum, ſiquidem etſi hoſtes nos bello non laceſſerent, neque in finitimis locis ac pene in conſpectu noſtro graſſarentur, tamen oportuit nos liberare orbem terrarum hac crudeliſſima atque impia barbarie, & ex miſerrima ſeruitute tot nationes oppreſſas eripere: ſed illud magis deliberandum eſſe videtur, cum tantæ ſint opes ac vires Turcici Regni, cum exercitus in longinquas regiones traducendi, cum fortaſſis pluribus locis & longo tempore bellum futurum ſit, quantis opus ſit copijs, an vna Germanica natio tantos conficere exercitus, tolerare exercitus; arma, equos, ſtipendia, commeatus ſuppeditare poſſit; qui Reges, qui populi, ad ſocietatem huius pulcherrimæ militiæ adiungi poſſint; an ita in Europa pax conſtituta ſit, ne me & vos ex medio curſu reuocent homines perfidi, qui, vt ſæpe antè accidit, vel per occaſionem occupare noſtra conabuntur,

vel

Sal. Ann. 1518. vel turpi aliqua cum hoſtibus pactione facta metuent, ne fines Imperij proferamus. De his rebus ſcio à me requiri orationem à prudentibus omnibus. Nam me quidem in hoc Imperij faſtigio, non ſolùm in acie Ducem & Imperatorem eſſe, ſed multò magis huius publici conſilij ducem atque autorem eße conuenit. Quare, niſi de his tantis rebus diu multumque, tot iam exercitatus bellis, & magna fortunæ varietate, cogitaſſem, profectò repræhenſione omnium dignus eſſem. Sed mihi credite, cum ab auſpicijs meis, recuperata Auſtria, poſt mortem Regis Hungariæ Matthiæ Hunniadæ, & ingenti expulſo exercitu Turcarum ex Croatia, nihil magis in votis mihi fuerit, quàm vt mox exercitus in prouincias Turcarum traducerem, nunquam poſtea de hoc bello cogitare deſij. At nunc quidem occaſio percommoda erat huius rei ſuſcipiendæ. Nam poſt Mahometi mortem magna de ſucceſſione inter fratres diſcordia erat. Siſimus etiam armis inuadere Regnum conabatur. Quare in his prouincijs non ſatis firma præſidia erant: & vt, quantum poſſem, prouiderem ne qui domeſtici motus nos remorarentur, Legem de veſtra ſententia tuli in quodam Conuentu, de Pace decennali.

Verùm qui me hæc parantem fluctus ſubitò exceperunt? Galli non ſolùm me de poſſeſſione Burgundiæ per ſeditionem deijcere conati ſunt, ſed etiam meo capiti inſidias per ſummum ſcelus ſtruxerunt. Poſteà Italia, quæ proximis annis ſingulari conſilio patris mei Friderici Imperatoris pacata fuerat, iterum Gallicis armis perturbata eſt. Nam proximo anno poſt mortem Patris mei, Carolus VIII. cum ingenti exercitu bonam Italiæ partem hoſtiliter peruagatus eſt. Etenim non modo Neapolitanum Regnum occupare conabatur, ſed & Mediolanenſes bello adortus eſt. Qua ex re animaduerti potuit, eum totius Italiæ dominationem ſibi polliceri. Itaque & miſi auxilia in Italiam ad defendendos Mediolanenſes contra Gallum: & eò exercitum ipſe adduxi. Ad hæc incommoda tumultus Hungarici eodem ferè tempore accidebant. Poſteà dum orta bella vndique in Germania & Italia, conſilio atque armis ſedare contendo, vt poſtulabat neceſſitas publica, diutius quàm volebam, differre conſilium de mouendo Turcico bello coactus ſum. Sed, quantum iudicare poſſum, diuinitus ita res extracta eſt. Nam & tempus interea, & hæc bella afferunt nobis magnam facultatem & commoda ad Turcicum bellum. Partim enim ſunt domiti armis hi, quorum potentiam abſentes formidaturi eramus. Hiſpaniam ac Neapolim tenet Carolus meus nepos: Burgundia tota tranquilla eſt: Gallum nobis beneficio ac fœdere deuinctum, ad ſocietatem belli, vt ſpero, adiungemus. Sal. Ann. 1518.

3. Quare certam tranquillitatem domi promittere nobis poſſumus. Hoc caput eſt negotij. Nam reliqua pars deliberationis multò eſt facilior. Hæc me cura amplius iam viginti annis exercuit: præcipuè quomodo pacem in Europa firmam conſtituerem. Hunc mihi finem omnium bellorum ſemper propoſui; non vt latiùs fines Regni extenderem, ſed vt pace parta bellum transferrem in Turcicum Regnum. Hanc ob cauſam victor multa conceſſit ijs, quos armis domui, vt mea moderatione eos ad pacem inuitarem. Hæc præfatus ſum aliquanto prolixiùs, vt quæ mea voluntas in his bellis, quæ geſſi hactenus, fuerit, plane omnes intelligant, ac ſciant, neque anteà me iracundia, aut iniuſta cupiditate vnquam arma ſumpſiſſe, neque hoc Turcicum bellum alio conſilio parare, quàm quia neceſſarium & pium eße iudico. Qua de re vbi pauca addidero, poſtea reliquam deliberationem de copijs, de commeatibus, deque modo belligerandi pertexam: quæ domi pace conſtituta non poteſt difficilis vobis videri, qui periti eſtis rei militaris, et quibus Germania ſatis nota eſt: denique qui arma & opes, & hanc Imperij dignitatem tenere nos ſcitis, vt vitam & omnes fortunas noſtras, ad defenſionem & publicam ſalutem orbis terrarum conferamus.

4. Nec verò quenquam è vobis quidem arbitror eſſe, qui Turcicum bellum parum neceſſarium exiſtimet, aut poſtullet, vt alij potius Reges, aliæ nationes ſibi has partes ſumant. Nam etiamſi Turcæ ſuis finibus iam contenti, non proferrent arma longiùs, nec nobis periculum denunciarent, nos quidem, quibus Deus præcipuè commendauit orbis Chriſtiani defenſionem, bellum inferre illis oportebat, vt Græciam & vicinas prouincias crudeli ſeruitute liberaremus. Nam ſi quis putat mitia aut tolerabilia eſſe Turcarum Imperia, is longè fallitur, nec nobis de Imperij laude cum illis certamen eſt, ſed de religione, de diſciplina, de coniugum & liberorum

rorum

Ann. Sal. 1518.

rorum pudicitia. Præcipuè autem graßantur in Nobilitatem, nec ſolum poſſeſſiones certæ victis nullæ relinquuntur, ſed etiam lixæ & gregarij milites rapiunt ad ſtupra nobiliſſimas atque honeſtiſſimas matronas, virgines, pueros; ad hæc multis modis extinguunt ac delent Chriſtianam religionem. An non hæ ſunt magnæ & iuſtæ cauſæ, quæ viris fortibus ad tuendam gloriam Dei, & ſalutem omnium gentium, arma induant?

5. *Quare ingenti dolore afficior, cum cogito Græciam, quæ non ſolum doctrinarum parens eſt, ſed etiam omni laude virtutem excelluit, & diu florentiſſima pars Eccleſiæ Chriſtianæ fuit, nunc tali ſeruitute oppreſſam eſſe, in qua cùm cætera dictu fœda atque horrenda perferenda ſunt, tum etiam religio penitus aboletur, & auget meum dolorem, quod res geſtæ præcipuè teſtantur, Græciam non ſponte, aut ſine certamine accepiße hoc iugum. Illa verò multos annos fortiſſimè dimicans tandem concidit, non virtute ſuperata, ſed quia ſola tantam hoſtium multitudinem, & tam longum bellum ſuſtinere non poterat. Audio etiamnum tantam eſſe vim ingeniorum, tantam virtutem Græcæ nationis, vt non alia gens præſtantiores duces Turcis ſuppeditet, quàm Græca, qui (vt audio) quanquam ritibus imbuti Turcicis, tamen memores noſtræ nobiſcum neceſſitudinis, inuiti bellum gerunt in noſtris prouincijs. Hanc certe nationem, quæ pulcherrimum Ornamentum nominis Chriſtiani, quæque cum maioribus noſtris ſanguine, fœderibus, & multis officijs coniuncta fuit, cum ob cæteras cauſas oportuit nos in libertatem vindicare, tum ob hæc merita ſingularia, quod aliquot ſæculis immanem illam barbariem fortiſſimè repreſſit, & à noſtris ceruicibus depulit. Nullum enim iuſtius eſt officium, quàm ſeruatoribus calamitate aliqua fractis rurſus opem ferre, & parem gratiam referre.*

6. *Sed quò me dolor abducit? Tanta eſt enim non ſolum regnandi cupiditas, ſed multo magis humani ſanguinis ſitis; tantus furor in Turcis, vt non reliquerint nobis deliberationem de inferendo bello liberam, ſed de propulſando bello, de defenſione religionis Chriſtianæ, quam vbique terrarum delere conatur illa barbaries, conſilium capiendum eſt; retinenda eſt huius Imperij maieſtas, tuendæ coniuges & liberi noſtri. Niſi enim occurrimus, paulò poſt domitis vicinis gentibus in media Germania videbitis excindi vrbes, inflammari templa, rapi ad omne flagitij genus coniuges & liberos, diuelli infantes à complexu parentum atque interfici, medias ſecari grauidas mulieres illo acynace barbarico, Fanaticæ religiones, quibus incitati ſunt, ne quidem concedunt eis ocium, ſed lege cogunt Imperium extendere. Et ſucceßus tanti tamque proſperi, annorum fere ducentorum, addunt eis animos, vt quieſcere nullo modo poſſint. Quod ſi tanta fuit gloriæ atque imperij cupiditas, tanta audacia tunc, cum vires haberet admodum exiguas, nec quicquam niſi littus ad Pontum Euxinum tenerent, vt non mari, non montibus, non magnitudine Græci Imperij deterriti ſint, quò minus in Aſiam & Europam impetum facerent, cum quidem magnas inſuper clades acceperant, an nunc adeptos tantam potentiam, tantas vires, & hoc rerum faſtigium, exiſtimatis non delectari Imperij gloria? Atqui verò acerrimus eſt ſtimulus in bellicoſis ingenijs, armorum & Imperij decus, præſertim ſi aſpiret etiam fortuna. Multæ autem noſtræ clades numerari poſſunt inde vſque à prælio, quod* Sigiſmundus *Imperator cum Turcis infeliciter commiſit, cum interea nullam ipſi inſignem cladem acceperint. Itaque in tam felici victoriarum curſu, quàm non ceßarint, videtis. Vt enim omittam res geſtas ſuperiorum:* Mahometus, *qui me puero floruit, ſumma celeritate, ceu fulmen quoddam, magnam Europæ partem peruagatus eſt. Cùm in Pannonijs infeliciter dimicaſſet, victus à* Ioanne Hunniade, *nequaquam animo fractus eſt, ſed Conſtantinopolim adortus, diu obſeſſam, tandem anno antequam natus ſum ſexto, vi captam diripuit, crudeliſſimè interfecto Imperatore* Conſtantino, *cognato noſtro, & raptis ad ſtuprum eius liberis. Poſteà capta Thracia, Myſiam inuadit, ac ferè toto Illyrico domito, et occupato regno Boſnæ, Græciam adoritur, Corinthum vi expugnat, & Peloponneſum ditioni ſuæ adijcit, interfectis* Palęologis Demetrio & Thoma *fratribus. Tot Regnis ac Prouincijs in Europa potitus, adeò non recepit ſe in ocium, vt ſubinde maiora ſpe atque animo conciperet. Conſtitutis prouincijs in Europa, traijcit in Aſiam, Trapezuntem expugnat, Rege interfecto. Deinde Mytilenem armis capit; cumque iam minorem Aſiam ac Portioram vniuerſam teneret, transfert bellum in Syriam & Aegyptum. Sed*

Sal. Ann. 1518.

cum

Sal. Ann. 1518. *cum Sultanus acie victus pacem peteret, quia maioris gloriæ materiam eſſe vidit in Europa, fœdus cum Sultano fecit, & rediens in Europã, inſtructa claſſe, & contractis copijs traijcit in Italiam, & oppugnauit Hydrunten, ac tantum terroris Italiæ incuſſit, vt iam Romanus Pontifex fugam pararet: omnia erant in Italia & Gallia bellorum plena. Deinde non ſolum Turcarum vires, ſed multo magis Ducis felicitatem, ſcientiam rei militaris, vigilantiam et celeritatem, omnes gentes formidabant. Memini me puero hunc tanquam Alexandrum alterum prædicari, eiuſque virtuti ac felicitati prona omnia videri. In tanta trepidatione noſtrorum Deus clementer reſpexit Eccleſiam ſuam, & illi Tyranno iam Italiæ aditum tenenti manus iniecit, eumque ne funditus Criſtianum nomen, aras noſtras, & ſacratiſſimam Chriſtianam religionẽ deleret, è medio ſuſtulit atque extinxit. Quod quidem ſi agnoſcimus, cogitemus nos quidem eò ſeruatos eſſe, non ut otioſi perpetuò graſſari in Eccleſia Turcas ſinamus, ſed vt excitati nos quoq. cura Eccleſiæ liberandæ & defendendæ afficiamur, & ſciamus Deum rem tam piam ſuſcipientibus affuturum eſſe. Nam nos quidem, quibus Reipub. defenſio commendata eſt, non alium Deo cultum gratiorem præſtare poſſumus.*

7. *Diuinitùs & illud accidit, quod nonnihil retardarunt victoriarũ* Mahometi *curſum, fortiſſimi viri, primùm* Ioannes Hunniades, *deinde* Georgius Scanderbergus, *et Rex Hungariæ* Matthias. *Libenter enim commemoro, vt cogitetis ſalutem Eccleſiæ Deo curæ eſſe, & vt debitum virtutis teſtimonium his ducibus optimè meritis tribuamus. Hos enim Antagoniſtas, ceu murũ, oppoſuit Deus ruenti* Mahometo, *ne ſubito impetu vniuerſam Europam opprimeret. Primum in Pannoniam ingreſſus, magno prælio victus eſt ab* Hunniade. *Deinde remorata eſt eũ per multos annos Macedonia. Nam quoad vixit* Scanderbegus, *repreſſit Barbarum, et ſingulari virtute et felicitate patrium Regnũ defendit. Hoc mortuo, tandẽ Macedonia, tã diuturno bello uexata, ſine certamine* Mahometo *ceſſit.* Matthias *aliquot prælijs deterruit eũ ab Hungaria; ad hæc arcẽ ei Sabaceam, trucidato exercitu Turcico, eripuit.*

8. *Extincto igitur* Mahometo, *pauliſper reſpirauimus. Nam et domeſtica diſſenſio mortem eius ſequuta eſt: ſed aliquanto poſt, ſedatis diſcordijs inteſtinis, iterum vicinis Regnis bella inferunt.* Baiazethes *Methonam Venetis ingenti certamine eripuit. Quid nunc Selimum? nonne videtis domita Syria & Aegypto, Hungariæ audaciſſimè bellum inferre? à qua niſi eum depellimus, quam facile erit Turcis poſteà per occaſionem irruptiones in Germaniam facere, quoties velint. Ac, mihi credite, non ſolum fortiter, ſed etiam magno conſilio Turcæ belligerantur, intenti in occaſione omnes; nec omnia ſimul occupare conantur, ſed arce aliqua bello capta, paulatim tentant vicina loca. Ad hoc accedit aſſiduitas, qua creuiſſe magna Imperia præcipuè videmus. Vbi ſemel pedem poſuerunt, inde non facile depelluntur: deinde communitis ijs locis, quæ occuparunt, tum demum arma proferunt vlterius. Quare etiamſi Germaniam nondum attingunt, quãquam ſæpe iam in Carnos fecerunt irruptiones, tam vbi Hungaria potiti fuerint, erunt intenti in omnes occaſiones, vt nos imparatos, aut diſtractos inteſtinis diſcordijs opprimant. Si, vt Bulgaris & Valachis imperarent, nullos labores, nulla defugerunt pericula, quantò magis Germaniam atque Italiam, ipſas quidem arces Chriſtiani nominis, appetent, quas ſi tenerent (quod prohibeat Deus) non ſolum Imperij magnitudine ueteres Romanos æquarent, ſed etiam totã Chriſtianam religionem deleſſe ſibi viderentur. Haberent acceſſionem tantarum virium, vt reliquæ nationes ſine vllo certamine ceſſuræ eſſent. Et vos, qui nunc arma geritis, ne Chriſti nomen aboleatur, quiq. veram religionem & libertatem veſtram defenditis, poſtea aduerſus Chriſtum pro nefaria impietate militare, Tyranno ſeruire, & fuſtes expectare alicuius Scythæ, cogeremini. Qua immanitate domini in coniuges veſtros ac liberos vſuri eſſent? Verecundè dici non poſſunt ea, quæ non tantum in captiuos, ſed etiam in ſuos committunt. Illud tamen recitabo: capto Byzantio, Imperatoris* Conſtantini *caput ceruici abſciſſum eſt; id* Mahometus *fixum geſtari per vrbem iuſſit in pilo. Eius verò coniugem & filias, non ita ſanctè, vt* Alexander Macedo *Darij Regis matrem & coniugem, captiuas habuit, ſed in conuiuium adductas tradidit flagitioſe ſtuprandas ſuis ſatellitibus. Eadem in alijs regionibus accidere captiuis credibile. Nunquã dicam fortem eſſe virum, quem talia exempla non mouent, qui non ſumma animi cupiditate deſiderat, vt ſtatim pugnæ ſignum proponatur.*

9. *Itaque cum neceſſe ſit nobis tueri verã religionem*

Sal. Ann. 1518.

gionem, libertatem noſtram, coniuges, liberos, leges, ac diſciplinam publicam, adhortor vos ad huius iuſtiſſimi ac neceſſarij belli ſocietatem. Maiores noſtri quantas res geſſerunt, vt in Aſia reprimerent Mahometicam barbariem? Illi non dubitarunt talem hoſtem procul quærere, nunc Turcæ Regnum nobis vicinum inuaſerunt, nec tam Pannoniæ, quàm Germaniæ bellum denunciant. Multos iam annos Hungarorum virtute barbaries illa eſt à noſtris ceruicibus depulſa: nos viciſſim nationi bene meritæ defenſionem debemus. Manes etiam fortiſſimorum virorum, qui in acie propter communem libertatem ceciderunt, flagitant, vt ſuæ patriæ mutuam gratiam referamus, quanquam reipſa non minus periculi nobis, quàm Hungariæ impendet.

10. *Reliqua eſt altera pars deliberationis, quantis copijs res gerenda ſit, quo in loco bellum inferendum, vnde commeatus ſubuehendi. Si animi non abhorrent ab hoc bello, hæc deliberatio facilis erit. Nam Summus Pontifex, Rex Hiſpaniæ, & Veneti, claſſem inſtruent, & ciuitates in litore Epyri & Peloponneſi ſitas, inuadent. Noſter exercitus cum Gallicis et Anglicis auxilijs in Pannonias ducendus erit. Nam ideo properamus, vt hoc Regnum Turcico latrocinio liberetur. Inde in Illyricum transferri bellum erit commodiſſimum. Formulam etiam propono, quantum pecunię, quantum equitum ac peditum ſingulis Principibus Germaniæ imperandum eſſe putem. Commeatus autem vt Danubio conuehantur, à me certè prouidebitur. Quare ſi, vt ſpero, hoc bellum expetitis, deliberationem ita inſtituetis, vt de formula inter vos conueniat: nam propter hanc præcipuè hic conuentus indictus eſt. Non ſumptus, non labores, non pericula detrectabitis, ſi ſtatuetis Deo vos hoc officium debere, vt hoc bellum ſummo ſtudio ſuſcipiatis. Chriſtus in extremo iudicio rationem à nobis poſcet, ſi, cum Imperij ſumma dignitas ſit penes nos, deſeremus cæteras nationes, ſi non ſuſcipiemus defenſionem Chriſtianæ Reipublicæ. Hoſtium vires non extenuaui. Errant enim, ſi qui putant, Turcas ignauos aut imbelles eſſe. Tot victoriæ indicant, eis nec ſcientiam rei militaris, nec fortitudinem deeſſe. Polliceor tamen lętum belli exitum, quia Deus fauet iuſtis & pijs conſilijs, ac certum eſt ſuam conſeruaturum Eccleſiam. Seruat autem non ocioſos, ſed facientes officium, & ſeriò opem eius atque auxilium implorantes. Nec multitudinem hoſtium, nec vires pertimeſcemus, ſed, vt docet nos Pſalmus,* Illi in curribus, & in equis, nos autem in nomine Dei *noſtri omnia geremus.*

Inde à Cæſaris conſiliarijs alia conſultatio propoſita Electoribus, Principibus, & Statibus Sacri Romani Imperij.

CONSVLTATIO GERMANICA.

AVſpicio Sancti paracleti Spiritus, In Dei nomine Amen. Cum SS. Dominus Noſter Leo X. Romanus Pontifex, vna cum Sacro Reuerendiſſimorum Cardinaliũ Collegio, ac Chriſtianorum Regum & Principum Oratoribus, qui pro conſultandis vniuerſæ Chriſtianæ Reip. vrgentibus negotijs, ac incumbenti huius temporis neceſſitate in vrbem Romanam conuenerunt, non abſque immenſo cordis ſui dolore, pro paſtoralis ſui officij in Dominicum gregem ſibi credita cura animo reuoluerit, exacteque ac diligenter perpenderit, quanto iam tempore Sacroſanctę fidei noſtræ perpetui hoſtes, immaniſſima ac ſpurciſſima Turcarum gens impune in Chriſtianos debacchata, non modo finitimas regiones Ætholiam, Peloponeſum, Achaiam, Arcadiam, Thraciam, vniuerſam Græciam, Theſſaliam, Magneſiam, Macedoniam, Epyrum, Euboeam, Meſiam, ipſamque Orientalis quondam Imperij Sedem Conſtantinopolim, multis prius excurſionibus, ſtragibus, cædibuſque vaſtatas, ditioni tandem ſuæ ſubiecerit: ſed in ipſius Italiæ viſcera, & aliquando non procul à Romanæ vrbis mœnibus, vbi Chriſtiani nominis caput, & Apoſtolorum Sedem locatam ſcimus, furoris ſui rabie penetrauerit, ſpolijſque noſtris ouãs, prædaque onuſtus multiplici, in patrium ſolum inultus conceſſerit: animaduerteritque Chriſtianorum mentes, aut ita delictis noſtris expoſcentibus, aut fortaſſe proprijs tantum commodis inhiantes, communiſque ſalutis immemores, lamentantium gemitus, & oppreſſorum lachrymas ſurdis auribus & conniuentibus oculis prætereuntes, nulla hactenus tam crudelium hoſtium conatibus, vulneribuſque Chriſtianæ Reip. illatis remedia adhibuiſſe.

Sal. Ann. 1518. adhibuiſſe. Quod ſi fortaſſe ea tollerari potuerunt, dum hoſtis publicus nondum in eos acceſſus creuerat, in quibus nunc palam ab omnibus inſpicitur; quodque ſi fortaſſe cœteri Turcarum tyranni eo facilius à Chriſtianis Principibus terrebantur, qui dum etiam quędam non modica regna & Imperia ſuæ ditioni ſubdidiſſent, nondum tamen cogitatus conatuſq. ſuos omnes eo direxerant, vt ſibi vniuerſum orbem ſubderent: At profectò cũ in præſentiarum ſibi ante oculos proponendum arbitratus ſit: qualis quantuſq. ſit præſens hic communis omnium hoſtis, qui non innumeris ſuis ditionibus, nõ regnis & Imperijs, quæ antehac progenitores ſui à Principibus Chriſtianis rapuerunt, nõ tota fere Aſia, & magna parte Europæ contentus, fuſo prius attritoq; varijs cladibus Perſarũ Rege, duobuſq. Æegyptiorum Sultanis crudeliter trucidatis, Aſſyriæq. Arabię, Ægypti, & multis Africę regionibus, præſertim, vt fertur, Bugiæ, Tuneti, Tremezeniq. regnis potitus, natura ferox, regnandi, dominandiq. cupidus, Chriſtianum cruorẽ inexpleto furore ſitiens, omniſq. Nobilitatis & Principum hoſtis acerrimus: cum iam fere Orientem, & Meridionalem plagam ſibi ſubieciſſe glorietur: in Occidentem, h.e. in Chriſtianorum viſcera, cum nullum alium poſſe ſibi obeſſe exiſtimet, arma conuertit, totumq. ſibi Orbem ſubdere, & inprimis Chriſtianam Eccleſiam crucifixi Ieſu Chriſti ſanguine fundatam, & Catholicã ac Sanctã fidẽ noſtrã ſpurciſſimæ Mahumetanorum ſectæ ſubijcere, Chriſtianoſq. populos religionem ſuam nõ modo deſerere, ſed per varias pęnas atrociſſimoſq. cruciatus pernegare cogendos propoſuit. Qui & eo magis elatus, ac ſuperbus ſuperiori victoria incedit, quod in eo bello & terrã ipsã, quæ Ieſu Chriſti cunabulis gaudet, & Caluariæ locum vbi Crucis eius adhuc veſtigia inhærent, Sanctiq. eius corporis venerãdum ſepulchrum, intemerataq. V.M. ac Sanctorum Apoſtolorum natiuum ſolum, ſuę ditioni acquiſiuerit. Quæ loca nunc contaminatis & ſpurciſſimis pedibus calcantur, fędatiſq. Chriſtiano ſanguine manibus, proh dolor! in nominis noſtri perpetuum dedecus tractari à nobis inſpiciuntur: quorum etiam viſitatione, qua ſola antehac conſolari poterat, Chriſtianum genus priuatum eſt. His autem ſingulis diligenter conſideratis, quandoquidem Chriſtianorum ceruicibus non modo magna pericula immineant, cum iam trecentarum triremium velorum paruorum ac magnorum paratam claſſem hoſtis habeat, ac indies plures ad hoc fabricet: deq. fortunis, de vita, de ſalute cum hoſte decernere ineuitabilis neceſſitas nos cogat, non eſſe diutius quieſcendum, neq. locum vllum diuturnioribus diſceptationibus relictum Sanctitas eius exiſtimauit, ſumendamq. in hoſtem communem, generalem à Chriſtianis omnibus expeditionem neceſſarium fore dixit, participato omnium prædictorum conſilio. Cum inprimis Deum Opt. Maxim. inceſſantibus precibus, orationibus, ieiunijs, ſacrificijs, pœnitentia, contritiſque & humiliatis cordibus conſtituerit, vt non attentis peccatis noſtris, ſed memor ſuæ ſolitę miſericordię mitius ac clementius nobiſcum agat, ſuoq. auſpicio ad sãctum hoc opus, & bellũ ſuſcipiendum mẽtes noſtras dirigat. Deinde vt ſingula bella, hoſtilitates, diſſenſiones, quæ inter Chriſtianos Principes & Potẽtatus vigent, de medio omnino tollantur: quibus pacatis, ſi nõ firma pace, ſaltem per inducias, vt eo liberius ad generalem expeditionem in hoſtes ipſos ſumendam quilibet ſe accingere & parare poſſit. Cæteraq. omnia, quę ad tantę rei molem attinent, præhabita tam de modo belli ſumendi, quam de copijs, de pecunijs, de commeatibus articulatim abunde ac prudentiſſime complexa fuerit, eamq. conſultationem, & communem omnium congregatorum ſententiam in ſcriptis redactam, ad inuictiſſimum Cęſarem Maxim. Rom. Imper. electum, tamquam ad caput ſecularium Principum, & Aduocatum Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, Chriſtianaque fidei protectorem, & rei militaris inter omnes Principes expertiſſimum, examinandam perpendamque miſerit: ut ſi quid pro bellicarum rerum experientia minuendum addendumque exiſtimauerit, iudicio atque conſilio oſtendat, & licet Sereniſſimus Cæſar, præterita omnia iam plurimis documentis ſatis ſuperque nouerit, de præſentibuſque etiam multorum literis, nuncijs, & teſtimonijs certior fuerit redditus, cordeq. intimo, & ſæpius indoluerit, & apud SS. D. N. alioſque Reges & Principes Chriſtianos his malis remedia, & quæſiuerit, & oſtenderit, ſæpiuſq. cum Natione Germanica, & Cõſiliarijs Sal. Ann. 1518.

Sal. Ann. 1518. ſuis ſuper ijſdem rebus conſultauerit, ac ab ineunte ætate, nihil aliud feruentius vmquam optarit, quam aliquando in eiuſmodi expeditionem proficiſci poſſe: nihilominus gratiſſimus eidem fuit Nuncius, qui huiuſmodi ad ſe conſultationem & tantorum virorum ſententiam attulit. Quam quidem etſi in omnibus articulis prudẽtiſſime, ſummo ingenio, ſumma ſolertia elimatam recognouerit; voluit tamen ſingula à Conſilarijs ſuis, qui pro tempore apud ſe præſentes erant, perlegi, conſiderari, ponderarique: & ſi quid ad ea addendũ arbitrarentur, id inſcriptis etiã committerẽt.

Cum autem ipſi conſiliarij ſingulis diligẽter inſpectis conſideratiſq. nihil addendum minuendumq. arbitrati ſint, quod ad huiuſmodi expeditionem, ſumendam proſequendamq. attineat: ſi præſertim Chriſtianorum res ita diſpoſitæ eſſent, vt quamprimum id bellum ſumi, & generalis illa expeditio executioni demandari poſſet. Sed cum negotium id maximi ponderis, & diuturnioris laboris ſit, quam ad futuram æſtatem parari & expediri poſſit: præſertimq. cum Germanica natio, quæ multis ac magnis regionibus late patet, & quæ plurimorum Principum ac Communitatum ductu varijs moribus & legibus gubernatur, non tam repente induci, & in tãti momenti expeditione armari facile poſſit. Turcus autem cum claſſem, & immenſos iam apparatus belli coegit, proculdubio non ſit quieturus, quin aliquam Chriſtiani Orbis regionem inuadat: ne omnino proximus hic annus immunis tranſeat, quin ſaltem ad diuertẽdas vires tanti hoſtis quippiam prodeſſe poſſit; & ne is ſibi nuper acquiſita regna firmo, ac ſtabili ductu regere, & in fide ac beneuolentia ſua confirmare, ac reliquos Africę Reges ac Potentatus, quos nondum ſubegit, bello interea aggredi poſſit: ex quibus omnibus magna ſibi, & opũ, & pecuniarum, & gẽtium incrementa contra Chriſtianos accedere poſſe non dubium eſt: Cæſarei Conſiliarij nonnullas ſuas conſultationes, quid ad futurũ annum contra hoſtes ipſos tentari poſſe exiſtiment, quibuſq. modis, duobus proximis deinde annis, cætera generalis expeditio ſubſequi valeat, & quibus Ducibus, qua pecunia, quibus copijs res agenda videatur, reuerenter in his ſcriptis propoſuerunt. Volentes tamen ea ſingula & SS.D.N. aliorumq. in Vrbe Congregatorum Oratorum & Chriſtianorum, etiam Regum ac Principum iudicio ſubijci: neq. propterea ab iam dicta cõſultatione, quę ad Cæſareã Maieſtatẽ miſſa eſt, in cæteris diſcrepare, ſed his omnibus tãquã prudẽter perpẽſis, & ad amuſſim cõſideratis acquieſcere. Sal. Ann. 1518.

1. Arbitrantur ergo, niſi quippiam in futura æſtate Chriſtianarum virium in hoſtem paretur, eũ & omnem occaſionem in ſequentes annos Chriſtianis nocendi arrepturum, & auxilia omnia, quæ ab externis nationibus ſperari poſſent, niſi nos id ipſũ agamus, omnino præoccupaturum, prærepturumq. Nequaquam igitur in futurã proxime æſtatem ceſſandum, ſed Afrorum Reges confirmandi, animandiq. & iuuandi; Scytharum & Tartarorũ Duces aliquot præmijs & ſtipendijs alliciendi, & in expeditionem noſtram inuitandi, antequam à Turcis pręueniantur: qui cum in proximis bellis cum Sultano & Sophi florem militum ſuorum perdiderint, proculdubio à finitimis gentibus auxilia ſunt quæſituri. Si verò à nobis Afri & Scythæ ſeu Tartari conduci & attrahi poterunt, eo minora auxilia hoſtibus reliqua erunt.

2. Quibus vero modis pecuniæ cogendæ ſint, præſertim quod Germaniæ populis tolerandum exiſtimarant, ipſi Conſiliarij Cęſarei in ſequentibus adnotarunt: non intendentes tamen, ſi qui Principes in regnis ac ditionibus ſuis meliorem viam inuenerint pecunię acquirendę, his hanc legem fixam appoſuiſſe, ſed ſemper melioribus inuentis eorũ acquieſcere velle. Quo autem ordine in proximum annum bellum ſuſcipiendum, & quibus ducibus proſequendum, ne vlla in parte propoſiti triennij quieſcendum ſit, etiam in ſubſequentibus paginis legi poterit. Primumq. de pecunijs totius expeditionis dicetur, deinde de ſedandis Chriſtianorum diſcordijs: & quorum authoritate & viribus vbique gentium Chriſtiani orbis id fieri debeat: quique dum hoc futuro anno quippiam in hoſtes incipitur, diſſenſiones compoſituri, domi manere debeant: tertio quid in futurum annum incipiendũ: quidq. poſtea in reliquos duos annos proſequendũ ſit, ſingula ex ordine ponentur.

3. Et primo ad copias, & tantæ expeditionis molem alendam, congruiſq. ſtipendijs ſuſtinen-

Sal. Ann. 1518. ſtinendam, toto eiuſmodi triennio attinet, arbitrantur Cęſari conſiliarij commodum atq. neceſſarium fore, ſi ex vniuerſo Chriſtiano orbe recenſitis vbiq. regionū populis Quinquageſimus quiſq. tam ſpiritualis quam ſecularis per focos, ſiue familias miles vnus in hāc militiam eligatur: cui quidem reliqui quadraginta nouem ſtipendium annuum ſubminiſtrent: quod tamen ſtipendium vnius equitis computari debeat. Stipendium autem ipſum à prædicto Summo Pontifice & cæteris (vt ſupra) congregatis adſcribi atq. nominari debeat in hunc modum videlicet: vt equitibus bene inſtructis & armis ſufficientibus armatis, ſex ducati aurei: leuioris autem armaturæ pro eorum ęſtimatione & arbitrio, quinq. aut quatuor: peditibus vero tres, in ſingulos menſes perſoluantur: cuius quidem oneris ſeu impetratæ pecuniæ ratio, ad id ſe extendit, vt per focos ſingulos, ſiue familias florenus vnus Renenſis vel circa impendi debeat.

4. Item quod præter ordinariam hanc pecuniam quæ per focos exigenda fuerit, vniuerſus ſtatus ſpiritualis totius Chriſtianæ Reip. exceptis Mendicantium Ordinibus, qui nullos habent redditus aut prouentus, ſupradicto triennio ex omnibus ſuis prouentibus & redditibus rectam decimam in hanc expeditionem perſoluat.

5. Item omnis & vniuerſus ſecularis ſtatus, & præſertim qui domos regunt, ſiue familiæ præſunt, vigeſimam ſuorum reddituum partem exhibeant.

6. Item quod omnes ſpirituales ac ſeculares, ac viduæ mulieres, qui neq. redditus habent, neq. prouentus, ſed quacumq. numeratę pecunię, ſiue mobilium bonorum conditione cenſeantur, ijdem media iuramenti, ſecreto tamen, facultates ſuas pandent: quibus ad æſtimationem annorum reddituum computatis, etiam vigeſimam æque vt priores erogare compellant.

7. Item omnes mercenarij, & qui qualitercumq. aut quacumq. mercede & ſalario dominis famulantur, viritim ſingulo huiuſmodi expeditionis anno, medium florenū Rhenenſem: adeo tamen vt plus lucri eos, qui minus habent ęque compenſatis ſtipendijs ſuſtineant, exhibere teneantur. Si qui vero inter eiuſmodi famulitio dominorum addictos inueniantur, qui vel redditus habeant, vel mobilia, ij ſicut de cęteris proximo articulo prędictū eſt, eadē ratione atq. cōditione cēſeatur. *Sal. Ann.* 1158.

8. Item præter hæc omnia SS. D. N. Sanctam Cruciatam in totum Chriſtianum orbem emittat: ex cuius cruciatæ deuotione inductus, ſi quis Rex, Princeps, ſeu priuatus quicumque ſuis impenſis abſque aliquo ſtipendio in hanc ſanctam expeditionem proficiſci voluerit, is ab omnibus ſupradictis oneribus liber & immunis intelligatur.

9. Qui vero alijs cauſis præpediti expeditionem ipſam perſonaliter ingredi, nequiuerint, ſolutis primum his taxis & oneribus, vt ſupra generaliter impoſitis, poterant etiam Cruciatę theſauros non minus adipiſci, ſi pro conditione facultatum ſuarum zelo ſuæ deuotionis, in ſubſidium ipſius ſanctæ expeditionis quicquam erogauerint.

10. Numerus autem hominum per totam Chriſtianam Rempublicam facile haberi poterit, ſi à ſpiritualibus à ſecularibus Principibus, à Præfectis & Magiſtratibus ſuis per Prefecturas, Archipresbyteratus & Parochias diligenter viritim omnes per capita recenſeri curabunt.

11. In ipſis vero ordinarijs exactionibus ex quinquageſimo quocumq. per focos ſiue per familias, vt prædictum eſt: Item ex vigeſimis, decimis, ſeu alio quocumque cenſu & ordine accipiendis: nec non & pecunijs quæ indultis & gratijs Sāctæ Cruciatæ congregabuntur, debebunt à ſummo Pontifice, Sacratiſſimo Imperatore, Regibus, Principibus, Communitatibus totius Chriſtianæ Reipub., ſolertes, integri ac prudentes Commiſſarij conſtitui, & ſpirituales, & ſeculares, qui ſuſceptam & exactam pecuniam fideliter adminiſtrent, & de ſuſceptis & adminiſtratis integram rationem reddant.

12 Machinæ vero & tormenta bellica, quæ tamen expeditioni neceſſaria erunt, Regibus, Principibus, et Communitatibus, pro cuiuſq. conditione & qualitate mutuanda & commodanda imponentur. Quæ vero pro exercendis & vehendis his ad ea pertinent, vt ſunt pulueres, balotæ, & ſimilia, vecturarumque omnes impenſæ communi totius Chriſtianæ exactionis onere perſoluant?

13. Et fortaſſe commodius atque vtilius huic

Sal. Ann. 1518. huic expeditioni euenire poſſet, ſi in ea militaturi partim integro ſtipendio, partim ſub neceſſarijs alimonijs conducerentur: ea præſertim ratione, quod haberi non poterunt tot mercatores, qui tantis commeatibus ſubminiſtrandis ſufficiant. Sed qui annonæ & cōmeatib. exercituum præfecti fuerint, debebūt per totum Chriſtianum orbem, & lōginquis regionibus, etiā vltramarinis neceſſarias alimonias paſſim inceſſanterq. emere, perſoluere ac ſubordinare. Itaq. conueniens ac neceſſarium ſummopere videtur, vt huiuſmodi annonæ & commeatuum præfecti, in hanc profectionem tam citra mare, quam vltra cōſtituantur: qui annonam & neceſſaria alimenta cōparent, & exercitib. pro eorum neceſſitate vendant & diſtribuant, inuicemque ſibi pro qualitate locorū correſpondeant, ac de omnibus adminiſtratis, electis ad hoc à Chriſtiana vniuerſitate integrā & fidelē rationē reddant.

14. Et quoniam, vt omnibus notum eſt, pleræque inter Chriſtianos diſcordiæ ſunt, & diſſēſiones, præſertimq. inter multos magnos Principes & Potentatus, qui ad hunc diē inter ſe diſſident, multiſq. emergētibus cauſis etiā paulopoſt diſſidere poſſint: ne priuatorū cō trouerſiæ & hoſtilitates, huic cōmuni Chriſtiani nominis bono, & tā ſanctę ac neceſſarię expeditioni obeſſe vſquequaque poſſint: vt omnibus libere ac ſecure huic propoſito accingere tuto liceat: neq. huiuſmodi bellorum aut diſcordiarum perturbationib. impediri, retardari, aut prorſus auerti valeāt: neceſſariū magnopere ducendū eſt, vt omniū eiuſmodi bella, diſcordię, atq. diſſenſiones, abſq. alicuius cōtradictione, inter quoſcumq. aut nunc vigeant, aut paulo poſt exoriri poſſint, ſuſpendantur, prorogentur, & differātur. Et quoniā longi nimis temporis & laborioſi operis eſſet, pacem inter omnes & amicitias quærere: fiāt ſaltim ſinceræ ac inuiolabiles inducię, ſeu terguæ ſex annorū, inter diſſidentes partes, omnium, & quarumcumq. diſſenſionum & bellorū, qualicumq. etiā grauiſſima cauſa exorta fuerint: adeo vt omnes Chriſtiani Principes & potentatus, vera quiete, ſecuritate & tranquillitate gaudere poſſint. & vltra id ſuſcipiēdæ expeditionis decretum tempus altero optatæ pacis triennio Chriſtianus populus ea ratione merito frui valeat, ne cum poſt longos & tā difficiles pugnæ labores ad patrios lares redierit, iterum ad belli moleſtias, damna, & animi perturbationes reuocetur. *Sal. Ann.* 1518.

15. Quæ vero ſingulo huius propoſiti triēnii anno ſuſcipi, atq. expediri debeant, diligēter conſideranda ſunt. præſertim cum apud pleroſq. Chriſtianorum populos ea ſit rerum omnium inſcitia & ignorantia, ea indomitorum animorum peruicax obſtinatio, & morum quædā incōcinnitas, vt quæ communis ſalutis ſint, aut parum aduertant, aut prorſus ignorēt, euenire haud difficulter poſſet, vt in propoſita generali iſta exactione, quę ſiue per familias & focos, ſiue decimarum vigeſimarumq. ut prædictū eſt, alioue quocumq; modo expetenda fuerit, nō deſint, qui ſe & totis viribus opponāt, & impoſiti oneris conditionem prorſus detrectent, ſeſeq. inobediētes ac rebelles exhibeant. Quapropter proximo ab hinc anno, qui erit Quingenteſimus octauus decimus poſt Milleſimum, curari imprimis debet, vt propoſita huiuſmodi exactio, vbiq. terrarū Chriſtiani nominis, & diligenter cōſtituatur, & quicquid in ea renitentiæ aut obſtaculi fuerit, ſalubriter amoueatur. Bella deinde ac diſſenſiones Principum, ac potētatuū Chriſtianorū ſub prædictis ſex annorum iudiciis ſedenter, & reijciātur adiectis in eos qui reluctentur, Sāctæ Apoſtolicæ Sedis cenſuris & anathemate, ac Cæſareæ & imperialis indignationis & bāni arctiſſimis edictis & pænis. Quibus ſi qui temerarie ſe opponentes, in rebellione ſua perſeuerarent, ij cōmunib. armis & exercitibus Chriſtianorū abſq. aliqua mora oppugnentur, & pœnis debitis plectantur. Huius autem executionis & propoſiti, ad rebelles puniendos caput ſit & director Sereniſſimus Frācorū Rex, qui eos præſertim & potentatus & populos, qui ad Solis ortum & Septentrionē vergunt regnis ſuis finitimos, inuitos etiā propoſitæ exactioni & diſſenſionū remediis parere cōpellat. Qui vero ad Occidentalem plagā à Septentrionis finibus ſpectāt, à Sereniſs. Anglorum Rege, qui eius etiā negotii principalis executor in eiſdē regionibus conſtituatur. Si violatores optatæ huius quietis & propoſiti fuerint, ſeuere puniātur. Qui vero ab Occidentis plaga vſque ad meridiem incolunt, ſi ruptores tanti fœderis ſeſe obiecerint, à Sanctiſs. D. N. Romano Pontifice

tifice

Sal.Ann. 1518. tifice, ſeu Sanctæ Sedis Apoſtolicæ vexillifero, pro demeritorum ſuorum qualitate corrigantur.

16. Quamobrem non inconſultum videtur, vt ad ſedandos eos tumultus, qui ita, vt prędictum eſt exoriri facile poſſent, primo hoc expeditionis anno ipſi Sereniſſimi Francorum & Angliæ Reges domi ſe contineant, & eiuſmodi ſibi commendatis negotijs inuigilent, & incumbant. In his autē expeditionibus, pro rebellibus coercendis, ſi neceſſarium fuerit media exactionis portione vtentur: quę in capita familiarum ſiue in focos inſcribetur. Quod vero ex Decimis & vigeſimis cumulari poterit, id in Africanam expeditionem impendetur, vt paulò poſt hic infra narrabitur. Huius autem expeditionis & negotij, quod contra rebelles & inobedientes ſuſcipiendum fuerit, per Pontificem Maximum & Reges iam dictos: in ſingulas regiones, militiæ ac armorum periti præficiantur qui vbi opus fuerit, præſto ſint, & emer gentibus incommodis conſulant opportune.

17. Quid autē in proximum futurum annum, antequam generalis illa expeditio ſuſcipietur agendum videatur: occurrit hæc oblata occaſio bene gerendæ rei, ne ab impugnatione tyranni hoſtis annus hic, demum cætera quæ ad expeditionem pertinent procurantur, prorſus immunis tranſeat. Cum Chriſtianis Principibus videatur relicta ſpes Sophi Perſarum Regis excitandi vt arma in Turcos capiat: quandoquidem tot pugnis iam defeſſus, ac vltima iſta expeditione ab Ægyptiorū Rege deuicto non amplius auxilia expectet cogitandum eſt, vt in Africa, quam etiam nuper magna ex parte tyrannus ille ſibi ſubiecit, quippiam Chriſtiani intentent: & ſi qui Turcorum exercitus ſeſe opponant, oblata occaſione & ſpe victoriæ iniecta, cum eis decertare, & primum felicis expeditionis initium Deo duce auſpicari, ac ſi Chriſtianorum pia vota, & humiles apud Deo Opt. præces valuerint, Alchayrum vſque, h.e. debellati Ægyptiorum Sultani Regiam, victores ſubſequi, eamque vrbem ditioni noſtræ quod fortaſſe cum nulla mole aut aggeribus munita ſit, facile fieri poſſet, ſubijcere, cum qua & Nilus, & vniuerſa Africa Chriſtiano nomini cedere, Turcorumque tyrannus tanta rerum occaſione ſpoliari poſſet. Inde in poſterum facilis ad Perſarum Regis animum ſollicitandum in communem hoſtem aditus pateret. *Sal.Ann.* 1518.

18. Videtur itaque non inconueniens, ſi proxima æſtate prima quædam expeditio in Africam ſuſcipiatur: præſertim ad confirmandos animos illorum Regum, qui nondum in Turcorum tyranni deditionem venerunt, vt ſunt Rex de Tremezen, de Fex, & Marochi, Arabeſque qui Lybiæ montana incolunt: eoſque & armis iuuare, & vna cum Chriſtianis copijs in eam expeditionem proficiſci, omnibus modis eos adhortari, præmijſque & ſtipendijs allicere.

19. Huius expeditionis proximi anni duces eſſe debent, Sacratiſſimus Imperator, & Portugalliæ Rex, cum potentia Catholici Regis, qui modo etiam citra eam expeditionem laborat; & aliorum Principum, exceptis his qui ad Polonicam profectionem deputati ſunt, auxilijs. Ipſi etiam in alijs futuris expeditionibus ſequentium duorum annorum, vna cum alijs perſeuerabunt, & vſque ad finem in bello perſiſtent. Et ad huiuſmodi negotium peragendum, pro alendis, & ſuſtentandis exercitibus, reliquam dimidiam portionem imperatæ exactionis quinquageſimæ prædictæ; item & integram decimam & vigeſimam, ac ſingulis reliquas taxationes, quæ ſupra expoſitæ ſunt, in vſum eius expeditionis conuertent: præſertimque ex vniuerſa Germania, vnde in primis facilius imperata huiuſmodi pecunia exigi poterat: cuius meritis, & emolumenta, & annona, & neceſſitates quæque exercitibus Alemaniæ comparari, & milites ex Chriſtianis aut gentilibus, vbi commodiores ſuſceptæ prouinciæ videbuntur, conduci ad eam expeditionem poterunt. Ad quam peragendam, Sereniſſimus Francorum Rex cum alijs quibuſdam claſſem ſuam adminiſtrabunt, & cum eiuſmodi exercitibus, & Cæſar, & Portugaliæ Rex mari terraque vna permanere, neque ſeparari inuicem debebunt.

20. Neceſſarium autem inprimis ducitur, vt Sanctiſſimus Dominus noſter, cum cęteris qui Romæ ad eam rem congregati ſunt, ad prædictos Africæ Reges, & ſi fortaſſe plures ſint, qui nondum ſedibus ſuis ceſſerunt, Oratorem

Sal. Ann. 1518. torem mittant, propoſitumque hoc negotium eis ſignificent, eoſque adhortentur, vt vna cum Afris ſibi ſubditis, & montanis Arabibus qui partem Africæ tenent, & ſi quos etiam ex iam ſubiectis allicere poterunt, qui cum nuper à Turcorum tyranno maximas ſtrages & incommoda ſint perpeſſi, haud difficulter inducti in aliorum ſententiam deflectentur.

21. Altera autem expeditio & exercitus fieri poſſe videtur eodem proximo anno à Sereniſſimo Poloniæ Rege ſuo nomine, & vti tutore Sereniſſimi Ludouici Regis Vngariæ cum copijs regnorum Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ, Morauię, Sileſiæ, & aliarum nationum regnis eiuſmodi ſubiectarum Item cum Auſtriæ inferioris ſubſidijs, & conuenienti Machinarum, & artellariarum portione, quam eis Sacratiſſimus Cæſar in eam expeditionem impartietur: ac etiam Bauariæ Principum, qui iuxta ſibi impoſitæ exactionis onus, etiam exercitus ipſos augere opportune poterunt.

22. Qui vero perſonaliter in eam expeditionem proficiſci aut nollent, aut nequirent, debebunt ea pecunia quæ eos continget, alij milites, vt ſunt Bohemi, conduci. Lantzknechti enim in præſens hoc negotium minime conducentur, ſed in alteram Africanam expeditionem comparabuntur.

23. Non minus etiam expediens ducendũ eſt, ſi ipſe ſummus Pontifex cum cæteris congregatis operam dabunt, vt nonnulli Scytharum ſeu Tartarorum, qui Polonis, Ruthenis & Moldauis finitimi ſunt, conuenienti ſtipendio in expeditionem alliciantur, & conducantur. Qui vna cum Moldauis & Valachis, qui maiores Miſij vulgo nominantur, qui facile ab ea tributaria conditione quam cum Turcis habent ſeparari poterunt, primam hanc proximi anni expeditionem cum Poloniæ Rege ſuſcipiant, & minorem etiam Valachiam ſecum trahant.

24. Qui quidem Tartari, etiam pecuniæ præmijs, vt neceſſarium videbitur, vltra debita ſtipendia, poterunt à Sancta Sede, & alijs congregatis opportune inuitari.

25. Et his tribus nationibus, Scytharum, Moldauiæ ac Valachiæ copijs, exercitibus ſuis adiectis, poterit Sereniſſimus Poloniæ Rex prædictam expeditionem ſuam Samedriam verſus, & Chiliam oppidum dirigere, ijſque locis felici ductu expugnatis, præſidijſque in eis pro neceſſitate collocatis, ad hyberna cum copijs omnibus reuerti. *Sal Ann. 1518.*

26. Quod quidem ea ratione facilius eidem Poloniæ Regi futurum eſt, quod Turcorum tyrannus non ad eas regiones, ſed potius ad conſeruandum Syriam, Arabiam, & Africam, quas nuper ſuæ ditioni ſubiecit, aut verſus alias Aſiæ partes animum intendit.

27. Secundo autem huius ſuſcipiendæ expeditionis anno, qui erit Decimus Nonus poſt Milleſimum & Quingenteſimum, Maximilianus Cæſar & Luſitaniæ ſeu Portugalliæ Rex, ſuſceptam in Africa expeditionem proſequi latius poterunt, & vltra Alcayrum & Alexandriam proficiſci, vireſque ſuas Afris, Mauritanis & Arabibus ſtipendio conductis augere; præſertim cum ex Marochiorum & Fexio, Montaniſque Arabiæ regnis, vſque ad centena millia militum facile comparari poſſint.

28. Hoc autem ſecundo expeditionis anno, poterit Sereniſſimus Anglorum Rex cum claſſe & exercitibus ſuis, ad eam vlteriorem expeditionem Cæſari, & in finitimo adiungi: quem Sanctiſſimus Dominus noſter vna cum cęteris congregatis monere obiter debebunt, vt eam fidem, quam Cæſareæ Maieſtati in id Sanctiſſimum negotium aſtrinxit, in hac oblata occaſione ſeruare non abnuat. Et cum ipſo Anglorum Rege poterunt etiam, Daniæ Rex, & cũ eo Magnus Magiſter Pruſſiæ cum copijs regnorum atq. ditionum ſuarum, ac cum Ruthenorum ſagittarijs, quorum magnam copiam habent, & maritimis claſſibus admodum vtiles ſunt, terreſtrique itineri, & nimium longæ expeditioni non omnino apti, alioquin ſeſe coniungere.

29. Qui quidem omnes cum Cæſare & Luſitanis congregati, Africanæ expeditioni, & ad comparandam earum regionum victoriam, Alcayrum, Alexandriamque ſubijciendam, ac Nilum traijciendum, Perſarumque Regem Sophi contra Turcos animandum, & ad Chriſtianorum partes alliciendum facile ſufficient. Quod ea occaſione leuius exiſtimandum eſt Chriſtianis futurum, quandoquidem Turcorum tyrannus contra eundẽ Perſarum Regem, Scytharum ſeu Tartarorum

rum

Sal. Ann. 1518. rum auxilijs, qui nimis ab eiſdem regionibus diſtant, nequaquam commode vti poterit; quos etiam Chriſtiani Potentatus pecunia & roboribus allectos ſtipendijs attrahere ad ſe, vt prædictum eſt, omni ſtudio & aſtu procurabunt.

30. In eodem autem anno decimonono, Sereniſſimus Francorum Rex cum exercitibus ſuis & copijs, quaſcumque poterit citra claſſem iam, vt dictum eſt, Africanam anno decimooctauo mittendam cum cęteris Chriſtianorum auxilijs, quæ ex altera parte media impoſitæ exactionis, & ex reſiduis Africani negotij, Decimiſque etiam & Vigeſimis denarijs, vt præfertur, adiunctis comparari poterunt, ſeſe ad ſanctam hanc expeditionem accinget, iterque ſuum per Italiam & Foroiulium, perque Illyricum, Croatiam & Dalmatiæ regiones dirigens, ad Turcorum emporium, quod Oberboſna appellatur, contendere poterit.

31. Qua autem ratione, conditioneve, magis Chriſtianæ reipublicæ & ipſi Francorum Regi vtilior ac tutior eiuſmodi itineris expeditio videatur, quam aut Africana, aut Septemtrionalis, facile perpendi poteſt. Quia cum proximis annis nonnulli Occidentales Chriſtianorum populi; Principes ſuos ſecuti, diſſenſiones & bella cum ipſo Rege habuerint, quorum recenti memoria facile inter exercitus ſuſcitari incommoda multa poſſent; Orientales, nulla vnquam habita cum eo diſcordia, eiuſmodi incommoda & inimicitias nequaquam excitabunt.

32. Eodem anno decimonono iam dictus Poloniæ Rex cum exercitibus & copijs ſuis, cumque auxiliaribus Valachis, Moldauis, & Scythis, ad inceptum prioris anni decimi octaui proſequendum reuertetur; & ſe in emporio Oberboſna prædicto cum Francorum Rege coniunget; qui vna omnes latius profecti Philippopolin & Andrinopolin Traciæ vrbes oppugnabunt; &, ſi fieri poterit, expugnatas munient, & apud eas tamquam in antemurali quodam ſe continentes, cæteras finitimas Turcorum regiones, præſertim cum Tartaris & Valachis, quibus in his vrbibus domicilium conſtituent, diſcurrent, deprædabunturque, & hoc pacto exercitui ſuſtinendo pecuniam imperabunt. Adnitentur-que omnes, ſi forte Chalcidenſem, ſeu Nigroponti, aut in ea proxima maritima ora portũ quempiam acquirere poſſint, in quem Africana claſſis, quæ tertio expeditionis anno, perfectis Africæ rebus, ad eos contendet, delata exercitum facile in ea loca exponere, & terreſtribus Chriſtianorum copijs ſeſe adiungere poſſit. Sal. Ann. 1518.

33. Tertio autem anno, qui erit vigeſimus poſt quingenteſimum & milleſimum, Sacratiſſimus Imperator & Portugalliæ Rex, liberata iam, vt ſupra dictum eſt, Africa, expugnatiſq. vrbibus Alcayro, & Alexandria, fuſaque & diſſipata, vt in animo eſt, Turcorum claſſe, exercitus ſuos, cum præſertim maritimam ad eam rem perficiendam claſſem, ſufficientem habebunt, in Græciam traijcient, Francorumque ac Poloniæ Regibus adiuncti, demum Turcorum tyranni Regiam vrbem Conſtantinopolim obſidebunt; eaque capta in minorem Aſiam, ſiue Natoliam, cœteraſque remotiores Turcorum regiones, adiuuante tunc abſque dubio Sophi Perſarum Rege, aggredientur, & ditioni ſuæ ſubijcient. Et in hunc modum Sanctiſſimę huic expeditioni, deuictis diſſipatiſque Chriſtiani nominis hoſtibus, finem imponent.

34. Poterunt autem his præmijs Chriſtiani expeditionis Duces, Perſarum Regem Sophi facile allicere, ſi cum eo conuenerint, vt captis & in deditionem illis prouincijs redactis illi Natoliæ medietas, vniuerſaque Caramania & Armenia cedat, cœtera vero, quæ & in Aſia, & in Africa ſunt, & præſertim Ægyptum, Sanctam Hieruſalem, vbi ſepulchrum Chriſti eſt, Chriſtianis dimittat.

35. His autem ſucceſſibus Chriſtiana Reſpublica in triplum fere adaucta, ſucceſſu temporis, etiam Africos Reges ad Chriſti fidem ſanctis perſuaſionibus poterit conuertere.

36. Quæ vero regna, prouinciæ, ditiones, ex ijs Sãctæ huius expeditionis victorijs parta fuerint, ea omnia ſemota fraude inter Chriſtianos Reges, Principes, & Potentatus, arbitrio iudicum, qui vndequaque ex omnibus Chriſtianis Potentatibus deputabuntur, ſuper arbitris Sanctiſſimo Domino noſtro & Sacro Cardinalium Collegio, æqua portione diuidentur.

37. Poſtremo autẽ, vt omnia citius conclu-

Sal. Ann. 1518. di, ac maturè executioni mandari poſſint, neceſſarium videtur, vt quamprimum Chriſtiani Reges, Principes & Potentatus, qui, vt ſupradictum eſt, in Africana expeditione eam comittabuntur, Oratores ſuos ad Sacram Cæſaream Maieſtatem mittant, ſingulaque, & ſupra propoſito, cum ea examinent & conſultent, & ad executionem dirigant, ac pro conditione & neceſſitate rerum concludant, & apud eam toto eo triennio durante expeditione perſiſtant, & ea quæ Romæ per ſummum Pontificem, ac omnium Regum, Principum ac Potentatum Oratores concludentur, executioni mandari iuuent: & præſertim quæ ad Africanam profectionem ſpectare videbuntur, prout & res ipſa, & hoſtium ad futurã æſtatem apparatus requirere videtur.

38. Idem facient Reges, Principes & Potentatus, qui Francorum Regem ſecuturi ſunt, & ſuos Oratores ad negotia illa perficienda ad illum mittent, & etiam apud eum perſiſtentes ea ratione ſingula curare habeant, & expedire.

39. Tertio etiam, quicunque cum Poloniæ Rege hoc proximo anno profecturi ſunt, Oratores ſuos ſimiliter pro tractandis rebus omnino mittent.

40. Non minus etiam negotium expoſtulare creditur, vt Reges ac Principes Chriſtiani, alios Oratores in Vrbem ad SS. Dominum noſtrum mittant, aut eos qui nunc ſunt confirment, qui his tribus annis ſuſcipiendæ expeditionis cum ſua ſanctitate negotia ſingula tractent, & eam inducant adhortentur, ac iuuent omni ſtudio & conatu, vt quæ concluſa fuerint, præſertim autem imperatæ vndequaque pecuniæ exactionem, copiaſque expediendas, ſtipendia ſoluenda, concordiamque Chriſtianæ Reipublicæ, ac præſertim iam dictas ſex annorum inducias, exequi ac conſeruare totis viribus curent. Sal. Ann. 1518.

CCI. *Vdalrici Hutteni querela in Papam.* Expoſitis conſultationibus, antequàm ad ſuffragia gerenda itum eſſet, *Vdalricus Huctonus*, à *Friderico* Duce Saxoniæ miſſus (ita refert *Bzouius*) & *Lutheri* claſſico iam contra Apoſtolicam Sedem excitatus, diſſuaſoriam calumnijs plenam, in conſeſſu Electorum euomuit: inter alia mentitus, *Pontificem auri ſitientem, per ſpetiem ſacri belli velle orbem expilare: ea de cauſa legatos quatuor, vt pecuniam mulgeant, deſtinaſſe: nouam nunc tyrannidem, ſuper alias ſolennes in Chriſtianos excogitaſſe, Turcam iam non in Aſia, ſed in Italia querendum, qui iubente ſuperſtitione aurum petit, renuentibus fulmen oſtentat: Templi ſpetiem prætendit, & conſanguineis palatia molitur: Chriſti fidelium oſtentat libertatem, & ſuis regna donat.* Alia plura contumelioſè blaterabat *Huctonus*: tantumque potuit dicendo, vt *Friderico Saxoni* non difficile fuerit Principes Electores eò adducere, vt ſchedam conceperint; in qua expeditionis in Turcas negotiũ, ad alia comitia differendum eſſe exiſtimauerint, eãq. loco reſpõſionis *Maximil.*, & Legatis Apoſtolicis obtruſerint. Ea perlecta, & maturè examinata, Cæſar ita reſpõdit.

CAESARIS RESPONSVM.

CCII. *Sacratiſſima Cæſarea Maieſtas, recepta nuper ſchedula Reſponſionis Principũ ac Statuum Sacri Romani Imperij in hoc Auguſtenſi Conuentu congregatorum, ſuper generali expeditione contra Turcas ſuſcipienda, videns ac perpendens illam à propoſito ac deſiderio Sanctiſſimi Domini noſtri ac vnanimi ferè omnium Regum ac reliquorum Chriſtianorum Potentatuum aſſenſu & voluntate valde diſſonam ac alienam eſſe: non eſt ſibi viſum eiſdem Principibus ac Statibus reſpondere, niſi prius ſuper eiuſmodi Reſponſionis tenore & continentia cum Reuerendiſſimis S. Apoſtolicæ Sedis Legatis, ac Oratoribus Franciæ et Poloniæ, qui apud eam agunt, quoniam communis res agebatur, diligenter ac maturè diſceptaret. Exhibita igitur eadem ſchedula, omniq. ſtudio ac diligentia tam arduæ & neceſſariæ propoſitionis reſponſo inuicem examinato, vnanimi tandem voto & aſſenſu nomine totius Chriſtianæ Reip. quam ipſi in hoc conuentu vniuerſam repræſentant: cum præſertim Cæſar in hoc Turcarum negotio non tantùm ſua & Imperiali auctoritate fungatur; ſed etiam Sereniſſimorum Principum, filiorum ac fratrum ſuorum Catholici, Hũgariæ ac Daciæ Regum, quorum & conſenſus et voluntas arbitrio ſuo eſt demandata, partes ac vices gerat: arbitreturque etiam Portugalliæ Regem, licet aſſiduum cum Indis ac Marochiorum Regibus bellum habeat, quantum fieri poterit, huic Sanctiſſimo operi*

non

Ann. Sal. 1518. *non defuturum, ſtatuerunt ac concluſerunt Sereniſſimis ſacri Imperij Principibus ac Statibus ſuper eorum ſcedula & concluſione in hunc modum reſpondere: Arbitrari ſe, Principes & Status ipſos pro tantæ rei magnitudine non ſatis perpendiſſe ingentia mala & pericula, quæ Chriſtianorum ceruicibus imminent, præſertim poſt reditum Turcarum Tyranni in Europam, qui quidem, vt ipſi fide dignis multorum ſcriptis & teſtimonijs edocti ſunt, non modo contra Syriæ & Aegyptiorum Sultanum parta victoria, illiuſque ditione vniuerſa, ac parte etiam Africæ in poteſtatem redactis, ſed (quod prius ignorabatur) fuſo fugatoque in ſemotiſſimas Regni ſui regiones Perſarum Rege, quem Sophi appellant, deuictaque ac ſuperata ferè tota Armenia, tantis tunc elatus ſucceſſibus totque Aegyptiorum ac Perſarum opibus ditatus, et potentiſſimas terreſtres copias & maritimam ingentem claſſem, quam deſcriptis iam remigibus ac bellatoribus, portibus ſuis eduxit, cum nullum amplius aut Aſiaticum aut Africum hoſtem timeat, in quorum viribus aliqua nobis ſpes locata fuerat, nunc in ſolos Chriſtianos totis ſuis viribus comparat. Putant etiam, ipſe Cæſar, Legati & Oratotes, non prorsùs Principes ipſos ante oculos ſuos poſuiße, ſi Conuentus iſte tam potentis tam famigeratæ Nationis, in quam reliqui Chriſtianorum populi oculos coniecerunt, cuius robore & virtute ſe inprimis protegi ac defendi ſperabant, inuanum reſoluatur, quantam & hoſti benegerendæ rei fiduciam ac Chriſtianæ Reipub. terrorem ac deſperationem iniecturus ſit, & eam Dominici gregis gentem, quæ in Turcarum finibus noſter vti clypeus & antemurale in hunc adhuc diem ſemiuſtas ac deſolatas reliquias ſuas quibus poteſt viribus protegit, luporum dentibus in prædam & vltimum excidium relicturus, huncque tantorum Principum infructuoſum receſſum & tantæ expectationis inanem reſolutionem non modo vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. damnoſam futuram: ſed omnibus ſacri Imperij Principibus & Statibus, imo toti Germanicæ nationi non paruam negligentiæ & ignauiæ, imò dedecoris obproprio potius notam apud reliquos Chriſtiani in omnis potentatus allaturam, quod cæteris ſe prompto alacrique animo in tam ſanctum tam neceßarium opus offerentibus ſoli Germani, veluti à progenitoribus ſuis degeneres, ſolitamque gentis virtutem obliti torpeant prorſus & obdormiant. Non enim* Sal. Ann. 1518. *adduci poſſunt aut Cæſar aut cæteri futurum aliquid aut vtilius aut ſalubrius in alio Conuentu, quem inſtituere pollicentur, quum in hoc, vbi nihil deeſſe videtur quod rem in re diſtrahere debeat, nihil actum concluſumue fuerit. Adſunt hic omnes Electores, adſunt & cæteri clariſſimi ac ſapientiſſimi & potentiſſimi Principes ac Sacri Imperij Status, quorum conſilio, prudentia ac gerendarum rerum dexteritate maturè omnia, ſi modo bonus animus, bona voluntas adſit, ſi modo quemq. debiti ſui zelus Domini moneat, & conſultari & confici ac concludi poſſint. Nouit præterea Cæſar, quo labore, qua difficultate conuentum hunc congregauerit, quem, quum ſemel diſſoluantur, nullis deinceps artibus aut perſuaſionibus comparare poſſe ſperat. Neſcit igitur aut ipſe aut Legati & Oratores prædicti, cur ipſis Principibus & Statibus tantam rei neceſſitatem procraſtinari liceat, & tot dignorum virorum cœtum, tot laboribus tot impenſis in vnum redactum, non abſque totius ferè orbis obproprio infectis rebus inutiliter abire. Cogitent itaque ſecum ſingula & maturius & tantæ rei magnitudini ac neceſſitati procurandæ diligentius inſiſtant, & totis animis negotium complectantur. Quod ſi ſe nihil debere putant ijs, qui in præſenti periculo ſunt, cogitent tamen ſe debere poſteris ſuis, quos niſi ab ipſis vt nunc vtilius fuerit conſultum, in eadem paulò poſt naui & non minori periculo relicturi ſunt. Quod ſi tandem & ſuos contemnunt, reſipiſcant, & fateantur ſe hanc propoſitam expeditionem Chriſto DEO, qui Catholicam hanc fidem, huic nati ſunt, ſanguine ſuo fundauit, omni iure omni ſemota exceptione debere. Siſtant igitur ac ad ſalubriorem conſultationem redeant, rebuſque omnibus maturè diſcuſſis & ad amuſſim perpenſis cum cæteris Chriſtianis Regibus & Potentatibus, qui ad hoc ardentes & cupidi accedunt, concordes & vnanimes propoſitum à Sanctiſſimo Domino noſtro & reliquis negotium et ipſi læti intrepidique ſuſcipiant: ijs tamen ſemper repetitis modis ac conditionibus, quas in hoc Principum Conuentu & ipſa Cæſarea Maieſtas ac Sanctæ Apoſtolicę Sedis Legati initio propoſuerunt, quamcumque videlicet pecuniam & ſingula in id negocium collata emolumenta & ſuffragia, quæ per vniuerſam Germaniam quoquo modo colligentur, in nullum alienum vſum nullius hominis arbitrio*

Sal. Ann. 1518. *bitrio quam in Turcarum expeditionem, & pro ipſorum Principum & Statuum voluntate ac diſpoſitione conuerti & adminiſtrari debere.*

CCIII. *Selymi mors.* Interim *Selymus* diuturno morbo implicitus, inter ingentes belli apparatus, vita exceſſit, annos ſex & triginta natus in Cinolio Thraciæ vico, vbi cum patre cōflixerat, iuſtas ſuæ in patrem impietatis pœnas luiturus. Is natura immanis *Achomatem, Corcutumq.* fratres, fratriſque filios, ac cæteros Othomanici ſanguinis necari iuſſit: quinetiam & de *Solymanno* vnico filio pariter enecando, aliquando cogitaſſe fertur: ne in ſe, quod in patrem *Baiazetem* ipſe patrarat, fortaſſe moliretur.

Selymi morbus diuturnus, & conſequuta mors, vt Chriſtiani principes ſacri belli conſilia penitus abijcerent, magna ex parte effecit;
CCIV. *Nuptiæ Magdal. Bonon. cũ Mediceo.* & noua inter ſe fœdera ſancirent. Gallorũ Rex *Magdalenam* Bononienſem *Laurentio* Mediceo, cum non contemnēda dote in matrimonium collocat. *Franciſco* ſe totum dabat *Laurentius*, & ſe eandem in poſterum fortunā ſequuturum profitebatur: Hiſpanos recentes hoſtes oderat, vnde in magna apud *Franciſcũ* gratia fuit: cuius opera *Franciſcus* perpetuam ſibi cum *Leone* ætate florente, & diu Pontificatu fruituro amicitiam rei Mediolanenſi conſeruandæ, regnoq. Neapolitano recuperando perutilem ſpondebat. Contra *Laurentius* Senenſibus, Lucenſibuſq. Gallorum ope in ſuam poteſtatem redactis, Hetruriæ regnũ ſe aliquando conditurũ ſperabat. Is diploma
CCV. à *Leone* impetrauerat, quò decimas Bononiæ *Frāciſco* promiſſas exigeret, & in ſuum vſum conuerteret, donec belli Turcis inferendi occaſio ſe ſe opportunior offerret, ea tamen cō ditione vt quinquaginta nummum aureorũ millia *Laurentius* perciperet. Ita Eccleſiæ theſaurus ad redimendos captiuos erogandus, in conſanguineis nuptiales effundebatur apparatus, & regnum parandum.

CCVI. *Regum Chriſtianorũ pax.* Id fere temporis iam pactas cum Cæſare inducias Veneti in quinquennium *Franciſco* interprete produxerunt, ea conditione, vt ſingulis annis eidem viginti nummum aureorũ millia penderent. Inducias Rex, quàm pacem inter ipſos malebat, ne aut illi metu belli Germanici ſublato, ipſius amicitiam parui facerent aut hic illorum opibus adiutus, aliquid in ipſum moueret. Dein cum Angliæ Rege pacem facit, quæ vt firmior eſſet, Anglus filiam quam habebat, vnicam regni hæredem Galli filio deſpondet. Hinc fœdus & pax inter ipſos, magna cum ſolemnitate confirmatur, in quo Cæſari & *Carolo* Regi intra ſtatũ tempus, relictus eſt locus. Eodem ferre tempore *Franciſci* filia, quæ *Carolo* deſponſa erat, è viuis ſublata, ne quid pacem turbaret, altera illius filia promiſſa, fœdus inſtauratur, cum ea vtrinque mutuæ beneuolentiæ ſignificatione, vti *Carolus* Francorum ordinis inſignia, ferijs D. Michaelis Archangeli; *Franciſcus* aureum vellus, feſto D. Andreæ geſſerint. *Sal. Ann. 1518.*

Per eos dies in Hiſpania *Carolus* Rex ſumptis in *Marrhanos* armis (Maurorum erant reliquiæ, quaſi *Mauritanos* dicas) primum ſui, in re bellica, ſpecimen dedit. Nam ad Oranum Mauri rursùs occupandum, collecti, Duce *Horruco Barbaroſſa* (qui ex ignobili pirata Rex Algerij ac Tremeſinij effectus erat) ad quadraginta quatuor millia ceciderant: cuius victoriæ monumentum, vexilla hoſtilia rari pretij gemina, ad *Maximilianum* Cæſarem *Carolus* ſubmiſit. Is ætate iam prouectum ſe conſiderans, ſiue mortem haud procul abeſſe animo præſagiēs, cum Septemviris Imperij Electoribus, qui præter Bohemiæ Regem Auguſtam omnes venerant, de *Carolo* nepote, in Romanorum Regem eligendo, agere cœpit. Initio *Ferdinandum* natu minorem Regem Romanorum dici maluerat, ad Auſtriacæ familiæ ſplendorem pertinere exiſtimans, vt duo potius in magnis imperijs, quàm vnus duntaxat verſaretur. Contra *Gurcenſis, Sedunuſque* Cardinales cœterique, qui Gallicam potentiam reformidabant, ne diuiſis imperijs familiam ſuam imbecilliorem, infirmioremque redderet, inſtabant; & *Carolum* natu maiorem multis regni, hæreditarijſque prouincijs potentem præferebant, vt Germanicum Imperium multos iam annos in Auſtriaca familia continuatum in priſtinam dignitatem reſtitueret, & ad antiquos fines reduceret. Vix aliquot iam ſæculis Imperatorum nomen extra Germaniam auditum: hunc vnum eſſe, qui vt *Carolum Magnum* nomine referat, ita & Germanicum Imperium anguſtis admodum finibus reſtrictum ad antiquos producere, ac propagare poſſit. *Octauianum Auguſtum*, multos præte-

CCVII. *Carolus Mauros vincit.*

CCVIII. *De creando Rom. Rege diſceptatio.*

Sal. Ann. 1518. præterea ſummos Imperatores, ne Romanum Imperium diuelleretur, atque veluti in partes ſcinderetur, quum liberis maribus carerent, à ſuis familijs alienos adoptione ſucceſſores quæſiuiſſe, vt Imperatoriam Maieſtatem eandem, quam acceperant, poſteris ſeruandam relinquerent. *Ferdinandum* Tarraconenſem tametſi hunc *Ferdinandum* nepotem ſe nomine referentem quaſi filium ſecum educarat, vniceque amarat, tamen omnia regna de quorum nonnullis bello partis teſtari potuiſſet ad *Carolum*, quem nunquam viderat, & quaſi pro alienigena habebat, quemque ſibi minus obtemperantem extrema ſenectute expertus erat, tranſtuliſſe, Tarraconenſeq. adeo nomen ſibi hæreditarium, ac natura inditum perire potius, quod mirum in primis fuit, quàm Hiſpaniam in multa regna, multoſque Reges diuidi maluiſſe: eundem ſemper Cæſari ſuaſiſſe, vt *Carolo* Imperium, *Ferdinando* dignum Auſtriaca familia patrimoniū relinqueret. Præterea ex vſu *Sal. Ann. 1518.* Chriſtianæ Reip. eſſe in tanta Turcæ Imper. nobis imminentis potentia vt vnus Chriſtianis omnibus, aut certè plurimis imperet, vt exæquata potentia tyrannum occupatis tot Chriſtianorū regnis, atq. prouincijs exturbare, aut ſaltē id quod ſupereſt cōſeruare poſſit.

Hac oratione commotus, vt par erat, *Maximilianus* vt *Carolus* ſibi ſuccederet apud Septemviros egit. At *Franciſcus* Rex tantam potentiam cæteris Chriſtianis Principibus, liberiſque ciuitatibus formidabilem vni *Carolo* quæri animaduertens huiuſmodi ad Imperium deſignationem, & apud *Leonem* Pontificem, & apud ſeptemviros Germanos, quoad poterat, interturbabat. Illi Italiæ ſeruitutem, iſtis Germaniæ libertatis imminutionem prædicebat. Venetos quoque eadem timentes adiutores adhibebat. Dum hæc agerentur, *Maximilianum* lenta febris inuaſit, mors oppreſſit.

MAXIMILIANI OBITVS.

CCIX. *Leonem X. hortatur Luthero occurrere.* COactis Auguſtanis comitijs, *Maximil.* cum *Lutheri* iam debacchantis in Eccleſiam, peruicaciam audiſſet, & plurimos magni nominis ei fauere patronos, Pontificē de periculo monuit, quod Germaniæ videbatur impendere. Hortabatur *Leonem*, vt medicinam faceret malo naſcenti, & pro auctoritate ſua, temerarijs diſputationibus modum poneret; ne quod ex hoc negotio grauius incomodum oriretur. Decerneret ipſe quid iuris, nam ipſe per omnes Imperij prouincias ratum fore promittens, ita ſcribebat.

MAXIMILIANI RESCRIPTVM AD LEONEM X. PONTIF.
De controuerſijs Lutheri.

CCX. *Beatiſſime Pater, Domine Reuerendiſſime. Accepimus non adeo multos ante dies, quendam Fratrem Auguſtinianum, Martinum Lutherum, nonnullas Concluſiones in materia Indulgentiarum, Scholaſtico more diſcutiendas diſſeminaſſe, necnon in concluſionibus ſuis & de ea re, & de vi Apoſtolicarum excommunicationū plurima docuiſſe, in quibus damnoſa & hæretica pleraque videantur, atque ea nunc per Magiſtrum Sacri veſtri Palatij notata eſſe. Quæ res nobis eo magis diſplicuit, quo pertinacius dictus Frater, vt edocti ſumus, doctrinæ ſuæ inhærere, atq. complures errorum ſuorum defenſores & patronos, etiam potentes, conſequutus eſſe dicitur. Verum cum ſuſpectæ aſſertiones, & periculoſa dogmata, à nemine melius, rectius & verius dijudicari queant, quàm à Beatitudine veſtra, quæ ſola, vt poteſt, ita debet, vanarū quæſtionum, Sophiſticarum rationum, & verboſarū contentionum autores compeſcere, quibus peſtilentiores Chriſtianæ pietati nulli contigerunt, huc tantum ſpectantes, vt quod ipſi didicerunt, id ſolū habeatur in precio: Quod vero et præſentis ſæculi eruditorum conſenſus, et pie antea in Chriſto defunctorū candida et ſolida doctrina cōprobat, id prorſus reijciatur. Extat ſane peruetuſtum Pontificij Senatus Decretū, de conſtituendis Doctoribus, in quo de Sophiſtica, nuſquam vmquā quicquam cautum eſt, niſi quod iſta in Decretis vocantur in dubium. Vtrum fas ſit ea diſcere, nec ne; atque horum ſtudium à multis & magnis authoribus improbatur. Cum igitur, quod Pontificum authoritas iuſſit, negligitur, & de quo dubitatū, imo quod improbatū eſt, id ſolum recipitur: neceſſe eſt interdum hallucinari, ſomniare et cæcutire Magiſtros iſtos, quibus id vnū debetur, quod non ſolum hactenus Doctores ab Eccleſia recepti ſolidiores non lecti, ſed pleriq. de-*

prauati

Ann. Sal. 1518.

brauati ſunt, atq. mutili redditi. Taceamus, his auctoribus pullulaſſe longe plures, quam vmquā damnatus fuiſſe hęreſes; Taceamus Reuchlinianam infamationem, & nunc præſentem hanc periculoſiſſimā de Indulgentijs atq. cenſuris Apoſtolicis diſceptationē his pernicioſis autoribus in mundum emanaſſe. Quibus niſi Beatitudinis veſtræ, et Reuerendiſs. Patrum autoritas, legem, ſinemq. impoſuerit, breui non ſolum imperitæ imponent multitudini ſed et Principum virorum ſibi auram et fauorem in mutuam perniciem cōparabunt. Quibus ſi conniuentibus oculis cāpus apertus, atq. liber dimittatur, futurū eſt vt, quod omnium maxime in votis habent, pro optimis et Sanctiſſimis Doctorib. iſtorum nænias præ oculis habere cogatur totus mundus. Hæc pro ſingulari noſtra in Sedem Apoſtolicam reuerentia, Beatitudini V. ſignificauimus, vt ſinceritas Chriſtiana, huiuſmodi temerarijs diſputationibus et captioſis argumentis non lædatur et ſcandalizetur. Nos enim, quicquid ſuper his ſancte ſtatuerit, in Imp. noſtro, ad laudem et honorem Dei Omnipotentis, et Chriſti fidelium ſalutem, ab omnibus obſeruari faciemus. Datū in ciuitate noſtra Imperiali Auguſta, die quinta mēſis Auguſti Anno M. D. XVIII. Regnorum noſtrorum Romani XXXIII. Hungariæ vero XXIX. Maximilian. *diuina fauente clementia Romanorum Rex.* CCXI.

Sal. Ann. 1518.

Illud quoque mirandum *Bzouius* ex *Tilmanno Birdenbacchio* refert de *Luthero*. Hunc cum *Maximilianus* Cęſar, Auguſtæ Vindelicorum, patentibus valuis, prandens, tricli- Lib. 1. S. Collat. c.41.



nium

Ann. Sal. 1518. Cacodæmonem Luthero videt incubantẽ.

nium videret ingredientem, diutius intuitus, tãdem Baronem ex familia *SchenK de Eipach* pincernam ſuum ita alloquitur. *Vade, & aſpicias illum Monachũ à planta pedis, vſque ad verticem capitis, & quidquid videris, referto.* Fuit Baro, & *Monachum illum cucullo ſe vidiſſe veſtitum refert, quid verò pectori eius inſediſſet, non vidiſſe.* Imperator rurſus iiſdem quibus antea verbis mandauit Baroni Monachum denuo colluſtrare. Baro etiamſi iterata vice adiret, retulit ſe nihilo plus quàm antea videre potuiſſe. Imperator, phraſi ſibi familiari regerebat: *Amore boni Dei fac quæ iubeo.* Non propterea nouum quid Baro retulit. Tum Imperator; *Si tu nihil vidiſti, nec vides, dicam tibi quid ego videam. Video cacodæmonem forma corporea humeris iſtius Monachi incubantem, & te quidem ſuperſtite, me vero defuncto, iſte Monachus turbas, calamitates, et miſerias grauiſſimas in imperio ſuſcitabit.*

Hiſce in comitijs ſupplicem habuit Imperator *Franciſcum à Sichingen* poſt pacatam ſeditionem, quæ Vvormatiæ inter Senatum, & plebem orta erat. Factionis caput *SicKingus* erat, qui exacto triennio, proſcriptionis ignominia liberatus *procumbit* coram Cæſare, orans, *vt Mercurium Marti præponeret: ei fauere impenſius velit, quàm armatæ nobilitati.* Si quidem imperij propagandis terminis, magis huius, quàm illorum ſit opus opera habiturus.

Alter nummus *Maximiliani* memoriæ dicatus eſt; poſtquàm ingraueſcente ætate, operam ſedulò dedit, quo ſucceſori pacatum relinqueret imperium. Pax eadem aurea omnium rerum dat vbertatem non manu parca, ſed plenis calathis vt videre eſt in nummo.

Soluto poſtea conuentu, *Maximilianus* Oenipontum profectus audiendis, & mittendis legationibus operam dabat. Inter has cogitationes, lenta febri correptus, vt eam ſoli mutatione diſcuteret, ſecundo amne in Auſtriam deſcendit. Vvelſam oppidum cum veniſſet, intendi morbum videns ſubſtitit. Mortem præſcijſſe illum viſus erat. Cum enim Auguſtanis comitijs abſolutis Inſprugkum, inde Kopffſtainum veniſſet, atque ab eo miniſter quidam domum reuertendi ac vxorem inuiſendi licentiam petijſſet, reſpondit. *Nec tu ſane domum hoc tempore aſcendes,*

CCXII. Sibi Cæſar mortem prædicit.

ſed mecum potius perges, ſepulturæ me traditurus. Abhorrente viro dictum, longeque aliter imprecante. *Quin tu optime Cæſar, per longos atque multos nobis annos viuas* Ita erit *vt dixi* (reſpondit Cæſar) *tu mecum deſcendes: meque ſepulturæ trades; nam breui moriturus ſum.* Anno iam quinto, priuſquàm diem obierit vltimum, de morte cogitans, quantumuis in magnis verſaretur, & Imperij & regnorum negotijs, eſſentque ſibi Gallus, & Veneti quàm moleſti, ſarcophagum cum omni ea ſuppellectili, quæ ad ſepeliendum foret neceſſaria, prò ſe quàm diligentiſſimè ordinauit. Palatium Cæſare dignum cum in Iſprugk regio Tirolis oppido fabricaret, ac neſcio quid erroris artifices comiſiſſent, ad *Matthæum* cubicularium, ſecretiùs in aurem inſuſurrans dixit: *Nihil hi faciunt quod gratum ſit. Ego vero domum mihi conſtruam, quæ placeat:* eaque die ſarcophagum fieri iuſſit: & clanculò quidem, ne ad hominum oſtentationem id feciſſe videretur. Quod ſecretiſſime apud ſe quinque illis annis, vbicumque locorum eſſet, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficiſceretur, quàm diligentiſſime ſingulis noctibus ſeruauit, ac reponi iuſſit. Arbitrabantur aulici theſaurum aliquem ibi conſeruari; alij nonnihil librorum, quibus veteres continerentur hiſtoriæ. Ille verò ſibi conſcius, vt ſemper hilaris erat, ſubſidendo, in rei ſibi omnium chariſſimæ vſum id ſecum deferri dicebat. Priuſquàm aduerſa valetudine laboraret, vocauerat ad ſe Carthuſienſem ex Friburgo Briſgaudiæ, *Georgium Reiſch.* Cum veniſſet, *Bono* (inquit Cæſar) *pater veniſti omine, atque tempore, qui mihi auxilio aderis, quo Cælos petam.* Reguli verò nonnulli, qui fortè adſtabant, ſubridentes, nihil minus quàm Cæſaris mortem fore propinquam credebant. Cæſar vero conſtantiſſime affirmauit, breui ſe moriturum. Somno inde amiſſo, va'etudine aucta, fruſtra vocati ſunt medici. Nec tamen lecto decumbens à publicis curis abſtinuit. Aduenerant ex Croatia Oratores in Turcas poſtulantes auxilium. Quibus perbenignè reſpondens, ſe non defuturum promiſit, ſubminiſtrata pecunia, ſpe plenos abſoluit. Vt autem ſe verum Chriſtianum oſtenderet, ſemel atque iterum peccata confeſſus; die XXVIII. Decembris, ex Mona-

Ann. Sal. 1518.

CCXIII. Sarcophagum ſecũ fert.

CCXIV. Morientis religio.

Sal. Ann. 1518. Monaſterio Gelinck Ordinis S. Benedicti, ad ſe accerſito fratri magna humilitate, ac ſumma peccatorum contritione confeſſus, demum die VIII. Ianuarij, confeſſione renouata, Sequenti luce, quæ erat IX. Ianuarij, Corporis ac Sanguinis Chriſti Sacramentum tanta deuotione ſuſcepit, vt adſtantes omnes ad fletum prouocaret. Teſtamentum, non obſtante graui infirmitate, per ſe confecit. Die XI. Ianuarij, ſummo diluculo, Extremæ vnctionis Sacramentum ſponte deuotiſſime expetijt; quo aſſumpto, coram ſe per religioſum virum Abbatem Monaſterij Kremſminſter, qui tum Cæſari ſemper adhærebat, diuinis celebratis, Chriſti Sacramentum maxima reuerentia ſalutauit: ac Crucis per ſe ſigno facto: omnibus, qui aderant, vale dixit. Cumq. à lacrymis ſe continere nequirent adſtantes; *Quid me ploratis?* (inquit Cæſar) *cum ſis mortalis, moriturum hominẽ? Ite potius, virorum officia peragite, huiuſcemodi lacrymæ mulierculas decent, non tales quales eſtis vos viros.* Extaſes deinde plures paſſus, vt ab adſtantibus mortuus crederetur; accenſam interim candelam iuxta Chriſtianum morem, ſibi vtique morituro allatam, ad ſe reuerſus, ſua manu ſponte prehẽdit. Clericis, qui ei adſtabant, vt ſe Deo, Virgini glorioſæ, Diuo Georgio patrono ſuo commendaret, exhortantibus, contraque inuiſibiles hoſtes fortiter dimicaret, quemadmodum contra viſibiles fecerat; *Id toto corde, & animo deſidero, & expoſco.* Poſt pauxillum Clericos interrogauit. *Singulare perfeci, quæ Chriſtianum hominem moriturum decent, an quidpiam reſtat, vt faciam?* reſpondentibus, *omnia eum perfeciſſe.* Statim extento brachio, candelam quam hactenus in manu reſeruarat benedictam, adſtantibus reſtituit. Inde hora eius diei ſeptima, orationes publicæ, vt poſtulauerat, coram ſe habitæ. Voluit vt Pſalmi pœnitentiales, Orationes D. Brigittæ tum alta voce legerentur. Mortem, ac paſſionem Domini fecit coram continuò recitari, nec voluit vt ea lectio vnquàm intermitteretur. Hora octaua infirmitas plurimum aucta, vt vires iam penè deficerent. Ad *Georgium Vogel*, qui à cubiculo erat, tum dixit: *Pergam ego ſane pauco ab hinc tempore*; & illo, *quò perrecturus eſſet?* percunctante; *Ad Deum O. M. Dominum meum Ieſum Chriſtum pergam* (reſpondit) *Sal. Ann. 1518.* *Nam ad iter*, Dei *gratia, plene paratus ſum.* Obdormiuit deinde pauliſper, qualis morituris poteſt adeſſe ſomnus; Hora tertia poſt noctis medium, cum Chriſti paſſio alte coram ſe recitaretur, ſub illa verba, quibus Io: Euangeliſta recitat, *Chriſtum inclinato capite emiſiſſe ſpiritum*, ſuum & ipſe Cæſar ſpiritum emiſit. Tantæ *patientiæ* in infirmitate fuit, vt nec nutu ſignum dederit impatientiæ. *Diſcretionis*, vt vſque in vltimum vitæ periodum planè agnoſceret quæ à circumſtantibus dicerentur. In vltima quoque mortis hora, clerum ſigno admonuit ſedère. Nam ea, dum viueret, ſemper ei conſuetudo fuerat, vt nullum è ſacerdotibus coram ſe ſtare pateretur, ſed ſibi aſſidere vellet. *Pudicitiæ*, vt & in hora mortis, illius non oblitus, panniculo, quem manibus moriens geſtabat, pudenda, (ne ſe mortuo à quoquam videri poſſent) obtexit.

CCXV. Plangentes conſolatur adſtantes.

CCXVI. Pudicus.

Mortuus eſt infra tertiam & quartam horas, die XII. Ianuarij, Anno ætatis 59. Menſe 9. die 19. cum imperaſſet vnà cum patre annis 7. ſolus 25. menſibus ferè quinque. CCXVII. Sepulturæ locum delegit in ciuitate Noua *Sepulturæ locus.* Auſtriæ, in Capella à *Friderico* patre regiè conſtructa. Illic creditur voluiſſe ſepeliri, quòd in eo caſtro fuerit genitus, in eadem capella, baptiſmate regeneratus. Matre quoque *Leonora* eo loci ſepulta; Inhibuit autem, ne præter communem hominum ſepeliendi modum pompa ſibi adhiberetur, vt balſamo condiretur. Noluit ob pudicitiam ei innatã, exenterari, ſed corpus calce operiri. Sacco quintuplici & diuerſo eſt inuolutus, ſubque ſigno Crucis, quod militares fratres S. Georgij deferunt, ſepulturæ datus. CCXVIII *Biduo cadauer exponitur.* Corpus mortuum biduo cunctis cuiuſque & minimæ ſortis hominibus paſſim, priuſquàm ſacco obtegeretur, palam vt conſpiceretur permiſſum. Ita iuſſerat viuens, quatenus homines vel ſuo exemplo arderent, cogitarentque, cuiuſcumque eſſent ſtatus, ſe eſſe mortales, quodq. diademata, opes, nec regna in mortem iuuarent.

Cauſam mortis variè recitant. Accedente, CCXIX. dicitur, ex virium reſolutione, alui profluuio expiraſſe. Sunt qui ipſi potionem à medicis, tempore non ſatis commodo exhibitam fuiſſe aſſerunt.

Epita-

Epitaphium.

Hoc oſſa nobili cubant ſub marmore
Maximiliani Cæſaris Clariſſimi.
Nil ſanctius, nil clarius, nil dignius,
Hoc vidit Orbis vniuerſus principe.
Quid ſæculi attinet prioris Cæſares
Referre? ſolus iſte vincit ſingulos
Benignitate, comitate, gratia,
Ac cæteris heroicis virtutibus.
Quid plura lector poſtulas? nempe omnium
Hic Maximus Cæſar quieſcit Cæſarum.

Aliud.

Deo Opt. Max.
Trino, & Vni
Sacrum.
Nobiliſs. Cæſari Maximiliano
P. F. inuicto. Aug.
Diui Friderici Auſtrij filio
Imper. Max. Germ. Poſt. PP.
Liberaliſſimo, & in omni fortuna
Modeſtiſſimo. Fortiſſimoque Principi.
Optimo. Pijſſimo. Clementiſſimo.
Apud Anaſanam. Vvelſam
Permagno omnium luctu,
Iniquiſſimis fatis erepto:
Anno A. Chriſtiana Salute.
M. D. XIX.
Pridie eidus Ian.
Vixit annos LIX. Menſ. IX.
Dies XIX.
Imperauit annos XXXI. Menſ. XI. Di. XXI.
Nulli Augg. & Cæſs. iuriſ. et.
Aequitatis obſeruantia belli.
Et pacis arte. Sapientia, temperantia.
Placabilitate, innocentia.
Religione, aliaue vlla virtute
Inferior.
Publicæ germanorum ſalutis.
Curatori libertatis adſertori.
Quietis fundatori.
Michael Humelbergius Rauenſpurgenſis.
Numini Maieſtatique eius deuotus.
Religioſa mentis, atq. animi pietate poſuit.
Oeniponti.

Aliud:

Imperatori Cæſ. Maximiliano, Pio, felici, Auguſto, Principi tum pacis, tum belli artibus omnium ætatis ſuæ Regum longè clariſſimo; Sub cuius felici imperio inclyta Germania, dulciſſima ipſius Patria, tam armis, quàm literarum Studijs, plus quàm ante hac florere, caputque ſuper alias nationes extollere cœpit. Cuius inſignia facta, tabellis interioribus, quamuis ſub compendio expreſſa conſpiciuntur. Imperator Cæſar Ferdinandus, Pius, felix, Auguſtus, auo paterno pluſquam colendo ac benemerito Pietatis atque gratitudinis ergò P.

Natus eſt XXVII. Martij anno Domini M. CCCC. LIX. obijt anno M.D. XIX. XI. menſis Ianuarij.

Aliud:

M *orte ſalus hominis, Sũmi patet aula Tonãtis:*
A *d Superos adytus non niſi morte datur.*
X *enia mors miſeris præbet mortalibus vna:*
I *lla bonis prodeſt, & nocet illa malis.*
M *aximilianus habet iã funere Cęſar Olympũ,*
I *nter Cœleſtes emicat ille choros.*
L *ata velut viuens in terris regna tenebat:*
I *n Cœlis reſidens ſic meliora tenet.*
A *ſpicit empyrea ſublimem ſede Tonantem:*
N *etar in excelſis Ambroſiamque capit.*
V *ix fuit huic Cæſar varijs per laudibus alter;*
S *umma viri virtus, Sors quoq. ſumma fuit.*

Aliud ex *Sabino*.

Maximus occiduis fuit Aemilianus in oris
Captus ab indigenis, perfida Bruga, tuis.
Ipſe ſed ereptus celeri virtute parentis,
Vincula quæ tulerat, mox tulit arma manu.
Depulit Hunniaden à ſedibus vltor auitis,
Qui fuit Auſtriacis Marte potitus agris,
Signaque regalem victricia mouit ad Albam,
Horruit inuicti Cæſaris arma Sauus.
Pannones euerſis & ſubmiſere pharetris
Spicula, quæ ferro tinctile virus habent,
In Mahomethigenas deduxit et agmina Turcas,
A quibus affectus clade Liburnus erat.
Ante ſed aggreſſus quam prælia miſcuit hoſtem,
Denſa metu pauidi terga dedere Getæ.
Contudit indomitum debellauitq. Sicambrum,
Victa prius nunquam dextera cuius erat.
Norica vaſtantes occidit & arua Bohemos,
Marte Palatinas cum ſequerentur opes.
Nec ſemel eſt vltus rumpentem fędera Gallum,
Inſtabilem ſummi Pontificiſque fidem.
Conſcendens Tyrij ductoris & æmulus Alpes
Fudit in aerijs montibus Heluetium.
Quid loquar Enganea Venetũ cũ plebe ſenatũ,
Quos domitos terra, quos ſuperauit aqua?
Adriaci vaſto trepidabant æquore nautæ,
Mercibus ac plenas deſtituere rates,

Vrbis vbi victor Patauinæ mœnia cepit,
Tantus erat terror, tantus vbique metus.
Vltima poſt duros ærumnoſoſque labores
Fata pium terris eripuere ſenem.

CCXX. *Quæ Principi neceſſaria.* Dicere ſolebat Maximil. *turpe quidem eſſe magno principi, neſcire literas; ſed longe turpiſſimum, his eum moribus, atque virtutibus caruiſſe, quæ populis, gentibus imperantem contra animi cupiditates inuictum præſtarent.*

CCXXI. Idem crebro in ore habebat *Menſuram tene, & reſpice finem.* Quod poeta ita reddidit

Menſuram ſapiens tene, & vnà reſpice finẽ,
Finis vt in rebus, ſic modus eſſe ſolet.

CCXXII. Maximilianus ſæpè dicere ſolitus fuit, *longè facilius eſſe vincere, & domare gentes, quàm in officio retinere.* Hoc eſt *prudentiæ*, illud *fortitudinis*, quæ & brutis contingit.

CCXXIII. Cum ægrotaret, ſeu potiùs ægrotare ſimularet *Maximilianus*, medici ſpe lucri, eò numeroſi confluunt. Singulos ſeorſim introduci iubet: necdum reddita ſalute, *Medice quot?* exclamat *Maximilianus*. Cæteris reſpondere ſe poſſe negantibus, tacitè verò delirum Imperatorem irridentibus, poſtremus introducitur ſenex, experiẽtia quàm doctrina clarior. Is in primo ſtatim congreſſu, Imperatori interrogãti, *Quot?* quod tua pace dixerim, Cæſar clemẽtiſſime, *innumeros*, reſpõdit. Subridens Imperator repoſuit. *Ingenua cõfeſſio te medicum Cæſareum fecit. Sed tu porrò experimentis per mortes abſtine, inuentis ex fide vtere.*

Cum penès ſe opum aceruum numquàm vellet, dicere ſolebat *Hominum, non opum mihi demandata cuſtodia: quibus ſi ſemel capiar, illico è rege ſeruus futurus ſum.* CCXXIV.

Quidam ex magnatibus cum aliquoties eum admonuiſſet, ne tam profuſe ſua effunderet, ob id enim nonnumquàm paſſurum æris inopiam. *Quin abi tu potius* (Maximilianus reſpondit) *neque poſthac de his mecum conferas. Meminiſſe enim te oporteat, me Auſtriæ non alterius familiæ Principem eſſe. Hactenus Auſtriæ principes longè plura liberalitate ſua, quàm alij auaricia acquiſierunt.* CCXXV.

Omnia ſolitus diuinæ referre prouidentiæ *Maximilianus*, cor tenebat prò ſymbolo corona cinctum ex Anagyri, ſub titulo *in manu Dei Regis eſt:* iuxta illud Sapientis, cor *Regis in manu Dei:* Qui ſingulari cuſtodia dirigit corda Principum. Anagyri circundatur, cuius folia adhuc virentia ſedant tumores, ſi *Galeno* credimus. Laudabilis enim eſt in ſumma poteſtate ſumma moderatio: vide ſymbolum pag. 288. *num.* 211. CCXXVI.

IVPITER MVTVS. CAP. III.

Nouennium mutus *Maximilianus I.* Imperator ſilentium principi exhibet neceſſarium, quod tribus ſymbolis explicamus.

1. *Lychni æterni* ſub lemmate *ſepulta lucent.*
2. *Mãdragoræ* ſub lemmate *tenebras quærit.*
3. *Iouis exlinguis.*

---

1. *Principem ſilentium pandit: Oratorem eloquentia.* 3. 8. *ſilentij ſymbola*, 4. 14. 15. *arcana ne pandat, niſi concluſa.* 8. *apophtegmata de ſilentio.* 10. *qui fuerint ſilentij cuſtodes.* 14. *arcana cui aperienda.* 15. *pater filio non reuelet.* 20. *Rempublicam gerant principes vt Intelligentiæ.* 21. *pœnæ in fractores ſilentij.* 22. *Venetorum ſilentium.*

3. *Iupiter exlinguis.*

3. *Harprocates cur in ſinu roſæ.*

11. *Regni ambitio armat filios in patrem.*

12. *Inuidia omnes torquet.*

16. *Mulieres cur à Chriſto non adducerentur in Caluarium.*

17. *An Maria Virgo ignorauerit Incarnationis modum.*

18. *Papyrij ſagacitas, ſilentium.*

19. *Verbum Aeternum cur Angelo pręcurreret?*

20. *Sponſa cum Sponſo inter vmbras, & cur?*

22. *Auguſtus loco ſigni vtebatur ſphinge.*

II. *Orator et Princeps diuerſimo dè cognoſcuntur.* PRincipem prudentia facit, quam lingua haud pandit, ſed ſilentium. *Loquere, fac vt videam*, Lydius eſt lapis, quo Oratorem ſecernimus: *Tacere priùs, quàm loqui diſcito;* Principem probamus. Conſilio ſilentium accedit, optimum & tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum, ait *Valer. lib.* 2. Nulla ſunt meliora conſilia, quàm, quæ

quæ ignorauerit aduerſarius. Audi Angelum apud Tobiam, quid Principem doceat; *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.*

Exlinguem Iouem pinxere Cretenſes, quia principem totum aurem velint, vt omnia audiat, & nihil pandat

Iupiter excelſi tenuit ſplendentia Cœli
Sceptra, licet mutum fama fuiſſe canat.

Symbola ſilentij. Æternæ lampades ſunt arcana Reipublicę, ſepulta lucent, effoſſa extinguuntur

Luminibus ſeruare iubar, ſeruare nitorem
Concupis? æternè contumulata micant.

Arboribus aſſimilãtur regna, quorũ radices fęcũdæ, ſi profundæ. Mãdragorã dicas principatum, rore ſolùm perfũditur inter tenebras.

Dum tenebris taciturna diẽ nox velat opacis,
Mandragora in campis explicat orta ſinũ.

In ſinu roſæ Harpocratem antiquitas poſuit; quia florent imperia, quùm reticentur arcana. Naturam reſpice, cuius paruuli tardiùs gradiuntur, qui citiùs loquũtur: Ita Reſpublica tanto magis proficit, quanto minùs verba facit. Fœdera cum exararet Moyſes inter Deum, & populum in deſerto, ſolus aſcendit in montem, imperium nemini fidet, ſacerdotium ſoli fratri comittit, quia arcana dominationis nonniſi regiæ domui communicantur.
IV. Hominum venationem acturus ad fontem Samariæ Chriſtus, captata emendi cibi occaſione, teſtes omnes amouit quamuis Apoſtolos; nec ſciſcitantibus arcanum aperit, quàm poſt apertos Samaritanæ fontes ſalutis, vt inde diſcerent non publicanda quàm
V. peracta conſilia. In deſertum ſecedens, cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt; vt quam hoſti diuinitatis ſuſpicionem ieiunium ingeſſerat; famis opportunitate celaret. In terram deſcendit, aduersùs diabolum triumphaturus, ſed *dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu maneret*, Omnipotens Verbum è ſedibus regalibus venit; quaſi Deus ipſe pauèret, arcana pandere Redemptionis, ni priùs in Caluario ſcalam crucis erigeret, qua Cœlum peccator ſcanderet.
VI. Hinc Virgo Mater non ſine virginitatis iniuria ſe præſentare in templo maluit, quàm Verbum pandere Incarnatum. Nulla ſunt meliora conſilia, quàm ſi lateant aduerſarium. Laudabat
VII. Senarium Rex Theodoricus ob taciturnitatẽ *Fuit* (inquit) *in te pars altera vitæ laudabilis, quòd arcana noſtra morum probitate claudebas.*

VIII. *Silentij ſymbolũ.* Sponſam ſuam cum deſcriberet Dominus per prophetam Ezechielem *c.* 16. inter gemmas, & margaritas quibus refertum mundũ recenſet muliebrem, *inaurem* pingit *ſuper os* ſponſę, *Dedi inaurem ſuper os tuum.* Inconcinnus videtur ornatus, nã vt monilia brachium circumdant, ſic aurem inaures, non labia. Vel itaq. literam corrige, vel myſterium expone? Magnus ſoluit Alexander, quũ epiſtola Epheſtioni porrecta, eius ori annulum admouit, quaſi obſignaret arcana, quæ legiſſet. Inter IX. virtutes, quibus ſynagogam exornauerat Dominus, *inaurem* poſuerat ſuper *os ſponſæ*, id eſt *ſeruare decretum*. Probus inter cęteras Epaminondæ laudes refert, quòd eſſet commiſſi celans. Euripides cum malè audiret ob oris graueolentiam, *multa* (aiebat) *arcana in eo computruerunt.* Eraſmus *l.* 8. *Apoph.* Arcana di- X. cuntur Maieſtatis cogitationes Principũ, quia occulta. In Regem Iſrael Saulẽ ſacraturus Samuel, ſeorsũ vocat, *dic puero, vt antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte paulìſper, vt indicem tibi verbum Domini.* 1. *Reg.* 9. Sed cur Regis inaugurationem abſcondere? quam palã fieri & Regis, & Hebræorũ intererat? Vocare potiùs debebat ſeniores cõgregare populum, vt teſtes eſſent tantæ ſolemnitatis, qua ouium paſtor creabatur hominum cuſtos. Sacratũ in Regem, *inſiluit ſuper eũ Spiritus Domini. c.* 10. vt mirarentur Leuitæ, quaſi de aſino ferente myſteria. *Propterea verſum eſt in prouerbium, num et Saul inter Prophetas?* Eius patruus ſuſpicatus forsã quod erat, interrogauit ſecretò, Vbi cũ quo fuiſſet, de quo eſsẽt loquuti. Omnia reuelauit Saul de repertis aſinis, cũ Samuele colloquio, *de ſermone autem regni nõ indicauit.* Patruus interrogabat, & cur nepos non aperiret, lege Tacitũ *An.* 1. Cum ad inuiſendum Agrippam, Planaſiam vectus Auguſtus, ſuo comite Fabio Maximo, non ſine mutuis ſignis caritatis, ſpem dediſſet, reddendi iuuenẽ aui penatibus. *Quòd Maximũ vxori Martiæ aperuiſſe: illam Liuię gnarũ id Cæſari. Nec multo poſt, extincto Maximo, dubiũ an quæſita morte, auditos in funere eius, Martiæ gemitus ſemet incuſantis, quòd cauſa exitij marito fuiſſet.*

Non tam Zelotypia obſtat, quam ambitio, ne arcana dominationis reueles, quæ in patrẽ armat

XI. *Regni ambitio quãtũ poſſit.* armat filium, imò creaturam in Creatorem: & impiè regnum ſpernit cœleſte pro temporali. *Si peierandum, regni cauſa peierandum eſt.* Vox impia pijs tamen non incognita viris. Hinc Saul nec patruo de ſermone regni indicauit. Ne (gloſſat Interlinearis) inuidiam *generaret ſibi*. Audi Ioſephum, *de regno, & eius euentibus, quæ etiam ſi audirentur, & inuidiam, & incredulitatem parerent, tacendum eſſe decreuit: quod amico, & ampliùs ſanguinis vicinitate coniuncto, tantùm, vt ſapiens credidit non indicare, dubitans, vt reor de humana natura: quippe cum verum ſit, quòd perfectè nemo deuotus ſit, neque amicus, neque cognatus, neque vſquam in Dei donis purum aliquis ſeruat affectum: ſed circa prouectus ſublimium, maleuoli, & inuidioſi eſſe noſcuntur.* Neceſſitudinis iura nulla tàm ſancta, & inuiolata, quæ ſuos inui-
XII. *Inuidia omnes torquet.* diæ ſtimulos non patiantur; præſertim, cum quis inter cognatos ad imperium promouetur. Patet in fratribus Ioſeph, qui cum trina odij cauſa ducerentur in fratrem. I. quod apud patrem Ioſeph eos accuſaſſet de crimine peſſimo 2. quòd Ioſeph à patre ſuper reliquos diligeretur 3. quia de imperio inter fratres obtinendo ſomniaſſet: fratres duas priores obliti, hac tertia, quamuis per ſomnia habita in illum concitabantur. *Hæc ergo cauſa ſomniorum, atque ſermonum, inuidiæ, & odij fomitem miniſtrauit. Geneſ.* 37. Hinc eſt, quòd miſſurus Deus Samuelem ad vngendum Dauid in regem, nec ipſi ante aperuit, quem ex filijs Ieſſe ſibi ad hoc munus eligeret. *Vade, vnge mihi vnum ex filijs Ieſſe.* 1. *Reg.* 16. At cur non prodit prophetæ Sanctiſſimo, & fidiſſimo noui Regis perſonam? *Ne videlicet* (reſpondet Chryſoſt. *Pſal.* 50.) *idem Dauidi accideret, quòd priùs Ioſepho: vt enim fratres cum Regem eum fore intellexiſſent, inſidias ipſi ſtruxerunt.* Pari ſtratagemate Samuel Saulem conſecraturus in Regem, iubet præcedere famulum, ſeorſum ſubſiſtere Saulem, *Dic puero, vt antecedat nos.* Prope-
XIII. ris matris literis Romam reuocatus Tiberius (neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud vrbem Nolam; an exanimem repererit. *Acribus namquè cuſtodibus domum, & vias ſepſerat Liuia: lætiquè interdum nuncij vulgabantur, donec prouiſis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem eadem fama tulit. An.* 1. (Tacitus) primo noui principatus facinore, Poſthumum ſuſtulit Agrippam: renuncianti Centurioni, vt mos militiæ, *factum quod imperaſſet*; reſpondit Tiberius, *nequè imperaſſe ſe ſe, & rationem facti reddendam apud ſenatum.* Quod poſtquàm Salluſtius Criſpus particeps ſecretorum (is ad Tribunum miſerat codicillos) comperit: metuens ne reus ſubderetur, iuxta periculoſo ficta, ſeu vera promeret, monuit Liuiam, *ne arcana Domus, ne conſilia amicorum, miniſteria militum vulgarentur: neue Tiberius vim Principatus reſolueret, cuncta ad Senatum vocando: eam conditionem eſſe imperandi, vt non aliter ratio conſtet, quàm ſi vni* XIV.
reddatur. Suſpice Deum, quùm de arca- *Arcana vni tantũ fides.*
nis maieſtatis, & ſacrando Saule inſtruit Samuelem: quaſi timeret audiri, clam ſuſurrat in aurem (*Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem, quàm veniret Saul, dicens. Cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael. Reg.* 9. *num.* 15.) & nota rationem ſecreti in eo ſtare, vt eis *Secretum cui reuelandum.*
tantùm aperiatur, ſine quorum conſcientia geri nequit. *Ionathas* filius Saul cum Philiſtinos aggredi cogitaſſet, *nec patri ſuo hoc ipſum indicauit.* Quod idem legimus de Antigono, quum ſciſcitanti filio ſuo, qua hora miles, qui erat in procinctu, iter facturus eſſet? reſpondit, *Quid? metuis, ne ſolus tu,* XV.
tubam non audias. Sat eſt ſubditis, ſi fide *Pater filio non reuelet.*
obediant. *Vobis tanquàm ſubditis competit parère, mihi qui facienda ſunt, cogitare*; aiebat militibus *Valentinianus* Imperator. Librum exhibet Dominus Ezechieli prophetæ, in quo calamitates, erumnæ quibus Hieruſalem anguſtianda erat, ſtabant exaratæ, vt eum comederet, *Comede volumem iſtud, et vade loquere filijs Iſrael.* Aperuit, & *cibauit* ſe volumine illo. *Ezech.* 3. Sed vnde, ecquando comeduntur libri, vorantur volumina? *Lege* (dicat) non *comede* librum. Sic Paſtores, Angelo annuntiante natum Saluatorem, lætitia ebrij, cæperunt deerrare ſermone, *Transeamus vſquè Bethleem, &* videamus *hoc verbum, quod factum eſt. Lucæ.* 2. dicite *Audiamus*, non *videamus*, niſi ruſtica

excuſet

Secretò Chriſtus Apoſtolos ad paſſionem ducit. excuſet loquutio. Ezechielem verò nec Prophetia ſanat,ſed eruditio ſubſannat. Vtrumquè porrò conciliat Chriſtus, quum *Hieroſolymam aſcendens*, vt in ara crucis ſe victimam adoleret, *aſſumpſit duodecim Diſcipulos ſecretò*. Diſcipulos etiam poterat ſecum aſſociare, nec ſine iniuria videbantur præteriri Mariæ, Magdalena præcipuè, quæ mundanas proiecerat illecebras, vt ſe Magiſtro daret in paſſione ſociam. Hæc forſam prædilectio contentionis cauſa, *quis eorum eſſet maior?* Nullam hic prædilectionem dicas,ſed meriti diuinum iudicium, vt duodecim ſecretò duceret, nec reliquos imbecilles periculo exponeret. *Duodecim* (ait Chryſoſtomus *Homil. 35.*) *ſolos tulit ſecretò, ne multi viri, qui erant cum eo, fide infirmi; mulieres ſexu debiles turbarentur, audiendo quòd Chriſtus Hieruſalem aſcenderet, vt interficeretur.*

XVI. Viros patientia fortes conſcripſit commilites, & quos credidit arcani tenaces, vt manum patiendo conſererent, non verba facerent. Ea eſt cauſa, quæ mulieres præterijt, velut genus natura plenum rimarum, teſte Comico, nec muta reperta ſit mulier vllo in ſeculo. *Mulieres loquaces.* Imò & lapideum mulieris ſimulacrum loquax fuiſſe memoretur; vt celebre illud Fortunæ ſimulacrum, quod Romanæ fœminæ quondam dedicarunt, ſemel atque iterum loquutum fuiſſe prodiderit Auguſtinus 4. *de Ciuitate Dei. c. 9.* Modò habes cur Ezechieli mandatum fuerit, *comedere*, non *legere* librum: & paſtores perrexerint *videre*, non *audire* verbum. Cum futuram (quaſi diceret) legis captiuitatem, & characteribus illi deſcripta vincula,præuiſa incendia,ne inquiras cauſam,*comede*, haud *lege*. Mandata exequere, feſtina obſequens. Sic vos Paſtores, *videatis*, non *audiatis* verbum; *Adorate* ſcilicet quod mens ruſticana non percipit. Subditis namquè non datur *audire*, ſed tantumodò *videre* verbum. Humiliate capita veſtra; Cognoſcat Princeps, populus pareat. Volumen legis exhibebitur vobis ad commedendum, ideſt ad exequendum; *quia ſimplicitas quæritur, non ambitio deſideratur*, ait Origenes. Ad Mariam mittitur Gabriel paranimphus cœleſtis, vt eam annuntiaret Virginem matrem. *Ecce concipies in vtero. Lucæ. 1.* Hæc cum audiſſet, turbata eſt, quaſi de conditione dubitaret legati, & fide legationis hæſitaret. *Quomodò fiet iſtud?* ab Angelo ſciſcitatur virgo, quòd virgo fiat mater, manente virginitatis pudore, & filia pariat genitorem? Inquirendo, hoc dixit, non deſperando. Nec de facto dubitat, ſed modum quærit, & ordinem. *Non dubitat* (inquit Ambroſius) *eſſe faciendum*, ſed modum ignorat. Maria legerat, *Ecce concipies in vtero, ideò credidit eſſe futurum: ſed quomodò fieret, antea non legerat.* Quomodò in vnitate ſuppoſiti trina copulatur ſubſtantia, imò duæ iungantur naturæ. *Quomodò* vna & ſola temporali natiuitate naſcitur Homo Deus? *Quomodo* Deus, & Homo faciunt vnum Chriſtum? *Quomodò* verbi ſemine, Eternum virgo concipit Verbum? *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*, reſpondet Angelus. De hoc nemo dubitat, Maria replicat, Modum quæro, ordinem ſciſcitor? *Non quæras*, ſoluit *Griſologus*. Non quæras? Illa Virgo non quærat, quæ à ſecretis eſt Deitati? non quærat Ianua Cœli, Domina mundi, tabernaculum Spiritus Sancti, Increatæ Sapientiæ interpres, delitiæ Dei, *Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum?* Non quærat Dei mater? Ita, ne quærat quamuis mater. O inſcrutabile Sapientiæ myſterium. Si occulta vult iudicia ſua Deus, quid faciet homo? Principes ſtellæ eſtis, quæ in arundineto diſcurrunt, viſibiles, non intelligibiles. Ipſi ſciſcitanti matri arcana Reipublicæ, reſpondete, quod Angelus Matri Dei, *Ne quæras*. Vel ſanctè cum Papyrio illudite. Mos cum Romanis eſſet in curiam cum prætextatis filijs introire, accidit, vt cuiuſdam rei ſilentium imponeretur, Percunctante verò Papyrij matre, *quidnam in ſenatu egiſſent patres?* reſpondit puer, tacendum eſſe, neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior, animum pueri ad exquirendum euerberat. Puer vrgente matre, lepidi atque feſtiui mendacij conſilium capit. *Actum in ſenatu* (dicit) *vtrum videretur vtilius, magiſque ex Republica eſſe: vnus ne vt duas vxores haberet, an vt vna apud duos nupta eſſet.* Hoc vbi illa audiuit, domo trepidans egreditur: ad cœteras matronas affert. Poſtridie-

Modum Incarnationis Æternæ Virgini neſcit Angelus aperire. XVII.

Papyrij capacitas. XVIII.

ſtridicquè ad Senatum copioſæ confluunt lachrymantes, atque obſecrantes orant, *vna potiùs duobus nupta fieret; quàm vni duæ*. Senatores ingredientes curiam, quæ illa mulierum intemperies, & quid ſibi poſtulatio hæc vellet, mirabantur: & non vt paruæ rei prodigium, illam verecundi ſexus impudicam inſaniam paueſcebant. Puer Papyrius publicũ ſuſtulit metum. Nam in medium curiæ progreſſus, quid ipſi mater audire inſtitiſſet, quid matri ipſe ſimulaſſet, enarrat. Senatus fidem atque ingenium pueri exoſculatur: conſultumque facit, vti poſthac pueri cum patribus in curiam non introeant præter illum vnum Papyrium: eique puero poſtea cognomentum honoris gratia, decreto inditum *prætextatus*: ob tacendi, loquendique in prætextata ætate prudentiam. *Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 6.* Ne quæras itaque à Principe, quod ſine maie-

XIX. *Verbum Æternũ cur Angelo præcurreret?* ſtatis periculo, alij quàm ſibi aperire non poteſt. Nec ſubuculam ferrem (aiebat ille Polonus) ſi crederem, non eam latère, quæ animus ſentit. Miniſtrum conſilij ſui agit quandoquè Princeps, quòd & fidelium ſit fides ſuſpecta. Nuntium præmittit Verbum Æternum, vt Virgini ſuum prænuntiaret aduentum. Deſcendit Angelus, ſed cum præueniſſe Dominum reperit, exclamat ſollicitus, *Dominus tecum*. Non quòd Virgo iam conceperit Verbum, nam poſtea Angelus dixit: *Ecce concipies*. Nec *deprecando* Angelus profert; ſed annuntiando, quòd Dominus illi præſens erat. Sed cur Dominus, qui ſuum præmiſit nuntium ad eius aduentum annuntiandum, ante legatum ad Virginem aduenit? Audi Bernardum; *Tranſilijt Gabrielem Dominus, & peruenit ad Virginem, eodem Angelo teſtante, cum ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid? quem modò reliquiſti in Cœlo, nunc in vtero repetis? Quonam modo? Volauit, & præuolauit ſuper pennas ventorum. Victus es, ò Archangele, tranſilijt te, qui præmiſit te.* Licet Angelus miniſter eſſet fidiſſimus, & velociter, ac in inſtanti adueniſſet; Dominus tamen ſuper pennas ventorum præuolauit, & tranſilijt, ne res tàm alta, & ſublimis ſine ipſo ageretur. Deum namquè quaſi pœnituerat, tantum comiſiſſe arcanum miniſtro, præuolauit vt præſens eſſet. *Hoc admirandum* (ait Bernardus) *quòd qui Angelum miſerat ad Virginem, ab Angelo inuentus eſt, eſſe cum Virgine*. Principes ergo XX.
aut nulli, aut nonniſi fidiſſimo cuique, cui ſecreta innitantur, pectus ſuum peruium faciant. Cœlo Reipublicæ ſi veluti Intelligentiæ præſident Reges, inuiſibiles moueant, & ſicuti aſtra, quæ ſine aſpectu influunt, regnum dirigant, gubernent populum. Spetiem ſponſi cum in Canticis ſponſa deſcriberet, cubile pingit vmbroſum, atque opacum, vbi cubabant. *Pulcher es dilecte mi, & decorus lectulus noſter floridus. Cant. 1.* Vel vt legit Ambroſius, *Serm. 5. in Pſal. 118. Acclinatio noſtra opaca* legunt Septuaginta, *Specioſus ad cubile noſtrum, vmbroſus*. Sed cur in vmbra? Veritas quærit lucem. Sponſa innocens vt petat tenebras, candor prohibet? Imò ſuadet, ſi ſacri amplexus myſterium recenſeas. Vnionem Hypoſtaticam cœleſti habes in connubio: & Chriſti cum Eccleſia nuptias eo celebras in thalamo. Hanc floridam, *lectulus noſter floridus*, nobis exhibet, ſed vmbroſam, & opacam, quia arcanis inuolutam, quæ non licet homini loqui, ait *Paulus*. Raptus ſum ad tertium Cœlum, *& audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui:* Hinc Perſæ Regum arcana mira fide
celant: non metus, non ſpes elicit vocem, qua occulta prodantur. Lingua apud eos grauiùs caſtigatur, quàm vllum probrum. XXI. *Pœnæ infractores ſuentij.* Romanæ leges iniuriæ alligant, qui ſecreta iudiciorum publicat. *l. 41. ff. ad l. Aquiliam*. Renunciatorem conſiliorum capite plectunt, *l. omne. 6. §. 4. de re militari*, & aut viuum exurunt, aut furcæ ſuſpendunt, *l. ſi quis. 38. §. 1. ff. de pœn.* Lex Ægyptiorum ijſdem linguam excindit, *Diodorus Sicul.* Romani tanta caritate patriæ tenebantur, vt arcana conſilia P.C. multis ſeculis nemo ſenator enuntiauerit. Quod cum per imprudentiam Q. Fab. Maxim. feciſſet, acerbè à Coſſ. obiurgatum legimus. Pompeius M. Romanorum legatus à Gentio Rege interceptus potiùs quàm id facere, digitum, Mutius Scœuola coram Porſena manum comburere non detrectarunt. Nec longe Veneti, quorum arma cum perfidè tractaret *Carmaniola*,

ſpetie

ſpetie cōſilij ab exercitu Venetias accerſitus, cum ſcelus proprio ore faſſus eſſet, more maiorem, capitali fuit affectus ſupplicio. XXII. In hoc negotio mirum eſt, quanta Patres taciturnitate, ac fide vſi rem ſilentio compreſſerint: nam per octo menſes, quos conſultatio illa, vocato ſingulis fermè diebus Senatu, abſumpſit, nulla vnquàm vel minima ſuſpicio, aut coniectura ad Carmaniolam, ſiue ad alium quenquam peruenit. Ægyptij ante templum Sphinges erigebant (quæ Romæ adhuc marmoreæ in Capitolio, & alibi ex Ægypto allate conſpiciuntur) quòd myſtica dogmata, præcepta, & ſacras inſtitutiones, per ænigmatum nodos à profana procul multitudine inuiolata, cuſtodita, & in arcanis tantùm tractari voluerant. Ideo putant Octauium Auguſtum ob taciturnitatem Sphinge, loco ſigni aliquantiſper vſum fuiſſe, quæ etiā adhuc ante oſtium Ponti Euxini, quo in Boſphorum ſeſe exonerat, in altera Symplegadum inſula, in columna veteri ex albo marmore conſpicitur, cum hac inſcriptione. *Sphingis ſymbolo cur vteretur Auguſtus.* *Diuo Cæſari Auguſto L. Clannidius L. F. Cla. Ponto*, vt Leunclauius annotauit. Hanc tamen, quùm Auguſtus dicterijs laceſſeretur (teſte Plinio) propter difficultatem ænigmatum, quibus ſua Sphinx interdum erat inſtructa, nato ſubinde prouerbio, & calumnia; *Mirum non videri, ſi renata Sphinx adferret ænigmata*, poſtea repudiauit: retento tamen ſilentij myſterio, quo Principibus Oracula in exemplum ſermonis reliquit.

ÆTERNITAS TEMPORVM. CAP. IV.

SEu Hiſtoriarum in *Maximiliano I.* ſtudium duobus ſymbolis exaratur.

1. Iouis, qui rupta Saturni falce, eum vinculis alligat, ſub lemmate, vt *viuam*.

2. Decualionis, vnà cum Pyrrha coniuge ſua, oſſa magnæ parentis, ideſt lapides terræ à tergo iacentis ad reparandum genus humanum.

1. Hiſtoriæ ethimologia. 2. definitio. 4. triplex. 3. qualium rerum ſit? 7. quotuplex hiſtoria. 8. origo. 9. vitæ magiſtra. 13. hiſtoriæ laus. 14. beneficia. 15. oratori neceſſaria. 16. militi neceſſaria. 17. nulli odioſa. 18. vtilior Reipublicæ, quàm militia. 18. hiſtoriæ ſymbola. 19. hiſtoria timenda. 20. voluptas ex hiſtoria. 21. plures ex lectione hiſtoriæ ſani facti. 22. leges hiſtoriæ. ſit breuis. 23. vera ſit. 27. mendax eſt. 28. hiſtorici omnes in aliquo mendaces. 29. cur hiſtoricus non inuocet Deum? 6. Carceri exeunti quomodo lumē cōcedatur? 8. Annales quid? 12. Fama flagellum regum. 23. Verum ſcribere arduum. 24. de viuentibus vera ſcribere, difficile. 25. nec ſacri hiſtorici de viuentibus ſcribunt. 26. à potentibus oculos auertit Chriſtus, vt vera ſcribat. 28. Scipio Africanus falsò laudatur. 18. Maximil. I. Imper. ſymbola de hiſtoria: ſtudium genealogicum.

I. *Hiſtoriæ ethimologia.* DE Hiſtoria facturus verba primū ethimologiā perſequar. Ab εἰδῶ verbo græco quod *Video* ſignificat, deriuant aliqui, quoniam ſoli rerum euentus ſub ſenſibus cadant. *Videre* hic, idem eſt quod *ſentire*, Vnde Hiſtoria *ſit rerum per ſenſus facta comprehenſio*. Aiunt alij ἀράω ὁρῶ Græcorum lingua ſonare, *Video*: εἰς idem, quod *In*. Quibus compoſitis, oritur εἰςορόω: & paucis immutatis, ἱςορόω, quod idem valet, ac, *in rem ipſam oculis intueor*. Hinc venit Hiſtoria. Et quia rerum effectus non tam oculis cernuntur, quàm ſenſibus comprehenduntur, *Narratio effectuum, quæ ſub ſenſus cadunt*, hiſtoria erit.

Si *narratio* eſt hiſtoria, ſcriptio erit non depictio. II. *Definitio* Hinc Romæ in Traiani, & Antonini columnis, arcubuſque Conſtantini, atque Seueri ſculptæ victoriæ, atque triumphi: ſic Venetorum in curia, *Alexandri III. & Federici Aenobarbi* depicta geſta, hiſtoriæ haud erunt? Vbique hiſtoria, quia vbique cauſa memoriæ rerum geſtarum. Vnde *narrationis* verbum corrigas, & *rerum* dicas *memoriam*. Qualium rerum? *quarum memoria* (ait Cicero) *remota eſt à temporibus noſtris*. III. *Qualium rerum hiſtoria ſit.* Sibi tamen, & iure repugnat Cicero, cum idem perſuadere Leueio conabatur, *vt res ab ſeſe cōtra Catilinam geſtas, hiſtoria complecteretur*; tunc è ſui temporis memoria non diſcedebat.

Hiſtoriæ

IV. *Triplex eſt.* Hiſtoriæ tria genera *Bodinus* aſſignat. Humanum, Naturale, Diuinum. Primum ad hominem pertinet, alterum ad naturam, tertium ad naturæ parentem. Vnum actiones hominis explicat: alterum cauſas in natura poſitas, earumque progreſſus ab vltimo principio deducit: poſtremum præpotentis Dei, animorumque immortalium in ſe collectam poteſtatem intuetur. Ex his triplex oritur conſenſus, probabilis, neceſſarius, religioſus: totidemque virtutes prudentia ſcilicet, ſcientia, religio. Prima turpe ab honeſto: Secunda verum à falſo: Tertia pietatem ab impietate ſecernit. Primam ex imperio rationis, & vſu rerum agendarum, *Humanæ vitæ moderatricem* vocant: Alteram ex abditarum cauſarum inquiſitione, *rerum omnium inuentricem*: poſtremam ex Creatoris erga creaturas amore, *vitiorum expultricem*.

V. *Cognitio humana quomodò pergat?* Omnium finis vera Sapientia, cuius adipiſcendæ ſtudium exhibet hiſtoria triplex. Modus procedendi *reſolutiuus* eſt, ab effectu ad cauſam: ab imperfecto ad perfectum; quia hominibus primùm ſpetiem ſuam conſeruandi ſtudium natura parens ingenerauit: deinde paulatim à rerum naturalium adminiſtratione ad cauſarum inueſtigationem impulit: tũ altioris cogitionis illecebris irretitus ad rerum omnium parentis cognitionem ſcandere tentat.

VI. *Qui carcerem exit, ſolem quomodò debeat aſpicere.* Propterea Humana præcedet hiſtoria, ne ſi illotis manibus repentè diuinam aggrediamur, magnitudine deterreamur. Quemadmodum ergo ij, qui ex antro carcere in lucem veniunt, Solis ſplendorem priùs in terra, tum in nubibus, poſt in Luna conſpiciunt, vt benè confirmato viſu ſolem ipſũ aliquando contueri poſſint; Sic nos in Dei cognitione gradiemur: vt primum eius bonitatem in rebus humanis animaduertamus: deinde in perſpicuis naturæ cauſis: tum in cœleſtium corporum deſcriptione: ponè in totius armonia orbis: vt ijs gradibus ad eam, quæ nobis eſt cum Deo, cognationem aliquandò redeamus. E tribus itaquè hiſtoriarum generibus, diuinum quidem Theologis; naturale Philoſophis omittamus, vt in humanis actionibus, earumque præceptis exerceamur.

VII. *Hiſtoria quotuplex* Eſt autem humana hiſtoria, vel *Geographica*, quæ de locis eſt: vel *Chronica*, & de temporibus eſt: vel *Genealogica*, quæ de generatione eſt: Vel de geſtis, vt *Annales*, hiſtoriæquè cæteræ; in hoc ſolùm ab Annalibus diuerſæ, quòd in Annalibus ſine vllis ornamentis, ſine anxia cauſarum diſquiſitione, geſta cuiuſque anni narrantur: in *Hiſtoria* verò rerum, perſonarum, ac locorum momenta ponderantur. VIII. *Annales quid.* Originem percontanti? arduum eſt ſatisfacere. Ante Saturni in Italiam aduentum (ſcribit *Macrobius* 1. *Satur. c.*8.) nulla hiſtoria dignationem habuit. *Hiſtoriæ origo.* Sed poſtquàm is rudem populum in vnum collegit, hiſtoria quaſi vocalis reddita eſt. Ea propter Romæ in faſtigio Saturni ædis Tritones cum buccinis ſuperpoſiti fuere, caudis Tritonum humi merſis, & abſconditis: indicio, quòd ante Saturnum omnia occulta, poſt illum omnia, per obſeruationem, & hiſtoriam clariſſima eſſent reddita. Referunt alij, in Ægypto primùm inolæuiſſe vt geſta hominum, & Nili inundatio ſciberentur. Memphi erecta erat columna, cui *Nyloſcopius* nomen erat, in qua ſolebant Nili incrementa, quibus vicinam regionem irrigare ſingulis annis conſueuerat, annotari· ſimulque etiam, quæ illinc naſcebatur anni fertilitas. Quod vbi per multos annos obſeruaſſent, poterant deinceps finito incremento, qualem eſſent annum habituri, præſagire; ratione altitudinis ſcilicet, ad quam in columna Nilus aſcendiſſet. Horum exemplo illuſtrium virorum geſta poſtea ſcripta ſunt. Vetuſtiorem alij faciunt hiſtoriam, in diebus Oſyridis ortam, regis totius Orbis potentiſſimi, cuius facinora in columnis fuere exarata. Quorum imitatione poſtea deſcripſerunt alij cęleſtium orbium conuerſiones, tum cœterorum annorum numerum. Sunt qui ad Noachum referant, quum exiens ex arca, originem ac finem cataclyſmi lapidi inſcripſit, quem poſtea in Myriada planicie ad Gordiei mõtis radicem erexit, in cuius cacumine arca hæſerat. Non deſunt alij, qui eam longè ante diluuium ſcribi ſolitam fuiſſe aſſerant, multoſque ex vetuſtis patribus, ſiue Aſtrologia, ſiue diuino afflatu docti de futura mundi ruina, idipſum in lapideis columnis memoriæ, mandauerint. Ipſos nominant Adami filios. Probabile eſt ab initio maiores, cum literarum formam nondum vllam inueniſſent, ne rerum memoria extingueretur, ſimul etiam

exem-

exemplis poſteros erudirent, quæ geſta eſſent & ſignis notaſſe, & filijs narrare conſueuiſſe, & quaſi per manus deinceps, & hæreditaria quadam ſucceſſione, alios alijs narrando tradidiſſe. Itaque rerum geſtarum memoria non librorum paginis, ſed hominum animis, & ſignis conſeruata fuit, donec ſcribendi ratio reperta eſt. Hæc de origine, nunc de officio, quod ex fine cognoſcitur.

IX. *Hiſtoria eſt vitæ magiſtra.* Veritatem dicunt, ſed nos medium volumus, quam alij finem faciunt. Placent ij, qui hiſtoriam *vitæ magiſtram* appellarunt. Nam ex præteritis futura prænoſcimus, præſentia prouidemus. *Per veteres hiſtorias* (aiebat Baſilius Imperator Leoni filio) *ire ne recuſes: ibi enim reperies ſine labore, quæ alij cum labore collegerunt.* Quid vtilius, atque iucundius, in humanæ vitæ theatro, quàm cautum fieri alieno periculo? exempla omnigena capere, quæ ad vſum tuum quandocumque traducas; maximoſque viros in conſilium vocare, quorum monitis de imperij auſpicijs, progreſſu, & fine cognoſcas:

X. *Hiſtoriæ finis.* Vt hinc vel ad maiorem frugem virtutis inflammari, vel à vitijs deterreri poſſis. Geminum itaque damus hiſtoriæ finem. Virtutis amorem, & vitij odium. Vtrumque Fama conciliat, quæ in hiſtoria diuerſatur, cuius timore boni cupiunt fieri optimi, & mali non audent fieri peſſimi, vel peſſimi

XI. *Famæ timor quantus?* ſimulant boni fieri. *Heroſtratus* teſte Trogo Pompeio, *Manlius Capitolinus* teſte Liuio magnam quàm bonam aucupabantur famam. Incredibile dictu quantum laceret infamiæ metus etiam eos, qui cum corpore putant animam interire. Nam quandiù viuunt de poſteritatis opinione ſolliciti, ſæpiùs vota faciunt (ait *Bodinus in proh. methodi*) vt ſe mortuis, quamquàm Nero id optabat, vt ſe viuo, terrarum deflagratio conſequatur. Tiberius Auguſtus, qui multa

XII. *Fama flagellum regium.* crudeliter, ac libidinoſè animi quadam impotentia geſſit, maiora non patrauit; quia fama, quæ regium flagellum eſt, quotidie eum verberabat. Hinc flagitiorum latebras in remota quadam inſula quæſiuit. Cumque imperio ſe minimè dignum iudicaret, patris patriæ appellationem, & imperium obſtinatiſſimè (vt *Tranquillus* loquitur) recuſauit: ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inueniretur. Extat eius oratio habita in Senatu, qua vnum ait principi comparandum,

XIII. *Hiſtoriæ laus.* *proſperam ſui memoriam, alioqui famæ cõtemptu contemni virtutes.* Mortui, cũ hiſtoriæ monumento poſt fata ſuperſint: ita viuere debemus, tanquã non morituri ſimus. Tiberius cùm graues poſteritatis præſentiret cõtumelias, anteactã miſerè querebatur vitã, & metu infamiæ pœnitebat haud fuiſſe probum. Erant ei Romani faſti muti cenſores, qui dum vitia carpebant aliena, lectorem accuſabant; &

XIV. *Beneficia.* vellet, nollet, patienter à ſeipſo ferebat, quòd nondùm agnouerat, à mortuis principes obiurgari, & veritatem, quam inter viuos non inueniunt, inter mortuos quærere; & in anteacta ſecula retroflectere, totaque antiquitate curioſis oculis diuagari? Quanta cum voluptate exterarum gentium ritus, ac cœremonias percipiet? Quanta animi auiditate ancipites bellorum euentus inter alios, atque alios Reges temerè exultantes auſcultabit? Quanto denique oblectamento ſurgentium, ac reſilientium regnorum viciſſitudines, factæ præter ſpem optiones Imperatorum, deturbati per ſummum nefas hæreditario imperio clariſſimi heroes, omnia omnium ſæculorum monumenta cedrinis notata membranis agnoſcet? Hiſtoria vna eſt, quæ ætate iuuenem reddit ſapientia ſenem. Hiſtoria vna eſt, ſine qua ſenes repubeſcunt. *Neſcire* (ait Tullius) *quid, antequàm natus ſit, acciderit, eſt ſemper eſſe puerum.* Hinc eſt, quòd Demetrius ille Phalereus Ptolomæo Regi ſæpiùs daret in aures, vt libros lectitaret. Nam cum de vitijs vereantur amici admonère, ne Principis animum offendant: ea omnia hiſtoria, quin erubeſcas, demonſtrat; quin vacilles, pronuntiat; quin ipſa vereatur, apponit. Quis immunis, vt Hiſtoriæ tributum non debeat obſequij? Sine hiſtoria

XV. *Hiſtoria neceſſaria Oratori.* nullus orator. Opus eſt (ait Quintilianus lib. 2. c. 5.) vt præceptor Rhetorices ſuis auditoribus hiſtorias euoluat, hiſtoricoſque omnes diligenter explanet, vnde orationum argumenta deducant. Milites, licet inter ar-

XVI. *Militi neceſſaria.* morum ſtrepitus nec leges exaudiant, hiſtorias lectitant, vt maiorum recenſentes exempla, commilitones inflamment. Quidquid otij nanciſci poterat Alexander, totum lectitando

impendebat hiſtoriæ, Homerique Iliadẽ, quam etiam dormiens pulvino ſubiacebat, adeo delectatus, vt ſine Homero haud ſomnum caperet. Vnde tot victoriarum cauſa Alexandro una fuerit, Achillis virtus. Multa de Cæſare circumferuntur, quòd æmulus Alexandri, cuius victorias cum legeret, lachrymas vberiùs effuderit, quiã ea ætate, qua ille terrarum orbem domuerat, nihil adhuc geſſiſſet. Hæc tamẽ conſulto omitto, vt illud tantum ex veteribus referam ex L. Lucullo. Qui (vt inquit Cicero) cum eſſet Roma ad bellum Mithridaticum profectus, rei militaris omninò rudis; tantam inter nauigandum rebus geſtis legendis operam poſuit, vt cum in Aſiam veniſſet, maximi illius Regis confeſſione, atque iudicio omnibus quorumcumque ſæculorum Imperatoribus anteferretur. Sed ne vetera conquiramus, Turcarum principem recenſe Selimũ, cuius maiores cum ab hiſtoria velut à fabulis abhorruiſſent, primus ipſe geſta Cæſaris in linguam vernaculam transferri mandauit, eiuſque imitatione tantum profecit, vt breui magnam Aſiæ minoris & Africæ partem cum imperio maiorum coniunxerit. Huic adde Luſitanos Duces, Albuquercios, Almeidas, Caſtros, qui altera manu gladios, altera libros hiſtoriarũ geſtabant.

Qui dextra gladios, ſiniſtra libros geſtarent.

XVII. *Nulli odioſa eſt hiſtoria.*

Quærunt aliqui, an hiſtoria ſit vtilior Reipublicæ, quàm Poetica, aut Oratoria? Superuacua porrò eſt quæſtio; nam in Oratores, Poetas non minimę ſunt querelæ. Lucianus in totum oratorum genus inuehitur, quod multa machinamenta capiendis iudicum animis comminiſci ſoleant. Lacedæmonij Oratoriam exegerunt: refert *Quintil. lib.* 2. Athenienſes, penès quos ipſa efflornerat, ſi non omninò ablegarunt, certè mutilam, & veluti reciſam effecerunt, dum ab orationibus commiſerationem, & amplificationem, duo acerrima tela artis oratoriæ remouenda curarunt. In Poetas *Budæus* refert fuiſſe aliquos, qui in ampliſſima curia, pro tribunali cenſuerint poetas omnes cremandos, poeticamque trans Alpes relegandam, veluti Reipub. peſtem. Caligula more tyranni, Homeri, Maroniſque ſcripta flammis abolere concupiuit. Plato poetas iuuentutis carnifices appellabat. Hiſtoriam (ait *Politianus*) nemo agit ream, nemo offendit, nullius patrocinium, quæ ſit innocentiſſima requirit: nullius peti maledictis potuit, quæ præclariſſimè de vniuerſo hominum genere ſit benè merita. Hinc vtiliores Reipublicæ boni ſcriptores creduntur, quàm boni Imperatores. Quia hi ſuis tantùm dum viuunt, conſulunt. Scriptores verò etiam poſteris. Vnde *Saluſtius* gloriatur in Iugurtha, maius commodum ex ſuo otio, quàm ex aliorum negotijs Reipublicę venturum. Accedit quòd Scriptorum calcaribus excitati Imperatores, prò dignitate imperium adminiſtrent. Apollinis oraculum quærenti Zenoni, quo pacto ad virtutem euaderet? reſpondit, *ſi mortui hominis colorem indueret*, ideſt ſi veterum hiſtorias lectitaret. Sic Demetrius ille Phalereus ſępiùs Ptolomęo Regi dabat in aures, vt libros lectitaret. Tandem nonne ille Reipublicæ credendus vtilior, qui maioribus præmijs ciuium benefacta condecorat: & malefactã ſupplicijs maioribus afficit? quia præmium, & pœna ſint claues Reipublicæ? Nemo dubitat: & hunc hiſtoricum aſſero, qui calamo ſuplet, quod gladius non audet. Tota interiret gloria, ni ſcriptorum ſtudia ab obliuione aſſererent militum geſta. Omnium ſimul cum vita caderet recordatio, ſi ſuis in hortis gloriæ ſemina hiſtoria negligeret. *Niſi Illias* (ait Tullius pro Archia) *extitiſſet, idem tumulus, qui Achillis corpus contexerat, nomen quoque obruiſſet.* Suſpice *Maximiliani* Imp. ſymbola; quorum in altero *Iupiter* eſt, qui Saturni confracta falce, tempus alligat, vt fabulantur poetæ, ſub lemmate *Aeternitas temporum*, quia per æternitatem caduca, & temporanea ſeruant Annales

XVIII. *Scriptores Reipublicę vtiliores, quàm Imperatores.*

Hiſtoriæ ſymbola.

Saturni falcem perrumpit dextra Tonantis
Iniicit, & miſero vincula dura ſeni.

In altero *Deucalion* eſt vnà cum *Pirra*, qui oſſa magnæ parentis, ideſt lapides terræ retro iacientes, genus ſuſcitant humanũ.

Dũ Pirra innumeras vibrat per tergora petras,
Humanum rurſus naſcitur ecce genus.

Non minori hiſtoria prodigio lapſã reparat, mortuos ſuſcitat, *poſſedit cætera pontus*. Ouidius. Quæ enim

heroum

heroum geſta non ſeruat hiſtoria, obliuioni data famelicum deuorat tempus. Iure itaque cum Deucalione & Pirra canat Hiſtoria, *Nūc genus in nobis reſtat mortale duobus.* Lauda modò *Maiximiliani I.* Imper. ſtudium, dum reparando generi incumbit Germanico, & ſedulus arborem nobilitatis inquirit. Vos interim timete Principes non minùs hoſtium ſecures, quàm calamos. Hi namque quandoquè acriùs feriunt, quàm acinaces. Alexander Seuerus literatos amabat homines, reformidans eos etiam, nè quid de ſe aſperum ſcriberent *Lampridio* teſte. Solimanus crebris Iouium inuiſebat muneribus, quaſi ſcriptoris magis verba timeret, quàm Caroli verbera. Coſmus Mediceus, aureis catenabat vinculis hiſtoricos, quòd à literarijs non lapideis famam ſperaret ædifficijs. Vtilis itaque eſt hiſtoria, neceſſaria, glorioſa, terribilis & metuenda precipuè principi, qui poſt Deum, quem timeat, non habet præter hiſtoriam. Nec ſine voluptate putes, libidinem ſuam & ipſa habet, quæ morbum ipſum illicere, imò ſanare poteſt. Teſtes ſunt Alphonſus, ac Ferdinandus Hiſpaniæ, ac Siciliæ Reges, quorum alter à T. Liuio; alter à Q. Curtio valetudinem amiſſam, quam à medicis non poterant, recuperarunt. Teſtis eſt *Laurentius Mædiceus* ſolo hiſtoriæ medicamento, à morbo conualuiſſe dicitur, ex eius hiſtoriæ narratione, quæ fertur de *Conrado III.* Imper. qui cum *Guelphum* obſidione fregiſſet diuturna, nec vllis conditionibus à propoſita, ſuſceptaque vrbis euerſione deduceretur, ad extremum victus nobilium fœminarum precibus permiſit, vt inuiolatæ abirent, ea lege, vt nihil ex vrbe niſi quod humeris poſſent, exportarent. Tum illæ confidentia maiore dicam, an pietate, Ducem ipſum, maritos, liberos, parentes ab humeris ſuſpenſos geſtare cœperunt: Ex quo Imperator tantam cœpit voluptatem, vt effuſis præ gaudio lachrymis, non modò feritatem, & iracundiam ex animo penitùs depoſuerit, verumetiam vrbi pepercerit, & amicitiam cum hoſte omnium acerrimo contraxerit. Quis igitur dubitet (ait *Bodinus*) quin hiſtoria hominum quoque ferocium, ac ſtupidorum animos ſuauiſſime compleat oblectatione? ac verendum potiùs eſt, ne dum nimis magna voluptate capimur, vtilitatem deſeramus. Nonnullis ergo legibus lectorem circumſcribam, ne vtilitatem voluptas abſorbeat.

XIX. *Hiſtoria timenda.*

XX. *Voluptas ex Hiſto. ria.*

XXI. *Plurimi ex hiſto. ria ſaluté habuere.*

XXII. *Hiſtoria ſit breuis.*

Breuem primò inquirat hiſtoriam; Nihil enim eſt (ait Cicero) in hiſtoria, pura & illuſtri breuitate dulcius. Hinc *Trogus Pompeius* aduerſus Liuium, & Salluſtium, concionum tacitè reprehendit apparatum; nam ſi conciones de Liuio detraxeris, exigua fragmenta reſtabunt. Quæ cauſa Caligulam impulit, vt ſcripta Liuij, & imagines de bibliothecis omnibus propè amouèret. Hiſtoriam (ait *Marcellinus*) per minutias ignobiles producere non decet. Tiberium irridet *Suetonius*, quòd noticiam hiſtoriæ fabularis vſquè ad ineptias quæreret. Stultum inſimulat *Capitolinus* Iunium Cordum, quòd in ſua hiſtoria narraret, quos ſeruos, vel penulas, vel chlamides quiſque Principum haberet. Suo abutantur otio, qui vulgares, vel poeticas quærunt hiſtorias. Habeant & deſides hiſtorias ſuas. Quæ verò longa vel breuis ſit dicenda hiſtoria? ego eam longitudinem probo, cui nihil adimi; eam breuitatem, cui nihil adijci poteſt: illa in Cicerone: hæc in Plinio ſpectatur. Leges alij hiſtoriæ tres numerant: & ſunt *Numerus, grauitas, ſuauitas.* Addetur etiam *Veritas,* quæ teſte Tullio in Orat. *prima lex hiſtoriæ eſt, ne quid falſi dicere audeat: deinde, ne quid veri dicere non audeat.* Facilius tamen legem imponere, quàm exequi: & iura ſuadere veritatis, quàm veritatem ſcribere. *Arduum videtur* (ait in Catil. Saluſtius) *res geſtas ſcribere, primò quia facta dictis exequenda ſunt; dein quia plerique, quæ delicta reprehenderis, maleuolentia & inuidia dicta putant, vbi de magna virtute, atque gloria bonorum memores, quæ ſibi quiſque facile factu putat, æquo animo accipit, ſupra veluti ficta prò falſis ducit.* Inter verò hæc duo extrema illud probabilius eſt; quod inſimulat, & accuſat. *Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur, quippe adulationi fœdum crimen ſeruitutis malignitati falſa ſpeties libertatis ineſt.* Raro tamen inſimulare licet, quamuis declamatorem non temporum, ſed homi-

XXIII. *Vera ſit hiſtoria.*

Verum dicere arduum.

num exigant vitia. *Rara temporum felicitate, in quibus licet ſentire quæ volo, & dicere quæ ſentio*, Tacitus *Hiſt.* 1. Præcipuè ſi de viuentibus, ſermo recurrat. *Veteris Reipublicæ proſpera, vel aduerſa claris ſcriptoribus memorata ſunt, temporibuſque Auguſti non defuere decora ingenia, donec gliſcente adulatione, deterrerentur. Tiberij, Caijquè, & Claudij, ac Neronis res florentibus ipſis ob metum falſæ, poſtquã occiderunt, recentibus odijs compoſitæ ſunt.* Tacitus, Claris itaque ſcriptoribus proſpera vel aduerſa memorata ſunt ſed *veteris* Reipubli-

XXIV. cæ mores ſi deſcribas coeuos, probum vel improbum offendis principem (ait *Maluetius* in Tacit. *c.* 10.) Si improbum, periculoſa ſanè erit hiſtoria; nam nec vitia poteris recenſere aliena, ne in ijs ſua cognoſcat Princeps, & ſi non agendo, ſaltem legendo erubeſcat. *Reperies* (ait Tacitus *An.* 4.) *qui ob ſimilitudinem morum, aliena malefacta ſibi obiectari putant.* Quòd ſi laudes veteres proauos, adhuc *gloria ac virtus habet infenſos, vt animus ex propinquo diuerſa arguens.* Tacitus *An.* 4. ſpetie namquè alienæ laudis hærebit ſibi vitia objci; vel inuidia correptus indignè feret alium laudari. Prudenter Tacitus vitam Agricolæ optimi viri deſcribere abſtinuit ſub Imperatoribus peſſimis: donec adueniente Traiano in lucem edidit, quod iam mente conceperat, & manu exarauerat. *Legimus cum Aruleno Ruſtico Pætus Thraſea, Herennio Senecioni Priſcus Heluidius laudati eſſent, capitale fuiſſe: neque in ipſos modò auctores, ſed in libros quoque ſæuitum:* in Agricola c. 1. Quòd ſi mali Principis geſta perſequeris, vel poetam ages, & fabulam inſtrues, quia hiſtoria ſine veritate animal eſt ſine oculo; vel ſi verum ambage remota dederis, hiſtoriæ monimentum erit tibi monumentum. Hinc nō improba malignitatis ſuſpicio, & ſuſpicax non ſine experientiæ ſuffragijs prudentum etiam intentio, vt quæ de Principe viuente narrantur, à veritate diſcrepare ſæpè putentur. De mortuis liberiùs quis loquitur, & quales fuerint, veriùs futuris ſeculis traditur. *Commune eſt cunctis* (aiebat Caſſiodorus. 10. Var. 19.) *in ſuis imperijs prædicari: ſed illud eſt omnimodis ſingulare, in extranea gente laudes proprias inuenire. Quia ibi ſunt vera iudicia, vbi neminem comprimit vlla timiditas.*

De viuentibus difficile eſt ſcribere.

Hiſtoriographus legibus veritatis tenetur; ſed timiditate ſæpè ſæpiùs comprimitur, & ſtudio adulationis pulſatur. *Librum iudicum*, in quo ſcelera quouis tempore perpetrata, quæque egregia facinora deſcribuntur an exaratum Iudicum tempore? Caietanus querit: concluditque ipſis viuentibus non fuiſſe memoriæ traditum, ſed poſt errantium mortem (impia namque ibi recenſentur facinora: *Fecerunt malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui ſeruientes Baalim, & Aſtaroth*) conſcriptum, & futuris ſeculis delegatum. Quia etſi ſacri hiſtoriographi, vtpote Dei ſpiritu impulſi, nullatenùs potuerunt leges veritatis exactiſſimè non implere, voluit tamen nos Deus erudire libro illo poſt Iudicũ mortem exarato, quæ de magnatibus ſuperſtitibus inueniuntur literis commendata, ab adulationis calumnia non eſſe libera. Liber objjcitur Ioanni ſigillis munitus, & obſignatus: arcana continebat myſteria, quæ honeſtiſſimam Ioannis curioſitatem accenderet, vt reſeraret. Expectabatur tamen agni interitus, vt aperiretur liber, & arcana paterent. *Vidi agnum ſtantem tanquàm occiſum. Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum: & cum aperuiſſet librum.* *Apoc.* 5. Sed cur poſt agni occiſionem reſerantur ſigilla, nec ante liber aperitur? Vt clariùs (ſoluit Ambroſius *c.* 5. *in Apoc.*) & veritas conſtaret, nec de calumnia timeret. Euangeliorum liber non poterat à veritate aberrare, at ſi viuente Domino reſeraretur. Verum ne quis improbus criminaretur plura vel adulationis vitio exaggerata, vel timore ſuppreſſa; ſolùm demortuo Domino, proditur liber, quo omnis deletur ſuſpicio. In proprio amari regno (ait Caſſiodorus *loco cit.*) in conſpectu deprædicari, ferè cunctis commune eſt: quæ in abſentia dicuntur, excluſa tamen æmulatione vera iudicia probantur: quia ibi nec metus frænat: nec adulatio prouocat, nec cupiditas exaggerat, nec metus honeſtat. Quæ de ſuperſtite ſcribuntur, vt minùs vera notantur. XXVI.
Nequit homo veritatem exprimere, & maieſtatem intueri. Mira doctrina Chriſtus Dominus ſæculorum magiſter, vt geſta exararet magnatum, ab eis auertit oculos, & declinauit obtutus. Veritatis calumniatores captioſiſſimas prætexuerant cauſas, vt Chriſtus

XXV. Nec ſacri hiſtorici de viuentibus ſcribunt.

Chriſtus vt vera ſcribat, oculos auertit à potentibus.

ſtus

ſtus vel miſericordiæ abundantia legi appareret aduerſus, vel ſeueritate clementiæ appareret contrarius. Adulteram exhibent, vt legem adulterent. Chriſtum vrgent proferre ſententiam abſoluere, vel condemnare. Non renuit Ieſus, ſed *inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra*, mores reformans, & prouida induſtria, aduerſariorum declinans adſultus. Quid ſcriberet? *accuſatorum peccata* plerique reſpondent. Propterea *ſe deorſum inclinat*. Quia licet nulla adſtantium auctoritas potuiſſet veritatem corrumpere: tamen factis nos inſtruit, eorum peccata ſcripturus; oculos à magnitudine auertit, & à præſentia ſubmouit: quaſi nequeat manus facta veritatem deſcribere, ſi contigerit oculum magnatum pompam videre.

XXVII. *Hiſtoria mendax.* *Inclinat ſe deorſum*, ſcripturus potentium hiſtoriam, ne veritatem læderet, & adulationis opinionem refugeret. Si omnis homo mendax, hiſtoricum vel neges hominem; vel mendacem aſſeras, opus eſt. Miris laudibus *Publij Scipionis*, qui poſtea *Africanus* dictus eſt, continentia à Liuio, alijſque prædicatur, dum noua occupata Carthagine, in Hiſpania, virginem captiuam, tam forma eximia, vt quacumque incederet, oculos hominum in ſe conuerteret, non ſolùm caſtiſſimè cuſtodiri iuſſerit, ſed etiam inuiolatam ſuis reſtituerit.

XXVIII. *Erga Scipionem adulatio.* Porrò adulationis fuiſſe verba Valerius teſtatur Antiates, qui ſæpiùs à Liuio citatur, & eum hiſtoricum fuiſſe illum autumant, qui militarit ſub M. Valerio Læuino Prætore aduersùs Annibalem. In cuius fragmentis hæc verba legimus. *Puella quædam pulcherrima, quam Carthagine, ampla ciuitate in Hiſpania, expugnata, cœperat Pub. Africanus ſuperior, non reddita patri ſed retenta ab eo, atq. in delitijs amoribuſq. vſurpata eſt.* Ideoque Gellius ſcribit *lib.6.c.8.* Scipionis famam, quum adoleſcens eſſet, haud ſinceram fuiſſe, & propemodùm conſtitiſſe, hos verſus a Cn. poeta in eum ſcriptos fuiſſe:

Etiã qui res magnas ſæpè geſſit glorioſè (ſolus.
Cuius facta viua nũc vigeat, qui apud gẽtes
Præſtat; eum ſuus pater cum pallio vno ab
amica abduxit.

His ergo verſibus (inquit *Gellius*) credo adductum Valerium Antiatem aduersùs cœteros omnes ſcriptores de Scipionis moribus ſenſiſſe, & eam puellam captiuam non redditam patri, ſcripſiſſe, ſed retentam à Scipione, atque in delicijs vſurpatam. Hinc conſtat, *Flauium Vopiſcum* non fruſtra in ſuo Aureliano ſcripſiſſe: Neminem ſcriptorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum: prodidiſſe quin etiam in quo Liuius, in quo Saluſtius, in quo Tacitus, in quo Trogus manifeſtis teſtibus conuincerentur. *Flauius Ioſephus* etiam, accuſante Saliano, Romanorum blanditus auribus, hiſtoriæ ſuæ ea inſeruit quæ placère poſſent Gentibus Romanis.

XXIX. *Numen non inuocat Hiſtoricus.* Propterea ſuſpicor Poetas, Oratores, cęteroſque in exordio Numen ſolitos implorare, exceptis hiſtoricis, qui numquàm implorando, prœmiantur. *Cum bonis* (ait Liuius in prœmio) *potiùs omnibus, votiſquè ac precationibus Deorum, Dearumque, ſi vt poetis, nobis quoque mos eſſet, libentiùs inciperemus, vt artis tanti operis ſucceſſus proſperos darent.* Quare peccaſſe dicũt *Valer. Maximum*, qui vel hominem inuocare non dubitauit, hoc eſt, Cæſarem. *Te igitur huic cœpto, penes quem hominum, Deorumque conſenſus, maris ac terræ regimen eſſe voluit, certiſſima ſalus patriæ Cæſar, inuoco: cuius cœleſti prouidentia virtutes de quibus dicturus ſum, benigniſſimè fouentur; vitia vindicantur:* Ego verò Valerium laudo quòd non Deum ſed hominem inuocauerit, quem fallere ſi non licet, poteſt; Deum autem nec licet, nec poſſit.

REGVM PVRPVRA, PVDOR. CAP. V.

CVius ſtudium in *Maximil. I.* Imper. qui moriens ſibi pudenda cooperuit: & *Maria* eius coniuge, quæ contracto vulnere, mori maluit, quàm à Medicis conſpici, vt ſanaretur, gemino exaramus ſymbolo.

1. Anacharſis dormientis, & leua manu virilia tegentis, dextera verò os claudentis.

2. eſt Iouis, cui pudor aſſidet ſub lemmate, *Aſſeſſor Iouis.*

3. Cadaueris fœminei proni, & maſculini ſupini in mari natãtis, ſub lẽmate, *pudor naturæ.*

4. Elephantis palam non coeuntis ſub lemmate. } *diſce pudorem.*

5. Meropis in Cœlo latentis, ſub lemmate; } *diſce pudorem.*

1.4. *Ve-*

1.4. *Verecundia & puſillanimitas quomodò differant ? 3. verecundia eſt argumentum pudoris. 6. an virtus. 7. a rubore differt. 10. color verecundiæ pretioſus. 12. obiectum verecundiæ. 17. quorum ſit. 18. iuuenum eſt. 21. occaſio verecundiæ. 24. erubeſce propter te, non ob alios. 25. non ex hominum opinione. 27. magis intereſt, quàm vita.*

1. *Pudoris imago. 4. 26. in oculis habitat. 13. pudicitia ſoror Aſtreæ. 24. ara pudoris. 26. 29. pudoris exempla. 1. 29. ſymbola. 36. pudor ſeruilis.*

5. *Vultus theatrum honoris.*

7. *Rubor quid? 8. 11. virtutis veſtigium. 17. ſolus homo erubeſcit.*

9. *Purpura naturæ.*

11. *Lutherus quando ſe agnouerit perditum.*

14. *Clypeum proijcere dedecus.*

15. *Virtutis dedecus.*

16. *Vulnera in fronte glorioſa.*

19. *Iuuenis optimi conditiones quæ?*

19. *Senis conditiones quæ?*

20. *Cato ſenex vitioſus.*

21. 31. 34. *Nuditas corporis odioſa Romanis.*

21. *Symachi mors.*

22. *Cenſorem vitæ quiſquis eligat.*

23. 35. *Deus ſemper nobis adeſt.*

24. *Peccatum ſine lumine agnoſcitur.*

28. *Maximiliani. I. Imp. honeſtas, pudor.*

30. *Fœminarum cadauera in aquis cur prona; maſculorum ſupina?*

32. *Balnea promiſcua prohibita antiquis.*

33. *Catonis exemplo meretrix erubeſcit.*

35. *Genitalia an pudenda.*

35. *Cum peccamus, ſemper aliquo vidente peccamus.*

35. *Elephas numquam palàm coit.*

35. *Merope erubeſcit nupſiſſe mortali.*

36. 39. *Verecundia ſeruilis damnatur. 37. de vitio alieno non eſt erubeſcentia.*

37. *Lucretia an laudanda, quæ ſeipſam interfecit.*

39. *In publico orare quàm difficile. 40. Cicero timebat.*

41 *Inuerecundus qui?*

41. *Audax qui?*

I. GEminas Natura paſſiones appetitiuo excitauit in ſenſu *Puſillanimitatem*, & *Verecundiam*. Hæc rem odit inhoneſtam quãuis iucundam. Illa periculoſam, quamuis glorioſam. Prima fugit; ſecunda ſecedit. Illa hoſtem, hæc ſeipſam formidat. Vtraquè eſt Iraſcibilis ſpeties circa timorem. Sed *puſillanimitatis*, ſeruilis eſt & ignobilis timor. *Verecundiæ* verò nobilis, & ingenuus. Hinc quantùm vituperas eum, qui timet glorioſa diſcrimina; tantùm lauda, qui ignominioſa fugit pericula. Ne autem lectorem fallat nomen æquiuocum, ne te lateat; *Puſillanimitatem* aliquibus *verecundiam* dici, *quæ rectè facti, ac honeſti* dicitur. *Pudor* verò *mali facti*. Benè *Propertius*. 6. 2.

II. *Pudoris, & verecũdiæ diſcrimen.*

Nam nihil inuitæ triſtis cuſtodia prodeſt.
Quem peccare pudet Cynthia, tuta ſatis.

Eamque ob cauſam *Plautus*.

Nam ego illum periiſse duco, cui iam pridem periit pudor.

Aliquandò verò *verecundia* pudoris eſt argumentum, & rectè facti vterquè timor, quem ſi pudor explicare non poteſt, verecundia explanat; *Alciatus*, audi.

Pudoris imago.

Penelope deſponſi ſequi cuptebat Vlyſſem,
Ni ſecus Icarius vellet habere pater.
Ille Ithacã, hic offert ſpartã, manet anxia virgo,
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo ſedens velant vultus, obnubit ocellos
Ita verecundi ſigna pudoris erant,
Queis ſibi prælatum Icarius cognouit Vlyſſem,
Hocque pudori aram ſchemate conſtituit.

Conuenit cum iiſdem, quod ſcribit Ariſtoteles apud Athenæum *lib.* 13. *Pudorem in oculis habitare*, ideſt virginalem animum per oculos cognoſci. Meretricij enim mores, & animus impudentia audax faces illas corrumpit, & adulterat, vt ex virgine luce turpis fiat fulgor, & libidinoſæ mentis index. III. *Pudor in oculis habitat.*

Sed animi *abiecti*, & *verecundi* recurrant diſcrimina. Vbique timor faciem verberat, & mutat aſpectum. Vilis animus pallet; verecundus rubeſcit. In ignem iſte, in cinerem ille mutatur. Dum patimur, ſanguinem natura ſubmittit, veluti in ſubſidium vbi dimicamus. Et quia ingruente Morte; cor patitur, quod eſt fons vitæ. Vrgente verò Verecundia, patitur vultus, qui dicitur Honoris theatrum: ideo in timore mortis, in vultu IV. *Verecundiæ et abiectionis diſcrimen.* V. *Vultus theatrum honoris.*

vultu ſanguis abundat, vt cordi accurrat periclitanti. In timore verò verecundiæ cor deſerit, vt fronti ſucurrat; præcipuè oculis, qui animæ dicuntur vigiles, & rigidi ſpeculatores, ſi quis eam aſpiciat, vel deſpiciat; honoret, vel vituperet. Hos ſanguine natura circundat, & cooperit, vt inobſeruati excubent, & non videntes videant. Si enim aſpiciant, rei prodeunt, & culpam produnt: ſi aſpiciantur, pœna torquentur, & dolorem non effugiunt. Hinc Euripides Verecundiæ ſedem oculos dixit. Neminem namquè pudet, vel erubeſcit, ni oculos habeat.

VI. *Verecundia an virtus.* Virtus an pudor ſit? ne dubites. Imò & verecundia, quamuis vt iniquè facti timor accipiatur, virtuti accedit. Virtutem haud ſimpliciter dico, quia paſſio virtus non eſt, ſed impetus naturalis, qui non liberæ voluntatis arbitrio, ſed natura cogente irrumpit, & nullo rationis dictamine, cor turbat, & vultum confundit iuxta id, *Tota die confuſio faciei meæ cooperuit me*. Pudor cum à bona cauſa in meliorem conſurgat effectum, (nam & liciti quandoquè pudet) virtus dici meret. Verecundia quòd à cauſa mala conſurgat, licet in bonum erumpat effectum, virtus non eſt; quia malum illud eſt, quod ex quocumque; bonum verò ex integra cauſa. Deſiderabilis tamen impetus verecundia eſt, & honorabilis paſſio. Perfectio non eſt, ſed perfectionis æmula. Virtus non eſt, vitij tamen inimica, & peccati pœnitentia ſalubris; vnde pari iure gaudet, ac virtus moralis.

VII. *Verecundia & rubor quid?* Subdiuiditur paſſio hæc, & veluti nomen equiuocum *Verecundia in Verecundiam* ſecernitur, & *Ruborem*. Vna eſt cauſa ſequentis, & de præcedentia digladiantur. Nobiliorem ne poſtremam credas; quia melius eſt rem intactam ſeruare, quàm poſt vulnus remedium quærere. Verecundia inhoneſtum præcedit, & ne animus polluatur; ſatagit. Rubor verò dolet pollutum. Pædagogus eſt verecundia; rubor eſt carnifex. Illa ſuadet; & futura reſpicit: hic verberat, & præterita plangit. *Verecundia quid?* *Infamiæ timor* dicitur a Stagyrita Verecundia, quia præuenit. *Infamiæ dolor* dicitur Rubor, quia præuenitur. Culpa & pena videntur verecundiæ, & ruboris obiectum. Hanc timet rubor, eam verecundia.

VIII. *Rubor uirtutis veſtitum.* Dignior hæc eſt; Habet tamen etiam Erubeſcentia honorem ſuum. Primus virtutis gradus eſt, non peccare. Secundus peccati pœnitere. Diogenes adoleſcentulum videns inhoneſto dicto erubeſcentem: *Confide* (inquit) *fili, hicce color virtutis eſt*. Laertius. Natura ipſa colore in faciem immiſſo, ruborem à verecundia ſecernit. Ruborem porrò omnem ne verecundum credas. Sunt enim, quos magis timere opus eſt, ſi rubeſcant, quàm ſi palleant. Sylla, Nero purpureo operiebant ſanguine vultum, non cum eos pœniteret iniuſti, ſed cum quærerent, & iniqui iuberent. Rubor ille non erat verecundiæ argumentum, ſed feritatis preludium, & clangor feralis, quo furias euocabant in ſubſidium. Purpureum vexillum quod in prætorio exponitur, vt milites vocat ad arma; ſic rubor in Sylla atque Nerone tonabat claſſicum: Sanguinem exigebat ſanguis. Corrupta Natura euomebat pudorem, vt locum cederet feritati. Naturæ quidem eſt, per ruborem pandere honeſtatem. Quandoque verò decipitur, & cogitur ſufferre indumenta virtutis laruam iniquitatis. Geminam namque purpuram colore, pretioque diuerſam Phyſici agnoſcunt. Prima eſt muricis, quæ viuido, ac iuuenili ſanguine floret, atque rubeſcit. Hæc cunctis prætioſior. Alia eſt Coccinea, quæ pallido & tabido tincta ſanguine, iuxta primam vileſcit. Verecundia genas rigat virginales, atque in fronte, & pectore virgineo micantes excitat prunas. Rubor verò pallido cocineo pœnitentium frontem aſpergit. Formoſius non eſt mulieri pigmentum, & fucus venuſtior naturali illa purpura, quam verecundia texit. Hæc honeſtatis cuſtos, modeſtiæ comes, & internæ virtutis externum argumentum. Pithiam cum interrogarent ſociæ virgines, ex coloribus, quis magis arrideret? colorem reſpondit verecundiæ. Poſt denſas oſcuræ noctis caligines, ſi nubes rubeſcant ſunt ſerenæ lucis exordium. Sic rubrum in ſero, Cœlum indicat manè ſerenum. Propudioſæ vitæ ſi rubor accedat, futuræ eſt pœnitentiæ præludium. Virtus non deſperatur, vbi criminis non tumeſcit memoria, ſed de præteritis erubeſcit: vel ſi obuiet virtus, vitia aſpectum non ſuſtinent. Hippocratidas, cum vidiſſet adoleſcentem, quem ſequebatur amator,

IX. *Purpura duplex.*

X. *Color verecundiæ pretioſus.*

XI. *Rubor ſignum virtutis.*

tor, erubeſcentē prò pudore: *Cum his*(inquit) *oportet ambulare, cum quibus conſpectus, non mutes colorem*. Plutar. *in Lacon.* Poſt peccatum verò non erubeſcere, ſed gloriari, impœnitentis eſt ſignum, cuius ſalus deſperatur. Lutherus tunc ſuam perditionem cognouit, cum libidinem ſacrilegam ſuſtineret impauidus; vnde futuræ damnationis vindictam quæreret aduersùs Deum, à quo erat damnandus. Qui itaque non reformidat in-

XII. *Obiectum verecundiæ.*

famiam, impudens eſt, & inuerecundus. Sed quam infamiam? quæque ſit virtuti oppoſita. Non eſt virtus, quæ verecundiam non habeat affinem. Hinc ſine rubore non niſi iniquus audet negare depoſitum, quia actus eſt Iuſtitiæ oppoſitus. Duas autem Aſtreæ

XIII. *Pudicitia ſoror Aſtreæ.*

ſorores dedit antiquitas, Pudicitiam, & Temperantiam. Clypeum proijcere dedecus eſt, & fortitudini oppoſitum; vnde Spartana mulier filio, qui in procinctu erat, clypeum ea lege dedit, *In hoc* vinces; *cum hoc* morieris: *Non ſine hoc*, regrediaris, Apud Græcos militari lege cautum erat, vt qui miles ſcutum

XIV. *Dedecus eſt, clypeū proijcere.*

amiſiſſet in acie, capite pœnas lueret: qui verò gladium, leuiori pœna notaretur. Maioris enim diſciplinæ eſſe, ſe ab hoſte tueri, & incolumen præſtare, quàm cum ſua pernicie hoſtem perdere, ſummi Duces putauere. *Alex. lib. 2. c.* 13. Idem credas de reliquis virtutibus, quibus non tam aduerſa geſta, quàm geſtorum ſigna obiectum ſunt verecundiæ. Adulterinis genas notatas oſculis Cicero exprobrabat Antonio: vt aui manus ære pollutas Antonius irridendo fœnus inſimulabat Auguſto. Sæpè etiam honos ipſe eſt verecundus, & quod vni decus, alteri dedecus eſt.

XV. *Virtutis dedecus.*

L. Lucullus Tigranem Regem Armeniorum ad Tigranocerta aggreſſus, peditum cum ſupra centum millia occidiſſet; equitum pauci euaſiſſent; ex Romanò verò exercitu centum vulnerati, & quinque tantum deſiderati eſſent; Romanos *Strabo* memorat puduiſſe, & ſemetipſos deriſiſſe, quòd in eiuſcemodi mancipia induiſſent arma. *Plutar. in Lucullo.* Sic vulnera æqualiter dolent, ſiue cadendo, ſiue fugiendo ſubeas. Hæc tamen ignominioſa, illa glorioſa. Lacænæ mulieres cum filios ſuos aduersùs Meſſenios in pugna cecidiſſe

XVI. *Vulnera ſi in fronte accepta, glorioſa.*

audirent, vulnera cœperunt tam eminùs quàm cominùs inflicta inſpicere: etſi plura ex aduerſo eſſent facta, cum gaudio, magnaque grauitate, & aſpectus toruitate, in maiorum auita monumenta filios deferebant. Sin alio loco vulnera accepiſſent, pudore ſuffuſæ, lachrymiſquè confectæ, quàm maximè poterant, clandeſtina fuga diſcedebant, relictis cadaueribus, vt in communi humarentur ſepulchro. *Aelian. de Var. hiſt. lib.* 12.

Cauſam *verecundiæ* ſciſcitanti? turpe dico, vt *virtutis* honeſtum. Erubeſcimus enim de malo præterito, vel futuro. Cuius verò ſit Verecundia? ſoli homini natura dedit.

XVII. *Solus homo erubeſcit.*

Cœtera animalia timent, non erubeſcunt. Quia ſolus homo honorem reſpicit. Bruta agunt non ſtimulo honoris, ſed guſtus. Erubeſcit homo malè operans, ſed non ſemper: vel ſemper, ſed non ad ſemper; ſed quouſquè humanitatem non exuit, vel diuinitati accedendo; vel in brutalitatem declinando. Iuſtus non erubeſcit, quia deſit ei obiectum verecundiæ, hoc eſt vitium. Iniquus non erubeſcit, quia verecundiam conſumpſit.

Quando homo non erubeſcat.

Ille non timet honorem, quia non peccat. Iſte peccat ſine rubore, honorem ſpernit, quem non habet, & ſine ſpe redemptionis amiſit. Quorum ergo eſt verecundia, ſi nec iuſtus, nec iniquus erubeſcit? Non malorum, neq. bonorum eſt verecundia, ſed *proficientium*. Media eſt inter virtutem & vitiū. Mouetur, mouente Opinione, quæ huius Cœli eſt intelligentia, & ſecundum opinionem infamiæ, vel bonæ famæ, virtutem inſequitur, vel perſequitur. Probro aſſuetus, nil patitur à verecundia, impauidus ſuſtinet, & tumidus peccat. Ibique naſcitur impudentia, vbi moritur verecundia. Iuuenum propria dicitur verecundia, non ſenum.

XVIII. *Verecundia iuuenum eſt.*

In his genæ iam frigidæ neſciunt erubeſcere. In iuuenibus facile ſanguis accenditur, & celer aſcendit. In iuuenibus non adhuc incaluere vitia. In ſenibus virtus conſenuit, nec facile mutat hoſpitium. Habent quandoque tamen ætatem ſenum, vitia puerorum. Senilis virtus ſperatur in iuuene, poſſidetur in ſene.

XIX. *Conditione ſenum, et iuuenū.*

Tria Socrates cupiebat in iuuene, *Cordis ſimplicitatem: linguæ taciturnitatem:* & *vultus verecundiam*. Totidem in ſenibus, *vultum grauem; ſermonem placidum: cor prudens*. Subuertitur porrò quandoque ætas, & repueraſcunt ſenes; vt ſeneſcunt iuuenes.

En

XX. *Cato ſenex vitioſus.* En Catones Maior, & Minor. Viri, homines fuerint, vel Dij? eorum virtus, cuius ad exemplum Romanus componitur Orbis, dubitare permittit. Facti ſenes, nullum ebrietatis, & laſciuiæ fugère veſtigiũ. Plus læſerint Rempub. ſenes, vel iuuarint iuuenes? ignoro. Tremebant iuuenes à Catone acriter reprehenſi. Pudebat filios, quos ſanctè Cato educauerat. Stupebant Romani omnes, quos Cato ſolo exemplo reformauerat. Sed vndè marceſcit virtus, vbi cadentis vitæ terminus de futura opinione ſolicitus, ac ſalute prouidus vitam anhelat beatam? Superabundabat illis fama virtutis. Iam publicis curis feſſi, vitam quærebant inter dealbata ſepulchra; & vitalem precabantur alimoniam à voluptatibus ſenſus, quæ mortalem faciunt animum immortalem. Quid turpius, quàm in ipſo limine ſecuritatis eſſe ſolicitos? Catones forſam illos dices, tantã gloriç coaceruaſſe, Rempublicam ſanctè gerentes; vt nullam iacturam formident virtutis? Inepta vox eſt; peiores cum moriantur, quàm vixerint: Occultaſſe dico, non odiſſe vitia; quæ tandem erumpunt, cum laſſa ſenectus, laruam nequit ſufferre virtutis. Veneranda ſenectus fortitudinem quærat non inter vitia, ſed inter virtutes; nec peccare audeat, cum non poteſt. Vel ſi poteſt delinquere, cur etiam non erubeſcere? Nec latet, iuuentam dici gloriæ cupidam, quæ commoditatibus, & illecebris famam & honorem præponit. Senectam verò benemeritam commodum Honori prçfert. Quod vigilauerint diù; modò dormire prætendunt. Do illis, veruntamen inſto; ſciant ſomnum vrgere æternum: nihilque habere, quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem. Huic vni intercedi non poteſt.

XXI. *Occaſio pudoris.* Poſt cauſam, occaſionem inquiramus verecundiæ. Nam motore indiget externo, ſine quo rubor frigeſcit. Animalia, Saxa, Picturæ nec mouent, nec terrent inde cum Romanis *Symmachi mors.* Romulea lex eſſet: *qui ſe nudum à fœmina videri paßus fuerit, criminis capitalis reus habeatur.* Huius legis reliquias tempore Augusti adhuc duraſſe ex Dione conſtat. Quũ enim Liuiæ coniugi Auguſti, obuiam facti quidam viri nudi, eaque de cauſa necandi eſſent, ita morti eripuit, quòd diceret, pudicis mulieribus, hos nihil à ſtatuis differre. Non moueant itaque lapides, bruta, niſi opinio, vel rationabilia bruta præſumat, vel lapides fingat loquentes. Rex Theodoricus cum Symmachũ capite iniuria damnaſſet paucis poſt diebus, cçnanti ſibi cum miræ magnitudinis piſcis caput decoctum appoſuiſſent miniſtri, Symmachi nuper occiſi caput illi eſt viſum, præfixis & extantibus inferiore in labro dentibus, & toruè intuentibus oculis, furibundè ſibi, & acerbè comminari. Vnde monſtri nouitate territus, membriſquè præter modum tremebundus, & ingens in cubiculum citato gradu abijt, & obijt. Eadem imaginatio, quæ delictum inuenerat, vbi non erat; mortem etiam inter epulas finxit; & caſum fecit.

Erubeſcimus itaque vel propter homines, XXII. vel propter Deum, vel propter noſmetipſos.

Perſonæ ſunt *parentes, Magiſtri, Magiſtratus*, quorum maieſtas nobis eſt venerabilis, & tremenda. Vel *Hiſtorici, probi viri, aduenæ, æmulatores*, à quibus infamia noſtra, vel bona fama. Vel *pueri, blaterones, mimi*, quorum lingua famà velocior frequens totum circumuolat orbem. Horum in conſpectu nos ſtare credamus; ne ratio diſcedat, vel fugiat honeſtas. Aliquis vir bonus (ait Seneca *Cenſorem vitæ eligere debemus.* *ep. 11.*) nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tanquàm illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: cuſtodem nobis, & pædagogum dedit: nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiã ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non adſpectus tantum, ſed etiam cogitatus emendat. O felicem, qui ſic aliquẽ vereri poteſt, vt ad memoriam quoq. eius ſe cõponat, atq. ordinet. Qui ſic aliquẽ vereri poteſt, citò erit verecundus. Opus eſt aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, pauca non corriges. Sed quid fingere opus eſt, vbi cenſorem, Magiſtrum, iudicem habemus adſtantẽ, qui ſine ſcriba, tabellione, & carnifice, acta refert, pendit, pandit, pũgit, & punit. Qui cordium ſcrutator eſt Deus, nõne mihi lucet etiam in tenebris, & in vmbra XXIII. *Deus nobis ſemper adſtat.* mortis hoc eſt peccati? & hunc non timeã, eo præſente non erubeſcam. Naſcitur cũ natura pudor, & Deo veniente perizomate pudenda cooperit. Gentiles ipſi horrebant, & erubeſcebant

bant Numē illud, *Elenchū* dictū, qui morta-
liū errata in palinxeſto notabat, vt tēpore, &
occaſione punienda exhiberet. Quid ſi nec
tellus, nec æthera, pontus facinora noſtra
XXIV. *Erubeſce propter te, non propter alios.* reſpiceret; forſan homo tumidus ſine rubo-
re peccaret? Seipſum adhuc erubeſceret,
aiebat Pitagoras; nec deeſſet, quem læderet,
quia ſeipſum læderet. *Pudori* aram Athenas
Ara pudoris. poſuit; quia etſi omnia Numina tollas, re-
ctæ conſcientiæ ſupereſt pudor, cui obediunt
& Numina. Hoc ſplendoris habet peccatum,
quod agnoſcitur inter tenebras. Nullo cen-
ſore opus habes; ſola criminis cogitatio car-
nifex eſt, & genitorem flagellat, priuſquàm
pariat, imò concipiat. *Signatum eſt ſuper
nos lumen vultus tui, Domine*, aiebat pſalmi-
ſta. 4. *nu.* 4. quia humanam labem præcedit
Diuina correctio, & vt ſubleuet, & ne ca-
das. Erubeſcas itaque propter te, non pro-
pter alios: nam qui alios: non erubeſcit, ſed ti-
met; nec culpā agnoſcit, ſed pęnam formidat.
Sunt qui trepidant, vbi non eſt timor. Alij
audent, vbi eſt pudor. Quaſi publicam hone-
ſtatem humana faciat opinio. Falleris, ſi hoc
credis. Pudoris ſimulachrum non eſt fictile,
XXV. & manufactum. Hoc vnum forſam verum
Erubeſcētia non ex hominum epinione. agnouit Gentilitas falſa; & adorauit quod dij
ipſi timent. Cato Vticenſis plebeio more
prodibat in aulam; cum Romani purpura
amicti fulgebant, & auro; vt aſsueſceret eru-
beſcere non ad opinionem hominum, ſed ad
ſpetiem iniqui. Hæc ſpargebat, & ſuſſurra
bat in caſtris, vt militem audacem haberet ad
fortia; & timidum ad inhoneſta. In hoc in-
uerecundus à verecundo diſtinguitur, quòd
in euentibus inopinatis, rubor erumpit, & de
honore magis, quàm de vita ſolicitus, lori-
cam induit pudoris. Poſt euerſionem Troiæ,
cum Græci in Thraciam appuliſſent, vbi mo-
numentum Achillis in Troia ſepulti extabat,
vmbra eius ſuper tumulum viſa, petijt à Gręcis,
vt ſibi Polyxenam, Priami filiam, quam
pater ei adhuc viuens deſpondiſſet, in hono-
XXVI. rem perpetuum ſacrificarent. Morem igitur
Græci gerentes Achilli, puellam duxerunt ad
aram, quæ ad mortem paratiſſima hoc vnū
curauit, vt extrema corporis veſtibus coope-
riret, quo honeſtiùs caderet. Sic Olympias
M. Alexandri mater à Caſſandro ferro petita,
Olympiadis honeſtas. haud manus in aggreſſorem extendit, vt vim
vi repelleret; ſed ad honeſtatem, ne ſine ea
caderet. Fęmina equidem fortis, in qua ti-
mor mortis minor eſſet, quàm pudoris: Sed
regiæ matronæ non aliud poterat eſſe orna-
mentum quàm pudicitia. Natura ei hanc
aptauit in velum, vt nihil magis timeret,
quàm ſemetipſam. De viro quæramus exem-
plum, vt inde cognoſcas parem deberi ve-
recundiam à maſculo, quamuis ſoli fœminæ
leges iuſſerint caput velare. Velamen enim
in capite ſignum eſt ſubiectionis non pudo-
ris. Is ſedem habet in oculis, & tegumen-
tum in ſanguine, quem in corde natura de-
poſuit, ne nobis vnquàm deeſſet. En ita-
que I. Cæſar, qui cum animaduertit vndi- *I. Cæſaris*
que ſe ſtrictis pugionibus peti, toga ca-
put obuoluit: ſimul ſiniſtra manu ſinum ad
ima crura deduxit, quo honeſtiùs cade-
ret, etiam inferiore corporis parte velata.
Suetonius. Grande facinus, in quo fœmi-
na virum egit: & vir fœminam honeſtam.
Vterquè honeſtatem vitæ præpoſuit. De
honore magis, quàm de vita ſoliciti, plus
horruere oculos, quàm parricidæ gladios.
Impetum hunc naturæ dices, vbi volenti,
vel nolenti mors inſtabat, & parricida vrge-
bat. Cadere cum debeo, quòd obitum am-
plectar honeſtum; ratio ſuadet, vt ſpetie ho-
neſti agam de neceſſitate triumphum. Sanè XXVII
porrò reſpondeo, quòd Cæſaris caſus auli-
cum non admittebat conſilium, vt in vili
morte gloriam quæreret. Si naturæ paſſio eſt
verecundia, non virtus electiua; natura ita-
que edocet, quantum magis naturæ interſit
verecundia, quàm vita: cum in vtriuſque
diſcrimine, manum porrigat non vt vitam XXVIII
erigat, ſed verecundiam. Exempla tamen *Maximiliani pudor honeſtas.*
non deſunt, quæ in diſcrimen vitam euo-
cent, & liberè malint vitæ naufragium,
quàm honeſtatem obiectare periclis. *Ma-
ximilianum I.* Imperatorem ita verecun-
dia tenuit, vt nullus ex cubicularijs eius vi-
derit vnquàm naturæ opera exercentem;
Pauciſſimi medici vrinam eius, dum ægro-
taret, viderunt. Pudicitiæ nec in hora mor-
tis oblitus, panniculo, quem manibus ge-
ſtabat moriens, pudenda, ne ſe mortuo à quo-
quam videri poſſent, obtexit; Hoc eſt, quod *Pudoris ſymbolum pro Maximil. I.*
per Anacharſis Scythæ ſtatuam, cuius ſini-
ſtra pudēda cooperit; dextra verò os claudit,
quaſi

quaſi duas manus homini natura dederit, vt vna linguam, altera libidinem refrænaret.

XXIX. *Mēbra pudēda manu fertur texiſſe Anacharſis, Ac digitum labris impoſuiſſe ſuis.*

In altero *Maximiliani* ſymbolo *Iupiter* eſt, cui *Pudor* aſſidet, teſte Sophocle in Oedipode in colono.

In omnibus rebus Ioui ſed aſſidet
Pudor, thronumque ſeruat.

Quaſi pudore ſeruet maieſtatem.

Quis neget excelſa natum de ſtirpe Pudorem?
Nam ſummo in Cœlis aſſidet ille Ioui.

XXX. *Mariæ coniugis Maximiliani pudor.* Peregrina areis inter domeſticos habes exēpla *Mariæ* coniugis eiuſdem *Maximiliani*. Equo ferociente hæc deiecta, cum leporem inſequeretur; fracto femore, cum vulneris tractationem per verecundiam effugeret, obijt: non videri malens, quàm videre. Prouida rerum natura mater, ita femineæ verecundiæ conſuluit, vt virorum corpora in mare proiecta, ſupina ferri Plinius tradat, fœminarum prona. *Ludou. Viues de Chriſt. fœmina lib.* 1.

In medio ſpectare mari duo corpora: Cernit
Fœmineum terram, maſculumque Polum.

XXXI. Milleſias virgines eo correptas olim animi furore legimus, vt ſe paſſim ſuſpenderent: neque huic malo remedium inueniebatur vllum. Edicebatur horribilibus pœnis, ne fieret:contemnebantur penæ. Quid enim morte attrotius? quam ipſæ vltrò appetebant. Cuſtodiebantur, inter cuſtodum manus exitum ſpiritus inueniebat. Edictum eſt tandem, vt quæ ſe occidiſſet, nuda per medium forum media luce traheretur. Hac pœna deterritæ ſunt, ne nudæ cernerentur, licet exanimes. *Nuditas quàm odioſa.* O pudorem incredibilem, & prædicandum? quæ mortem malorum vltimum contemnebant, pudorem etiam in mortuo corpore curabant. Ita furor ille compreſſus, atque ſedatus eſt. *Plutar. de Clar. mul.* Miratur iure Philippus Camerarius *tom.* 1.*c.* 33. nonnullis

XXXII. *Balnea promiſcua prohibita.* in locis publica balnea, & lauacra promiſcua noſtro adhuc tempore conſpici, nulla habita aut ſexus, aut ætatis conſideratione; cum tamen veteribus Ethnicis, apud quos vel ſpecies honeſtatis & pietatis reliqua manſit, exoſa fuerint. Heliogabali ſi cum Lampridio memoras imperium, quo Romæ balnea mixta erant; Imperatorem redarguo imitatos ciues, cuius conatus eo ſpectabant, non quinam alio deterior, ſed qua in ſeipſo peior eſſet. Ante tamen, vel poſt, abhorruere Romani; vt fœminam homo nudam videret; ſed & parentes cum liberis, & generi cum ſoceris lauari erubuerunt. *Plutar. in vita Catonis*. Is filio præſente, non minùs verecunde, quàm ſi Veſtales adeſſent, à dictis temperauit obſcœnis; nec vnquàm cum eo lauit; quem morem Roma ſanctè colebat. Neque tam proiecta fuit meretricum Romanarum impudicitia, quæ in ho- XXXIII.
norem Floræ Deæ ludos nudæ celebrare ſolebant, vt non graues viros, memores propriæ turpitudinis, venerarentur. Cato cum in theatrum (vbi à nudis ſcortis ludi celebrabantur) deſcendiſſet, ac mulieres tanti viri grauitate commotæ, nudari nolent, moriente Fauonio, diſceſſit. Huc reſpexit *Martialis lib.* 1. *epig.* dum in epiſtola libro illi pręfixa ita ſcribit: *Epigrammata illis ſcribuntur, qui ſolent ſpectare Florales. Non intret Cato theatrum noſtrum: aut ſi intrauerit, ſpectet.* Hinc illi hoc natum epigramma

Noſſes iocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
Feſtoſque luſus, & licentiam vulgi:
Cur in theatrum, Cato ſeuere veniſti?
An ideo tantum veneras, vt exires?

Theatrum hoc, idem ac proſtibulum *Iſidorus lib.* 18. putauit; nam poſt exactos ludos, proſternebantur meretrices: quas tanquàm publicæ libidinis hoſtias in ſcena proferri Tertullianus ſcripſit *lib. de ſpectacul. cap.* 10. Iure vituperant *Franciſcum Aretinum* quòd *Conſil.* 141. probare conetur, Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducem iure poſtulaſſe à Ludouico Marchione XXXIV.
Mantuæ, vt filiam Dorotheam Galeatio filio deſponſatam, Medicis quibuſdam traderet inſpiciendam, vt inde referrent, ſi quæ puellæ deformitas eſſet. Eluſit Ludouicus, filiam videndam offerens ſed *Cotta* (ſic veſtem appellat) quam ſponſæ miſerat Galeatius, coopertam; ſeruata lege connubiali, quam Tiraquellus notat, *Suam quiſque deformitatem futuro marito aut vxori detegito, ne tamen ſe propterea, præſertim fœmina denudato*. Mulier exuta tunica, & verecundiam exuit. Iure vxor Candaulis Regis Lydiæ, volente marito, ſed

inſcia, à Gyge nuda conſpecta, re comperta, ac ſi proſtituta fuiſſet, non quieuit, donec inſtigante muliere, Gyges Regem occideret; & ſe ſe vnà cum regno in poteſtatem parricidæ & adulteri traderet. Turcæ adhuc promiſcui ſexus lauacra ita auerſātur, vt capitale ſit viro intereſſe, vel conſpici in loco, vbi fœminæ lauant. Imò ipſis nefas, vxores aperta facie in publico conſpici vel cum viro loqui. Obſcænam nuditatem ſic odio proſequebantur Imperatores Gratianus, Valentin. & Theodoſius, vt non ſolumodò flumina, propè caſtra fluentia, ab omnibus ſordibus pura eſſe voluerint, ſed etiam prohibuerint, ne aliquis nudatus publicos oculos inceſtaret. Ideò procul à cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluuiorum hoc fieri mandarunt.

XXXV. *Genitalia an pudenda.* *l. cum ſupra. C. de re milit. l. 12.* Scio (ait Auguſtinus contra Iulianum *c. 16.*) genitalia membra à Deo condita eſſe honeſta & decora, ſed peccante homine facta ſunt inhoneſta. Si nihil in libidine illa ineſſet pudendum, nõ texiſſent ſua genitalia primi homines poſt peccatum. Nam genitalia potiùs quàm ora, per quæ comederant, texerunt, & occultarunt: atque ea ipſa non manu, ſed ficu; ne ea vel ipſi attingerent, tanta nimirum in ijs turpitudo poſt peccatum inhæſit. Elephas ſolo naturæ conſilio, & prouidentiæ, quaſi factus humanus, homine erubeſcit coire ſpectante,

Naturam ſtupeant caſtā quicumq. Elephātis,
Quem numquàm palam fama coiſſe nequit.

Verecundiam itaque ſiue ab obiecto, ſiue à cauſa æſtimes, rem ne credas imaginariam, ſed naturalem, vt verearis quæ debes, & fugias quæ vales. Stant tibi teſtes, homo, natura, Deus; nec vmquàm abſunt, ni tibi abſis. Tibi autem abes, ſi cum peccas, nullo vidente, peccare præſumis. Diogenes ad adoleſcentem quendam, qui in caupona cum conſpiceretur, refugit in interiora cauponæ: Quanto, inquit, fugis interiùs, tanto magis in caupona es. *Plutar.* Veſtigium tamen licet ſpirantis virtutis eſt cum peccamus, latebras quærere. *Merope* vna filiarum Atlantis ex Pleione nympha, cuius ſtella ex ſeptem Pleiadibus apparet obſcuriſſima, quòd cum ſorores omnes Dijs nupſiſſent, ſola Siſypho nupſerit homini mortali

Cur celata Merops? cur non præfulget in Orbe?
Mortali canitur iuncta fuiſſe viro.

Samienſe ſolum diuiſurus Athenienſis Senatus forſam non æqua lance, quòd non pauci rei inhiarent alienæ (orante Cidiade ne præterirent Patres, tota adſtante Græcia, agri menſuram fieri,) adeò commotus Senatus eſt, vt veluti pro foribus ſtarent ſeptem Græciæ Reges; & eo in papyro Athenarum fama vel infamia exaranda foret, quòd ſoli proſpicientes iuſtitiæ, gloriam ſibi pararunt immortalem. De quo ergo timeas, habes. Modò iniuſtam verecundiam, & timorem inſequamur ſeruilem. Illum lauda, hunc vitupera. XXXVI. *Verecundia ſeruilis.*

Seruilis dicitur, ſi aliena verecundus erubeſcat. Quia cum pœna ſit menſura delicti: delictaque teneant auctorem ſuum: erubeſcere non debemus aliena facinora, ni verbo, vel exemplo cauſam dederim. Dolere quidem poſſum, & alienis compati infirmitatibus: quia dolor ſit naturalis paſſio, vt ſimili ignoſcam, & condoleam. Rubor verò cum ſit proprij criminis argumentum, & læſæ conſcientiæ teſtis; animum accuſare nequit innocuum. Iure damnatur Orthriades, qui cum ſolus ex pugna ſupereſſet (quam tercenti Argiui inierant & Lacedæmones, vt litem de Thyreo agro dirimerent) ſpoliatis Argiuorum cadaueribus, eorum arma ad ſuorum detulit caſtra, trophæum erexit, ſuo ſanguine Lacedæmoniorum eſſe victoriam inſcripſit: tandem pudore Spartam redeundi abſq. ſocijs, ſeipſum interfecit. Reum iſte Cœlum fecit, à quo inter tantos ſolus ſeruatus fuerat. Erubuit, cum dignè vocaretur ad purpuram, quam ſuo ſanguine cruentarat. Vicit, ſed victorem perdidit. Patriam ſeruauit, ſeruatorem ſuſtulit; & proprio cruore triumphum fœdauit inſanus, vitam dedignatus, qui mortem vicerat. Similem nequit iniuriam vitare Lucretia Dux Romanæ pudicitiæ, cuius XXXVII. virilis animus maligno errore fortunæ, muliebre corpus ſortitus eſt à Sexto Tarquinio, *Lucretia an laudāda.* Regis ſuperbi filio, per vim ſtuprum pati coacta, cum grauiſſimis verbis iniuriam ſuam in conſilio neceſſariorum deploraſſet, iniuſto ferro ſe, quod veſte tectum attulerat, interemit. Expugnato namque corpore, quod vim patitur; haud animus vincitur, qui

thronus

thronus eſt pudicitiæ. Aliena opinio ſi &
falſa tanti non erat, vt repugnante conſcien-
tia, aduerſa iuſtitia, tyranni adulterium in
pectore puniret pudico. Quaſi infamiam
non effugeret, niſi è mundo ſecederet, ſecum
ferens honeſtatis imaginem. Zelus indiſcre-
tus ſuſpicionem infert pudicitiæ; vt meritò
quæratur, an fuerit pudica?

Si tibi forte fuit Lucretia, gratus adulter,
Immerito ex merita præmia cæde petis.
Sin potiùs caſto vis eſt illata pudori,
Quis furor eſt hoſtis crimine velle mori?
Fruſtra igitur laudem captas Lucretia: namq.
Vel furioſa ruis, vel ſcelerata cadis.

XXXVIII De crimine ſi alieno erubeſcas, tuum fa-
cis: vt te auctore peccauerint; vel ſocium
habuerint. Cato iuſtus famæ, & infamiæ cen-
ſor, nec erubuit, nec puduit ob adulteria
coniugum, vel filiarum libidinem. Simoni-
des cum de turpi filiæ ſuæ vita argueretur,
Falleris (reſpondit) *ſi me inſimulas. Nec
virtus mea filiam illuſtrat: nec vitium filiæ
me obſcurat. Stat ſua cuique exiſtimatio.*

XXXIX. Seruilem etiam verecundiam dicunt, quũ
Orator pro ſuggeſtu vulgi timore corde tre-
pidat, gena rubeſcit. Cur vulgus timere inſa-
num. *Numquam* (ait Seneca *Ep. 29.*) *volui
populo placere. Nam quæ ego ſcio, non probat
populus; quæ probat populus, ego neſcio. Quis
enim placere poteſt populo, cui diſplicet virtus?
malis artibus popularis quæritur fauor: ſimi-
lem te illis facias, oportet. Non probabunt, niſi
agnouerint. Multò autem ad rem magis perti-
net, qualis tibi videaris, quàm qualis alijs.
Conciliari niſi turpi ratione amor turpium non
poteſt. Quid ergo illa laudata, & omnibus præ-
ferenda artibus, rebuſque philoſophia præſtabit?
ſcilicet, vt malis tibi placere, quàm populo: vt
æſtimes iudicia, non numeres: vt ſine metu deo-
rum, hominumque viuas: vt aut vincas mala,
aut finias. Cæterum ſi te videro celebrem ſecun-
dis vocibus vulgi, ſi intrante te clamor, plau-
ſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint,
ſi tota ciuitate fœminæ te puerique laudauerint:
quid ni ego tui miſerear, cum ſciam, quæ via
ad iſtum fauorem ferat?* Veruntamen fue-
re, qui Regibus, & orbi te^r^ribiles eſſent, ſed
timidi plebem timerent imbellem, ſi ſpecta-
tricem, & teſtem ſui hiberēt ſermonis. Pom-
peium recole, cuius gladio tria ſupra viginti
regna Romana vſurpauit Reſpublica. Cuius
nomen venerabile ciuibus, tremendum regi-
bus, ſibi ipſi formidandum, cum populo ver-
ba faceret. Ne vulgus namquè eum timuiſ- XL.
ſe, dicam formidaſſe ſeipſum. Sic Cice-
ro eloquentiæ pater nunquàm declamauit
ſine timore: quem tamen ſeruilem appellare
non audeo. Rubor namque ei numquàm
obſtitit, ne diceret; ſed impulit, vt benè dice-
ret. Alij ſunt, qui ſola hoſtis imaginatione
turbantur; ijs ſimiles qui ſcotomiam patiun-
tur; hi ſi turrim, vel montis apicem con-
ſcendant, ſolo ruinæ timore, præcipitant.
Herodes Atticus, inſignis orator, cum ado-
leſcens coram M. Antonino Imper. perorans
præ timore obmutuiſſet, tædio affectus igno-
miniæ, ad Iſtrum ſeceſſit, quaſi iam iam mo-
riturus, vita eloquentiæ poſtabita. *Philoſtra-
tus in eius vita.* Rubor itaque (qui virtuti
proximè accedit, quandoque ei aduerſatur, XLI. *Inuerecũ-dus: audax qui?*
ſi excedat. Excedere dicitur, ſi honeſta, glo-
rioſa, grandia adeo timeat, vt deſerat: Inue-
recundus autem qui vitia non formidat, nec
erubeſcit; vt qui horret virtutes, dicitur ti-
midus, & puſillanimis timido quidem dete-
rior: cum hic geſta horreat heroica opinione
impotentiæ: ille honores & dignitates detre-
ctet meriti inopia. Audax pericula ſpernit.
Inuerecundus non timens infamiam, recen-
ſet pro virtutibus vitia; & de iniquitate ſu-
perbit. Regium vitium dicitur inuerecun-
dia, ſed brutale ſimul: quia ſibi viuere, lege
ſpreta communi, liberi hominis eſt: non poſ-
ſe erubeſcere, brutale eſt. Puſillanimitas etiam
vitium eſt non minùs tumidum, quàm ſordi-
dum: Nam famã ambit, nec audet quærere: &
gloriam amittit ſolo timore. Hinc peccare
humanum dicitur; emendare angelicum; per-
ſeuerare diabolicum. Vel vt peccare non poſ-
ſe, Diuinum eſt: de crimine erubeſcere, hu-
manum eſt: non erubeſcere, brutale eſt: de
crimine ſuperbire, diabolicum eſt.

LIBER XLIV. ET XLV.

CAPVT PRIMVM.

CAROLVS V. MAXIMVS
ET
FERDINANDVS I. PIVS

Occidentis Imperatores. XLIV. & XLV.

1. *Caroli V. hieroglyphicum.* 3. *Anno naſcitur Iubilæi.* 4. *natalia.* 5. *diſcipulus Alex. VI. Papæ.* 6. *dolet non quæſiſſe literas.* 7. *regis titulum vſurpat viuente matre.* 8. *armorum diſciplina.* 9. *Imperator eligitur.* 10. *inauguratur corona Magni Caroli.* 11. *dies natalis Carolo ſemper fatalis.* 13. *ſymbolũ.* 14. *ſe hominem fatetur. Franciſcum Gallorum Regem liberat.* 15. *Romam diripit miles Caroli.* 16. *Bononiæ coronatur.* 17. *Solimanum prouocat ad bellum.* 18. *in Africam nauigat.* 21. *diſcrimen vitæ.* 21. *Caroli pietas, religio.* 22. *Saxonem vincit.* 23. *Maximus dicitur.* 24. *expeditiones.* 25. *imperium deponit.* 26. *nauis prodigiũ.* 27. *terram deoſculatur.* 28. *eremo includitur.* 29. *ſibi exequias celebrari mandat.* 30. *in morte ſigna.* 34. *planget nimiam humilitatẽ fratris Ferdinandi.*

1. *Ferdinandi I. hieroglyphicum.* 31. *natalia.* 32. *hæres aui ex primo teſtamento.* 33. *pacificus honorat fratrem.* 35. *Rex Hungariæ, et Bohemiæ.* 36. *coniugium cum Anna Iagellonica.* 37. *imperij conſors.* 38. *Epiphanis dictus.* 39. *cremari mandat ſcripta Lutheri.* 40. *Ieſuitas in Germaniam vocat.* 42. *Expeditiones in Hungaros, & Turcas.* 43. *pacẽ percutit Paſſauiẽſẽ.* 44. *ſibi mortẽ prędicit.* 45 *macula dicitur non pollutus lethali.* 46. *vult ſolo nomine appellari Ferdinandi in morte.*

8. *Fridericus Saxo ſibi in Cæſarem præponit Carolum V.* 20. *Lutherum protegit.*

15. *Proſper Colũna Clemẽti Papę ſuppetias fert.*

19. *Lutherus impia dogmata vulgat.*

20. *Philippus Lantgrauius Lutherum protegit.*

41. *Io: de Zapolia Hungariam inuadit.* 42. *Turcas in Chriſtianos excitat.*

1. Religionem hic habes *Caroli V.* & *Ferdinandi I.* Cæſarum manuductam. Quia *Caroli* & *Ferdinandi* firmata gladio, de tot ſectariorum, ac nouatorum phalangibus glorioſos tulit triumphos. Buccinat fama Auſtriadum faſtos, & ſacro lemmate *ab Auſtro veniens*, de Religionis tutela Auſtriadũ merita reſonat.

ALLVSIO AD HIEROGLIPHYCVM.

I.

O Duo Chriſtiadũ rutilantia lumina gẽtis,
Et Germanorum gloria ſumma togæ.
Carolus vnus ades, tu Ferdinandus es alter,
Quos etiam bellum nunc facit eſſe pares.
Hæreſis infandæ nam ſternunt ſigna, duceſque,
Et contra infidos pectore et enſe ruunt.
Dogmata diffundũt Chriſti ſacroſanta per orbẽ,
Vndique, & excreſcit Relligionis honor.
Nec locus in Mũdo eſt adeo longinquus, et abſẽs,
Qui per eos Chriſti non ſciat eſſe Fidem.
Relligio Herculeas tollat nunc ergo columnas,
Cum non plus vltrà *tradere iura queat.*

Ponginus

II.

Viderat Auguſtus Geminos ſuper Aethera ſoles,
Imperium, mundus cum ſibi totus erat.
Soles tum Geminos victrix Germania vidit,
Cum victa Hæreſeos, ſub iuga, colla dedit.
Scipiades fuerant ſi iam duo Fulmina Belli:
Nẽpe Duo Auſtriades, Fulmina mille rotãt.
Hæreſis, Hydra velut, quotquot Capita horrida tollit:
Facta tot his aculis, ac ſimul vſta, cadunt.
Relligio exultat; Duplici en decorata Triumpho;
Inter & hos Geminos, iam petit Acha Duces.
Herculeas rupit Bellax Hiſpania metas;
Vltrà nam Veterem, tunc nouus Orbis erat.
Nauigat hos douec, Fidei conſenſa Carinam;
Relligio, Empyreum detegit, atque colit.

M. Ant. Moles Neap. S. Theol. D.


PLVS VLTRA

CAROLVS V. MAXIMVS

OCCIDENTIS IMPERATOR XLIV.

III. Triumphum inſtrue Roma,
Conuenite Lictores, & Litui,
Io: canite *Carolo*,
Qui vobis ſeruauit Regem, & Legem.
Sonate turbæ, reſonate tubæ,
Pugnet Chorus, plaudant Caſtra.
Et ſeruatori ſuo faſtos impleat
Armata, Togataque militia:
A quo vtraque ſeruat litare, & militare Deo.
Annò naſcitur Iubilæi *Carolus*
Lutherus, &c. Indulgentiæ partus Hercules Auſtrius. 1500.
Vt aduersùs Erebi monſtra
Fidem propugnaret, propagaret.
Cum in Chriſtum conſpirante Chriſtiano,
Non eſſet, qui afflicto Deo ferrum mutuaret, vel aurum.
IV. *Natalia Caroli.* Ex *Philippo* nouus ſub *Caroli* nomine prodit Alexander
Feliciori verò omine, & ipſis fabulis maior,
Mundos, quos ſuſpirauit Macedo, ſuperauit Auſtriacus.
Et poſt myriadem Olympiadum mendacem arguit filium Olympiadis.
Natalis teſtes Cæſarem habuit & Auguſtum
Præſtitit ille locum, iſte ſydus,
Gandauum, & Capricornum.
Terram inſpiciat, Cœlum ſuſpiciat, ſemper Auguſtus.
V. Præceptorem habuit Mundi Magiſtrum,
Adrianum VI. Pontificem Maximum.
Nonniſi Pontifex inſtruere poterat Fidei defenſorem:
Nè minus ornatè loqueretur, quàm viueret.
VI. *Amat literatos.* Literas cum ſemper quæreret armatas, quandoque non inuenit.
Sera tamen profuit, vt proficeret, pœnitentia.
Et Muſis papilionem daret in caſtris,
Ac Palladem audiret, ſed armatam.
Hinc habuit ſua vitia vita,
VII. *Regis titulũ vſurpat viuente matre, aui prohibente teſtamento.* Regnum rapere malens, quàm expectare, 1516.
Matrem reſpicit Maieſtatis conſortem.
Vel quòd aula ſubſannaret inſanam:
Vel in matrem officium filij fuerit inofficioſum.
Sic ludunt, vel ſe illudunt Maieſtas, & Amor;
VIII. Iniuriam eluerunt iura virtutis,
Cuius ſtudium monſtrauit in Hiſpano Haſtiludio,
Vbi ferro ſe Regem oſtendit aureum.
IX. *Imperator eligitur. Saxone ſibi Carolum præferente.* Ad famæ ſonitum 1519.
Veluti *Saxo* ſuſpenſus *Fridericus* Septemvir
Fortunam ſuam in arcum ſuſpendit.
Imperator Electus ſibi primùm, deinde alijs imperauit,
Vt ſe minore præterito, *Carolum* non præterirent

Quem

Sal. Ann. Quem Regum Cæſarem, Regem Cæſarum Cœli poſcebant.
Ipſi *Magni Caroli* manes dedere manus: X. *Inauguratur corona Magni Caroli.*
In ſignum obſequij corona depoſita, qua *Maximus* coronaretur.
Tanto faſtui Fortuna non ſuccenſuit, ſed alas ſuccidit, XI. *Dies natalis ſemper Carolo fatalis.*
Diemque natalem, fatalem aſſumpſit,
Qua vectigalis victorias ſolueret, vel triumphos.
Suo infida more, nunc fida timore, vel amore,
(*Veretur namquè quem reueretur*) XII. *Captiuitas Franciſci I. Regis Gallorum.*
Franciſcum Gallorum Regem primum obtulit ſpolium.
1525. Cum *Primus* veniſſet, nec ſecundus redire potuit,
Vt arma captaret, ſed captus agnouit,
Quàm longè inferior ſit Aquila Gallus,
Hic victus, illa victrix, vterque homo.
Maieſtatem *Franciſcus*, nec captiuus amiſit,
Manu victus, tentauit lingua inſultare victori, XIII.
Et humanitatis commonefacere Deum.
Plus vltra Orbem, ſibi arroganti *Carolo* *Annuit ad Caroli ſymbolum, Plus vltra.*
Adſcripſit *Franciſcus*
Hodie mihi, cras tibi.
Subſcripſit *Carolus*,
Me hominem fateor.
Cum ſupra hominem eſſet, qui ſe in felicitate hominem diceret.
Æmulum cum vellet victum, non vinctum, manumiſit. XIV. *Franciſcus liberatur.*
Libertinum fecerit? ingenuè ſoluas, non ad genium.
Poſt Regem, cum fortunæ deeſſet, quod Cæſari ſolueret,
527. Impia Deum in Pontifice obtulit in triumphum.
Horruit *Carolus*; & ne ſe victoriæ vel fœdaret aſpectu,
Non reſpexit, ſed deſpexit. XV. *Roma diripitur à Cæſareis.*
Militarem auaritiam cum explere expilatus nequiret Pontifex
In feras Hercinias Romanam inuocauit furiam,
Proſperum Columnam, qui patriæ improſper
In *Clementem* milites adduxerat inclementes.
Expirare cum crederetur, Roma reſpirauit
Dubia, an plus oppugnanti deberet, vel miſærenti?
530. *Caroli* innocentiam *Bononia docet*, XVI.
Vbi manu *Pauli* coronatum Cæſarem,
Fas eſt credere, nunquàm inſidiatum *Petro*.
532. Quot regna manus abſtuliſſet *Solimanni*,
Cum Aſiam in Europam traduxit, XVII. *Miſſa chirotheca Solymannum prouocat Carolus, ſed ille bellum fugit.*
Ni *Caroli* chirotheca ſeruaſſet?
Fugam ille excuſando, accuſando fortunam
(*Haud Carolum metuo, ſed* Caroli *fortunam*)
Barbaro idiomate Romanam protulit elegantiam,
Quam ille fortunam, nos dicimus Filium Dei.
Hoc fretus *Carolus*, non timuit fretum.
Monſtrum ſed innocens, ſoli Africæ nocuit XVIII. *In Africam nauigat.*
535. Vbi viginti Chriſtianorum millibus Chriſto reſtitutis,
Triumphum egit de exercitu manumiſſo.
Chriſtianus Scipio Carthaginem ligno priùs, ponè ferro domuit.

Cum in labaro annuit Chriſtum, Dominum exercituum *Sal. A.*
XIX. In Sectam Germania diſſecta:
In Saxonia Saxeus *Lutheri* Paracletus
Non Phana, ſed fanaticam fabricarat eccleſiam;
Et ex Orco ructabat Oracula,
Vt pietatis vſum in impietatis vſuram traduceret.
In Perfidiæ teſſeram
Proteſtantes dixit, Fidem deteſtantes, vel aberrantes
Cuius ſubnaſcentia capita
Melancthon, Zuinglius, Oecolampadius,
Mutuò diſcentientes, in hoc conſenſerunt;
Vt Chriſti diſcerperent tunicam inconſutilem;
Et morum ſyntagmata ſubuerterent Martis ſynthemate.
Templa profanãt; aras diruunt, Imagines deturbant. Vulgus non vulgares ſequentes Principes,
Ex caula hæreſim trahentes in aulam,
In haram verterunt aram.
Accurrit Pontifex, ſuccurrit Cæſar,
Vterque Deo
Cremauit iſte, quæ ille damnauit.
Sanctuarium recepit in caſtra,
Cum ſacerdotes excepit, deridere Sabatha eius.
XX. *Fridericus Saxo,* & *Philippus Landgrauius*
Ex Paulis mutati in Saules
Iam amici, Eccleſiam ſpernebant inimici.
Dederat eam in manu Dominus, de qua non poterat ſurgere.
Vna tamen profuit hęreticorum cæcitas,
Carolum penè habuerunt in vinculis, nec cognouerunt. 1547.
Deſertus ab omnibus, ſeipſum non deſeruit.
Nec tam deſpectu, quàm aſpectu deuicit.
Nutabat adhuc Cœlum, an cum Cæſare fœdus percuteret?
XXI. Cum non minori piaculo, quàm iaculo, *Carolus*
Caroli pietas. Impij militis glande Crucifixi cernens conuulſam imaginem,
Eo ferro quo ardebat, & igne
Iniuriæ Deum inuocauit iudicem, ſe obtulit vindicem:
Annuit homini de Cœlo Deus.
Hoc auſpice, bellare cœpit, & debellare.
Hac hoſtia, hoſtes omnes ceſſerunt, vel receſſerunt
Saxo ferro emolitus, vel expolitus
XXII. Cæſarem agnouit in *Carolo,* qui *Carolum* ignoſcebat in Cæſare.
Parta victoria, diuisère manubias;
Diuiſorem hominem Deus voluit;
Ille nouo pietatis prodigio prodigus, ita diuiſit
Carolus venit, vidit; Deus vicit.
Magne Carole, Carolo cede *Maximo:*
XXIII. Intonat ex Vaticano *Paulus.*
Tu annis triginta Saxoniam reddidiſti Petro,
Is triginta diebus.
Quanta fecerit? exprimam, ſupprimendo.
XXIV. *Militia fuit vita hominis ſuper terram.*

Bis

Sal. Ann.

Bis in Africam, totidem in Angliam, quater in Galliam,
Sexies in Hiſpaniam, Septies in Italiam,
Nouies in Germaniam, Decem in Belgium
Initis expeditionibus *Caroli expeditiones.*
Africanus, Aſiaticus, Europæus,
Italus, Belgicus, Germanicus, Hiſpanus,
Inſubricus, Saxonicus, Hetruſcus, Geldricus,
Hungaricus, Peloponneſiacus, Tunetanus, Tremiſſenus
Cum ipſo Sole contendit.
Sexdecies remenſo mari, mendaci ſe credidit elemento.
Vbiquè Religionem Princeps, Religio principem
Alterno ſeruauit fœdere.
Poſt debellatum Oceanum, Typhis clauo, & Herculis claua
Non vrbes expugnauit, ſed Orbes.
Miſſis Hiſpanis Argonautis,
Qui poſt ambitum emenſi, terrarum
Cœlum ipſum peragraſſent.
Tantos habuit Orbes in Orbe,
Vt in ſola America
Decem, & octo Regibus per Duces ſubactis,
Ac duobus Imperatoribus Mexicano, & Peruano
Turcico imperio decies, Romano vicies
Maior fuerit.
Seipſo tandem maior extulit ſupra Orbem caput,
Cum ignoto aulæ prodigio
Noluit imperare, quùm poſſet.
Solo expugnato, Solem expugnaturus
Solus acceſſit, ſeceſſit, XXV. *In ſolitudinem Hiſpaniarum ſecedit.*
Ex Belgij caſtris in clauſtra:
Vt in ſolitudine ſine ſollicitudine mori diſceret.
Octo, & quinquaginta annos comitata Fortuna,
Nec in morte deſeruit.
Vix è prætoria naui deſcenderat *Carolus*, XXVI.
Quòd illa tempeſtate disijcitur,
In finitæ legationis teſtimonium;
Cum amplius nec Cæſarem vectura eſſet, nec Cæſaris fortunam.
Vt littus attigit,
Cœlum oculo, terram libauit oſculo,
E' qua nudus egreſſus, nudus regreſſus, XXVII.
Burgos progreſſus, raros proceres obuios habuit:
Senſit tum primùm nuditatem ſuam.
Viuus in Eremo incluſus, nec tubam amplius admiſit, nec turbam.
Vitæ rationem à ſeipſo flabello, & flagello exigens. XXVIII.
Suo ſuperſtes funeri, iuſſit ſibi iuſticium ſolui:
Vt ſub imaginario funere veras ſpectando lacrymas, XXIX.
Vicinæ morti proluderet.
1558. Mortuo tota parentauit Natura.
Etiam Cœlum Cometem accendit; XXX.
Vnaque hora ille vidère, hic videri deſijt.

FERDINANDVS I. PIVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XLV.

Ferreum ne timeas *Ferdinandi* nomen, *Sal. Ann.*
XXXI. *Natalia.* Quia intùs eſt aureum, 1503.
Hiſpania illi patria diues auro,
Aureos ſi negauit honores, donauit mores.
Repetundarum patriæ teneretur filius,
Quòd *Catholici* titulum tulerit ad extraneos,
Ni palàm feciſſet;
XXXII. *In primo teſtmento Rex Hiſpaniarum ab auo declaratus.* Et latus Seruatoris ſtiparet latro pietatis.
Aui amore hæres, timore exhæres,
XXXIII. *Deliciæ ſuæ ab Hiſpanis dictus.* *Delicijs* ſuis potuiſſet Annibalem Auſtrium Hiſpania ſpoliare,
Contentus tamen ex tanti axis aſſe 1519.
Fratrum concordia,
Regem honorauit, Regna deſpexit.
XXXIV. *Adeo humilis ſe gerebat erga Carolum, vt is viſus ſit plangere.* Gentium victor *Carolus*, ab vna vincitur *Ferdinandi*
Humanitate, vel Humilitate.
Plangebat *Carolus*, inuidus, vel miſericors,
Quòd fratre minor eſſet,
Imperio ſui, vel obſequio alieno.
Sic raro extra Auſtriam exemplo fratres
Inquilina Cœli aſtra æmulabantur Auſtrij
Vt *Carolum* non eſſet, à *Ferdinando* ſecernere;
Sed Caſtori Pollux ſimillimus
Quamuis *Carolus* nil relinqueret, quod vinceret *Ferdinandus*,
Frui tamen daret victorijs;
Quas ita ex æquo partitus,
Vt omnia diuideret præter ſeipſum.
Non minus in honoribus, quàm in oneribus ſocij
Hiſpanum is præſtitit aurum, Germanicum ille ferrum.
Quod medica magis, quàm vindice manu ſumpſerat, 1528.
Ne vulnera exacerbaret.
XXXV. *Bellum in Ruſticos.* Bohemiæ Hungariæquè Rex dictus
Ne hæreſis anguis rure natus, ad vrbes ſerperet,
Metum præmiſit, plagam Pragam portauit.
Plures emendaturus animaduertit in paucos,
Nec multos apprehendit, vt omnes reprehenderet.
Eis caput ademit, qui redimere pileum tentabant.
Et vinculis mancipauit, qui mancipia emancipabant.
Certant adhuc de præcedentia Hungari, atque Bohemi
Qui primi *Primum* fecerint *Ferdinandum*.
Fœminæ cedite belligeri populi
XXXVI. *Annæ Iagellonicæ*,
Fauſto ſemper Auſtriæ faſtis nomini, & omini:
Quod inter Charitum choros,
Nunquàm ſine ſceptris ingreditur Domum Auſtriacam,
Duabus hiſce coronis veluti rotis eò euaſit,
Vt cum *Carolus* aſcendere *plus vltra* non poſſet,

Ferdi-

Sal. Anni

Ferdinandi claua veluti clauo
Fortunæ rotam firmarit, ne rueret.
1530. *Carolo* itaque volente, Saxone nolente, XXXVII. *Eligitur conſors imperij.*
Senatu probante, populo plaudente
In Atlantis auxilium Alcides vocatur.
Gemino Orbi gemini fratres,
Qui in mari pyratas, in terra Turcas,
Indorum ſuperſtitionem, Hæreticorum perfidiam
Impios pij calceo præmerent, gladio reprimerent. XXXVIII.
Coloniæ coronatus, *Epyphanis* nomen ſortitur,
Quia trina corona, eodem ſydere, ac trini Reges;
Eodem die, eadem in ara, cum arram pietatis
In periuros iuraſſet: XXXIX.
Corrupta primùm per *Lutherum* Euangelia igne purgauit. *Cremari mandat ſcripta Lutheri.*
Talem ſplendorem habuit *lumen perfidiæ*,
Trium literarum venereus, non venerabilis doctor, XL.
Sed felix, quod trina ſolum potuit litera *Ieſu* confodi. *Ieſuitas in Germaniam vocat.*
Sanctam dico Societatem *Ferdinandi* ſociam
Quæ ſtabit, ſi Ieſus ſtabit.
Otiari non debuit tanta felicitas,
Dum Rex dicitur, regnum inuaditur, & à tyranno bellum indicitur. XLI. *Mouet in rebellem Io: de Zapolia.*
Io: de Zapolia, Tranſiluaniæ Vaiuoda
Patrio tamen ſpoliatur principatu, qui regnum ſpoliauerat alienum.
Fulminauit potiùs quàm pugnauit Iupiter Auſtrius.
Dacica victoria gradus fuit ad Turcarum triumphum.
A Chriſtianis *Zopolia* pulſus, Turcas in Chriſtum educit.
Aſiæ Dominus, Africæ domitor *Solimanus*,
Orientem mouet in Occidentem. XLII.
Euphrates, Nilus, Tigris, Tanaes,
Danubio exuberant; aquæ ipſæ Germanum ſanguinem ſitiunt;
Triumphum canebat tyrannus ante victoriam,
Cum Miltiadem Auſtriacum Xerſes Othomannus offendit
Viennam venit, vidit, ſed militum millia ſexaginta perdidit;
Nec manus admouit mœnibus
Quàm vt in ſilice ſcriberet *Ferdinandi* gloriam,
Cuius timore fugam arripuit.
Non minora muſſitat Albis, ſi murmurat Danubius
Vtraque fluminis ripa illinc *Caroli*, hinc *Ferdinandi*
Plaudente nomini de Lutherana victoria in Locherana Sylua.
Saxonia compoſita, debellata Bohemia, Vvirtembergia domita; XLIII.
Paſſauienſſem pacem *Ferdinandus* excepit,
Atro tamen non albo ſignauit lapillo, nec plauſu rigauit ſed planctu,
Quòd fidei perfidiam cerneret fęderatam.
Poſt Circos, Cygnos audijt duellantes
Homini omine ſemper infelici,
Vſque dum Petri Gallus ex rupe Tridenti
Tenebrionibus diem dixit, & ſolem veritatis indixit.
Soluta credebatur *Lutheri* tela tot telis confoſſa,
Sed nondum vulnus ad cicatricem venerat;
Quid poterat medicus, cum ſanari nollet ægrotus?

Eccleſiæ morbo *Ferdinandus* ipſe contabuit, *Sal. Ann.*
Nutante Petro, quamuis ſolidatus in Petra
Recubuit, nec longè decubuit;
Quia fidei ſanitatem fruſtra dare meditaretur imperio. 1558.
Mortem & Morbum quanti fecerit? facto oſtendit.
XLIV. Thronum in thoro poſuit:
Nec Lethum expectauit in lecto.
Iuri dicundo intentus, diem ſibi prædixerat extremam.
Imò Morti ipſi diem dixit,
Ne ante D. Iacobi feſtum accederet.
Viuere cum non poſſet, mori ad libitum voluit.
Iure morti inſultabat,
Cuius vulnera anima non agnoſcebat.
Si iuſti in perpetuum viuunt,
XLV. Viuat *Ferdinandus*, viuat.
Lethum non ſubit, qui maculam lethalem non obit.
Infans Hiſpaniæ cum peregrino Hiſpaniæ
Peregrè profecturus, Imperij & regni ſarcinas depoſuit,
XLVI. Solo *Ferdinandi* volens vocari nomine.
Vel quòd Cæſares non moriantur, & Reges:
Vel quòd titulos Maieſtatis Parca non paueat.
Vndè Principes ſaltem in obitu,
Ament neſciri, & prò nihilo reputari.

CATENA HISTORICA. CAP. II.
PRO CAROLO V. & FERDINANDO I.

1. *Caroli. V. ortus. 3. munera myſtica ei oblata in baptiſmo. 4. plurima eius cognomina. 7. forma corporis. 8. armis magis inclinat quàm literis, idiomata callet: lepida hiſtoria de carolo, cum pueri pingeretur eius imago. 12. auo iuſta ſoluit. 13. vſurpat regium nomen viuente matre. 17. ab Arragonijs non receptus, non ſuccenſet. 19. in Hiſpaniam vocatur. 21. Hiſpaniam petit. 24. coronatur. 25. ludos vincit equeſtres. 26. aulicis nimis indulget. 30. eligitur Imperator. 34. electionem ſuam armis vrget. 44. legatis Electorum occurrit. 46. malè audit apud Hiſpanos, ob Belgas aulicos. 47. Belgium repetit. 49. coronatur Aquiſgrani. 50. Vormatiæ cogit comitia. 57. iubet Lutheri libros comburi. 59. in fide conſtans. 63. à Lutheranis illuditur. 72. Hiſpanias repetit. 74. rebelles domat. 75. Gallos vincit per Duces. 79. init fœdus cum Papa. 82. Mediolani Ducatu potitur. 85. victoriæ in Gallos. 178. rogat Papam pro non ſoluendis* Annatis. 186 *fœdus init cum Hadriano Papa. 187. tentat allicere in ſocietatem Venetos. 190. fœdus cum Anglo. 191. Hiſpaniam repetit. 192. in ludicro equeſtri omnes vincit. 202. queritur aduerſus Papam. 217. Franciſco Rege Gallorum capto, modeſtè victoria vtitur. 221. Proceres conſulit de libertate Franciſci Regis. 208. 183. 339. 353. 380. 421. 445. 490. 261. 494. 470. 518. ſymbola, nummi caſtrenſes, votiui. 231. ſcribit Comitijs Spirenſibus prò religione tuenda in hæreticos. 233. Iſabellam Portugalliæ ducit. 247. 252. 262. nummi. 242. concitat Cardinales in Clementem Papam. 260. an probauerit Pontificis captiuitatem. 266. legatos Gallorum cuſtodiæ tradit. 272. pacem init cum Carolo Geldriæ Duce. 276. ad duellum prouocat Franciſcum Gallorum Regē. 280. Spiræ comitia cogit pro religionis concordia. 288. pax cum Gallo. 289. Florentinos vincit. Alexand. Medicæum Ducem creat. Papam adorat. 290. pax cum Venetis. Sfor-*

tiam

tiam remittit in Ducatum. 295. Bononiæ coronatur. Die S. Mathæi Carolo propitia. 298. cogit Auguſtana comitia, ſed fruſtra conatur proteſtãtes conciliare. 312. Proteſtantibus indulget libertatem conſcientiæ vſque ad futurum Concilium. 315. ad certamen prouocat Solymannum. 316. negligit fugam Solymanni. 319. ſecundò in Italiam deſcendit. 321. Hiſpaniam repetit. 332. expeditio Africana. 333. Guletam capit. 344. Romam petit. 345. Iraſcitur Gallorum legato. 335. Muleaſsē remittit. 346. oratio in Franciſ. Romæ habita. 347. eum ad duellum prouocat. 349. in Gallias irrumpit. 350. Italos ſollicitat in Gallum. Mediolanum nepotibus Pontificis offert. 350. diſcrimen vitæ ſubit. 351. Maſſiliam obſidet. 368. induciæ cum Gallo. 369. congreſſus cum Franciſco. 372. fœdus cum Venetis in Turcas. 375. induciæ cum Gallo. 376. colloquium cum Gallo. 379. per Galliam tranſit. 380. fumo penè extinctus, quomodo dolum Gallorum effugerit, Gandauenſes multat. 381. eius doloſa legatio ad Venetos. 384. Belgium Gallo offert. 389. Hagenoæ comitia celebrat inuito Papa. 394. librum concordiæ inter catholicos & Lutheranos exhibet. 405. Eius Interim *cur vulgatum? lex de armis Gentilitijs. 417. ſecunda expeditio in Africam. 418. duello offert probare ſe non auctorem fuiſſe cæſi Rongonij. 420. fugientem militem verbo reuocat. 421. eius claſſis naufraga: pietas. 419. ſacra ſynaxi tentat placare Deũ. 421. in periculis conſtans. 424. quam charus Antuerpianis. 428. decimas Pontifici in Hiſpania negat. 430. fœdus cum Anglo. 434. Gullielmum Cliuiæ ſubiugat; ſibi affinem facit. 436. Franciſco Regi pugnam offert. Cameracum occupat. 439. in Spirenſibus comitijs accuſat Gallum. 440. magna Proteſtantibus indulget. 441. auxilia fratri in Turcas mittit. 444. patienter fert admonitionem Papæ. 446. in Lutetiam mouet. 447. pax cum Gallo. 448. Vvormatiæ comitijs adeſt. 449. Ratisbonæ comitijs adeſt, ad concordiam religionis ſed fruſtra. 450. bellum in Proteſtantes. 451. continentia, rubor de concubina. 451. contentio cum Papa in Concilio Tridentino. 452. proſcribit Saxonem, & Lantgrauium. 453. fœdus cum Papa in Proteſtantes. 455. pœnè captus à Proteſtantibus. 456. nouum diſcrimen. 457. conſtantia, retrocedere cogit fœderatos. 458. Palatino, ac Vvirtembergico indulget, rebelles multat. 463. ſe Chriſto vindicem offert. 464. Io: Frider. capit in bello. 465. victoriæ auſpicia. 466. pium ſymbolum. 467. capite damnat Saxonem; indulget. 468. Lantgrauium in deditionem accipit. 477. Tridentum conatur reuocare Concilium. 480. proteſtatur contra Concilium Bononienſe. 481. litem decidit de Magiſtro Ordinis Theutonici. 488. leges politicæ. 489. irridetur à ſectarijs. 490. cogit imperium transferre à fratre in filium. 491. conſentit, vt Papa fiat Iulius III. licet ſibi inuiſus. 493. tribunal Inquiſitionis erigit in Belgio. Magdeburgenſes debellat. 494. expeditio Africana iij. 510. fugit. 511. Io. Frider. liberat, fugiens obuios Venetos habet in ſubſidium. 515. pax cum Proteſtantibus. 518. Metim fruſtra obſidet. 526. Morinos delet. Hiſdinum diruit. 547. ſe abdicat regnis. 548 & 554. fratri reſignat imperium. 556. religionem Philippo filio commendat. De regimine inſtruit. 560. pia verba, cum in Hiſpaniam appuliſſet. 561. de mare triumphat. 562. an eum pœnituerit, ſe abdicaſſe. 563. in eremum pergit, miſericors in pauperes. 564. occupatio eius in mathemathicis. 565 flagellis corpus caſtigat, renuit ſe humanis immiſcere, ſolitudine delectatur. 566. adhuc Cæſar à Romanis dictus. 572. exequias ſibi celebrat. 573. mortis prodigia. 574. epitaphia. 575. nunquam iurat. 576. quotidie ſacrum audit: temperantia. 577. affabilis, humanus, liberalis. 578. prudens, ſapiens. 579. Regibus in Germania dicit ſe imperare. 580. manſuetus. 581. celemens. 583. humilis, modeſtus. 585. de capto Rege Franciſco negat ſumere triumphum, fatetur ſe hominem. 586. vrbanus. 587. iuſtus. 587. leges in bigamos. 588. ignauos, & deſides odio habet. 589. amor ſalutis publicæ. 590. gratus. 591. magnanimus. 592. verecundus. 593. ſapiens. 594. ſobrius. 595. ſapienter dicta. 602. fortunatus. 603. religio. 604. fides.*

8. *Hadrianus Papa Caroli V. præceptor. 12. Hiſpaniæ præficitur à Carolo V. 28. eligitur*

Cardina-

Cardinalis. 73. à Valliſoletanis obſeſſus. 84. fit Papa. 87. laborat ad pacem conciliandam inter Reges. 95. hortatur Fridericum Saxoniæ deſerere Lutherum. 97. legatum inſtruit quomodo ſe gerat in cauſa Lutheri. 194. moritur.

9. Giulielmus Croyius educator Caroli V. 26. odioſus Ferdin. Reg. Hiſpan.

10. Ferdinandus Imper. ab auo educatur in ſpem Hiſpanici regni. 20. Carolo V. fratri ſuſpectus. 27. humillima exercet obſequia erga Carolum. 28. in Germaniam mittitur. 68. vicarius imperij. 223. libros Lutheranorum damnat. 231. comitia Spiræ habet in hæreticos. 273. eligitur Rex Hungarorum. 274. Io: Vaiuodam vincit. 292. Viennam defendit à Turcis. 292. 427. 457. 490. 556. 520. 307. nummi caſtrenſes, honorarij. 306. eligitur Rex Romanorum. 366. eius exercitus à Turcis cæſus. 390. Vvormatiæ comitia cogit. 409. rogat Solymãnum pro regno Hungar. 410. mouet in Hungaros. 412. Budam obſidet medio Rochandulpho; ſed fruſtra. 414. à Turcis vincitur eius exercitus. 416. Solymannum tentat placare muneribus. 427. infeliciter mouet in Turcas. 441. à Saxone ſalutatur Imperator. 457. mouet in Saxonem. 464. ſocius victoriæ cum Carolo V. in Saxonem. 470. in deditionem Bohemos accipit. 498. excommunicatur ob cedem Georgij Cardin. 521. mouet in Turcas. 544. Paſſauienſi paci lacrymando ſubſcribit. 567. diſputationem inſtruit pro Religionis concordia. 571. inauguratur Papa inuito. 605. pacificus. 606. nunquàm thorum violauit. 607. temperantia, frugalitas. 608. pietas. 609. Iuſtus, clemens. 610. amat literatos. 611. humanitas, fides. 612. mors. 613. ſibi mortem prædicit. 614. epitaphia.

11. Iſabellæ coniugis Caroli V. nummus. laus.

11. Iohannæ filiæ Caroli V. ſymbolum.

11. Margaretæ filiæ Caroli V. ſymbolum.

11. Annæ vxoris Ferdinandi Imper. ſymbolũ.

11. Eliſabethæ filiæ Ferdinandi Imper. ſymbolum.

11 Mariæ filiæ Ferdin. Imper. ſymbolum.

11. Catharinæ filiæ Ferdin. Imp. ſymbolum.

11. Leonoræ filiæ Ferdin. Imper. ſymbolum.

11. Barbaræ filiæ Ferdin. Imper. ſymbolum.

11. Ioannæ filiæ Ferdin. Imper. ſymbolum.

10. Ferdinandus Rex Hiſpan. cur dictus Catholicus.

12. Ximenius Cardinal. Hiſpan. præfectus. 14. odioſus Ferdinando. 15. regium nomen Carolo decernit. 18. fidelis Carolo V. 20. aulicis inuiſus. 22. à gubernatione reiectus, moritur.

15. Laurentij Galindi oratio.

18. Ioannæ Reg. Hiſpan. imbecillitas. 74. concitata ab Hiſpanis in Carolum reclamat.

23. Guillelmus Croyius Archiep. Toletan.

29. Franciſcus Rex Gallorum ambit imperium.

30. Eius lepidum reſponſum datum Carolo V. 75. tentat occupare Nauarram. 77. ad regnum Neapol. aſpirat. 197. vitia. 198. in Italiam deſcendit. 200. Mediolanum capit. 205. Ticinum flumen auertit ab alueo, Papiam obſidet. 207. à Rhetis deſeritur in diſcrimine pugnæ. 212. illuditur. 215. ab Hiſpanis capitur. 217. in Hiſpaniam abducitur. 222. conditiones pacis à Cæſare oblatas reſpuit. 234. liberatur. 237. pactis ſtare recuſat. 243. tentat in Carolum concitare Germanos. 264. ferè totum Ducatum Mediol. recuperat. 276. legatum Cæſaris cuſtodiæ tradit. 309. Proteſtantes fouet in Carolum V. 341. in Mediolanum molitur. 343. vitia. 354. mouet in Belgium. 355. Turcas excitat, vt in Italos deſcendant. 356. ſe excuſare tentat coram Principibus. 360. ſollicitat Venetos cum Turcis arma ſociare. 367. celeritas in ferendo ſuppetias ſuis. baſilicè cęnat. 377. fidelis inducias ſeruat. 378. frangit inducias ob cædem Fregoſij, & Rongonij. 382. ſecreta Chriſtianorum Turcis pandet. 384. Belgium à Carolo oblatum recuſat. 406. rigor in hæreticos. 423. tribus exercitibus Carolum aggreditur. 425. Turcas vrget in Carolum. 426. diſſuadet Germanis ſuppetias ferre in Turcas. 432. Turcas euocat in ſubſidium. 435. Landreſium ſubleuat. 439. eius legatus à Germanis non admiſſus, ſe excuſat de fœdere Turcico. 473. mors. humilitas, ſui cognitio.

34. Frider. III. Saxoniæ Elector cogit Electores concordes in electione fore. 40. imperium reſpuit. 52. Luthero fauet. 60. in comitijs Vvormatiæ Lutherum defendit. 85.

42. *Leo Papa ſoluit Carolum V. lege regni Neapol.* 78. *Gallis aduerſus.* 83. *moritur.*
45. *Vlrici Vvirtembergici nummi caſtrenſes. Ducatu priuatur.* 327. *recuperat.*
51. *Martini Lutheri ſeditio.* 52. *dotes, vitia.* 53. *Lutheranæ hæreſis origo.* 54. *Cæſari ſcribit.* 61. *in comitijs Vvormaciæ à Cæſare damnatur.* 64. *inuitatus à Principibus reſcipiſcere, ſpernit.* 65. *nullius iudicio ſe ſubmittit.* 66. *vafrè ſubducitur.* 67. *proſcribitur.* 89. *è latebris fugit; in Melancthonem inſurgit.* 90. *effigies.* 92. *in ſuos concitatur; Bibliam corrumpit.* 93. *tumidus in Patres, & Concilia.* 223. *in comitijs Norimbergæ damnatur.* 229. *nuptiæ.* 311. *ſcribit in Cæſarem.* 444. *conuicia in Papam.* 450. *obitus.*
56. *Vlricus Huttenus Luthero fauens, librum edit in aulam Romanam.* 57. *arroganter minatur comburere Archiepiſ. Moguntinum.* 90. *effigies.*
69. *Melancthon Luthero ſe adiungit.* 90. *effigies.* 393. *manum amittit.* 398. *falſi conuincitur.* 485. *à Cæſare fugit.*
70. *Henricus Rex Anglorum ſcribit in Lutherum.* 94. *à Luthero conuicijs petitus.* 190. *Picardiam populatur.* 277. *vxorem repudiat.* 279. *apoſtata.* 322. *Annam Bolanam in vxorem ducit.* 323. *ſe caput dicit Eccleſiæ* 324. *luget mortem vxoris.* 325. *libido.* 430. *ſuperbum ſymbolum.* 472. *vitia, mors.*
76. *Robertus Marcanus à Cæſare ad Gallos deficit.*
76. *Henricus Naſſouij Comes Cæſareo præeſt exercitui per Belgium.*
80. *Octauianus Fregoſius Gallos in Italiam vocat.* 86. *vinculis datur.*
80. *Fridericus Gonzaga.* 372. *ardor, religio, nummus caſtrenſis.*
81. *Proſperi Columnæ præfecti exercitus Cæſarei. victoriæ.* 82. *Mediolanenſem occupat Ducatum.* 85. *Gallos ad Bicoquam vincit.* 194. *moritur.* 196. *effigies.*
88. *Andreas Caroloſtadius Miſſam abrogat.* 90. *fugit.* 91. *fauet Anabaptiſtis.* 90. *effigies.*
90. *Zvvinglij effigies. Miſsam abrogat.* 305. *Auguſtanam Confeſſionem Cæſari offert.* 310. *occiditur. nummus.*
90. *Caluini Miſsam abrogantis. effigies.* 326. *fetus Lutheri perficit.* 391. *vitia.*
90. *Aecolampadij Miſsam abrogantis. effigies.*
91. *Thomas Muncerus Thuringiam concitat noua religione.*
95. *Franciſcus Cheregatus Papæ legatus apud Germanos.*
101. *Centũ Grauamina nationis Germanicæ.*
180. *Solimãnus Turcarum Imp. Rhodũ capit.* 182. *Belgradum capit, Regem occidit.* 184. *Rhodum capit.* 183. *nummus caſtrenſis.* 244. *vincit Ludouicum Hungar. Regẽ.* 291. *Budam occupat, & Strigonium. Auſtriam obſidet.* 292. *nummi caſtrenſes.* 315. *recuſat belli aleam ſubire cum Carolo V.* 363. *Corcyram obſidet.* 411. *mouet in Ferdinandum Cæſarem.* 415. *Iſabellam Reginam Hungarorum relegat.* 437. *Hungariam expugnat.* 496. *iunctus Gallis expugnat Tripolim.* 499. *hæreſim inſequitur.* 520. *Temeſuarum occupat.* 530. *filium occidit.* 531. *vt parricida à filio arguitur.*
183. *Vladislai. II. Regis Hũg. effigies; ſymbolũ.*
183. *Ludouici. II. Regis Hung. effigies; ſymbolum.* 244. *infelix obit; nummus.*
185. *Liladami Rodiorum magiſtri nummus, virtus.*
188. *Carolus Borbonius à Gallis ad Cæſarem deficit* 189. *deturbatur Ducatu opera Reginæ Ludouicæ.* 196. *in Prouinciã ducit.* 197. *effigies.* 201. *in Germaniam properat ad ferenda in Gallos auxilia.* 204. *media hyeme regreditur cum copijs. effigies.* 239. *Mediolani gubernator.* 255. *Romam capit, occiditur. laus, vitia.*
188. *Ludouica Franciſci Regis Gallorum mater ardet amore Borbonij.*
193. *Boniuettus Gallorum ductor, belli ignarus Nouariam deditione accipit.* 194. *Modoetiã capit. Mediol. obſidet, ſoluit.* 214. *occiditur.*
196. *Ferdinãdi Dauali March. Piſcarij effigies.* 197. *Maſſiliam obſidet.* 203. *Mediol. ditionẽ defendendam ſuſcipit in Gallos.* 208. *militẽ ad aciem erigit.* 209. *S. Angeli caſtrum occupat.* 210. *erga milites liberalis.* 212. *illuditur.* 213. *capit Anneum Mommorãtiũ.* 214. *vulneratur.* 217. *ſuccenſet Lanoio, eum accuſat, ad duellum prouocat.* 219. *an in Cæſarem conſpirarit?* 220. *mors, vita.*
197. *Andreæ Doriæ effigies.*
199. & 247. *Frãciſcus II. Sfortia Mediolanũ deſerit. effigies.* 290. *à Carolo V. reſtituitur. neptem Caroli in vxorem ducit.* 340. *obit.*

201. *Antonius Leua Papiam defendit aduerſus Gallos. 205. monetam cudit in memoriam obſidionis Papienſis. 208. torquem aureum in monetam cudit, vt militi ſoluat. 269. captiuus Auriam à Gallo ad Cæſarem traducit. 271. Papiam recuperat. ars ad alendum militem. Gallos vincit. 285. noua victoria. 352. mors.*

253. *Clemens Papam Cardinales pretio creat. 259. cuſtodiæ traditur. 261. nummi memoriales. 262. dat militi ſacra vaſa. 264. liberatur. 265. Cardinales pretio legit, fugit. 320. Concilium indicit. 332. obit. 201. & 195. amicus Caroli V. poſt adeptum pontificatum, fœdus init cum Gallis. 202. ſe apud Cæſarem excuſat. 216. à Venetis excitatus in Carolum V. Imper. recuſat, & cum eo paciſcitur. 240. fœdus in Carolum; ſymbolum. 257.*

206. *Gaſpar Magnus Gallos cædit.*

206. *Io: Iacobus Mediquinus ſolerti dolo fidem probat erga Principem.*

210. *Pugnæ mos vetus puluerem ſpargendi.*

227. *Thomas Muntzerus auctor belli ruſtici. 228. ſuſpenditur. hæreſis.*

228. *Antonij Ducis Lotharingiæ imago, ſymbolum.*

228. *Georgius Truckſeſſius ruſticos debellat.*

228. *Luod. Palat. Septẽvir mouet in Ruſticos.*

228. *Erneſtus Badenſis ruſticos vincit.*

229. *Friderici Ducis Saxoniæ imago. 229.*

229. *Io: Ducis Saxoniæ imago; hæreſis. 231. hæreticos fauet. 284 proteſtatio in comitijs Spirenſibus. 299. negat cum Carolo V. intereſſe publicæ ſupplicationi.*

230. *Alber. Brandeburg. Magiſter Ord. Theuton. lutheranus; vxorem Ducit.*

230. *Vualterus Croneburgus Mag. Ord. Theut.*

231. *Lutheranorum queſtus in catholicos.*

235. *Gattinarij conſtantia in Regem pro regni vtilitate.*

236. *Foxius Lautrecus. 266. Neapol. Regnum inuadit.*

240. *Carolus Lanoius. 264. moritur.*

240. *& 196. Hugo Moncada præf. Maris. 248. Vaticanũ diripit. 248. ſuſpectus Cæſarianis. 268. victus ab Auria, demerſus obit.*

250. *Alphonſus Dux Ferrariæ, Mutina, Regio donatur.*

251. *Vademontius inuitatur ad occupandum Regnum Neapol.*

251. *Georgius Franisbergius mouet in Italos, laqueum ſecũ feret, ut necaret Papã. effigies.*

252. *Io: Medicæi Icon.*

253. *Frideric. Feltrius Vrbini Dux, præfectus Veneti exercitus.*

253. *Michael Salaſſus præfectus Gallici exercitus.*

258. *Pompeius Columna plãgit Romã direptã.*

259. *Philibertus Arauſius ductor Cæſarei exercitus.*

260. *Vaticana bibliotheca diripitur.*

267. *Andreæ Auriæ victoria in Cæſarianos. 269. à Gallo ad Cæſarem deficit. nummus honorarius. ſtatua donatur. 318. victoriæ in Turcas. 361. Turcarum naues capit. 362. nocturno prælio triremes Turcarum capit. 373. accuſatur à Venetis perfidiæ. 478. æmulatio cum Ludouico Fliſco. 494. expeditio Africana. nummus caſtrenſis.*

268. *Alphonſus Vaſtius captiuus Andreæ Auriæ. 339. in Africam ducit cum Carolo V. nummus caſtrenſis. 367. victoriæ in Subalpinos. 423. noua victoria. 438. victus à Borbonio; vincit Strozzam. 525. à Turcis victus.*

270. *Frider. Caietanus.*

270. *Henricus Dux Bouiani.*

270. *Fridericus Caraffa.*

270. *Simon Romanus.*

273. *Guilielmus Bauarus electus Rex Hungar. renuntiat. 275. fœdus cum Ferdin. prò fide Romana. 307. imperium ambit. 356. ſymbolum; renuit cum Carolo V. arma ſociare in Proteſtantes.*

274. *Io: Vaiuoda Rex Hungar. ad Turcas confugit. 409. vxorem ducit. moritur.*

275. *Octo Pacius ocultè fouet Lutherum; perfidia in Dominum.*

278. *Thomas Vulſeus Cardin. Eboracenſis Henrico Angliæ Regi cur diuortiũ ſuaderet.*

278. *Anna Bolana. 323. Lutherana. 324. ridet mortem Catharinæ Auſtriæ. odioſa Henrico; adultera.*

279. *Campeggius Cardin. legatus ad Anglos in cauſa diuortij cum Rege, & Regina.*

284. *Proteſtantium origo. 294. audacia. 309. cum Gallis fędus ineunt. 320. Concilium deludũt. 385. catholicos poſſeſſionibus deturbãt. 386. fędus cum Anglo. 392. quale concilium*

poſtulent? 394. diſputatio cum Catholicis. 404. Proteſtantium reformatio qualis? 451. apologia in Cæſarem. 506. Henricus.

284. *Philippi Landgrauij proteſtatio in catholicos. 275. arma ſumit in Catholicos. 327. Vlricum Vvirtemberg. remittit in Ducatum. copias Ferdinan. Imp. fudit. 442. principatu ſpoliat Henricum Brunſuicenſem. nummi caſtrenſes. 452. proſcribitur. 454. ducit in Carolum V. 468. Crolo V. deditus.*

285. *Paulinus Comes victus à Leua, et captus.*

287. *Ludouica Sabaudiæ ſequeſter pacis inter Franc. I. & Carolum V.*

287. *Margar. Auſtria ſequeſter pacis inter Franc. I. & Carolum V. 310. obitus.*

289. *Alex. Mediceus eligitur Magnus Dux Hetruriæ: ducit Margaritam notham Caroli V. 242. queſtus in eum. 370. occiditur.*

292. *Sebaſtiani Schertlini tymeus nummus.*

292. *Frider. Palatinus Dux expeditionis in Solymannum. 44. ad Cæſarem legatus. 393. orat pro concordia.*

292. *Philippus Palatinus Viennam aduerſus Solymannum defendit. nummus honorarius.*

301. *Confeſſio Auguſtana.*

310. *Maria Auſtria gubernatrix in Belgio.*

310. *Chiſtierni Daniæ Regis vitia; mors; ſymbolum.*

310. *Fridericus I. Rex Daniæ.*

310. *Iohan. Rantzouij ſymbolum.*

323. *Eliſabetha filia Henrici Anglorum Regis.*

328. *Ioh. Leidani Anabaptiſtarum Regis. nummi caſtrenſes. ex Sartore Rex.*

332. *Hariadenus Barbaroſſa Tunetum occupat. 339. victus à Carolo V. nummus caſtrenſis. 362. populatur Apuliam. tres Venetas triremes intercipit. 372. Auriam fugat. 432. prò Gallis, Nicæam oppugnat.*

335. *Muleaſses Rex Tunetanus ſuplex coram Carolo. V. mores. 339. Icon.*

342. *Philippi Schiaboti in Carolum Ducem Sabaudiæ.*

344. *Pacis domus diruta Romæ.*

349. *Guido Ringonius. 353. nummus caſtrenſis. Genuam aggreditur. 378. cædes. 418. an iure cæſus.*

350. *Paulus III. Papa recuſat Mediol. Ducatum nepotibus ſuis oblatum à Carolo V. Concilium indicit. 369. Nicæam petit, vt pacem componat inter Reges. 443. Carolum V. corripit. 454. fœdus in Proteſtantes. 456. nummus caſtrenſis. 477. ob rem priuatam difert Concilium. 491. mors. cauſa mortis.*

355. *Ioh: Foreſtius legatus Gallorum Turcas excitat in Chriſtianos.*

363. *Veneti Corcyram defendunt à Turcis. 364. pacem reſpuunt.*

382. *Pax cum Turcis.*

365. *Io: Cazzianerus Dux exercitus Ferdinan. à Turcis victus. 366. perfidia; occiditur.*

366. *Lodoronij fortitudo in Turcas. occiditur.*

371. *Coſmus Mediceus eligitur Dux Florentiæ. 541. nummi. Senis donatur.*

378. *Cæſaris Fregoſij cædes. 418. an iuſta.*

382. *Mafei Leonij perfidia.*

382. *Conſtantini Cobatij perfidia.*

382. *Franciſci Valerij perfidia.*

388. *Georgij Saxoniæ Principis mors.*

388. *Henricus Saxoniæ Princeps Lutheranam ſectam fouet. Icon.*

400. *Liber Concordiæ. 484. examinatur.*

403. *Gaſpar Contarenus Cardin. reformationem edit in Germanos.*

409. *Stephanus Vaiuodæ filius Rex Hung. coronatur. relegatur.*

423. *Henricus Franciſci Gallorum Regis filius mouet in Hiſpaniam. 425. fruſtra Perpinianum obſidet. 479. Rex. 480. Papam in Cæſarem ſollicitat. 496. fœdus cum Turcis, & hæreticis in Cæſarem. iubetur huic fœderi renunciare à Papa cogitat nouum Papam. 500. turbat Concilium.*

423. *Carolus filius Franciſci Gallorum Regis mouet in Belgium.*

423. *Langæus Claraſcum occupat.*

423. *Renatus Aurantius vincitur à Roſſemio.*

424. *Claudius Guiſius.*

427. *Ioachimus II. Elector Brandeburg. infeliciter mouet in Turcas. nummus. 466. rogat pro vità Io: Frid. Saxoniæ. 469. conſpirat in catholicos. 501. ſimulat fidem Romanã.*

428. *Tridentinum Concilium. 448. initium.*

429. *Philippus Caroli V. filius Mariam Luſitanam ducit. 490. ob grauitatem Germanis non gratus. 491. Louanij inauguratur. 539. Mariam Anglorum Reginam ducit. 546. aureo vellere donatur. 551. inducias agit cũ Gallis. 558. Gallos vincit. 569. iterũ vincit. 556. 569. 605. nummi. 605. quatuor habuit vxores.*

434. & 383. *Guilielmus Marcanus Cliuiæ Princeps victus à Carolo V. ducit eius neptem. nummi caſtrenſes.*

434. *Martinus Roſſemius à Gallo ad Cæſarem deficit.* 514. *mouet in Gallos.* 549. *mors.*

436. *Ferdinandus Gonzaga Caroli V. legatus ad Anglos.* 542. *ad Carolum V. pergit vt ab querelis ſe purget.*

438. *Franciſcus Borbonius Dux Anghianus vincit Vaſtium.*

442. *Henricus Brunſuicenſis principatu ſpoliatur. nummus.*

442. *Io: Frider. Saxoniæ Elector ſpoliat Brunſuicenſem principatu.* 452. *à Carolo V. proſcribitur.* 454. *ducit in Carolum V.* 456. *nummus caſtrenſis.* 459. *libellum famoſum edit in Mauricium, & Auguſtum Saxoniæ.* 460. *bona ſua recuperat.* 461. *Albertum Brandeburgicum capit. Bohemos concitat in Ferdinandum.* 465. *captus à Carolo V. potius vitam deponere mauult, quàm hæreſim.* 475. *conſtans adſtat inaugurationi Mauricij hoſtis ſui.* 511. *liberatus à Carolo V. mauult cum eo perire, quàm deſerere.*

448. *Franc. Vualderus apoſtata ex Epiſcopo.*

448. *Herman. Colon. Archiep. apoſtata.*

449. *Martinus Bucerus caput Proteſtantium.* 450. *effigies.*

451. *Fœdus Smalchaldicum.*

451. *Io: de Auſtria natiuitas, mores, quandò agnitus.*

456. *Alex. Farnesij nummus caſtrenſis.*

457. *Alberti Mansfeldij nummus caſtrenſis.*

457. *Maximil. Burenus Cæſari fert ſuppetias.* 491. *in morte conſtantia.*

457. *Mauricius Dux Saxoniæ mouet in Io: Frider. Electorem.* 469. *conſpiratio in catholicos.* 474. *inauguratur Elector Saxoniæ.* 485. *renuit religioni Romanæ acquieſcere.* 492. *petitio inſolens, & perfida.* 493. *Magdeburgum obſidet.* 495. *fœdus in Cæſarem cum Gallo.* 503. *perfidia in Cæſarem.* 505. *Auguſtam occupat.* 507. *nummus caſtrenſis.* 509. *victoriæ.* 510. *diſcrimen vitæ ſubit.* 511. *cœna Cæſaris potitur.* 521. *Dux expeditionis in Turcas, ſed fruſtra.* 533. *vincit Albertum Brandeburgicum. occiditur.*

464. *Erneſtus Dux Brunſuic. captus à Carolo V.*

470. *Chriſtophori Cardin. Madrucij nummus.*

470. *Erici Ducis Brunſuicenſis nummus caſtrenſis.*

470. *Reinhardi Solmenſis nummus honorarius.*

470. *Nicolai Madrucij nummus votiuus.*

471. *Bernardinus Ochinus hæreſim Neapoli ſuſcitat.*

471. *Petrus Vermilius, martyr dictus moniali copulatur.* 507. *effigies.*

471. *Inquiſitionis tribunal apud Neapolit.* 493. *in Belgio.*

472. *Eduardus Rex Anglorum.*

477. *Petri Aloysij Farnesij cædes.*

483. *Ioannis Baſilij M. Ducis Moſcouiæ fraus in chriſtianos.*

485. Interim *Germanorum.* 488. *damnatum à Papa.*

490. *Maximil. Ferdinand. Imper. filius ducit Mariam Caroli V. filiam. nummi nuptiales, Auguſtales.*

490. *Mariæ Caroli V. filiæ nummus nuptialis.*

492. *Octauius Farneſius Parmam repetit.* 557. *Ducem Ferrariæ vincit.* 456. *nummus.*

493. *Magdeburgum victum: nummus.*

494. *Dragutes pyrata captus à Ianetino Auria.*

497. *Georgius Monachus perfidus æquè Turcis, ac Chriſtianis occiditur.*

500. *Proteſtantium legati ſimulatè ad Conciliũ accedunt.* 504. *poſtulata ſuperba in Concilio Triden.* 567. *diſputatio cum catholicis; diſcordia inter eos.*

504. *Io: Brentius ſimulate ad Concil. Trident. pergit. Icon.*

505. *Albertus Brandeburgicus mouet in Carolum V.* 507. *nummi caſtrenſes.* 514. *furor militaris.* 517. *à Gallis ad Cæſarem deficit. Gallos vincit.* 534. *victus. crudelis. barbarus.* 536. *obit.*

506. *Henricus II. Gallorum Rex mouet cum hæreticis in Carolum V.* 508. *Nanceium occupat.* 508. *irridet Cæſaris ſymbolum.* 507. *nummi.* 540. *in Belgium irrumpit.* 507. *nummi.* 517.

507. *Annæ Momorantij nummus.*

514. *Maria ſoror Caroli V. mouet in Gallos.*

516. *Franciſc. Lotharing. Guiſius Dux Metim propugnat in Carolum V.* 519. *pietas.* 556. *Valenciam Italiæ occupat.* 568. *Caletum occupat.*

520. *Sinani Baſſa. effigies. Agriam reſtituit.*
521. *Agrienſium fortitudo, conſtantia in Turcas. fœminarum laus.*
522. *Radulfi Meſiæ Domini fortitudo bellica.*
523. *Io: Baptiſta Caſtaldij facundia.* 520. *nummus.*
527. *Emanuelis Philiberti victoriæ in Gallos;* 540. *Gallos cædit: ſymbolum.*
528. *Senenſes ad Gallũ deficiunt.* 541. *cõſtãtia.*
529. *Petri Tholoſani obitus.*
529. *Garſiæ Tholetani faſtus.*
533. *Philippi Brunſuic. mors.* 532. *nummus.*
533. *Henrici Brunſuic. nummus vincit Albertum Brandeburg.* 543. *ſtrenuus defenſor fidei Romanæ.*
539. *Maria Anglorum Regina nubit Philippo Hiſpaniarum. nummus.* 570. *obit.*
541. *Petrus Strozzus victus. nummus.*
541. *Iacobus Mediceus Dux Mariniani Strozzam vincit.*
542. *Coſmi Medicæi geſta in Turcas, nummi.*
548. *Iſabellæ matris Caroli V. mors.*
552. *Pauli IV. Pontif. fœdus cum Gallo in Cæſarem.* 558. *pax cum Cæſare.* 559. *ſuccenſet nepoti.* 571. *obit.*
552. *Pyrhus Loffredus Cæſaris legatus mandata excedit, punitur.*
552. *Ferdinan. Dux Albæ præfectus in Italia copiarum Cæſaris.* 553. *reuerentia erga Papam.* 583. *odioſus Carolo, & Philippo ob ſtatuam ſibi erectam.*
556. *Herculis Ducis Ferrariæ præfecti Pontific. nummus caſtrenſis.*
556. *Caraffa Dux Paliani.*
557. *Philippi Monmorantij. Icon.*
557. *Caſpar Colignius Duacum tentat.*
558. & 538. *Lamoralis Egmondani. nummus.* 569.
567. *Petrus Caniſius.*
567. *Gropperus Colon. purpurã renuit accipere.*
568. *Iulius Pffugius præſes diſputationi inter Catholicos, & hæreticos.*
568. *Caletum ianua Galliarum.*
571. *Georgij Frider. Brandeburg. nummus. recuperat Alberti agnati ditiones.*
571. *Io: à Figeroa victoria in Gallos. nũmus.*
570. *Eliſabetha filia Annæ Bolanæ Regina Angliæ; cur Romanæ religioni renuntiaret?*
598. *Dieta Germanorum.*
599. *Concilium eſt conſilium Dei.*
600. *Belli neceſſaria.*
601. *Hiſpani crudeles.*

CAROLI V. ET FERDINANDI I. ORTVS.

I. ANno à partu Virginis cIↄ Iↄ, ferijs D. Mathię Apoſtolo ſacratis ſcilicet xxiv. Feb. tertia ſub noctem hora, *Gandaui* naſcitur *Carolus*. Pater illi erat *Philippus Maximiliani* Imper. filius. Mater *Ioanna* filia *Ferdinandi* Hiſpaniarum Regis. Ab hac regnum illud longè ampliſſimum; ab illo, nihil regno inferius, Belgium habuit. Auus paternus *Maximilianus*, maternus *Ferdinandus* Catholicus Arragoniæ, Sicilięque Dominus, qui præter Neapolitanum, Nauarræque regna, contra Gallos, Granatæque aduersùs Mauros occupata, Caſtellæ ſibi prouincias cum *Iſabella* ſorore *Henrici* Caſtellanorum Regis adiunxerat. *Maximilianus* verò à *Maria* coniuge, filia *Caroli* Burgundi (quem *Audacem* dixerunt) Burgundiæ, Flandriæque poſſeſſiones iure dotali ad Auſtriacos traduxerat. *Philippum* patrem ſexennis, immatura morte amiſit *carolus*, vtroque auo etiamnum ſuperſtite. *Ferdinandum* fratrem habuit Imperatorem. Medinæ in regno Caſtilliæ natum

II. *Caroli baptiſma ortus Ferdinandi.*

Anno 1503. die 10. Martij: hora ix. poſt meridiem Sacro fonti fuit præſentatus Nonis Martij, *Margarita* Angliæ Regis ſorore infantem vlnis geſtante. Dextrum eius latus claudebat *Margarita* Auſtriaca Hiſpaniarũ Principis vidua, quæ non ita dudũ cũ *Ioanna* puerpera ex Hiſpanijs redierat. Siniſtrã tenebat *Carolus Croyus* Chimaci princeps. Iſti infãtẽ à Sacro fõte ſuſcepere vnà cũ *Ioanne* Bergarum ad Scaldim Toparca. Antiſtes Tornacenſis baptiſmatis vndis tinxit; Chimacius *Caroli* nomen dedit, in memoriam proaui *Caroli Audacis*. Puero apud Baptiſterium ſeptem munera data. *Philippus* pater ei donauit Ducatum Lutzenburgenſem. *Croyus* galeam argenteam. *Toparca Bergenſis* gladium aureum. *Margareta Britannica* poculum aureum lapillis pretioſis plenũ. *Margareta Auſtriaca* ſoror *Philippi* Regis Hiſpaniæ, infantis amita, paterã aureã margaritis, & vnionibus refertiſſimam. *Gandauum* vrbs natalitia nauim argenteam quinquaginta pondo. *Abbates*

III. *Munera myſtica donata Carolo.*

tes Vetus & Nouum Teſtamentum, cum hac inſcriptione, *Scrutamini ſcripturas*. Myſtica hæc omnia voluere ſcriptores. *Primum* munus interpretati de dignitate Cæſarea puero attribuenda, quòd ex domo Lutzenburgica celeberrimi Cæſares prodijſſent. *Secundum* exponit præſtantiam eius fore admirabilem, vt phænicis, auis rariſſimæ. *Tertium*, gladium Iuſtitiæ vindicem Imperatori conuenientem. *Quartum* & *Quintum* ampliſſimas prouincias auri & margaritarum feraciſſimas puero obuenturas. *Sextum*, nauigationes proſperas in noui Orbis Inſulas argento, & auro abundantes. *Septimum* curam religionis ac fidei tuendæ *Carolo* demandatam eſſe. Habuit *Carolus* in ortu Capricorni ſydus, quo ſydere eſt natus *Auguſtus*, qui propterea nummum felici Capricorni ſydere percuſſit; eodem ſydere *Carolum Borbonium*, *Coſmum Medicem* natum *Cardanus* ſcripſit, & *Selymum* Turcarum Principem, qui VII. Cal. Sept. eodem menſe, quo M. Antonium Auguſtus vicit, Regem Perſarum Hiſmaelem de Caldezaniſis campis fregit. Biennio poſt eiſdem Cal. *Campſonem* Soldanum de Imperio deiecit.

APPELLATIO.

VI. CArolus dicitur à bono omine, quia *Carolus*, ſiue *Carl* à radice Germanica virum fortem, & bellicoſum ſignificat. Cognomento *Quintus* dicitur: quia quatuor eius nominis Imperatores, videlicet *Carolus Magnus*, *Carolus Craſsus*, *Carolus Caluus*, & *Carolus IV.* Rex Bohemiæ ante ipſum imperij Romani ſceptra tenuerunt. Ob præclare geſta alij alia impoſuere cognomina. Germani vocarunt eum *Carolum Magnum*; Galli *Herculem*; Itali *Dauidem*; Siculi *Scipionem Africanum*; Hiſpani *Alexandrum Magnum*; Africani *Hannibalem*; Turcæ *Iulium Cæſarem*. Vnde *Sabinus* eum tali epigrammate celebrauit.

Diue quibus Cælo te laudibus æquem?
Carole, *non ipſo, quem regis, orbe minor,*
Cæſare, quo maior validiſque potentior armis
Nullus ab Auguſti tempore ſceptra tulit.

Maximi titulum obtulit ei Summus Pontifex *Paulus III.* ex S.C. purpuratorum patrum poſt victoriam Saxoniam.

STATVRA, EDCATIO, INDOLES.

VII. STaturâ corporis inter proceros, breueſq. mediam ſortitus eſt *Carolus* firmam, atq. robuſtam. Color in iuuentute lacteus, leni per genas aſperſus purpura: ampla ſerenaq. frons; glauci oculorum orbes in cæruleum decus inclinati; naſus Aquilino more aſſurgens, veterum inſigne heroum, & Auſtriacis, labris aliquantum turgeſcentibus Barba & ſupercilia capillis denſa; comę à mento ad vtramq. aurē aſſurgentes, quarum flauus in fuſcedinē tranſibat color. Humeri pectuſq. latum, neruoſum collum, & venter, ad habilem armorum vſum ſubactus, lacerti validi. Tibiæ paululum, ſed extra deformitatem; vox ſed citra auctoritatis iacturam gracilior.

Septennium viuendo attigerat *Carolus*, cū inſperato oppreſſum morbo *Philippum* parentem amitteret. *Maximil.* verò, ne *Carolus* idoneo vitæ, morumq. magiſtro deſtitutus, aliena negligentia periret, & flagitia priuſquā noſſet, addiſceret, diſcrimine ſanè auertendo, animum per Europam circumtulit, vt excelſæ ſpei, fortunæq. adoleſcenti artium, ac præcipuè quidem morum tradendorum magiſtrum deligeret. Cūq. plures excitaret ambitio, *Hadrianus Florentius*, patria *Vltraiectinus*, & inter Louaniēſes Canonicos Decanus, rerum vſu, ac cognitione eminens delectus eſt qui *Carolo* prima rectè viuēdi, loquendiq. rudimēnta traderet. Ephebos ei ex prima nobilitate lectiſſimos, atq. indolis probatę adoleſcentes lateri addidit, qui æmulatione Principem excitarent. Ille autem vti ingenio, atq; animi magnitudine nemini ſecundus, illam, quam naſcendo præ reliquis dignitatem conſecutus erat, arte non amiſit; *Hadriani* ſuauitate, ac grauitate incitatus, à quo licet non minùs amore raperetur, quàm metu, neque aſperitatem odebat imperantis, neque facilitate ad vitiorum licentiam abutebatur. Egit itaque *Hadrianus*, nè *Carolus* minus ornatè loqueretur, quàm viueret. Magis tamen militaribus diſciplinis ſiue natura cogente, ſiue *Guilielmi Croy*, qui

VIII. *Hadrianus præceptor Caroli V.*

Cheuræ

IX. *Armis magis inclinat.* Cheuræ Dominus, & Areſchotti Marchio fuit, opera aberrante à literis maturiùs quàm par erat, auelli cępit. Is cum principis nutritius eſſet, integra adoleſcentis poſſeſſione fruebatur. Cuius poſtea facti non obſcurè pęnituiſſe *Carolum*, Genuæ apparuit. Vbi *Dolet de neglecta lingua latina.* Latinum oratorem cum aſſequi intelligendo, non ſatis poſſet, ingemuit dicens: *Agnoſco Hadriani instructoris mei diuina monita, qui dum has literas neglectim exciperem, aliquando pueriles me incuriæ pœnas luiturum vaticinatus eſt*. Iam tamen adoleſcens (quo ingenij facilitatem intelligas) id ſtudio atque exercitatione aſſecutus eſt, vt quomodocumq. Latina, non imperitè Gallica, Hiſpanica, Italica, Germanicaque lingua vteretur, quod turpe crederet, à ſubditis non intelligi imperatorem. Interea nulla pueri voluptas maior, quàm ſcribere, ſuoſque in ordinem diſtribuere, ex coæua puerorum claſſe militem in ludicra ducere certamina, præmijs mactare victores, carceribus victos. Conſonat huc, quod poſt hæc in caſtris ad Vittebergam *Lucas pictor* ſenex *Carolo* ſciſcitanti narrauit. *Eſt autem* (Carolus inquit) *Mechliniæ in conclaui meo tabella, in qua effigiem meam, cum puer eſſem, depinxiſti. Scire igitur ex te volo, quæ fuerit tunc ætas mea?* Reſpondit Lucas, *octo annorum ætas erat tua, cum Imperator Maximilianus te dextra circumducens, iuberet Belgicam nobilitatem et ciuitates iuramento obedientiam promittere. Cum autem picturam tuã ordirer, Maieſtas tua ſæpè ad diuerſa loca reſpiciebat, vt ſolent pueri. Ibi præceptor, qui tuam naturam norat, dicebat, te mirificè delectari adſpectione teli, iuſſitque ad parietem aduerſum collocari egregie fabrefactum telum, cumque tu ab eo non deflecteres oculos, ego feliciter picturam abſolui*. Cæſar hac narratione valde delectatus, blandè *Lucam* compellauit, ornatumque munere in vrbem remiſit.

X. *Ferdinãdus Auſtrius ſpe regni Hiſpani educatur ab auo.* Nec *Ferdinandi* fratris, ſexennio poſt in Hiſpania nati, ac ſollicitè ad huius gentis mores educati, multum diſpar indoles. Vnde ex deſtinatione aui *Ferdinandi* in ſpem regni aleretur. Nam ſiue ipſo prouocatus amore nominis ſui, in regio adoleſcente ex nepote conſeruandi, ſiue Hiſpaniæ natalis puero ſoli dulcedine, morumq. ex aura non tantùm ſed aula trahendorum captus ſimilitudine, *Ferdinandum* infantem, neglecto nepotum maiore *Carolo*, hæredem regnorum teſtamentarijs non ita pridem tabulis, Burgenſi in vrbe ſcripſerat, adieceratq. trium ordinum militarium magiſteria potentiſſima *S. Iacobi, Oretani*, & *Alcanteræ*, ſibi quondàm aduersùs Mauros pugnanti, Pontificia facultate conceſſa, atque in hanc ſpem induſtria *Gonſalui Guzmani* Oretani Magiſterij clauigero, & *Aluari Oſorij* Aſturicenſis Præſulis cura ſingulari educabatur. Verum vbi *Matienſis* (quem à confeſſionibus è Franciſcana familia habuit) conſilio, Senatoribus regni haud multò ante mortem vltimæ voluntatis tabulas legendas dediſſet: quorum iam animos *Hadrianus* legatus *Caroli*, vti & ipſiuſmet Regis, Carolinæ indolis prædicatione occupauerat, vnanimi ſententia viſum omnibus, hoc ſucceſſionis beneficium à *Carolo*, maiori natu, iamque ad regnum aptiore, transferendum; grauiſſimis ex cauſis non eſſe; Propterea Rex veritus, ne regnorum proceres, *Ferdinandi* cauſantes infantiam, ad libertatem aſpirarent, in *Carolum* regna à ſe poſſeſſa trãſtulit, adminiſtratoris tamen ſeu gubernatoris titulo, dum filia *Iohanna*, & *Caroli* mater (quã patriæ leges regno non excludebant) in vita ſupereſſet. *Carolus Rex Hiſpaniarum.* His conſtitutis *Matricaleſio* humili uico, quem cauere à fatidica iuſſus fuerat, ritè ſacris munitus X. Cal. Feb deceſſit, anno Sal M. D. XVI. ſepultus Granatæ regio funere, ad quod prò dignitate præſtandũ regio haud erat in ærario: vt multi obſtupeſcerent, tot regnorum Dominum pauperem emori, quia diuitias ad ſalutem Reipub. profudiſſet. *Catholici* ei nomen datur, quando occupata Granata Mauros cum Iudæis, ſeptingentorum annorum Dominos, tota exegit Hiſpania; vt bello iam victor, centum xxiv. millia familiarum migrare iuſſerit, maiori religionis, quàm terrarum latè incolis exhauſtarum emolumento. Inde victoriam proſecutus, trans mare in ipſas extendit Africæ oras. *Ferdinandus dictus Catholicus.* Ne verò perditæ fidei reſurgerent homines, *Inquiſitionem* inſtituit, quæ ad omnem hæreſeos ſuſpicionem, ferrum, ignem exerceat, vt paucorum pęna ſit omnibus in exemplum. Præter hæc nouus (eo regnante) patefactus Orbis Hiſpanorum recepit imperium, & fidem Romanam. Neapolitanum

quoque


A
VSTA·CAROLI·V·VXOR
HAS·HABET·ET·SVPERAT·
G
IOANNA·PORTVG·REGIN·IOANNI·VXOR·CAROLI·V·IMP·FILI·
VANESCENS·
B
MARG·V·X·ALEX·FLOR·ET·OCT·PAR·DVC·CA·V·IMP·FILI·
VERSA·EST·IN·LACHRIMAS·
H
ANNA·FERD·IMP·VXOR·
REGINA·HVNGAR·BOHEM
C
ELISABETA·REG·POLON·SIGISM·AVGVS·VX·FERD·IMP·FIL·
A·DNO·FACTVM·EST·ISTVD·ET·EST·MIRABILE·IN·OCVLIS·NOSTRIS·
I
ANNA·DVCISSA·BAVARIAE·ALBER·VX·FERD·
SI·DEVS·NOBISCVM·
QVIS·
D
MARIA·DVCIS·GVILHELMI·CLIVIEN·S·VX·FERD·IMP·
GAVDIVM·MEVM·SPES·EST·
K
CATARINA·REGINA·POLON·SIGISM·AVG·VX·FERD·IMP·FILIA·
DE·GENERES·ANIMOS·LVX·
E
LEONORA·GVILH·
C·MANT·VX·FERD·IMP·FILIA·
REDDE·CVIQVE·SVVM·
L
BARBARA·ALPHONSI·FERARIAE·DVC·VXOR·FERD·IMP·FI·
OMNIA·
VANITAS·
F
IOANNA·MAGNA·DVCISSA·ETRVRIAE·FRA
EXTINCTA·
REVIVISCO
M
ANNA·REGINA·HISPANIAE·PHILIPPI·II·VXOR·MAXIMIL·IMP·FILIA·
AETERNO·
CONIVGI·

Sal. Ann. 1515. quoque regnum è manibus Gallorum ereptum, *Gonſalui Magni* virtute ſeruauit. Regnum Nauarræum, cum alijs de cauſis ſibi à *Ioanne Albreto* Rege ſibi vendicauit, tum potiſſimùm ea vſus poteſtate, quam ei *Iulius Papa*, detulit ob conſpirationem factam cum Gallis in perſonam Pontificis; quem hi Reges in *Piſano conciliabulo* damnare tentauerant. Ex aduerſo *Iulius* Lateranenſi indicto Concilio, Regem *Ludouicum* Gallum, cum *Ioanne* Nauarræ Rege anathemati ſubiecit, regno ſpoliauit. Tot igitur regnorum *Ferdinandus*, *Carolum* reliquit hęredem non ſine ſpeciali Dei cura, cuius eſt tradere regna. *Ferdinãdo* verò prius ad hæc deſignato, nihil præter gratiã fratris relinquitur. Sal. Ann. 1515.

XI. *Titulus regni Nauarræi pro Hiſpanis.*

CAROLI V. VXOR: LIBERI.

VXorem habuit *Carolus V.* imperator *Iſabellam* (alij vocant *Eliſabetham*) filiam *Emanuelis* Regis Portugalliæ, cum qua nuptias celebrauit Siciliæ Anno 1526. die x. Ian. Extat *Iſabellæ* ſymbolum *pag.* 330. *littera A.* in quo Charitum triga conſpicitur ſub lemmate, *Has habet, & ſuperat* propter formæ elegantiam, morum probitatem, & ventris fæcunditatem, qua maritum copioſa prole beauit. Leontius Athenienſis Philoſophus, vbi ſuprema ſibi imminere fata ex morbo præſenſit, filios geminos ſcripſit hæredes: de filia Athenaide ſic teſtatur. *Athenaidi filiæ dulciſsimæ centum, non ampliùs aureos lego: ſufficit illi, fortuna ſua: qua muliebre genus omne facile anteſtat.* Charitum itaq. trigæ anteferre placuit: vbi *roſa* notat florem ætatis; *myrtus* fœcunditatem; *glandes* moderationem in ſumma fortuna. *Vrna* perpetim fluens ſtirpem generis. In eius obitu epicedium concinarunt Potæ.

Carole cur defles Iſabellam, curue requiris?
Viuit, non obijt: reddita ſponſa Deo.

Naſcuntur *Carolo* ex *Iſabella* Rex Hiſpaniarum *Philippus II.* in Valle Doleti Anno 1527. die 21. Maij. *Maria* coniux *Maximiliani II.* Imper. mater *Rudolphi II.* Imperatoris. *Iohanna* coniux *Iohannis III.* Regis Portugalliæ. Vide ſymbolum pag. 330. *littera G. Ioannes* & *Ferdinandus*, in cuius partu mater extincta eſt; nec ei *Ferdinandus* ſuperuixit.

CAROLI V. CONCVBINAE.

SVſcepit ante matrimoniũ *Carolus* ex *Ioãnæ* cõtubernio *Margaretam* cõiugẽ *Alexandri Medicei*, deinde *Octauij Farneſij* Parmæ, & Placentiæ Ducis. De obitu *Alexandri* feralis eſt nummus, in quo *cithara* ſub lẽmate *verſa eſt in lacrymas*, quem vide *p.* 330. *litt. B.*

Mortua *Iſabella*, ſuſcepit *Iohannem Auſtriacum*, ex *Catharina Ratisbonenſi*.

FERDINANDI VXOR; LIBERI.

CVm *Carolus V.* vxorem duxiſſet *Iſabellam*; vbi adoleuit *Ferdinandus* iuxta aui ſui *Maximil.* pacta iunxit ſibi *Annam* Regis Hungariæ filiam Anno 1521. Vide effigiem *pag.* 330. *littera H.* Tulit ex ea *Maximilianum II.* Imper. natum Anno 1527. *Ferdinandum II.* Anno 1529. *Carolum II.* Anno 1540. & vndecim filias. *Eliſabetham*, Anno 1526. vxorem *Sigiſmundi* Regis Poloniæ; vide ſymbolum, effigiem *pag.* 330. *littera C.* Annam, 1528. Duciſſam Bauariæ, cuius effigies eſt *pag.* 330. *littera T.* Mariam 1531. vxorem *Guilhelmi* Ducis Cliuiæ, cuius ſymbolum *arbor arida* ſub lemmate *Gaudium meum ſpes eſt*. forſam prolis. Vide *pag.* 330. *littera D.* Magdalenam natam 1532. *Catharinam* natam Anno 1533. vxorem *Sigiſmundi* Regis Poloniæ: Vide eius ſymbolum *pag.* 330. *littera* k. Leonoram 1534. vxorem *Guilhelmi C. Mant.* cuius ſymbolum eſt in *pag.* 330. *littera E.* Margaretam 1536. *Barbaram* 1539. vxorem *Alphonſi* Ducis Ferrariæ; vide ſymbolũ *pag.* 330. *litt. L.* Vrſulã 1541. *Helenam* 1543. *Iohannã* 1547. Ducíſſã Hetruriæ; in cuius partu mater exctinta eſt die 27. Ian. Ætat. 44. *Iohannæ* ſymbolũ eſt *p.* 330. *litt. F.*

CAROLVS V. REX HISPANIARVM. Anno 1516.

Sal. Ann. 1516. CArolus apud Belgas morte *Ferdinan.* cognita, ſplẽdidiſſimas auo adornauit exequias (quas niſi atro celebratæ habitu fuiſſẽt) triũphũ nõ funera dicerẽ. Nec Belgiũ tã lugere

Carolus V. auo iuſta ſoluit.

Sal Ann. 1516. XII. defunctum, quàm victuro plaudere videbatur; Datis poſtea ad proceres Hiſpaniarum literis, multa prætexuit argumenta dolentis animi, vt: *quod ſe patriamque rectore optimo poſt natos homines priuatum eſſe ſentiret; tam amante ſui, quàm in rudi etiamnum ætate neceſſario. Iacturam hanc tamen, quamuis incomparabilem, haud mediocriter ſarciri aui ſui conſilio, qui Ximenium Cardinalem, cuius Sapientiam multo vſu firmatam, grauiſſimoſque ex multorum relatione mores eſſe cognouiſſet, præfectum Reipub. voluiſſet*. Mitigatus eſt *Ximenij* animus, iam ſuccenſus, quia *Hadrianum* Præfecti titulo *Carolus* iam ad Hiſpanos legaſſet, ſi *Ferdinandus* morbo illo mori contingeret. Alijs tamen ad *Ximenium*, Senatumque literis, *Hadriano* quippiam ſe comiſiſſe arcanum docebat, quod cum ipſis communicatum vellet, cuius

XIII. ſententiam conſilij quàm primùm expeteret. Id erat: *vt quoniam viuente matre, ad quam regnorum poſſeſſio ſpectaret, regium ſibi nomen à ſummis principibus per literas, legatoſque tributum eſſet, hoc ipſum decreuiſſet etiam aſſumere. Ab ipſis proinde expectare ſententiam, an non ſaluis Maiorum inſtitutis id liceat; cum Germanos inter Italoſque nulla cuiquam liberorum religio ſit, paternarum dignitatum titulos, viuis licet parentibus, vſurpare*. Hæc conſultatio, quæ ad parendum magis, quàm ad conſulendum apparebat inſtructa, *Ximenio*, totique viſa eſt inſolens Senatui: tum quod iam maturè deciſum eſſet, grauiſſimis de cauſis non expedire: tum quod ſpetie conſilij, rationem quæreret defenſionis, vt Senatum deluderet. Porro cum iteratis literis oraſſent Carolum, *abſtineret ſolum Regis titulo, ſeditionibus populorum obnoxio, ac poteſtate minimè per hanc dimiſſionem infringenda, vteretur*. Perſtitit tamen ipſe, negauitque. *Id iam ſibi integrum amplius, poſtquàm ea in re Pontif. Max. purpuratorum Patrum, ac Maximiliani Cæſaris, auique voluntati obſecutus, regium nomen admiſiſſet: curarent proinde, ne tot tantorumque auctoritas ſecum neglecta recuſando videretur*. Petitionis non vna erat cauſa. Matris in primis imbecillitas, quæ nec mente ſana, non iam rectura, ſed regenda procerum videretur arbitrio.

Regium nomē matre vſurpat viuente.

Quapropter, enixè inſiſtebant proceres, nè regium *Carolus* nomen aſſumeret, vt ſibi conſulerent. *Sal. Ann. 1517.* XIV.

Propenſio ad Ferdinandum.

Accedebat *Croy*, qui *Caroli* animum poſſidebat, impulſus; nam is *Ferdinando* odioſus, ab aula *Caroli* excludendus erat, ſi Regis voluntas foret religioſè ſeruanda. Rem porrò vrgebat *Carolus*, nouo correptus diſcrimine, quod non deeſſent qui ex primis *Ferdinandi* tabulis, nepotem *Ferdinandum* ad regnum ſollicitarent. Primas tabulas integerrima Regis mente, firmatoque conſilio, non ſubito vt poſteriores, & vacillante ex morbo iudicio, conditas aſſerebant. Quod primis Hiſpanis Hiſpanum, ſecundis Germanum exteris præficeret. Per *Ferdinandum* Hiſpani aulæ occupaturi eſſent officia: per *Carolum* à Germanis, & Belgis Principes Hiſpanorum regendi forent. Suſpicionem hanc fouebat *Hadriani* electio, quem Hiſpanis per abſentiam ſuam gubernandis præfecerat. Hæc Hiſpanos externæ non aſſuetos dominationi, in *Carolum* incitabant. Vnus tamen *Ximenins* conſilia hæc ſubuertit, & *Caroli* illectus amore, ſiue ſpe gratitudinis, quamuis à moriente *Ferdinando* fuiſſet gubernationi præfectus, ſuos potuit, & voluit XV.
moderare honores, vt *Hadriano* per *Carolum* ad id muneris deſtinato, locum apud ſe ad conſilia, adminiſtrationemque participandam fecerit.

Ximenius regium nomen Carolo decernit.

Probauit *Ximenij* moderationem *Carolus*, eumque literis ſollicitauit: *omnem huc conferret operam, quò cunctis hæc ipſius regij nominis ſuſcepti voluntas probaretur*. Ad hoc itaque *Ximenius* intentus, Senatum Madriti coegit. Quatuor Principes adfuere, *Anricus Almirantus, Fradicus Albanus, Paciecus Aſcalonius, & Rogius dianenſis*, totidem Præſulum, *Rogius Granatenſis* regij ſenatus præfectus, *Fonſeca Burgenſis, Fridricus, Seguntinus*, & *Franciſcus Abulenſis* cum alijs nonnullis conuenere. Ad eos *Laurentius Galindus Caranaialius* ex mente *Ximenij* ita diſſeruit.

Galindi oratio.

Religionem erga parentes naturæ inſtinctu inſitam eſſe cordibus hominum; eo tamen diſcrimine quòd in populo marginalibus literis, cubitalibus in Rege, qui patriæ pater obſequium à ſubditis ſuo exigat exemplo. Ab hac lege Rex noſter *non aberrat Carolus*, matrem *non tantùm* Reginam *vult, ſed in imperio primam. Hac pietate*

mereri

Sal. Ann. 1517. *mereri non demereri* Carolum *quis negabit? & tantæ matris dignum non agnoſcet filium, & conſortem? oneris cum velimus, cur non & honoris? Poſtquam Pontifex, Cardinales, Principes* Regem *Carolum ſalutarunt, aberrabunt ſubditi? Maiorum melius eſt ſequi veſtigia, quàm per deuia & ſalebroſa nouas inquirere ſemitas: & tutius errare cum multis, quàm benè ſentire cum paucis. Sed quid errorem appellare me feruor ſermonis compellit, vbi neceſſitas regni, & reginæ imbecillitas Regem expoſtulat? Si Hiſpaniarum adminiſtrationi Regina impar, vt nec eorum, quæ per nos geruntur, particeps fiat; quomodò Carolum ab ea dirigi volumus, eiuſque obſequi imperio, quæ mentis ſuæ compos haud eſt? Quid à nobis, ſubditiſque impetrabit, cui maieſtas regij nominis, ac reuerentia eſt defutura? Forſam quid inſolens, diuerſumque à maiorum conſuetudine Carolus exigit? Hoc iam olim Hiſpaniarum ex Gothis Rex optimus Cindeſuuindus ſuo probauit exemplo, cum Reciſuuindum filium regiæ admiſit dignitatis nominiſque conſortem. Hoc Ranimirus peregit cum fratre: ſimile egit Regina Vrraca cum Alphonſo Raimundo filio. Ferdinandus cum matre Berengella Caſtellæ, Legioniſque regnis pari iure imperarunt. Vnde lex, mores, ratio, æquitas regnum Carolo tradant. Reges plaudant, noſque iam ad obſequium vocemur, non ad conſilium.*

Hiſpanorum diſſenſio. Simulque è ſinu deprompſit *Caroli* literas, recitauitque. Inexſpectata *Galindi* oratione perculſi principes, libertatis emolumenta, quæ ſub imbelli Regina ſperabant, ſibi eripi cernentes, bifariam diuiſi, alij *Ximenio* adhæſerunt, ne inducta neceſſitate beneficium corrumperent: alij, inter quos *Anricus*, *Fadricuſque* Principum anteſignani non dubitarunt obijcere, *id contra maiorum inſtituta, quorum contemptu à tyrannide regimen exordiri, publica non ferret vtilitas*.

XVI. Nec cœteris *Caroli* probabatur petitio; Nam *Paciecus* Ferdinando infenſior, cum *Carolo* acceſſurus crederetur, ſententiam dicere rogatus, negauit ſe daturum conſilium, quod à ſe *Carolus* non poſtulaſſet. Promiſcuum murmur cum diſſenſum magis, quàm aſſenſum argueret, *Ximenius* indignabundus erupit, ad parendum, non ad conſulendum eos euocaſſe, vt eo die Madriti, *Carolo* Regi proclamando plauderent, eorumque exemplum cœteræ ſequerentur vrbes. Quo dicto, Senatum dimiſit, accerſitoque Madriti Præfecto *Petro Correa*, iuxta Hiſpanorum morem, primùm in Prætorio, clangentibus tubis, præconis voce, Regem Caſtellæ proclamare fecit: quod deinde vicatim, vexillis inter decuriones ſublatis, tubiſque præcinentibus, plaudente populo, *Carolo* vitam & felicitatem præſtitum eſt. Reliquæ vrbes, & oppida prompto obſequio exemplum ſequuntur. *Sal. Ann. 1517. Carolus Rex plauditur Madriti.*

XVII. *Arragonij eum non recipiunt.* Soli Arragonij, quibus *Ferdinandus* filium nothum *Alphonſum*, Cæſaraguſtanum Antiſtitem cum ſumma gubernatoris poteſtate impoſuerat, ſui rectoris diſſenſu freti reſtitere, nec *Carolum* dixère Regem, quàm mortua matre. Quibus tam Aui, quàm Antiſtitis veneratione inductus *Carolus* peruicaciā ignouit. Salutatus Rex *Carolus* hoc matri detulit obſequium, vt *primum ei in regni muneribus, honoris obſeruantiæque locum relinqueret, primam in publicis tabulis inſcribendi nominis ſedem, ac reuerentiam.* Non aliter Hiſpania ab hoſtibus, ac præſertim Turcarum armis eximi poterat. Regina namque atræ bilis iactationibus obnoxia, neque ſeipſam poterat moderari, & quandoque contraria per diuerſos mandata expediebat. Trudeſillis Vacceorum oppido ad inſignem amœnitatem, illius gratia per *Ferdinandum* exculto, obſcuriſſimum illa in angulo domus locum delegerat, vbi vel pietatis ſenſu, vel melancholiæ vitio, non niſi nuda humo, tabuliſue ſtrata ſomnum occupabat, nec inter brumæ rigores pelles admittebat, triduique perſæpè inedia corpus macerabat, nec alijs niſi fictilibus vaſis cibum putreſcentem ſolita accipere; Tantæ in ſeipſam ſeuitiæ condolens *Ximenius* loco *Ferrerij Valentini*, qui ſeuerioris animi erat, *Ferdinandum* Ducam amenioris ingenij in conſortium, cuſtodiamque Reginæ introduxit, quæ ſenſim ad humaniorem vitæ vſum eam traduxit. Hæc matris Reginæ imbecillitas excitandis per regnum turbis idonea fuit. *Ximenius* tamen in omne periculum peruigil, ſublatis plurimis vectigalibus populos ita Regi deuinxit, vt in omne diſcrimen alacres ſe offerrent. XVIII. *Ioannæ Reginæ imbecillitas.*

Sal. Ann. 1517.
XIX. *Carolus in Hiſpaniā vocatur.*

Carolum porrò ſollicitabat *Ximenius*, vt in Hiſpaniam properaret; quod pleroſque Belgarum in aula *Caroli* grauiſſimos aduerſarios; paucos verò Hiſpanorum fideles amicos experiretur. Hos familiaritas adeò deuicerat *Ferdinandi* inter ipſos educati, vt *ſuas delicias* appellarent. Cum *Gironijs* & *Albanis* Principibus *Ximenio* cõtentio erat ob ſeriam regij mandati executionē. Petri *Nonnij Guzmani*, & *Aluari Oſorij*, aliorumque aulam *Ferdinandi* moderantium offenſionem incurrerat; vt cum hi *Ximenium* amotum cuperent, ille fauente *Carolo* omnes aula eiecerit, *Ferdinando* nequicquam lacrymis, miniſque demum obſtante; quod fidis ſe miniſtris ſpoliari quereretur. Inde ſpetie humanitatis, ac aui viſendi obtentu fratrem in Germaniam ablegaret, *Carolo* auctor fuit *Ximenius*; ne *Ferdinandi* amore illecti Hiſpani à *Carolo* deficerent. Occurſurus porrò *carolo Ximenius*, quamuis afflicta iam valetudine, ad Caſtellæ fines pergeret, *Ferdinando* ſecum ſalutandi inter primos fratris gratia aſſumpto; inuidiosè iactabant, Regis aduentum fingi, vt *Ferdinandus* eriperetur Hiſpanis. Contra Belgæ in aula *Caroli* dictitabant *Ximenium* aduersùs *Carolum* ſibi *Ferdinandi* captare fauorem, vt eo nomine ſe Regi præſtaret metuendum, ideoque vel maxime abſtrahendum in Germaniam aſſerebant. Aquileræ ſub medicorum cura laborabat *Ximenius*, quum *Carolus* primo Id. Septemb. ex Belgio claſſem ſoluit, & quinto Cal. Octob. Biſcaiam contigit. Vbi prò inimico primū, deinde vt Rex magno exceptus honore, Villauitioſam deductus eſt cum ſorore *Eleonora*. Re cognita *Ximenius*, literas *Carolo* dedit, quibus itineris rationem, tractandique Hiſpanos artem tradebat, monebatque vt vitatis Principum congreſſibus, ex ſe priùs Reipublicæ conſtitutionem, errarijque vim cognoſceret. Ex aduerſo Belgæ, quibus *Ximenius* ſuſpectus erat, quòd de ſe amouendis conſilia agitare cognouiſſent, ne Hiſpanorum inuidia *Carolus* primo regni ingreſſu grauaretur, ſuadebant: omni ſtudio *Carolum* à *Ximenio* abſtrahentes, ſpe per medicos concepta, fore vt morbi violentia breui ſuccumberet; vel exauctorationem *Ximenij* ob valetudinem inhabilis, vel Rege præſente ſuperuacuum perſuaderent. *Carolus* verò ad ſalutandam matrem Turdeſillas arrepto itinere, literas *Ximenio* miſit, quibus illi iter, officiumque Reginæ matri ſignificat præſtandum; ſimulque iubet ad Moiadas occurrere, vt communicatis de Repub. conſilijs, ſuæ deinde quieti conſulere poſſet, poſtquàm ſat moleſtiarum pro regno exhauſiſſet. His auditis, ſenſit ſe æmulorum artibus preſſum, ingrateque abijci, poſt tam fidelem Regi operam præſtitam, auctoque morbo, non multis horis ſuperfuit. Vanas hic mortalis ſpes colligat aulæ fallaces. *Alphonſus Aragonius* catholici Regis ſpurius cognito *Ximenij* obitu, Turdeſillas properauit, vt Toletanæ præficeretur Eccleſiæ; ſed iam *Guillelmus Croyus* Cheuræ Dominus, pro *Guillelmo* nepote illam erat aſſecutus. *Aragonius* verò niſi Valliſoleti ad colloquium admiſſus fuit. Venit eò *Carolus* principio anni xviij. vbi maiorum ritu in Baſilica D. Pauli cum *Ioanna* matre ſolio regali imponitur, vt pari iure cum parente regnaret, quanquam præter titulum vix quicquam matri delatum ſit, niſi vt Regis decreta pari ſubſcriptione, vmbratili dignitate firmaret. Coronationem ludi exceperunt equeſtres: in quibus tertio die *Carolus* aduerſus præcipuum cæterorum triumphatorem *Zanzellium Belgam*, regali armatura cinctus, in arena congreſſus, vt nunquam fruſtratro proprio ictu, pleroſque deluſerit aduerſarij. Quater concurſum eſt: prima lanceæ in caſſidem vibratione, plumas capitis tanquàm alas victoriæ ſuſtulit: altero, in ſiniſtrum pectoris latus ictu detorto, lancea (quod palmarium habent) in varias diminuta partes, abſceſſit: tertio impetu bipennis in caſſide retorta cladem accepit: vltimo, altera Regis lancea, excepta Zanzelli circulari clypeo, nouo victoriæ argumento, media diſſilijt, vires, artemque egregiè teſtata. Nemo erat, qui ex præclaris initijs, futurarum rerum momenta non ponderaret. In hoc vno culpabilis, quod aulicis nimium indulgeret, & quod ſua virtute, & indole acquireret, aliorum culpa amitteret. Duo erant lapides offenſionis, *nimia Belgarum in aula frequentia*, & *Ferdinandi fratris contemptus*. Prioris erat argumentum, Tholoſanus Archiepiſcopatus *Croyo* datus, excluſo *Ferdinandi* regio principe licet ex diſpari matre,

XX. *Ferdinādus Carolo ſuſpectus.*

XXI. *Carolum Hiſpaniā attigit.*

Sal. Ann. 1517.

XXII. *Ximenius à gubernatione reiectus.*

Moritur.

XXIII. *Croyus donatur Archiep. Tolet.*

An. 1518. XXIV. *Carolus coronatur in Hiſpania.*

XXV. *Ludos vincit equeſtres.*

XXVI. *Aulicis nimium indulget.*

Alphonſo

Sal. Ann. 1518. *Alphonſo* laudatiſſimo præſule, in gratiam hominis, qui Hiſpanorum flagrabat inuidia, quemque iccircò *Ferdinandus Catholicus*, in *Caroli* regnaturi inſtitutione, ab aula ſubmouendum eſſe decreuerat. *Ferdinandum* verò, quòd vtrumque Solem idem capere Cœlum haud poſſet, auferendum hunc ſibi ex oculis quamprimùm dolebant. *Croyus* vt ipſi *Ferdinando* deſiderium migrandi ingereret, ad

XXVII. *Ferdinandus deſpicitur.* ſeruiendum quandoque *carolo* impellebat. Nam accumbenti ad menſam, inter miniſtros adſiſtere iuſſit, & aquam manibus affundere; vt *Carolus* pij, obſequentiſque fratris ingeniũ miratus, indoluiſſe feratur, quòd ad illa ſe officia demitteret, vnde de eodẽ quátocyus ſeparando conſilia admiſerit, auctore *Burano* Comite *Croy* æmulo. Diſceſſus cauſa,

XXVIII. *In Germaniã dimittitur.* *Maximiliani* Imperatoris erga nepotem deſiderium, ſeniumque morti vicinum, puero & Hiſpanis expoſitum non iniqua viſa eſt. Cum eo plurimi remiſſi ſunt Belgæ, vt indigenis in aulam daretur aditus, & animi placarentur Hiſpani. Nec otioſus interea in Hiſpania *Carolus*, vt maior eſſet apud Hiſpanos *Hadriani* auctoritas, per *Maximilianum* Cardinalitium illi pileum à *Leone* obtinuerat, perque vrbes regni profectus, fidelitatis iuramentum excepit. Mauri ad Oranum rursùs occupandum collecti, inſignem ſub *Caroli* auſpicijs cladem acceperant. Interim *Maximilianus* cum in Auguſtanis comitijs de *Carolo* nepote ſibi ſubrogando proceres ſollicitaſſet, *Franciſcus* Galliarum Rex & ipſe imperij coronæ inhiando, occultis, apertiſq. conſilijs obniſus, multa (ſi admitteretur) aduerſus Turcas, hoſteſque Romani Imperij pollicebatur, obtinuitque facilè à Septemviris, ſuæ hanc electionem libertatis vendicantibus, ne quæ demum familia in ius ſucceſſionis veniat, vt preces *Maximiliani* de *Carolo* reiectæ fuerint. Hinc æmulatio inter *Carolum* & *Franciſcum* gliſcere cæpit non læui totius Europæ conturbatione, hæreſium, Turcarumque incremento.

Sal. Ann. 1519.

Hadrianus fit Cardinalis.

XXIX. *Carolus et Franciſc. Rex Gallorũ æmuli.*

CAROLVS V. ELIGITVR IMPERATOR. Anno 1519.

XXX. VVlgata *Maximiliani* mors difficiliorem Imperatoris deſignationem reddidit: eam enim dignitatem prenſabant *Franciſcus* Galliæ, ac *Carolus* Hiſpaniæ Reges: ſed ita ambiebant, vt in vtroque moderatio ſumma laudaretur. Non enim contumelijs, vel belli comminatione, ſed ſola auctoritate freti Septemviros ad ſe pertrahere tentabant. Celebratur & illud à *Franciſco* da-

Galli reſponſum. tum *Caroli* legatis reſponſum; *vtrique laudi eſſe eam ambire dignitatem, qua eorum maiores ſe ſc illuſtriores reddidiſſent: neque idcirco eorum amicitiam debere diſſolui, non ſecus ac ſi duo ingenui adoleſcentes ſua induſtria, nullis malis artibus adhibitis eandem virginem ambiant. Si prudentes ſunt, qui minus placuit, ad arma confugere non debet: permittere potius, vt qui felicior fuit, ſine inuidia ſua felicitate potiatur.*

Quandam tamen prærogatiuam ſibi ven-

Spes Caroli. dicabat *Carolus*, quod maiores ſui *Albertus II. Fridericus III.*; *Maximilianus* continua ſucceſſione imperium tenuiſſent. Mos etiã inoleuerat, vt Imperatorum filij, niſi minùs idonei viderentur, locum occuparent parentum. At in tota Germania, qui tantam molem ſuſtineat, ſecum neminem conferendum: neq. vero ſe adduci poſſe, vt Septemviri ad alienos, præſertim ad Gallum Germanorum ſemper hoſtem, Germanicum transferant imperium, ad Germanos nunquàm fortaſſe rediturum: quod igitur auus *Maximilianus* cæperat, qui iam de donatiuo cum ſingulis Septemviris conuenerat, id ſe facile perfecturum ſperabat.

Ex aduerſo *Franciſco* recentes per Italiam victoriæ, regnum opulentum, promptæ largitionibus opes, Pontificis fauor, mirum Regis ingenium ſpes ingentes fecerant. Venetos ſuarum habebat partium perſuaſos, nulla faciliùs arte reprimendos Turcas, in quos *Frãciſcus* iunctas regni, imperijque vires polliceretur, qua ſane armorum conſpiratione nihil viſum eſt per Europam potentius; ſi quidem florentiſſimum à maioribus acceperat Galliæ regnum, quod Anglis Normannia, Belgarum populis Burgundia eiectis, Ciſalpina Gallia per Inſubriam explicata, tanto ſenſim excreuerat robore, vt cætera Europæ regna facile excelleret. Huic ſi Romanum adiungeretur imperium, haud difficilis futura erat Italiæ totius acceſſio, vellent nollentve inco- XXXI.

Spes Frãciſci.

Sal. Ann. 1519. incolæ. Poſtremum hoc fuit, quod *Franciſco* forſam imperium eripuit. Quantum enim ſpes debellandi Turcas Pontificē *Franciſco* inclinauerat, tantum hæc cogitatio retardabat. Ipſi hæſitabant Electores, ne ſi Gallico ſceptro coniungerent imperium, Germanorum circumſcriberent libertatem. Pontifex dubius cui hæreret parti, legatos iuſſit palam fauere *Franciſco*, literas tamen Septemviris ea moderatione dedit, vt magis officij quemque ſui admoneret, quàm priuatæ beneuolentiæ. Ad Heluetios miſerat Gallus, eoſque vt ſe imperij candidatum ſua

XX XIII. *Heluetios ſollicitat Gallus.* commendatione, vt apud Leonem Pontificem, & apud Septemviros iuuarent, impenſe rogarat. Heluetij *fœdere cum Gallis nuper inito ſe Romanum Pontificem, Imperiumque excepiſſe* reſponderunt: *pertinere ad imperij maieſtatem, Germanicamque libertatem, vt Septemviri liberè quem velint, Imperatorem deſignent; ſe nullis ſuis interpellationibus libera eorum ſuffragia turbaturos*. Vicinum namque *Franciſcum*, cuius vires non ita dudum magno ſuo malo experti erant; neque *Carolum*, quòd multas Auſtriacæ familiæ vrbes occupaſſent, aliquem potius è Germanis principibus deligi volebant: quòd ſi alterum è duobus eligi neceſſe eſſet, *Carolum* anteferri malebant, cuius regna longis ſeparata interuallis non eas vires, quas vnica Gallia, ſuppeditare poſſe videbantur. Ideo ad *Leonem*, & Septemviros ſe Germanicam libertatē haud violaturos ſcripſerunt: nominatim ne *Franciſcum* Imperatorem deſignarent. De *Carolo* nullam mentionem fecerunt; *Leoni* denuntiarunt, Gallum, ſi imperator deligatur, ingentium bellorum auctorem futurum, neque Italiæ auxilio venturum, neque aduersùs Turcas moturum. Hæc deterrere *Franciſcum* haud poterant, qui *Treuirenſem Antiſtitem* in ſuas traduxerat partes. *Brandeburgicus* etiam Marchio Gallum colebat; Hic, vt fratrem *Moguntinum* in comitijs anteſignanum ad ſuum propoſitum inflecteret, ſtudioſè allaborabat, quorum authoritati Bohemiæ Regis ſuffragia acceſſura credebantur. Pleriq. tamen Germanorum tanto Gallum auerſabantur ſtudio, quanto libertatem ſuam amore proſequebantur; cui vnà cum alienigena imperatore compedes inijci credebant. Quocirca armis ſe ſe contra eorum vim inſtruebant. Neque ſegnis rerum ſuarum *Franciſcus* ferreis non minùs, quàm argenteis haſtis pugnaturus erat, ſi res armis decernenda fuiſſet. Præcurrit tamen *Carolus*, ſubmiſſumque ex Belgio militem, haud procul Francofurto iuſſit conſiſtere, ne vis Septemviris inferretur, prohibiturus: vnde perterritus *Brandeburgenſis* ſe de imperio ad Gallos transferendo cogitare haud fateri auſus eſt. Indixerat eius frater *Albertus Moguntinus* Septemvir Francofurtum comitia. Adfuere Electores omnes ante XVI. Cal. Iul. in æde D. Bartholomæi, electorali inſignes trabea, poſt imploratum ſolemni ſacrificio Numinis fauorem, omnes fidem dederunt: *nihil ſacris imperij legibus, quas Aurea Bulla complectitur, ab ſe derogatum iri*. Et ne religio deeſſet, ad aram Sacramento firmata ſunt. Ab ara ad ſacrarium baſilicæ, itur. Vbi ad Septemviros Moguntinus Princeps de conſenſione virorum Principum ad imperij dignitatem tuendam, recteque transferendam luculenter, tantoque plauſu diſſeruit, vt Electores facta ſeceſſione à loco concilij, auctore *Friderico III*. Saxoniæ ſummo quiſque ſtudio id ſe acturum polliceretur, ne ſuffragatione ſua pertinaciter diſcreparet, nec alium habiturus Cæſarem, niſi qui omnium conſenſu electus foret.

Sal. Ann. 1519. XXX IV. *Carolus milite ſuo fautores ſubleuat.*

Comitia Francofurti.

Legatum poſtea audire decreuere Pontificis, qui poſt imprecatam Principibus ſalutem, & oblatam Apoſtolicam benedictionem, tria propoſuit.

Primò, Principes hortando & animando, vt in ſtatu iam fluctuantis Reipub. Christianæ de optimo Principe, Rege Romanorum in Imperatorem eligendo cogitare vellent, qui auctoritate, potentia, rerum gerendarum pericia valeret, & in omnibus optimum Ducem, optimum Senatorem præ ſe ferat. XXXV.

Secundò, vt Regem Neapolitanum, cuius Regni proprietas ad Eccleſiam Romanam ſpectat, nullo pacto in Romanorum Regem eligant, obſtante ſibi defectu inhabilitatis & ineligibilitatis ex conſtitutione Clementis Quarti, id quod plurimis fortiſſimis argumentis & efficaciſſimis rationibus, clariſſimis exemplis comprobauit, quæ omnia repetere longum eſſet.

Tertiò, quia ſpecialiter, immò indiuidualiter

Sal. Ann. 1519. dualiter ſententia Sanctiſſimi Domini noſtri Principibus eſt enodata, petit Legatus, vt ſimiliter, clarè, expreſsè & indiuidualiter reſponſum certum, clarum, non inuolucrum aut ambiguum per affirmationem vel denegationem, & per Principes etiam non collegialiter congregatos detur, vt S. D. N. certiorari de eorum voluntate poſſit. Sal. Ann. 1519.

RESPONSVM PRINCIPVM ELECTORVM.

REuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principes hic congregati ob cauſas vrgentiſſimas & hoſtiles motus reprimendos, qui in territorijs & dominijs poſt iam vacans Imperium emerſerunt, & vt peiora emergant in dies verentes, huc Vveſaliam conuenerunt: de futuro autem Romanorum Rege eligendo in nullo ſolliciti. Quare ad petita Reuerendæ Dominationis ſuæ reſponſum dare non poſſunt. Sed ſibi Reuerend. Dominatio ſua & omnium proximus Sanctiſſimus Dominus noſter Leo Pontifex Maximus perſuadeant indubitatiſſimè, quod vbi ad Romanorum Regis electionem per Reuerendiſſimas & Illuſtriſſimas Dominationes eorum proceſſum fuerit, eos tunc eum in Regem electuros, qui ſit gloriæ & honori Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, vtilitati & emolumento Reipublicæ Chriſtianæ, incremento ſacro Romano Imperio, hoſtibus Chriſtiani nominis formidini, & omni poſteritati futurus admirabilis.

Mirantur non minus Principes Electores, S. D. N. inſtitutum, id quod æuo noſtro electionum temporibus ab aliquo Romanorum Pontificum auditum eſt numquam, maximè hoc modo propoſitum, vt Electoribus legem præſcribat, iubeat, vetet. Sperant Beatitudinem ſuam aliàs clementiſſimam, futuram illam Romanorum Regis electionem boni æquique conſulturam.

Interea *Caroli* Regis legati Moguntiam, *Franciſci* Confluentiam attigerunt. Vtrique per literas diuerſis argumentis prò ſuo quiſq. Rege ad Septemviros contendentes.

GALLORVM ORATIO AD SEPTEMVIROS.

XXXVI. *REuerendiſſimi Illuſtriſſimique Domini, ac Potentiſſimi Principes, ſacri Romani Imperij oculatiſſimi, ac ſapientiſſimi Electores, poſt ſummiſſam humilemque commendationem ac Salutem, Ioannes Dalbret Drocorum Comes, Dominus aureæ vallis, Guilhelmus Genfier, Dominus de Bonepet, aurati equites Chriſtianiſſimi Francorum Regis ordinis, & Carolus Guillart, præſes Senatus Pariſienſis, ipſius Chriſtianiſſimi Regis Oratores, ab eodem prouinciam expreſſumque mandatum ſuperioribus diebus acceperunt commonefaciendarum cum omni reuerentia, ac debita veneratione Reuerendiſſimarum, ac Illuſtriſſimarum dominationum veſtrarum, earundemque ſuppliciter obſecrandarum, atque obteſtandarum, ſuper quibuſdam rebus, quæ ad communem Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem, honorem, gloriam, ac libertatem ſacri Romani Imperij videntur imprimis pertinere. Cum itaque exploratum habeant ſibi facultatem ſuppetere non poſſe conueniendi Reuerendiſſimas excellentiſſimaſque dominationes veſtras, & ijſdem in publico ac celebri omnium veſtrum conſeſſu (quemadmodum & ſperauerunt & vehementer optarunt) publica oratione congrediendi. Idcirco rogant, ſupplicant, obteſtantur, vt tam ob reuerentiam, atque honorem ipſius Chriſtianiſſimi Regis, quam ſuſcepti muneris, ac demandatæ ſibi prouinciæ executionem ſinere velitis, immo ſi opus fuerit iubere in auſpicatiſſimo atque fœliciſſimo veſtro conuentu ita perlegi haſce admonitiunculas breui oratione contentas, vt omnibus audire liceat, ac liquide intelligere quæcunque in ipſis comprehenduntur. Eas nimirum præfati orationes ad Reuerendiſſimas excellentiſſimas dominationes veſtras mittendas eſſe operæpretium duxerunt, & cum omni humilitate, impenſaque vobis debite reuerentia, legendas offerre. Quas ſi liberali atque ingenuo vultu, pro inſita vobis incredibili, ac prope diuina bonitate atque facultate admittitis, rem plane feceritis & omnium ſententia, iudicioque probandam, & tam grauium tamque excellentium Principum gloriæ & decori imprimis conſentaneam. Reuerendiſſimi excellentiſſimi Principes ac Domini Deus Optimus Maximus vobis, ac ſecundis rebus veſtris benigniſſime fœliciſſimeque fauere dignetur, eaſdemque ſemper tueri. Ex Confluentia quinta Iunij.*

Reue-

Sal. Ann. 1519. Reuerendiſſimarum excellentiſſimarumque ac potentiſſimarum dominationum veſtrarum obſequentiſſimi atque humiles obſeruatores, Chriſtianiſſimi Francorum Regis Oratores ac Legati.

QVanto maiores noſtri conſilio, quanta in rebus gerendis prouidentia excelluerint, quantam ſubſequentium longo tractu ſaeculorum, vacaturaeque poſteritatis rationem habuerint, vel hoc vno liquidiſſime vobis compertum eſſe reor Reuerẽdiſſimi Illuſtriſſimi Domini Excellentiſſimi ac potentiſſimi Principes, quod ſublata omni diſcordiarum ſeditionumque occaſione, pacatum ac tranquillum, pro viribus ſuis, Chriſtianae Reipublicae ſtatum relinquere curauerunt. Nunquam ſane auſpicatius, nunquam fortunatius, nunquam melius, fœliciuſue conſultum, proſpectumque fuiſſe Auguſtiſſimae Imperatoriae maieſtatis Culmini animaduertimus, quam vbi deligendi creandique Romani Regis, ac ſubinde Imperatoris poteſtas atque auctoritas, omnium Principum Chriſtianorum conſenſu, vobis Septemviris Principibus credita eſt. Nunquam enim caedes immenſae, nũquam atrociſſimae ſtrages, orbi vniuerſo defuerunt, quamdiu inter procellas militares, turbineſque bellicos, exercitui licuit Imperatorem deſignare, qui ſaepenumero, quem nuper, vt ſibi iucundiſſimum atque gratiſſimum concordi ſuffragio delegerat, mox facto impetu irruens, maximo fauore, in acerbiſſima odia, leuiſſimis plerunque ex cauſis repente commutato, trucidare non verebatur. Sic Sergius Galba, ſic Otto, ſic Aulus Vitellius, ſic Alexander, ſic plerique alij Rom. Principes atque Imperatores, partim à ſuis, partim ab aduerſariorum militibus truculentiſsime caeſi, non ſine magno totius Imperij dedecore, atque iactura occubuerunt. Cum itaque non ſit conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia, ſapientiſsime cautum fuit ſuperioribus ſaeculis, vt Septemvirorum reato res ad paucos integritate, ſapientia, omni denique virtute inſignes deuolueretur, qui meritis ac virtutibus iuſtiſsimo ac rectiſsimo prudentiae ſuae examine, accuratiſsime circumſpectiſsimeque appenſis, & pace, & bello, idoneum ex omnibus Principem deſignarent. Vos inquam ſeptem Principes, qui veluti ſeptem triones in cœlo, reliquas ſplendore atque ordine ſtellas antecedunt, ita vos in terris auctoritate, potentia, viribus, conſilio, generoſitate, ſapientia, non modo Germaniae, ſed aliarum quoque gentium proceribus, ac Principibus praelucetis. Nec in hoc munere deſignandi Imperatoris vobis propediem obeundo, ex animorum veſtrorum candore, ac generoſitate, vos quicquam admiſſuros plane intueor, quo maxima de vobis apud omnes populos, ac caeteros orbis terrarum Principes, integritas aeſtimatioque minuatur. Grandem ſane prouinciam, ac prope viribus imparem mihi ſuſcepiſſe videor, qui in tantum conſeſſum magnis de rebus verba facturus prodij. Caeterum quia veritatis oratio ſoluta eſſe debet ac libera, perpauca de huiuſmodi rebus eloquar, quae nec à veritate abhorrere, nec forſitan iniucunda vobis fore perſpexero. Non ſolum Reuerendiſsimi Dom. Illuſtriſsimi Excellentiſsimi Principes, Chriſtianitas, quae Europae ſinu ambituque clauditur, ſed Aphrica & Aſia tota, vniuerſuſque terrarum orbis, ac penitiſsimae illius nationes, gentes, populi, in vos conuerſi, tanquam in ſublimi quadam arce atque ſpecula conſtitutos, intentis oculis, arrectiſque auribus adſtant, circumluſtrantes ac explorantes, cui tantam rerum molem, cui totius orbis habenas ſitis credituri, quem tantae dignitati, tantiſque adminiſtrationibus praefecturi. Tantopereque de veſtra omnes integritate, virtute, conſtantia ſingulari confidunt, vt illum haud dubie vos augurentur Romanum Regem deſignaturos, qui inter idoneos ſit maxime idoneus, quique virtute ac fortuna caeteros omnes antecellat. Quae ſane duo, ad res ſplendide fortiterque gerendas, non tam commoda, quam neceſſaria eſſe videntur. Virtus ſuis ipſa viribus contenta, ex ſe quidem ſola quamplurimum, fortuna ſine virtute imbecilla, parum admodum ac propemodum nihil poteſt. Altera vero alterius ope ſic adiuuatur, vt coniuncta, arduiſsima quaeque non modo aggredi, ſed & facile perficere queant. Porro ſi recti animi, ſyncerique iudicij perpendiculo rem ipſam demetimur, etiã rationis, non affectionis examine ſtateraque vti volumus, nemo tam ſocors, tamque à communi (vt aiunt) ſenſu alienus qui non plane videat Chriſtianiſsimum Regem Franciſcum, caeteris tam fortuna, quam virtute eximia praeſtare, nullumque eſſe penitus, qui tam expedite, tam efficaciter, quam ipſe poſsit, vel nutabundum ac ruinae proximum Imperium ſuis viribus fulcire, vel ſocordia incuriaque maiorum iam lapſum Sal. Ann. 1519.

Sal. Ann. 1519. *lapſum erigere, vel ipſius maieſtatem ſublimitatemque depreſſam, in priſtinam auctoritatem gloriamque reſtituere. De cuius regis fortuna, viribus, potentia, quid nunc attinet dicere? quū vos ipſi ſatis ſuperque exploratū habeatis, quantas militum copias, quantos exercitus, ſuis ipſe ſumptibus alere conſueuerit, veſtire, amare, ac plerunq. ſocios viribus hoſtium laceſſitos, armis, viris, equis, commeatibus iuuare, eiſdemque quam celerrime opitulari. Iam vero virtuti ipſius quæ poteſt facundia, quæ oratio, par inueniri? Quomodo hac obſecro tempeſtate inter Principes orbis terrarum reperias, qui ſit ætate, viribus, ingenio, potentia, opibus, ſtrenuitate, diligentia, cum eo conferendus? Aut in quo tot eximiæ dotes, atq. ornamenta Imperatoriæ dignitati excellentiæq. conſentanea inueniantur? Nullas profecto res ei deeſſe conſtat, quas ille Oratorum Princeps Tullius optimo cuique Imperatori neceſſarias eſſe profitetur, Scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, fęlicitatem. Quanta enim eſt illius in tolerandis ſudoribus, algoribuſque tam diurnis quam nocturnis patientia? Quanta in aggrediendis periculis, quamq. intrepida virtus? Huius nimirum fortitudinem, robur, potentiam, ferocientes Heluetij, ab hinc paulo plus triennium apud Inſubres, collatis, ex improuiſo ſignis, non tam cognouere, quam admirati ſunt. Qui incautum adoriri, & cum exercitu per inſidias opprimerere ſtudentes, ab eodem paucis admodum captis ac diffugientibus, magna vi atque incredibili virtute oppreſſi fuere. Nec tamen in ſtragis reliquias (quod perfacile poterat) deſæuire, graſſarique perrexit. Sed ea humanitate atque clementia vſus eſt, ut difficile dictu ſit, vtrum hoſtes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Nec facile diſcernas, belli an pacis artibus melior. Quis eſt enim mortalium uel in compenſandis præmiandiſque militum laboribus, amicorumque obſequijs, munificentior ac largior? Quis in conciliianda externorum Principum beneuolentia fœlicior? in eaque retinenda conſtantior, magiſque perſeuerans? Perpauci admodum Principes ſunt, qui cum eo uel iamdudum amicitiam non inierint, uel inire cupidiſſime non expetierint. Neminem plane veſtrum ignorare arbitror, qpanto ipſum honore, quanta magnificentia Leo P. M. annis ſuperioribus in Bononiam, alterni colloquij gratia admiſerit, quantis muneribus, obſequijs, gratificationibus, cum eodem tunc Veneti certauerint. Cui ſeſe ſuaque ita deuouerunt, vt nihil ſit tam arduum, tamque difficile, quod non eius cauſa parati ſint aggredi, atque efficere. Qua demum fati benignitate, qua fęlicitate factum fuiſſe putatis, vt Rex Anglus, ſuperiore autumno, ex hoſte pernicioſiſſimo, ſocius officioſiſſimus, ex inimico infeſtiſſimo, ſuauiſſimus amicus, hoc animo, hac lege effectus ſit, vt patriam, opes, liberos, ſalutem denique propriam, regijs obſequijs perpetuo addixerit? Singulis ſingula horum ſuppetere & partim adeſſe videas, in hoc vno affactim cumulateque cuncta coire maniſeſtiſſime iudices. Quiſnam igitur dubitare poſſet, huiuſmodi Principē maxime, ac præter cęteros idoneum ad ſuſcipienda Imperatoriæ dignitatis moderamina, quæ tametſi non poſceret, quin potius reſpueret ac refugeret oblata, ob tam præclaras tamen eius dotes ad ea ſuſcipienda, plæriſq. alijs eadem ſibi committi efflagitantibus, à vobis Reuerendiſſimi Excellentiſſimi Principes exhortandus compellanduſque veniret, ac demum reluctans, obnitenſque ad Imperatorium faſtigium protrahendus. Ad quod efficiendum & quam ocyſſime præſtandum, ſi non ſua ipſius varia vos, multiplexque virtus allicit ac permouet, inuitet ſaltem. Tum vero id faciendum eſſe vobis perſuadent grauiſſima diſcrimina, religioni Chriſtianæ impendentia, quibus (niſi mature occurritur) omnia protinus peſſum itura ſunt. Animaduertite quæſo penſiculatius, & ante oculos veſtros paulo accuratius proponite velociſſimam, truculentiſſimamque Turcarum rabiem atque inſaniam, qui non contenti Aſiam quam maximam, eandemque florentiſſimam, & opulentiſſimam orbis terrarum partem nepharijs, atque ſpurciſſimis legibus ſuis iampridem ſubdidiſſe. Nihil hactenus à ſe actum arbitranrur, niſi Europam (cuius iam ſuperioribus annis bonam partem occuparunt) & totius Chriſtianiſmi regna, prouincias, agros, ciuitates, oppida, non modo ſpoliare ac diuexare, ſed etiam ferro ac flammis paſſim vaſtare, fœdiſſimeque depopulari pergant. Et quod eſt longe omnium miſerrimum atque calamitoſiſſimum, Chriſtianam religionem funditus euertere, ſuinamque ac Belluinam introducere moliuntur. Quis à vera religione? quis à pietate & diuino cultu tam auerſus? quis tam clementiæ? quis tam humanitatis expers? cui*

Sal.Ann. 1519. *cum hæc tam atrocia in mentem venerint, non ſolum non commoueatur animo, ſed etiam non toto corpore perhorreſcat. Non eſt opus rei atrocitatem, quam fœdiſſime in pleraque Chriſtianorum oppida atque vrbes, effrænata Mahumetum licentia, inſanaque cupiditas exercet, pluribus explicare, aut oculis veſtris ſubijcere, cum vos ipſi & à Summo nonnunquam Pontifice, & à pleriſque alijs frequenter ſuper his fueritis commonefacti. Quibus ſane periculis quis vel celerius obuiam ire, vel tantos furoris incurſus potentius, efficaciuſve, quam Rex ipſe Francus repellere coercereque poteſt? Nemo Reuerendiſſimi ampliſſimique Principes in medijs fluctibus, atque procellis (niſi mentis inops) iam imminente naufragij periculo, gubernatorem nauigationis ignarum eligendum, & gubernandæ naui præficiendum cenſet. Nemo quum pleno Marte dimicandum eſt, & iam inſtructa acie congrediendum, quempiam ſcientiæ militaris imperitum (ni modo deſipiat) in ducem exercitus optandum, aſſumendumve arbitratur. Viderunt cæteri quid in quaque re diligenter cogitandum faciendumq; ſit. Ego (ſic me Deus iuuet) nunquam mihi perſuadere potui, vt vos magna prudentia, magno conſilio, maxima experientia Princeps quandoque ſummam rerum cogitaueritis eius manibus venire tradendam, qui non fortunæ ac naturæ commodis, atque animi dotibus omnes antecellens, optimi ſemper Imperatoris munia fœliciſſime præſtare poſſit. Nec vobis præterea Reuerendiſſimi Illuſtriſſimi Principes cæteriſque Germaniæ proceribus nouum, atq. cuiquam inauditum eſſe debet, aliquot olim Reges Francos non minore populi Germanici, quam ſua ipſorum & fœlicitate, & gloria adminiſtrando ſacro Imperio præfuiſſe, qui Germaniam templis, cœnobijs, & tam publicis, quam priuatis ædificijs decorare, varijſque ac pretioſis muneribus locupletare ſtuduerunt. Quæ cum vulgo protrita ſint, ac prope omnibus peruia, ea conſulto præterire volui, ne illorum inculcatione moleſtiam vobis afferre viderer. Hoc vnum tamen nequaquam præterierim, Franciſcum Regem, ſi Deo Optimi Maximi, ac veſtro munere Imperij dignitatem adipiſcitur, à maiorum ſuorum præſtantia virtuteque minime degeneraturum. Qui non modo illam æmulari, verum etiam (ſi qua fata ſinunt) vincere contendet, dabitque enixiſſime operam, ut neque in eo (ſuperis adiuuantibus) Auguſti fœlicitas, neque Titi humanitas, neque bonitas Neruæ, Traiani probitas atque iuſtitia, Conſtantini religio, Theodoſij pietas, Caroli cognomento magni rerum fortiter magnificeque geſtarum gloria, incredibiliſque liberalitas atque magnificentia ab aliquo deſideretur. Non vtique ignorat mores, naturamque Germanici populi, qui eſt libertatis ſuæ appetentiſſimus eiuſque tuendæ ac retinendæ ſtudioſiſſimus atque acerrimus vindex. Tam profecto aberit ut eam minuat, profliget, eripiat, ut uel eandem ſemper augere ampliorem que reddere conetur. Eo circa non ſolum Germanicæ libertatis aſſertor erit ac propagator, uerum etiam ſubditos omneis regia ſemper benignitate fouebit, & paterna quadam indulgentia ita complectetur, ut omnes aliquando Germani fœliciſſimum illum ſibi diem iudicent illuxiſſe, quo non tam humanis ſuffragijs, quam diuina quadam ſorte tantum Imperatorem, ac patrem patriæ nacti fuerint. Nec ſane quicquam eſt, quod Germani Francorum amicitiam, coniunctionemque uel reſpuere debeant, uel auerſari, qui & natura, & conſuetudine, & diſciplina ſunt omnium mortalium leniſſimi atque mitiſſimi, qui ſe quoque Germanis & hoſpitaliſſimos ſemper exhibuerunt, & amiciſſimos, ſi quando negotiationis, vel commercij cauſa peregrinantes ad illos diuerterunt. Quinetiam Germanorum, Francorumque unam olim fuiſſe Rempublicam, alteroſque ab alteris mutuam traxiſſe originem, & antiquitates veſtræ teſtantur, & nomina quondam ueſtris vrbibus indita, quæ in hodiernum uſque diem ſuperſunt, manifeſtiſſime indicant. Hinc Franconia antiquiſſima florentiſsimaque prouincia. Hinc Francofordia de Francorum nomine appellata, celeberrimum totius Germaniæ emporium, oppidumque & nobiliſſimum & auguſtiſſimum. Multoque iam & nobilius, & auguſtius ex tantorum Principum, et procerum glorioſiſſimo fœliciſſimoque conuentu, deſignandi eligendiq; Romani Regis gratia facto. Proinde Reuerendiſſimi ampliſſimique Domini Illuſtriſſimi ac potentiſſimi Principes, ſi humanis rebus, ſi communi omnium ſaluti conſultum eſſe vultis, ſi imminentia Chriſtianæ pietati diſcrimina penitus amoliri, ſi honorem veſtrum, decus, amplitudinem, famam, gloriam, tueri, conſeruare cumulareque* Ann.Sal. 1519.

expe-

Sal. Ann. 1519. *expetitis, & in poſteritatem tranſmittere. Si Imperij fines, atque ditionem propagari, ſi optimo cuique morem gerere, atque gratificari percupitis, quod auſpicatum, beatum, bonum, fauſtum, fœlixque ſit & vobis, & vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ, Chriſtianiſs. Regem* Franciſcum, *Regem Romanum deſignate, conſalutandumque Imperatorem communi ſuffragio decernite. Veſtra porro laus, neque tenuis, neque obſcura erit. Hoc ciuitates, hoc populi, hoc Principes (paucis forſitan exceptis) non loquuntur modo, verum etiam perſonant* Franciſcum *Regem dignum eſſe Imperio, & ita dignum, vt nullus eo dignior hac tempeſtate reperiatur. Nihil vtique ab eo immaturum, nihil properum, nihil aſperum formidandum eſt. Omnia ſeria, cuncta grauia, & quaſi ipſa Reſpublic. iubeat auguranda ſunt. Curabit, enitetur, efficiet ne vobis deſint & fortia facta, & ſaltem vobis atque Imperatore digna conſilia. Bonam partem rerum geret ex conſilio & ſententia veſtra.* Sal. Ann. 1519. *Nec eum alioqui immutatura eſt fortunæ amplitudo, niſi vt prodeſſe tantum poſſit, ac vult vobis. Ac populo Germanico proſpiciet, & veluti præſens ac tutelare quoddam numen, ab omni periculo tueri liberareque conabitur. Sua perficiet opera, viribus, conſilio, diligentia, vt nihil vnquam à vobis geſtum fuiſſe auſpicatius, glorioſius, fœlicius mox intelligetis, quam eum Regem Romanum deſignaſſe. Qui omni cura, ſtudio, induſtria elaboraturus eſt, vt tutam omni ex parte, ac tranquillam fortunam cum populis atque ciuitatibus veſtris fœliciſſime trahatis. Vt veſtram denique, ac veſtrorum ſalutem ſuo ipſius ac proprij capitis diſcrimine liberam ab omni aſſultu pernicieque hoſtili proſpere & fœliciter tueatur. Nonis Iunij. M. D. XIX.*

ORATIO HERMANI NVENARII PRO CAROLO.

XXXVII *SI de Imperij Maieſtate, de gloria, de honore concertantibus, aliena laudatione vehementer opus eſſe perſpicerem, O Illuſtriſ. atque potentiſſimi Germaniæ Principes, ac Rom. Imperij Electores, profecto omnem meam induſtriam, omnes ingenij vires ad hoc iamdudum contuliſſem, vt accumulatis & congeſtis vndiquaque laudibus,* Carolum *inuictiſſimum Hiſpaniarum Regem, à me diligenter vobis commendatum ſciretis. Non enim adeo omnem prorſus dicendi rationem à nobis alienam eſſe putamus, vt, ſi de* Carolo *Rege dicendum ſit, aut defuturas nobis res, aut verba metuere poſſimus. Quo circa vos obnixe rogo Principes Illuſtriſ. ut adoleſcentiæ noſtræ aliquid concedatis, ſimulque illud, quidquid eſt à me commiſſum apud uos audacius forte quam iſta ætas, & conditio mea tulerit, id ipſum meo in patriam ſummo adfectui, & ſingulari erga* Carolum *Regem, illiuſque diuinas virtutes amori condonetis. Quis enim non optimo iure ſuccenſeat, laudari cernens apud uos ſummo cum artificio, ac præferri eos, qui nihil vnquam in uos beneficij cōtulerunt? Illũ uero, cuius extant in uos pulcherrima, atq. præclariſſima ſtudia, paſſim contortis, obliquiſque dictis traduci? Cum hunc potiſſimũ uobis commendari, ac à vobis vnice & coli, & obſeruari oportuit. Nam quem hoc tempore in tota Aſia, aut Europa regnare creditis, tanto popularium conſenſu, tanto complauſu omnium nationum, tanta cum imperij & dignitate, & amplitudine? Aut quem in toto orbe terrarum Regem eſſe exiſtimatis, de quo uel materia amplior, vel hiſtoria ad immortalem gloriam excitandam copioſior ſuppetat? quamque nec æmulus extenuare, nec orator ſua eloquentia magnificare poſſit? Nos autem longe diuerſum ab his ſentimus, qui decorem Principis in laudatione conſtituunt. Immo maxime indecorum reputamus, ſi quis exquiſitis rhetorum floſculis, ſe id conſequuturum ſperet, quod non niſi excellentiſſimis virtutibus, & clariſſimis ingenijs, peruium ſemper patuit. Namque illos maxima laude, veraque gloria excellere ducimus, quos non eloquentiam rhetorum, non conflata ab oratoribus præconia commendarunt, verum quos egregia facinora, & eximiæ res geſtæ apud mortales extollunt, atque illuſtrant. Hæc eſt veriſſima (vt ille ſummus orator putat) qua ad ſuperos itur via. Hac priſci illi viri fortiſſimi certatim contenderunt, atque in tantum profecerunt, vt illis tum ſæculis immortales honores, diuinoſque cultus meruerint. Eſt & altera via multum etiam ad imperium acquirendum, & retinendum neceſſaria, gratia videlicet, ac fauor Pop. Rom. qui in deligendo Principe, per ſe ſæpe plurimum valuit. Ipſæ enim virtutes, & ſi ſolæ ſatis munitũ ad petēdũ principatũ iter oſtendãt,*

Sal. Ann. 1519. *tamen ſi gratia fulciantur, vix vnquam repulſam habituras exiſtimo. Hæc quoties ipſe mecum memoria repeto, non poſſum non vehementer admiratione Duci, ita, vt perbeatum iudicem* Carolum *Regem, in quo nihil natura neglexerit, quod ad corporis, ac animi fœlicitatem pertineat. In hoc enim adeo conferta, & cumulata ſunt omnia cum corporis, tum animi bona, vt neque priorem agnoſcat, neque admittat parem. Quibus de rebus, ſi ante conſpectum veſtrum plenum & auctoritatis, & grauitatis, ipſe verba facturus eſſem, pertimeſcerem ſane, ne me in ipſo orationis medio curſu, copia rerum obrueret. Atque ita obrueret, vt omnem prorſus recte dicendi modum, confundere neceſſarium fuerit. Mihi vero animus, nunquam fuit Illuſtriſs. Principes, vt* Carolum *Regem (cuius vobis exploratæ ſunt, & compertæ virtutes) apud vos laudare vellem. Neque enim tam ſum excors, vt non intelligam hunc locum, & hæc tempora, aliud longe maius, ac dignius quiddam expoſtulare, id quod à principio & dixi, atque profeſſus ſum. Ac etiam nunc libere & ingenue fateor, non licere cuiquam habere comitiorum eiuſmodi rationem, vt in laudatione cuiuſquam verſari patrum voluntates, ac ſententiam Senatus ab oratoris deliberatione pendere credat, quaſi non magis ad fortia facta, quam egregia, & bona verba ſpectare oporteat. Vnde poſtquam veſtrum iſtud ampliſſimum, ac Illuſtriſſimum collegium, ſeptenaria perfectione abſolutum, diuina prouidentia, ad futuri Romani Regis habenda comitia, Franckefurdium conuocatum eſt, vt vniuerſo orbi Chriſtiano, ſuo capite iamdudum orbato, veluti quendam ſolem terris, adſignare debeat Principem, profecto non eſt, ut dubitare quiſpiam poſſit, quin vobis abunde omnia ſuperfluant, quæ ad abſolutiſſimam ſapientiam, animorum conſtantiam, æquitatemque requiruntur. Ita, ut nullo monitore, quantumuis etiam ingenij, aut eloquentiæ facultate præſtanti, ſed ſola veſtra prudentia freti, cum ſitis Regem Romanum veſtris ſuffragijs declaraturi, quem ad id muneris obeundum, ſufficere cognoueritis. Nec ego ſum uſque adeo perfrictæ frontis, aut proculcati pudoris, ut præſcribere uobis, quem uos eligere debeatis, temere præſumam, aut quenquam ita uobis proponere audeam, ut in eo diligendo, non multo plus veſtris acerrimis iudicijs, quam meæ opinioni concedendum putem. Tametſi multis ſane argumentis, haud obſcure probare poſſum,* Carolum *Regem, omnibus, qui in hunc vſque diem à uobis imperium petierunt, non modo uenire præferendum, uerumetiam competitorum à uobis nullam omnino rationem eſſe habendam. Quidquid enim iſti ſibi utcunque vſurpant, hoc ille ſumma cum æquitate poſſidet. Et ut paucis multa concludam. Solus hic, omnium ante ſe regum fœlicitatem ex æquo ſuperare videtur. Non modo quæ ei è natura inſunt, uel ex induſtria, & exercitatione prouenerunt, uerum etiam hæ quoque res, quæ tantum ex arbitrio fortunæ, ut uulgus putat, ſeu fatorum, ut Philoſophi opinantur, dependent, hæc omnia tam peculiaria habet, ut non ei collata, ſed cum eo nata fuiſſe videantur. Cum hoc ſi optimos quoſque conferre libet, comperietis magnam obſcuritatem clariſſimos alioqui viros, huius ſplendore obiecto, contracturos. Cedat opibus & diuitijs Creſus. Cedat prudentia Philippus, Alexander proſperitate, potentia* Xerxes, *magnanimitate* Laonidas, *liberalitate* Ageſillaus, *gratia* Alcibiades. *Ea propter neminem exiſtimo fore, qui huius auguſtiſſimi imperij molem, tam facile extollere, colapſum uero, ac iam fœdari cœptum, tam potenter reſtaurare, in angulos Germaniæ coarctatum, tam longe lateque propagare poſſit. Quis enim neſciat quantas militum copias, tam pacis, quam belli temporibus paratas ſemper habere conſueuerit? Quantam etiam, & quam numeroſam claſſem, tum in Mediterraneo mari, tum in Occidentali oceano conſtituerit? quibus non magis ſua ac ſociorum regna, quam totam ipſam Chriſtianam Rempublicam ab incurſu barbarorum & hoſtium, ſtrenuiſſime tutatur. Atque hoc ſolo nomine uel maxime commendandus, quod publicam ſalutem, ſuo periculo ſemper anteponendam duxerit. Qua in re quanta modeſtia ac temperantia ſemper uſus ſit, ex hoc conſiderare poteſtis, quod in tanto ſumptu circa curam præſidiorum, & copiarum, nemini incolarum importune moleſtus eſt. Neque ita agit, ut illi, qui paganorum, ac villanorum ſuorum ſudoribus, & ſanguine, militum rapacitatem, libidinem, ingluuiemque quotannis explent, & heu dictu miſerabile, plus ipſi calamitatis, & nocumenti ſuis ſubditis inferunt, quam uel infenſiſſimi hoſtes excogitare, nedum inferre, poſſent. Sed noſter hic, ſine ſuorum iactura, ſine priuatorum* Sal. Ann. 1519.

magno

Ann. Sal. 1519. *magno incommodo, è regijs vectigalibus ſtipendia militibus copioſe ſuppeditat. Satis locupletem ſeſe exiſtimans, ſi ſui penuria, & calamitate non opprimantur, ſatis fœlicem, ſi ſuos ab infœliciſſima tyrannide defendat. Nolo ego hoc loco recenſere egregiam illam corporis habitudinem, ac illa pulcherrima naturæ lineamenta, quæ hunc plane coarguunt vere Germanicum illum ſplendorem referre. Nolo inquam recenſere illa tam vulgata, & ferme protrita, ne veſtris auribus plus iuſto moleſtus fiam, ea inculcans atque in medium proferens, quæ etiam gladiatoribus, & athletis communia ſunt. Tamen hoc vnum breuiter admonere operæpretium eſſe duxi, hanc ſcilicet ætatem, & has vires, quæ huic natura largita eſt, tolerandis ſudoribus, algoribus, vigilijs, alijſque incommodis accommodatiſſimam eſſe. Partim etiam vt uos commonerem impudentiſſimi cuiuſdam hominis, nuper Gallica legatione functi, ad Eburonum ciuitatem prouinciamque, qui, ſiue ex mandato ita dixerit, ſiue Gallicam leuitatem, impudentiamque coercere non potuerit, in huius noſtri Illuſtriſs. & Inuictiſſimi Regis contumeliã, nihil aliud cum adferre potuiſſet homo ſceleratus, auſus eſt ſatis contumelioſe Regulum appellare, ſtatura forte puſillum ſuggillans, quaſi vel id vitium cenſeri poſſit, ſi vere obijciatur, aut mox puſillus ſit, qui non æquauerit corpore cyclopem. Sed faceſſat temerarius homo cum ſua Gallica leuitate, nos ſat magnum eum iudicamus, quem maximi quique maiorem ſeſe fateri coguntur, & ſi idipſum forte inuitiſſimi faciant. Non debet etiam vos commouere, quod toties per cuniculos oppugnatur* Carolus *Rex, quaſi qui nondum fortunæ vices expertus ſit. Illi enim conſtanter adfirmant, imperium decernendum non fore ei, qui belli diſcrimina, & euentus iniquiſſimos, dubioſque lubricæ ſortis nondum ſubierit. Ad quod cum dici permulta & grauiter, & ornate poſſint, ego paucis agere malo, propterea, quod eiuſmodi ſit iſta cauſa, vt nequaquam indigeat accurata defenſione. Quippe, quando eandem poſſumus longe fortius retorquere in eũ, cuius gratia iſta dicuntur. At nos aliena oppugnare non decreuimus, verum noſtra defendere. Idque tam licere cuiuis opinamur, vt nemo ob id læſum ſe iure queri poſſit. Belli ergo fortunam qui ſæpius experti ſunt, eos ad Rempublic. adminiſtrandam aptos eſſe adfirmabimus? Abſit hoc Illuſtriſſimi Principes. Qui enim tum aptiores cenſendi forent, quàm vulgus iſtud perditiſſimorum hominum, quos Germania ad publicam calamitatem heu nimis diu aluit. Nam hoc & calonibus atque lixis, ac etiam proſtitutis illis mulieribus, quæ caſtra ſequuntur, prope peculiare eſt, ita ut aſſidue à fortuna verſentur. Modo victores, modo victi circumambulent. Iam triumphantes, mox in triumphum ducti. Aliquando direptis opibus, exuſtis ciuitatibus, occiſis, aut deſpoliatis habitatoribus opulentiſſimi, mox profligatis prioribus fortunis infœliciſſimi, ac omnium maxime miſerrimi. Hæc iccirco dicere volui, ut ſciatis, huius cauſæ caput, longe nimis imbecillum eſſe, ut etiam ſi aduerſarius verum diceret, propterea ab imperio ſecludi is debeat, in quem illud ſophiſma torquetur. Quis enim vnquam* Alexandro *magno in rebus gerendis fortunatior? Quis* Publio Scipione Africano *& fortior, & melior? Quis Octauiano fœlicior, aut potentior? At hi omnes pueri prope ad imperium admiſſi ſunt, ita, ut nullis antea bellis propter ætatem intereſſe potuerint. Cum imperio enim exercitantur Imperatores, non ſecus quam nos cum noſtris ſtudijs. Quanquam omnino credere non debetis militaris diſciplinæ expertem eſſe eum Regem, cum quo, quicunque ſunt in orbe Chriſtiano egregij, ac famoſi bellatores, familiariſſime conuerſantur. Hijs artibus à puero imbutus eſt, ad eas perdiſcendas non tam ſponte acceſſit, quam vi quadam naturæ pertractus fuit. Hæc auita ſunt inſignia, quæ hæreditaria quadam ſucceſſione, in hunc propagata fuerunt. Ita, vt audaciam, & robur, ex ipſis maternis vberibus ſuxiſſe videatur. Solent huiuſmodi confugia quærere Oratores perplexi, dum non habent uel quod aduerſario obijciant, vel quod pro ſe dicant. Quemadmodum ſi quis cum ſanitatem reprehendere non poſſit, laudaret febrem quartanam. Ita qui paci inuident, belli gloriam extollunt. Quibus nos reſpondebimus, duo eſſe bellorum genera. Quoddam enim ſola Imperatorum libidine, ac petulantia quadam ferocientium animorum leuibus ex cauſis concitari, ac ſæpe cum maximo diſcrimine Reipublicæ in fortunæ arbitrio dubium, & anceps verſari. Alterum vero pro Patriæ tuitione, pro liberis, pro fortunis, neceſſario geri oportere. Idque tale eſſe, ut ſiue bene, ſiue male cedat, ipſo nihilominus* Sal. Ann. 1519.

Duci

Sal. Ann. 1519. *Duci gloriam ſemper, ac laudem conferat. Ad hæc perpaucos comperiri, qui in bellis gerendis, non multo magis ſuis affectionibus ducantur, & obtemperent, quam publicæ vtilitati conſulant, Vtpote, qui pro nihilo pendant iuſtitiam, pietatem, cæteraſque virtutes. Verum, contemptis religionibus, ac iure gentium ſpreto, aliena quidem per maximas iniurias deuaſtando, contra ſocios ac vicinos crudeliſſime graſſando, ſe bellica virtute, ac militari diſciplina, cæteris mortalibus præpollere gloriantur. Sed nos omni præconio efferendos, omnique laude proſequendos arbitramur, qui ſic regnum inſtituerunt, ut malint ſuos fines tueri, quàm aliena diripere, pacem fouere, quàm excitare bella, optare potius opulentam patriam ut habeant ſuis terminis coarctatam, quàm expillatam ac miſeram, etiam ſi vſque ad Indos protendatur. Quid autem refert, ſi bella omnino faceßant, dummodo patria prudenter, & ordinate gubernetur. Immo omnibus uotis exoptare Principem debemus, cuius conſilio, & auctoritate bellica rabies, in pacis lenitatem, & manſuetudinem vertatur. Hoc ſancta Eccleſia quotidie pijs precibus efflagitat. Hoc euangelia Chriſti, quæ fidei noſtræ indißolubile fundamentum exiſtunt, toties nobis inculcant. Memineritis Sanctum Regem Dauid ad extruendum Deo templum, indignum fuiſſe reputatum, eo quod vir ſanguinum eſſet, Moſen proinde legis diuinæ promulgatorem, à promiſſionis patria Deo iubente ſecluſum, Regem uero noſtrum Chriſtum, quem Ihoſue nobis deſignabat, in ciuitatem ſanctam veniſſe pacificũ. Quapropter de Chriſtianorum cæde non debet gloriari Chriſtianus Princeps. Inanis eſt enim gloria, quæ in Reip. perniciem vertitur. Omnes quippe vnius ciuitatis municipes ſumus, præſidem habentes Opt. Maxim. Deum. In hac qui ſeditioſi deprehenduntur, expedit Reipub. ut à regimine præcipites deturbentur, ne labefactetur ſtatus immaculatæ, & incorruptæ matris Eccleſiæ. Videte Ethnicum illum M. Catonem, quanta grauitate ciuilem diſcordiam execratus fuerit. Fuiße enim traditur vir ille ſummę integritatis, & egregium Rom. probitatis exemplar. Is poſt illam memorabilem cladem Pop. Rom. in Pharſalia confectam, cum interfectorum ciuium cadauera circumluſtraſſet, manibus obtexiſſe oculos fertur, ne Reipubl. calamitatem diutius contueretur. Nemo certe tam eſt mentis, aut rationis expers, qui non longe præferat ſanguinolentis bellorum tumultibus, florentiſſima tempora pacis, cum in iſtis omnia et diuina, & humana, optime ac tranquilliſſime regantur, in illis autem, interrumpantur non modo hominum voluptates, uerum etiam Deorum immortalium cultus, religioneſque peßum eant, ac turpiſſime polluantur. Et ſi diligenter introſpicitis, reperietis hic multum relinqui ſolidæ & non fucatæ laudis, illic vero mendacijs omnia fere obnoxia circumferri. Quis enim iactabundo, ac gloriæ iam ſpe inflato, de ſua vtcunque ſeſe victoria extollenti, credat? Quis non vel pro media parte confictum putet, egregium illud bellicum poema, vbi omnia ad laudem victoris cantantur? quodque (ſi rem aliunde perconteris) obſcurum ſubito fieri videas, ac tale, vt iam huiuſmodi ſchematis pudere te vehementer poſſit. Conſtat ergo belli imperitiam nemini merito imputandam, qui ſua dexteritate, atque prudentia, ſic diſpoſuit regni ſtatum, vt ei bellum inferre non auſit quiſpiam, niſi fuerit ille extrema dementia, aut ingenti temeritate correptus. Quod ſi quis omnino quietis impatiens, ac belli plus iuſto adpetens, inuitum ac reluctantem temere armis laceſſerit, in hunc demum ac turbatorem publicæ commoditatis, omnes neruos, omnemque potentiam expendat, vt tandem optimi imperatoris officium, non ſegniter exercuiße cõperiatur. Iam dicendum videtur de his rebus, quæ ad imperij amplitudinem ſummopere deſiderari conſueuerunt. Inter quas ſummo fere loco conſtitui ſolet mutuus adfectus, atque beneuolentia, non ſolum Principis erga Rempublic: verum etiam erga vicinas gentes, ſocioſque & neceſſarios. Qua in re ſi adhuc aliquid eſt quod à* Carolo *Rege exigendum, aut etiam extorquendum putetis, idipſum ſponte ſua lubens ipſe vobis præſtabit. Nam cum tam ſit præclara, ac vere regia indole præditus, vt etiam hoſtibus ſuis vltro parcere, nedum chariſſimis, ac amiciſſimis bene facere glorioſum eſſe iudicet, qua occaſione induci illum, aut certe permoueri poſſe exiſtimatis, vt chariſſimam patriam ſuam non proſequatur maxima cum pietate, & ſumma gratitudine. Neque veſtrum eſſe quenquam credo, qui neſciat qua religione, quibus officijs, qua neceſſitudine, potentiſſimi prope omnes Europæ Reges, cum illo pacta firmauerint, Societatem inierint, affinitatemque contraxerint,* Sal. Ann. 1519.

Angliæ

Sal. Ann. 1519. *Angliæ videlicet, Vngariæ, Poloniæ, Daciæ, ac Portugalliæ. Ferox inſuper bellicoſaque Heluetiorum gens, ac populoſa Sueuorum coniuratio, nec non Eburonum præpotens ille, ac inter prudentiſſimos merito connumerandus Princeps Erhardus, vna cum tota Marcenſium familia. Omnes profecto* Carolum *Regem Sanctiſſime colunt, nec eſt quiſquam ſociorum, aut neceſſariorum, qui non præſtitæ fidei reum illum facere auſit. Iuſiurandum nullis conditionibus vt violaret impelli vnquam potuit, fidem etiam hoſtibus conſtantiſſime ſemper ſeruauit. Culpam autem quam in alijs damnare ſæpius potuerat, ipſe numquam admiſit, honorem ſuum integrum, & illæſum ſeruare malens, quam alienam perfidiam, vel vindicando detegere, vel compenſando adæquare. Quo vero clarius dilucidiuſque ipſius* Caroli *Regis erga ſacrum hoc imperium, fidem perſpicere, & dijudicare poſſitis, conſiderate quæſo, ac animo diligenter perpendite, an aliquando aut palam, aut clanculo aduerſus imperij maieſtatem machinatus ſit, an pecunijs, fauore, potentia, contumaces fouerit, rebelles ſuſceperit, diffidentes rebus ſuis Imperij hoſtes ingentibus ſpebus erexerit. Quam demum ob cauſam contemnere illum Venetorum amicitiam creditis, niſi quia perpetuos hoſtes Rom. Imperij, veſtræque nationi infenſiſſimos eſſe cognouit? Quo circa ſi penes me horum comitiorum ſumma ſtaret, fidem meam ac honorem me hercle grauiter acerrimeque læſum putarem, ſi contra meam conſcientiam, contra publicam omnium expectationem, alium quemquam iſti præferendum ſtatuerem. Vos ipſi Illuſtriſſimi Principes, iamdudum conſpexiſtis, quam ſancte, quam ſincere, quam pure ad imperium aſpiret. Non ambitione rapitur, neque tumet arrogantia. Non popularis auræ tempeſtatibus iactatur. Sed id tantum à vobis officioſiſſime petit, quod ſui parentes ſanctiſſime poſſederunt, quodque, ſi ipſe non peteret, vos illi ſponte fueritis oblaturi, cum eis rebus abundare illum cerneretis, quæ vos à Rege Romanorum expetenda iudicatis. Prudentiſſime quidem à maioribus noſtris conſtitutum eſt, vt ambitus è Republ. tolleretur, ne his qui boni in ciuitate verſantur, cum perditis nonnunquam, flagitioſiſque in competendo communis, ac par eſſet conditio. At viris fortibus hac lege nequaquam honoris aditum præcludi voluerunt, ita, ut coercendos illos cenſuerint, qui ſua uel dexteritate, vel prudentia, Reipub. periculis, neceſſitatibuſque conſulere poſſent. Iſtis enim qualibet in vrbe præmia debentur virtutis. Ad quam incitare, ac etiam inflammare mortalium animos ſolet inſitus ille (neſcio quis) gloriæ igniculus, quem vix etiam ſapientiſſimi reſtinguere potuerunt. Vnde nec veſtræ voluntati* Carolus *Rex reluctabitur, ſi veſtro candidiſſimo iudicio huic imperium decernendum duxeritis. Plus nempe veſtræ pietati, prudentiæ, liberalitati, quam ſuæ modeſtiæ dandum intelliget. Nam ſi ſapientem mutare ſententiam quandoque expedit, minimeque indecorum habetur, etiam in his, quæ ſub controuerſia, & diſputatione relinquuntur quanto magis vbi de Reipubl. dignitate, de ſalute omnium agitur, ibi pertinacem eſſe non licebit? Qui enim ad id quod ei gratuito affertur, moroſum ſe præſtat, non caret certe turpiſſimo ingratitudinis, aut ſimulationis crimine. Quare enim ut candidatus petit, ſi ſponte oblatum, non alacriter amplectitur? Hæc iccirco dixi, ne quis* Carolum *Regem ex illorum numero eſſe credat, qui aliud in fronte, aliud in pectore gerunt. Ille ſeſe aperte imperatorium candidatum profitetur, eaque in re veſtros calculos, ac ueſtrum æquiſſimum iudicium expectat. Quid autem attinet exhortari uos, ut eum vobis Imperatorem deligatis, qui à Chriſtianorum ceruicibus, ab aris, ac templis Dei Opt. Max. ſine veſtro incommodo, truculentiſſimos ac nepharios hoſtes depellere tam facile poſſit, quam lubens velint? Sciunt omnes immanitatem, rabiem, ferocitatemque Turcarum. Obtenta Aſia, in Africam moliuntur exercitum, breui quod eis adhuc in Aſia deeſſe videbatur, ferro, ac flamma ſubegerunt. Syriam videlicet omnem, Arabiam denique totam, vniuerſumque Aegyptum. Nolo exaggerare verbis Turcarum potentiam, quandoquidem hanc ipſam rem acurate ſatis proximo Auguſtenſi Principum conuentu, Legati Roman. Pontificis effinxerunt. Quibus ſi fidem adhibendam cenſetis, mea induſtria nihil addi, nihil excogitari poteſt, quod his tam ornatis, ac magnificis buccinatoribus reſpondeat. Sed per Deum Immortalem ò Illuſtriſſ. Princ. nolite credere quenquam mortalium timeri hoc tempore à Turcis, niſi* Carolum *Regem. Nolite opinari præter hunc ſupereſſe quenquam, qui huius tam periculoſi, & ancipitis belli pondus ſuſtinere queat. Hunc miſſis epiſtolis, de pace atque inducijs* Sal. Ann. 1519.

Sal. Ann. 1519.

ducijs ſollicitant. Hunc totius Europæ potentiſſimum eſſe palam fatentur. Huius iam vires in Africa magna ſuorum clade experti ſunt. Huius claſſem in mediterraneo mari obuiam ſemper habent. Cum hoc ſibi rem eſſe conficiendam vident. Siciliam, Sardiniam, Corſicam, Calabriam, Apuliamque ex Epiro, ac tota proinde Græcia procul deſpiciunt, ſuoque furori obiectas eſſe vehementiſſime dolent. Peruijs autem Pannonijs, quantum itineris ſpatium interiacere putatis, ſi ex Meſia aut Macedonia in Germaniam Turca expeditionem paret? Verum ibi quoque Croaciam, Auſtriam, Charinthiamque, velut quendam Germaniæ clypeum obtrudi ſibi conſpicit. Nemo igitur perſuadeat vobis ò Princ. Illuſtriſ. quenquam mortalium eſſe, qui maiore deſiderio ad hoc bellum teneatur, aut qui idipſum pro ſua gloria, & fidei honore, celerius ad rectum finem perducere poſſit. Si ſunt qui de ſe magnifica pollicentur, & fidem ſuam ingentibus promiſſis onerant, cum nihil adhuc admiratione dignum nauauerint, hi (vt fieri ſolet) tranquillo flumine nauim ducentes, bonos ac peritos ſe naucleros putant. Quantoque abſunt remotius ab hoſtium conſpectu, tanto audaciores apparere geſtiunt. Qui vero manum admouerit, illum obſeruare vos oportet. Hic ille eſt Carolus Rex, quem iam ſæpius honoris cauſa nominandum putauimus. Ille inquam, qui ad iſta fata, Deorum immortalium nutu, reſeruatur. Huic, qui fortunam tacite obijciunt, ipſi ſuam fortunam nondum à tergo inſpexerunt. Nunquam deerit fortuna, ſi ſapientia vtamur. Multoque præſtat, fortunæ non ſubiacuiſſe, quam ſapientia caruiſſe. Sapientia vero ad Principem ſpectat, à quo hæc fere deſiderantur, vt regno ſuo optime præſit, vt ſeniorum & prudentium conſilio Rempubl. adminiſtret, vt à regimine pueros, mulierculas, & effœminatos homines excludat, vt in corrigendo, ſeueritatem iuſtitia, cum humanitate coniungat, vt erga bene meritos munificus, & liberalis exiſtat, vt regni opes non facile profundat, vt patriam immoderatis quæſtubus non expilet, vt iura libertatemque patriæ, nulla ſpelucri, aut gratia cuiuſquam flexus diuendat, imminuive permittat, vt ſeſe omnibus exemplum continentiæ & integritatis exhibeat. Hæc ſunt, quæ bonum Imperatorem, ſtrenuumque Ducem reddunt, non ea, quæ vulgo magna, & præclara putantur, corporis robur, audacia (quæ & temeritas dicitur) vſus belli, impatientia quietis, tolerantia laborum, & ſi qua alia ſunt, quæ hominibus admiranda videntur. Cum ad alias virtutes comparata, ſtatim euaneſcant, atque obſcura fiant. Reſtat iam vt de priuilegio Germanicæ nationis in deſignando Imperatore, pauca diſſeramus. Et licet iſta pars apud vos multum ponderis, atque exiſtimationis habere merito debeat, à nobis tamen multis verbis pertractanda non videtur. Quantum enim ad Carolum Regem attinet, omnibus credo habunde ſatisfactum eſſe. Interim tamen quid ego de hac re ſentiam, & quid vos ſentire ac ſtatuere velim, breuiter explicabo. Requiritur eligendus à vobis Imperator, qui ex Germanica natione ſit oriundus, neque hoc ſolum, verum etiam qui ipſam linguam, moreſque, ac illum magnanimum & generoſum ſpiritum ex incunabulis hauſerit. Id ego non ſolum prudenter, & caute, à veſtris Maioribus conſtitutum fuiſſe, verum etiam à vobis diligenter obſeruandum eſſe pronuntio. Si enim veſtri honoris, ac publicæ libertatis memores eſſe vultis, nunquam admittetis, ut Germanica Natio per vos ſeſe diſpoliatam ſuis priuilegijs lamentari merito poſſit. Ea profecto longo iam vſu apud nos conſenuerunt, & in hunc uſque diem inuiolata perdurant. Nam DCCCC. fere exacti ſunt anni ex quo Rom. Imperium, maxima gloria noſtra occupamus. Ab illo videlicet die, quo, inclinante Græcorum fortuna, ad Francos Germanos rerum ſumma translata fuit. Non libet hoc loco veterem illam controuerſiam mouere, quæ ſæpius eſt ab eruditiſſimis retractata, quinam priſci illi extiterint Franci. Sed hoc unum dico, longe à ueritate alienos eſſe, qui hos ad Galliam trahere conantur. Quippe cum ante Chlodouei Regis tempora, in Gallijs habitaſſe Francos nullis hiſtorijs comprobari poſſe certum ſit, at tum Germaniam illos inhabitaſſe cōſtat. Et licet Gallijs dominarētur, Germaniam tamē aliquando deſeruiſſe, qui affirmat impudentiſſimus eſt. Id nāque & Francorum annales teſtantur, & innumera in ipſorum legibus prodita memoriæ uocabula, quæ Germanicam redolent originem. Huiuſmodi permulta comperiet, ſi quis mihi credere noluerit, in lege Salica, & Ripuariorū, deinde in cōſtitutionibus Caroli Magni, Ludouici Chlotarij, ac Caroli Iunioris. Teſtatur præterea frequens, & prope continua illorum apud Germanos

Sal. Ann. 1519.

manos

Sal Ann. 1519. *manos conuerſatio, conſeſſuſque. Belgicam enim à Germania non ſeiungimus, moti præter alias cum fortiſſimas, tum efficaciſſimas rationes, auctoritate præclariſſimorum virorum, P. Cornelij Taciti, Clau. Ptolomei, Strabonis, Eutropij ac aliorum, qui etiam Neruios, Eburones, ac Atrabates Germaniæ adſcribunt. Quod ſi nulla alia prorſus ratio ſuppeteret, ſatis (vt opinor) fuerit, Germanorum in Gallos mutuũ, & inextinguibile odium. Cuius inter priſcos rerum geſtarum ſcriptores, non ſemel C. Cæſar, Tacitus atque Suetonius meminerunt. Vnde quum & lingua, & moribus, tum etiam conuerſatione à Germanis nihil diſſimiles, ſed arctiſſime copulati fuerint, ſatis probatum puto, hos non modo præiudicium vobis nullum facere, verum etiam magnum ſplendorem, atque ornamentum noſtræ nationi adferre. Quare ceſſent Galli de iſtis ſeſe iactitare, tam claris & inuictis Principibus, ſola hæc gloria Germanicæ nationi, ac veſtris dignitatibus debetur. Nolite ergo veſtram libertatem, veſtra priuilegia, extranei Regis libidini exponere. Cauete quæſo, ne alium Imperatorem pronuncietis, quam è veſtra natione, & Germano ſanguine propagatum. Quomodo enim vos liberos eſſe ſinent, qui ſuis ſubditis inſolentiſſime et ſuperbiſſime dominantur? Quod ſi vobis in animum venerit (id quod nos vnice à Deo optimo, maximo poſtulamus)* Carolum *Regem, vt Sacro Romano Imperio Regem Comitijs Franckefurdienſibus decernere velitis, non dubitamus quin id toti Chriſtianæ Reipublicæ, bene fœliciterque ceſſurum ſit. Veſtris denique dignitatibus, cunctis Germaniæ prouincijs, ciuitatibus, oppidis, gratiſſimum aliquando fructum ſit allaturum. Quandoquidem Regem habituri ſitis, quem natura ad id effinxiſſe videtur, vt mortalibus Imperio dominetur, conſilio præſit, manſuetudine, ac æquitate adiumento ſit. De quo vere prædicari poteſt, id quod Cyrus Perſarum Rex dicere ſolitus fertur, Imperium ei deberi, qui quibus imperet melior ſit. Nam præter eas virtutes, quæ egregium Imperatorem efficiunt, omnibus fortunæ dotibus, omnibus naturæ ornamentis, præditus eſt. Paternam enim originem, trium Imperatorum ſanguine decoratam, Maternam vero ex Illuſtriſſimis & potentiſſimis Hiſpaniarum Regibus deriuatam, ſuo ingenito fulgore, velut quoddam luculentiſſimum ſydus illuſtrat. A quibus hæreditario iure ſuperioris, atque inferioris Germaniæ angulos regendos accepit, ita vt intra illos non tam incluſa, quam munitiſſimo quodam vallo ſepta Germania videri poſſit. Qui triplici etiam Hiſpaniæ, latiſſimæ, & opulentiſſimæ Prouinciæ, iuſtiſſime dominatur, atque auguſtiſſime præeſt. Qui mediterraneum mare, ex Hiſpanijs vſque ad Creten Aſiæ inſulam, ſuis claſſibus nauigat. Qui Sardiniam, Corſicam, Siciliam, Neapolim, Calabriam, Apuliam, Mauris Turciſque oppoſitas, ſumma virtute tuetur. Qui maximam Africæ partem, iuxta Atlantem montem à columnis Herculis, & initio Gadium, vſque ad Tripolim, atque Carthaginem tributariam poſſidet. Qui tanta eſt fœlicitate, vt huic plus vno die terrarum fortuna contulerit, quam potentiſſimi aliquando Reges, & expertiſſimi Duces, bello ſubiugare longo tempore, ac diuturno labore potuerint. Qui in ea eſt ætate conſtitutus, quæ & vires, & animum cum tempore ipſo ſolet augere. Qui gratia tantum apud Germanos valet, quantum ante hunc nemo alius. Hunc itaque ſi delegeritis Regem Romanorum, vobis totique Chriſtianæ Reipublic. optime conſultum eſſe ſentietis. Imperij fines ampliari, veſtros perpetuos hoſtes profligari, poſtremo infideles, ac barbaros ad fidei profeſſionem venire ſupplices conſpicietis. Quod ita vobis inſpirare dignetur Optim. Maximo Deus. Amen. DIXI.*

Reſpondère Septemviri, gratias agere Gallo de beneuola in Germanos voluntate, Hiſpano ſpem aliquam fecerunt: vtrique tamen dixerunt, curæ Electoribus futurum; ne vel pia maiorum inſtituta, vel iuriſiurandi, quo tenerentur, religio violaretur. Cum itaque ad ſuffragia ventum eſſet, *Moguntinus*, cuius erat, prior proferre ſententiam, ſic fertur exorſus.

XXXVIII. *Moguntin. pro Carolo differit.*

Magnæ, viri Principes, rei ſuſcepta deliberatio eſt. Agitur de Imperij noſtri dignitate, de pace ac bello, de fortunis omnium, dum quæritur, an Franciſcus *Rex Galliarum, an Hiſpaniarum* Carolus, *an verò è Principum Germanorum numero aliquis, Imperator deligendus ſit? Qua in re ſic equidem ſentio, ad Gallum hoc Imperij decus nequaquam transferendum eſſe, quod*

Sal. Ann. 1519. *& legibus noſtris & iureiurando cautum ſit, ne externæ gentis hominibus illa dignitas offeratur: neque* Franciſco *vlla ſatis ratio ſuffragetur, quò minùs peregrinus cenſeatur. Et verò, vt Germanis annumerari poſſit, grauiſſimis tamen rationibus meritò excludetur. Neque enim Rex monarchiæ aſſuetus leges ſibi à Principibus ſcribi patietur, quibus cum Imperio parendi neceſſitatem accipiat, quòd ſeruitutis nomine habiturus ſit, quidquid ex aliena voluntate ſuſceperit. Nec ſanè intelligo, quo noſtro ad pacem emolumento, vim Gallicam Germanorum potentiæ adiuncturus videatur. Vt enim illam voluntatem, quam de* Carolo *totaque Auſtriacorum gente opprimenda ſuſcepit, honore ac viribus auctus deponat, nemo quidem meo iudicio expectabit, qui inveterata ſtudia, qui æmulationem, qui diuturnas vtriuſque familiæ concertationes non ignorauerit. Stare hoc pacto incolumis Germanorum dignitas atque libertas diu non poterit, qui Mediolanum ſuis nuper adiunxit regni finibus, cætera Imperij membra ad tanti robur corporis confirmandum ſociabit, vt in Gallorum ſenſim inſtituta Germania tranſmigret, neque imperare iam alij, quàm Galliæ Reges liberrimis hactenus nationibus poſſint. De Turcarum vi atque inſolentia per* Franciſcum *Imperatorem facilè reprimenda, non eſt quod mihi patiar perſuaderi. Non ignoro, quantum ad hanc rem momenti allatura ſit illa Germanorum Italorumque cum Gallia ſocietas. Verùm hanc ille vim in* Carolum *ante, quàm Turcam experturus eſt; ne, dum fortè foris pugnat, domi ſuperetur, & cum aliena tuetur, propria aut negligat, aut amittat. Neapolim certè, quam hereditario nunc iure contendit ſuam, armatus etiam Rex poſtulat, inermis Imperator non deſeret; plus virium ad audendum, autoritatis ad impetrandum habiturus. Quocirca cùm Imperij noſtri legibus, cùm iuriſiurandi religione, cùm denique grauiſſimis Germaniæ incommodis à* Franciſci *electione retardemur; ne obſecro cum libertate noſtra Gallis Germani tradamus Imperium, qui non dubiam pro beneficio ſeruitutem reponent, imperandi ſimul eligendique poteſtatem accepturi. Ita nobis eligendus hodie Imperator eſt, vt quod alijs accipere, nobis donare impoſterum liceat. In* Carolo *ad Imperium vocato minus ego periculi, plus gloriæ atque emolumenti Germaniæ nationi proſpicio. Sunt, fateor, quæ inter ſpem metumque ſucceſſus cunctantem ſuſtineant. Remotam* Carolus *à noſtris finibus Hiſpaniam inſidet: vt qui inexpectatam aliquam Turcarum irruptionem, ad natam ſubitò in Germania ſeditionem, aut dubiam, aut certè ſeram allaturus opem videatur. Quid deindè ſi offenſione læſus aliqua in Germaniam Ibericis ſtipatus cohortibus veniat, an priſtinæ Germanorum dignitati minus ab Hiſpanis, quàm Gallis erit metuendum? an non iiſdem, quibus defenſurus armis videbatur, opprimere poterit, vel noſtra prouocatus libertate, vel ambitione propria? Denique an Imperij Romani decus alieni Regis manibus traditum, Hiſpaniſque noſtra indulgentia creditum ad Germanos rediturum credimus? de Mediolano id quidem perſuaſum habeo, ſi rurſum expugnetur, non aliter Hiſpanis reſtituendum, quàm ne Imperium recipiat. Quæ me ſanè cauſſæ impellerent, vt præteritis exterarum nationum Principibus, indigena Imperatore acquieſcerem: niſi grauiori etiam ab hac ſententia diſcrimine auocarer. Etenim ſit è Germanis Principibus Imperator, hunc an Belgas Auſtriacoſque,* Caroli *ditionis homines audituros creditis? inter non dubia Auſtriacæ Gallicæque gentis arma quid facturum exiſtimatis? mediuſne adſtabit partium, ac dum Belgium Auſtriaque, fortiſſima Germaniæ munimenta, ab Imperij vel corpore, vel ſocietate diuellentur, periculoſis certè quatientur motibus, otioſus ſpectabit; incertus cui odium fauoremque impendat? An non intelligemus iiſdem, quibus illi oppugnantur telis, peti Imperium, eodem quo premuntur iugo ad ſeruitutem deſtinari? Erunt Auſtriacæ in nobis potentiæ inimici, qui Gallis accedent; erunt propriæ amantes libertatis, qui ſeſe obiicient: ita diuiſis Germania ſtudijs ad gliſcentem iam nunc ſeditionis flammam hoc etiam incendium additura eſt. Nondum contracti ſub* Friderico *tertio dedecoris maculam Germani diluimus, quando Burgundionum Dux* Carolus *per Germaniam, Mediolanenſium* Philippus *Maria per Italiam, Hungari per Auſtriam victricia arma contulere, Imperatore ſuis vix ſatis finibus defenſo, quamvis cum Bohemis Saxones Albertuſque Brandeburgicus arma Cæſari fidemque coniungerent. De illa verò, quæ ex religionis controuerſia, tēpeſtas* Sal. Ann. 1519.

Germa-

Sal. Ann. 1519. *Germaniæ imminet, periculoſa omninò & formidanda quid dicam? non leuem hæc minatur calamitatem, niſi tempeſtiua Concilij ratione diſcutiantur illa, quæ de Pontificis dignitate, de Eccleſiaſticis legibus, de peccatorum venia, ſeditioſè magis, quàm vtiliter iactantur. Infirmus verò Imperator ad hanc rem neque virium ſatis, neque autoritatis allaturus videtur. His metuēdam Turcarum vim atque immanitatem addo, quæ per Græciam, Pannoniamque effuſa, Imperij finibus, quibus imminet, non arcenda tantùm; verùm & occupatis poſſeſſionibus deturbanda eſt, ne ſenſim vicinis opibus ad certam Germaniæ ruinam inualeſcat, quod ſine coniuratis multarum nationum copijs nemo Imperatorum poterit. Quibus potiſſimùm rationibus ad illud conſilium impellor, vt* Carolum *Auſtriacum cæteris Germaniæ Principibus anteferendum cenſeam, atque infra illius electionis emolumenta omne periculum habeam. Quis enim ſibi perſuaſerit Germanum origine, ac familiæ Auſtriacæ Principem, ſedem patriam, aut libertate priſtina, aut dignitate Imperij ſpoliaturū, pręſertim, vbi iurata ſeſe nobis fide obſtrinxerit? Parum quoq. ab ipſius indole atque ingenio mali nobis timendum eſt; boni verò expectandum quamplurimum: procul enim omnis, cùm ſæuitia, tum iuuenilis vitæ licentia, & æquitatis ac continentiæ inprimis amans comperitur. Parem cum Republica curam religionis amplectitur; vt iam tum ijs adoleſcat virtutibus, quibus immortalem ille gloriam, Europa incolumitatem ſperare poſſit. Egregium patriæ auitæque indolis ſpecimen, et par tantis, niſi annos numeres, Maioribus. Aetatem nemo accuſabit, qui vim animi ingenijque maturitatem æſtimauerit, quo, & dare conſilia, & accipere, ad res opportunè gerendas didicit: itaque regit, vt à viris optimi, & aui* Maximiliani *Germaniæque proceribus, etiā regatur. Temperamento Regibus digno, qui* ſubeſſe nonnunquam debent, vt rectè præſint; & audire paucos, vt à multis audiantur. *Timor verò iſte, qui de* Caroli *abſentis, tardeque ad pericula adfuturi Imperio concipitur, quamuis omninò vanus non ſit, tamen obſtringi Imperator Germaniæ, & noſtris legibus, & amore communis patriæ, & neceſſitate præſenti ſatis poterit, vt non præeſſe tantùm; ſed adeſſe etiam Imperij negotijs cupiat.*

Hæc vbi Moguntinus abſoluiſſet, *Richardus* Treuirenſis, qui aduerſas *Carolo* partes ſequebatur, nec imparatus ad hanc pugnam venerat, ita diſſeruiſſe fertur. Sal. Ann. 1519. XXXIX. Treuirenſis prò Gal. lo orat.

Tempore, quo Maiores noſtri Maximilianum *Cæſarem hac in vrbe Imperio profecerunt, vatem fuiſſe memorant, qui diſertè conſtanterque hunc vltimum Germani nominis ac ſanguinis Imperatorem fore pronuntiauerit. Dubia tunc quidem hominis oratio, nunc fidem mereri poſſe videtur, quando externo potiùs, quàm Germano Principi ſumma Imperij poteſtas Moguntini Præſulis exiſtimatione deferenda eſt. Optarem equidem eo res noſtras loco eſſe, vt, quæ Maiorum noſtrorum ratio ac gloria fuit, de alieno nobis præſidio cogitandum non eſſet, ne cum auxiliorum ſpe ſeruitutis metum coniungeremus. Sed poſtquam à neceſſitate conſilia ducimus, atque externum præ indigena probamus Imperatorem; nihil eſt, cur Hiſpanum Gallo præferamus. Legis enim, qua obſtringimur idigenis, ac iuriſiurandi religio, non* Franciſum *magis quàm* Carolum *arcet Imperio. Etenim ſi* Carolo *ad legis huius integritatem ſufficit, earum poſſeſſorem prouinciarum eſſe, quæ noſtri cenſentur Imperij;* Franciſcus *& Inſubriæ, & regni Arelatenſis, Reipublic. noſtræ membrorum, Dominus, pari iuris ſuffragatione contendet. Videndum nobis igitur, vtri ex duobus tantum decus poteſtatemque concedamus. Me quidem non mediocriter delectat eorum recordatio temporum, quæ Francones Germanoſque iiſdem ſub legibus Principibuſque, & pacis, & armorum ſocietate coniunxerant, domi bellique ſua virtute notiſſimos. Hoſtis vtriſque atque amicus communis erat. Florebant ſuis prouinciæ vrbibus, vrbes mercimonijs, negotiatio frequens & promiſcua, artes cultæ ac celebres, robur Imperij firmiſſimum. Auream hanc Maiorum ætatem reuocare licebit, ſi Galliam adiungimus Germaniæ, atque ad corporis vnius integritatem malè quondam diſſipata membra colligimus. Ita ſuadet Romanus Pontifex, hortantur Veneti, probant Italicæ nationis Principes. Nihil aduerſus Imperij inimicos præſentius certiuſque ad illorum cladem, noſtramque victoriam excogitari poterit. Gallia pecuniam, milites dabit Germania: nihilque tam repentinum erit, cui parata virtute non liceat occurrere; nihil tam arduum, cui animos vireſq. oportunas*

Sal. Ann. 1519. non obijciemus. Turca nobis pacata iam Aſia, in Pannonia, Italiaue metuendus eſt, opponemus florentem vtriuſque nationis exercitum, armorum iam olim gloriæque communione ſociatum. Hiſpanis verò, quamuis Germanorum neque ſocietas inutilis, neque labor ingratus futurus ſit; laboris tamen præmia victoriæque fructum potiſſimum decerpent, exercituum primò, ac deindè prouinciarum Domini. Quid, quod Hiſpania præter imperaturos nobis Duces paruam auxiliaris militiæ vim ſuffectura ſit, cùm longos terrarum tractus exhauriat India, & dum nouus occupatur orbis, amiſſis penè incolis Ibericus ſqualleſcat? Gallorum potentia & tutior nobis, & vberior futura eſt. Neque eſt, cur tantoperè in Italia Belgioque maiori exarſura incendio bella metuamus. Mediolanū iam poſſidet, imperijque, cùm opibus, tum autoritate fretus facilè tuebitur. Neapolim, vt ne affectet, haud difficulter perſuadebimus; ita bellorum illic cauſæ cum armis intercident. Belgarum verò populis, niſi fortè quietem aſpernantibus, pacē dabit, vbi maior Reipubl. neceſſitas contra Turcam auocauerit. Quanquam cur ita metuimus Belgio, nihil ad Imperium Germaniamque præter aliquam linguæ communionem adferenti? Faciamus nunc Carolum Imperatorem eſſe, Deum immortalē, quales, quantoſq. in Italia motus concitabimus! Mediolano ille ante omnia poſſidendo & animum & manus adhibebit, Neapolim aduerſus Gallorum impetus tuebitur, bellis & diuturnis et cruentis pulcherrima Europæ pars iactabitur, Turcis in Pannoniam, atque ipſa adeò imperij viſcera patebit aditus, & dum aliena aut dubia bellis proſequemur, certis ac proprijs excidemus poſſeſſionibus: hoſtibus atque amicis prædæ ac ludibrio erimus. Ille, quem ad iura ditioneſque Imperij vocamus Carolum, Inſubriam ſuis auſpicijs contra Gallum occupatam, Germanis nunquam Imperatoribus reſtituet, Hiſpanis ad perpetuam Italiæ poſſeſſionem adiunget; vt hinc Neapoli, indè Mediolano potiti, ſummam illic rerum obtineant. Cęterùm ſi ex Regis vtriuſque ingenio ac maioribus electionem hanc ponderemus, nullum quidem de Franciſco præferendo dubium æquis æſtimatoribus relinquetur: nam vt moderatæ continentiſque vitæ Principem Carolum admittam, ætate tamen ad vitia virtuteſve etiamnum immatura, nondum integrum de ſe arbitrantibus relinquit iudicium. Spes ſæpè magnarum rerum fallunt ſuis adhuc in ſeminibus reconditæ. Firmior nobis ætas, & belli pacíſque negotijs probata virtus Franciſcum commendant. Religionis per ſubnaſcentem in Germania hæreſim cladem formidamus, corruptos Eccleſiæ mores ad emendationem poſcimus: hæc ingenio iudicioque robuſtior Franciſcus præ Carolo poterit. Bella foris ab inimicis, domi à ſeditioſis ciuibus metuenda ſunt; Duce ad illa nobis rei militaris perito, diligente, fortunato opus eſt. Talem eſſe Carolum, incerta tantùm ſpe, & ſola proauorum æſtimatione præſumimus; Franciſcum explorata iam virtus, ac fortiſſima Heluetiorum gens, nuper prælio ad Mediolanum proſtrata docuit. Vt, niſi præclariſſimis exemplis fides derogetur, tanto Duci adoleſcens poſthabendus videatur. Neque illud de remota Caroli in Hiſpania ſede perfunctoria Moguntini Principis reſponſione diluitur. Graue omninò eſt, ac cum maximis Germaniæ periculis coniunctum. Quis enim repentinos Turcarum impetus, quis ciuilium bellorum motus, ſubitam quandoque velut in tranquillo mari exortam tempeſtatem componet? nonne deſtituta ſuo gubernatore nauis præſens nobis exitium minabitur? Intereà abſens Imperator, aut parum certis rumoribus tanquam ventis exagitabitur; aut dubijs conſilijs, ſuſpenſiſque auxilijs ſpes noſtras fortunaſque præcipitabit. Germani pro ſuis quiſque affectionibus literas preceſque offerent; decreta ipſe ex Hiſpanorum ingenio concipiet, vel ſera nimium, vel parum vtilia. Deniq; perfacilè aliquorum criminationibus irritatus, aut inuitatus precibus, Germaniam peregrino inuadet milite ad certiorem ſeruitutis inferendæ formidinem, quàm libertatis propugnandæ expectationem. Quapropter ſi Diuis hominibuſque ita conſtitutum ſit, ut Imperij noſtri diadema Rex alienigena poſſideat, Gallus ille potiùs arbitratu meo quàm Hiſpanus futurus eſt. Quod ſi noſtris inſiſtere legibus Maiorumque inſtitutis lubeat, ne, rogo, ſubtili nimiū intrepretatione in Germanis cenſeamus Carolum; verùm ex hoc Principum virorum numero quempiam deligamus, qui origine, moribus, lingua, ingenio Germanus habeatur. Inanis illa noſtræ imbecillitatis formido eſt. Sunt in hoc procerum collegio viri, quorum virtus Imperio digna, par etiam fortuna, vireſque exiſtimandæ ſunt; ſi, ut decet, coniuratis anīmis opibuſque Sal. Ann. 1519.

buſque

Sal. Ann. 1519. *buſque ad illius defenſionem conſpiremus. Primus ille Auſtriacæ familiæ Cæſar* Rudolphus *ſorte viribuſque infra virtutem erat, hac tamen attenuatum bellis Imperium ad illam dignitatem potentiamque rurſum excitauit; ut æternam Germanis gloriam, vicinis regibus timorem reliquerit. Nec ita pridem inter Franciæ proceres repertus eſt, qui Imperatorem noſtrum* Maximilianum *per contemptum Auguſtanum vocaret conſulem, cui Rex* Ludouicus *repoſuit. Conſul ille, dum tympanum quatit, tota Gallia contremiſcit. Nimirùm noſtri fama nominis, & Principum Germanorum virtus ſua apud exteras gentes æſtimatione ſemper floruit, atque etiamnum viget incolumis. Sunt in Boica, Saxonica, Brandeburgicaque familia fortes etiamnum præſtanteſque heroes, ex quibus ſi quem noſtris deſignemus ſuffragijs, noſtris copijs Imperatorem adiuuemus, Germanorum cùm dignitati, tum libertati optimè conſultū putabo.*

XL. *Fridericus Saxo imperium reſpuit.* Hiſce Principes excitati ad aliquem Germaniæ principem ſpectare cœperunt. Cumque aptior *Friderico* Saxoniæ Duce non occurreret, vnanimi conſenſu ei Romanum vltro obtulerunt Imperium. Sed is, qua erat modeſtia, ac prudentia cum intelligeret ſibi vires tanto adminiſtrando Imperio nequaquam pares ſuppetere; quod per *Caroli IV.* largitiones exhauſtum, præter honorem vix quicquam ab opibus præſidij, ad tātam molē inter grauiſſimos hoſtes ſuſtinendā adferret, vni *Carolo* transferendam contendebat. Nihil eſse, cur illum è Germanorū numero Treuirenſis eximeret. Fratrem, auum, conſanguineos, & præter hæc omnia auitam hæreditatem in Germania poſſidere: cum vires ingenium ad ingentia non deficiant bellorum pericula, abſque controuerſia omnibus præferendum videri; ijs tamen conditionibus obſtringendus; quibus priſtinæ Germanorum caueat libertati. Inexpectata Saxonis ſententia iterum erga *Carolum* excitati Septemviri, ſuffragationem nemo negauit. Treuir, vbi voto ſe deiectum cerneret: *Nolle ſe quidem* (inquit) *repugnare ſolum vniuerſis, ne qua diſſenſionum ſemina ſpargantur. Iterum tamen hortari; ne impendentem Imperij ruinam temerè præcipitent; & ſuo iam propinquam fato Germaniam, alienæ gentis mancipent ſeruituti.* Ita poſt acerrimam dimicationem multa iam nocte diſceſſum eſt. Sequenti die præſcriptæ leges fuere ſequentes. Sal. Ann. 1519.

XLI. *Articuli obligationis Cæſaris.* *Tueatur Rempublicam Chriſtianam, Pontificem & Eccleſiam Romanam, cuius ſit Aduocatus.*

2. *Ius æqualiter adminiſtret, & paci conſulat.*

3. *Leges omnes Imperij, præcipuè quam* Auream *vocant* Bullam, *non modò confirmet, ſed de ipſorum conſilio, cùm res ita feret, amplificet etiam.*

4. *Senatum in Imperio conſtituat ex Germanis delectum, qui Rempublicam gerat.*

5. *Iura, priuilegia, dignitatem Principum & Ordinum Imperij minimè conuellat aut imminuat.*

6. *Electoribus liceat, cùm erit opus, inter ſe conuenire, deque Republica deliberare: nullum autem ipſe, quò minus id faciant, impedimentum eis inferat, nec in malam partem accipiat.*

7. *Multitudinis & Nobilitatis fœdera vel ſocietates initas aduerſum Principes, aboleat, & ne tales in poſterum fiant, lege prohibeat.*

8. *De rebus Imperij nullum fœdus aut pactum faciat cum externis, niſi de Septemvirorum aſſenſu.*

9. *Facultates Imperij neque diſtrahat, nec oppignoret, nec alio quouis modo deteriores faciat; & quæ ſunt ab alijs nationibus occupata, vel ab Imperio diuulſa bona, primo quoque tempore recuperet, ſic tamen, ne quid fraudi ſit illis, qui vel priuilegio vel iure nituntur.*

10. *Si quid etiam vel ipſe, vel ipſius familiæ quiſpiam poſſideat, quod ſit Imperij non acquiſitum legitimè, reddat interpellatus à Septemviris.*

11. *Cum vicinis alijſque Regibus pacem & amicitiam colat, neque pro rebus Imperij, niſi de Ordinum omnium, præcipuè Septemvirorum voluntate, bellum ſuſcipiat vllum intra vel extra fines Imperij. Peregrinum quoque militem nullum in Germania adducat, niſi conſentientibus illis. Quòdſi autem bello petatur ipſe vel Imperium, liceat vti quibuſcunque præſidijs.*

12. *Conuentum Imperij nullum edicat, neque vectigal aut tributum imperet, niſi de conſenſu Electorum. Conuentus etiam non agat extra fines Imperij.*

13. Ne-

Sal. Ann. 1519. 13. *Negocijs publicis præficiat non exteros, verùm Germanos, ex Nobilitate delectos. Et conficiantur literæ omnes Latino vel populari ſermone.*

14. *Extra fines Imperij nullum Ordinem in ius vocet.*

15. *Quia Romæ multa fiunt aduerſus pacta quondam inita cum Pontificibus, det operam apud Pontificem, ne quæ fraus priuilegijs fiat et Impeij libertati.*

16. *Quomodo mercatorum monopolia, valde pernicioſa Germaniæ, coerceri debeant, rationem ineat cum Electoribus, ac rem ſæpe deliberatam ad exitum perducat.*

17. *Portorium nullum aut vectigal imponat, niſi aſſentiantur Electores: neque literis commendatitijs Electorum, qui ſunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat.*

18. *Si quam habet actionem in aliquem ordinem, legibus experiatur: vim autem nullam adhibeat ijs, qui ſe cognitioni legitimæ ſiſtunt.*

19. *Neminem indicta cauſa proſcribat, ſed iuris ordinem in eo ſequatur.*

20. *Imperij bona, quæ forte vocabunt, nemini conferat, ſed ad publicum patrimoniũ referat.* Sal. Ann. 1519.

21. *Si quam alienam prouinciam auxilijs Ordinum acquiret, Imperio coniungat. Si publicum quid ſuis copijs atque marte recuperabit, Reipublicæ reſtituat.*

22. *Quod Interregni tempore Palatinus atq. Saxo publicè egerint, ratum habeat.*

23. *Conſilium nullum ineat, quò dignitatem Imperij, ſuæ familiæ peculiarem & hæreditariam faciat, ſed liberam & integram permittat Septemviris eligendi facultatem, iuxta Caroli Quarti legem & iuris Pontificij præſcriptum. Quod ſecus factum erit, irritum habeatur.*

24. *Vbi primùm licebit, in Germaniam ſeſe conferat inaugurationis cauſa, ſi extra Germaniam conſiſtat.*

Has leges, cum legati *Caroli* Moguntiæ acceptas ſuo calculo approbaſſent, ſolemni inde more Francofurti, cunctis ſuffragijs, populique plauſu electus eſt *Carolus*. Pontifex verò *Leo* per Cardinalem *Caietanum* legatum ſuum protinùs eum lege illa ſoluit, qua Neapolitani Reges Imperio arcebantur, metus vel beneuolentiam officium conciliauerit? Dubium. Hæ ſunt literæ. XLII.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO CAROLO *ROM. Et Hiſpanorum Regi Catholico. Leo Papa Decimus.*

XLIII. *Chariſſime in Chriſto fili noſter Salut. & Apoſtolicam bened. Literas Maieſtatis tuæ, quibus perſonam ſuam in Regem Roman. concordi vnanimique S. Rom. Imperij Electorum conſenſu, electam fuiſſe ſignificabant in conſiſtorio noſtro ſecreto, coram venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus legi fecimus, quæ talem prudentiam modeſtiamque præferebant, vt non ſolum à nobis, verum & omnibus Cardinalibus, eadem maieſtas tua plurimum laudata, & commendata fuit. Nouit ille, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, quo animi gaudio, quanta cordis lætitia exultauerimus, gratias agentes gratiarum omnium largitori, qui cum ſit magnus, nec magnis, magna glorioſus operatur in minimis, & ſuperbos terræ humilians, vnde timentibus gratiam tribuit & honorem. Habita igitur ſuper ijs, cum viſis fratribus matura deliberatione, vt pro tam fauſta fœlicique electione illius, auctori Deo gratias ageremus. Miſſam de Spiritu Sancto, qui Electorum corda illuminare, ac in tuam Maieſtatem dirigere dignatus fuit, in ſacello noſtro, in quo nos & præfati Cardinales interfuimus, per vnum ex eiſdem Cardinalibus ſolemniter celebrari, ac per almam Vrbem noſtram ignes, & alia lætitiæ ſigna fieri iuſſimus, in eo, cuius vices in terris (licet immerite) gerimus, confidentes quod ipſe cui omnia & futura præſentia ſunt, eximias virtutes omnes quæ tam in materno, quam in paterno auo tuo fuerunt, in te vno clariſſimas fore, præuidens te fidei ſuæ firmiſſimum futurum præſidium, vtriuſque aui titulis ac honoribus decorare, eorundemque imperij ac regnorum potentatum, & viribus augere merito voluerit. Speranteſque quod tu Euangelici dicti memor, quanto plura in hoc, & maiora in hoc mundo ab ipſius mundi Creatore te adeptum fuiſſe cognoueris, tanto humiliorem te reddes, cogitabiſque vna cum magnis honoribus, magna & laborum onera, ingentemque curarum molem ſubijſſe, non ſolum pro Eccleſia matre tua, cuius & Sanctæ Apoſtolicæ Sedis factus es aduocatus, omniſque Chriſtianæ Reipu-* XLIV.

blicæ

Sal. Ann. 1519. *blicæ quiete ac pacificatione conſeruanda, & liga inter Maieſtatem tuam & alios Reges ac Principes, cuius nos caput eſſe voluiſtis, inuiolabiliter ſeruanda. Verum etiam Mahumetica ſecta penitus eliminanda, quæ omnia ſane difficilia; atque ardua efficere, noſtraſque & omnium ſpes de te conceptas, facile implere poteris, ſi vanis cupiditatibus poſthabitis atque contemptis, tuos in Dominum cogitatus direxeris eiuſque præcepta & mandata præ oculis & animo ſemper habueris. Ille enim per quem Reges regnant, & Principes imperant, Principatus tui ſolium cōfirmabit, et dabit tibi virtutem et fortitudinē, quibus populos curæ tuæ creditos, tranquille regere & gubernare, inimicis autem reſiſtere, Chriſtianamque fidem ſicut prædeceſſores tui fecerunt, non ſolum ſeruare, ſed & propagare, & quæ ſemper nobis pollicitus fuiſti, re ipſa præſtare atque adimplere poteris. Tu ergo chariſſime fili noſter, cuncta quæ habes, & poſſides à Domino bonorum omnium largitore, vt par eſt, recognoſcens teipſum præpara, vt tam pro claris cominentibuſque dignitatibus, & honoribus quibus præter cæteros eluceſcis, & micantiſſimi ſideris inſtar coruſcas, proprijs virtutum meritis parem te reddas, illiſque dignus iudiceris. Quod ſi (vt ſperamus) feceris, te in ſummo Maieſtatis faſtigio poſitum omnes admirabuntur. Indeque nomini tuo præconia veræ laudis accreſcent, & ab altiſſimo Rege (cui puero Reges venientes de Saba plena deuotionis munera obtulerunt) remunerationis æternæ tibi corona proueniet. Noſque Maieſtatis tuæ incrementa non ſpiritualibus tantum, ſed temporalibus etiam fauoribus, & gratijs promouere ſtudebimus, ſperantes in Domino, quod noſtram, & dictæ Sedis dilectionem, paternamque beneuolentiam, tu tanquam gratus ac deuotus filius, corde ſemper atque opere promereri curabis. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annullo Piſcatoris. Die XVI. Auguſti, M.D.XIX. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

XLIV. Secundum *Caroli* electionem legati ipſius Moguntia euocati, in conſilium adminiſtrandi Imperij, dum Cæſar abeſſet, adhibiti. Legatio interea ex Germaniæ proceribus, in quibus facile eminebat *Fridericus* Palatinus Rheni, inſtituta. Ad eam excipiendam *Carolus*, trium milliarium itinere venienti *Friderico*, prid. Calend. Decemb. occurrit. Ille autem ita diſſeruiſſe fertur.

Sal. Ann. 1519. Palatini oratio ad Carolum.

Tradunt Philoſophi ac ſapientes viri, Sacratiſſime Cæſar, Auguſte Sereniſſime, ac inuictiſſime, Hiſpaniarum Rex Catholice potentiſſime Princeps, ita hominum naturam comparatam eſſe, vt alios imperare, alios parere, & obedire neceſſe ſit. Sed ad hos imperandi dignitas ſpectat, qui ingenij acumine, virtutiſque præſtantia, & conſilij magnitudine cæteros antecellunt, qui iuſtitiam complectuntur, & nihil magis quam communem hominum, ac Reip. ſalutem ſequuntur. Qui belli gloria, & pacis tranquillitate, ita gubernandi rationem moderantur, vt nihil ſit, quod ab eis non laudabiliter ſplendideque geratur. Tales Sacratiſſimos Romanorum Imperatores progenitores tuos Sereniſſimos, ac potentiſſimos Reges anteceſſores ſplendidiſſimi ac glorioſiſſimi tui generis auctores, ac præcipue diuum Maximilianum, *Sacratiſſimum Rom. Imperat. Auum tuum clementiſſimum, piæ ac præclariſſimæ memoriæ, qui & Rempub. Chriſtianam optime fulſit, & auxit, procul dubio ſemper fuiſſe cognouimus, ſemper te, quantum in hunc vſque diem noſſe datum eſt, & animaduertimus, atque per omnes ætatis tuæ gradus comperimus, & multo maxime poſthac fore ſine dubio confidimus. Nullas denique res tibi deeſſe conſtat, quas ille oratorum Princeps Tullius optimo cuique Imperatori neceſſarias eſſe profitetur, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem fœlicitatemque. Ad hæc accedant pulcherrima tuæ naturæ lineamenta, egregia corporis tui præſtantia, ac habitudo. Quapropter Sacratiſſime ac inuictiſſime Cæſar, cum poſt diui* Maximiliani *Sacratiſſimi Romanorum Imperatoris aui tui, piæ & fœliciſſimæ recordationis, quem Deus optimus, maximus, à quo cuncta procedunt, ex hac vita ſuperiori anno ſuſtulit, proh dolor, vniuerſæ Reip. Chriſtianæ luctuoſam ac doloroſam mortem, ſub interregno de morte Francofordiæ comitijs debite indictis, de totius mundi, ac Imperij gubernatore deſignando tractaretur, Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes Septemviri, Sacri Romani Imperij Electores, integritate, ſapientia, omni denique virtute inſignes Diuina prouidentia, Dei optimi maximi nutu, beneficioque, non ſine dextro quodam numine, ac obuia quadam fatorum beneuolentia, meritis ac virtutibus tuis iuſtiſſimo rectiſſimoque prudentiæ ſuæ examine, accuratiſſime*

ſime

Sal. Ann. 1519. *ſime circumſpectiſſimeque appenſis, in ſua ampliſſima, illuſtriſſimaque ſeptemvira perfectione, abſoluto collegio, te Germanum Principem, tanquam inter idoneos pace & bello maxime idoneum, quique virtute ac fortuna cæteros omnes antecellas, te (inquam) Regem* Carolum *Maximum, vnanimi atque concordi ſuffragio votoque in Romanor. Regem, futurum Imperatorem, totius orbis moderatorem, & huiuſcemodi auguſtiſſimi Imperij molem ſubeundam, tolerandamque, merito deſignarunt, ſublimarunt, Electioniſque decretum in tuam perſonam edixerunt. Quod vt tuæ Sacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtati exhibeatur, offeratur, ac inſinuetur, Illuſtriſ. Principem* Fridericum, *Comitem Palatinum Rheni, Bauariæ Ducem, de te & progenitoribus tuis quam optime meritum, magnificum Paulum de Armſdorff, auratæ militiæ equitem ſtrenuiſſimum, ac me, celſitudinis tuæ deditiſſimos obſequentiſſimoſque humiles ſeruitores deſtinarunt, ac deputarunt. Ob cuius faſtigij aſſumptionem, ac poſteaquam apud Germanos increbuit, Diui Imperij Principes Electores, omniſque Germaniæ nationis ſtatus auguſtiſſime Cæſar, quanto nunc gaudio, quam admirabili ac ingenti affecti ſint animorum lætitia, nulla vis ingenij, nullius eloquentiæ copia, nullius ornatiſſimæ orationis ſplendor explicare valet. Tuæ igitur Sacratiſſimæ Cæſ. Maieſtati, Imperij Electores plurimum gratulantur, ineffabilem omnipotentis Dei gratiam comprecantur, vt tibi longa annorum curricula, Neſtoream ſenectam, fœlicitatis incrementum, ac proſperum tribuat vitæ curſum, vt diuino conſilio, ac tua prudentia, cum totius orbis commodo, hoſtibus tuis fœliciſſime domineris, Reſpublica Chriſtiana optime gubernetur, augeatur, ac infidelium immanitas ſuperetur. Quippe Sacratiſſimam Cæſaream tuam Maieſtatem, verum ac potentiſſimum orbis dominatorem, Catholicæ propugnatorem fidei, Regem regum, Chriſtianæ Reipublicæ ſtabile firmamentum, ac ſingulare refugium, Reuerendiſſimi Illuſtriſſimique Principes Septemviri, Sacri Romani Imperij Electores, te non modo* Carolum *Magnum, ſed & ter maximum, vt optimos ac obſequentiſſimos Imperij Principes decet, venerantur, tibi debitam ac congruam fidem, obedientiam, humile obſequium, honorem, ac amoris ſinceritatem exhibent, pollicentur, & vt ſub tua iuſtiſſima protectione prorſus ab omni iniuria, ac violentia defendantur, magnopere efflagitant. Se, ſuaque dominia, Principatus, opes, facultates, erga tuam Sacratiſſimam Cæſaream Maieſtatem, cum humilitate gratioſiſſime commendatas eſſe cupiunt, atque adoptant. Præterea Sacratiſſime ac inuictiſſime Cæſar, cum iam dicti Principes Imperij Electores, te Germanum Principem, dignum Imperio & merito iudicarunt, tibi tantam molem totius orbis ac Imperij moderamina, habenaſque tradiderunt: ſupereſt ſi Chriſtianæ Reipublicæ, ſi Sacri Romani Imperij, ſi dignitatis tuæ ac communi omnium Germanorum ſaluti, ac honori conſultum eſſe velis, vt ſine mora verſus patrium ſolum Germaniam tuam nobiliſſimam, quantocies iter arripias, vt ea præſentia tua illuſtrata, libera ab omni inſultu, pernicieque hoſtili, proſpere, fœliciter, gubernetur ac tueatur. Ad quod peragendum, Sacratiſſimam in tuam Maieſtatem Reuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes, Sacri Romani Imperij Electores, omniſque Germaniæ nationis ſtatus maximo cum deſiderio exhortantur, efflagitantque. Tuæ igitur Sacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtati hoc D. Imperij Electorum decretum cum humilima ac debita noſtri commendatione exhibemus, offerimus, atque præſentamus. DIXI.* Sal. Ann. 1519.

Sacratiſſime Cæſar, Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimique Principes Imperij Electores, Illuſtriſſimo Principi Friderico hic præſenti, ac nobis, quædam ſecreta Imperij maximæ importantiæ, coram Sacratiſſima Cæſ. Maieſtate tua ad partem referenda commiſerũt, quæ ſuo loco & tempore, eidem cõgruo & oportuno explicabimus.

RESPONSVM MERCVRINI ALBONEN. DE GATTINARIA, CAROLI Supremi Cancellarij, habita poſt præſentationem decreti Electionis, die S. Andreæ, vltima Nouemb. MDXIX. in Molino Regis propè Barchinonam.

XLV. *Sacratiſſima Cæſarea & Catholica Maieſtas, ex ijs quæ nunc tum verbo propoſita, tum ſcripto oſtenſa fuere, iã Imperialis Aquilæ effigiem cernit. Quemadmodum enim ipſa Imperialis Aquila biceps figuratur, velut Orientem & Occidentem ſpectans, ſic oratio hæc,*

parte

Sal. Ann. 1519. *parte Principum Electorum ſtylo elegantiſſimo perorata, ipſumque electionis decretum ſcripto æditum, bicipiti tamen quadam principaliori ſententia concepta ac diſtincta videntur. Altera quidem occidentes ſolis tenebras afferente, dum luctuoſum diui* Maximiliani *Cæſaris obitum recenſet, atque commemorat. Altera vero orientis ſolis radios deſignante, dum Sacri Imperij reſtaurationem per huiuſce electionis decretum enunciat, atque promulgat. Si igitur caput primum amplectentes occidentem ſolem, ipſiuſque* Maximiliani *Ceſaris obitum iterum deflere tentabimus priuatam ſimul ac publicam iacturam reminiſcentes, conſolidatum quaſi vulnus renouare videbimur. Iſtudque Vergilianum nobis occurret,* Ante diem clauſo componet veſper olympo. *Quis itaque mors ipſa lacrymis, ſuſpirijs, ſeu ſingultibus nequeat reparari, reſtabit bene actæ vitæ ſolatium, qua ab huius ſæculi ærumnis, ad perennem vitam aſſumptus cenſeatur, vt ſic non mortuum* Maximilianum, *ſed perpetuo viuentem, nec per eum occidiſſe ſolem, ſed ſui orbis curriculo in nouam ac veram lucem tranſiuiſſe dicamus. Secũdum autem orientis ſolis caput, hunc videlicet vniformem Electorum conſenſum, in perſonam ſuæ Maieſtatis nulla ambitione, ſed Diuino quodam nutu collatum. Licet iam per ſuos omnes procuratores, & nuncios acceptatus dicatur, ita tamen Maieſtas ſua ſuſcipiendum, ac complectendum duxit, prout Diuus Cæſar Auguſtus, qui primus ad Imperiũ, Senatus, Populique Romani conſenſu, aßumptus fuit. Dum enim per Valerium Meſſalam à Senatu miſſum is ſalutaretur.* Quod (*inquit*) fœlix, fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ Auguſtæ, Senatus conſentiens cum Populo Romano, te Patrem patriæ conſalutat. *Glorioſam hanc ſalutationem Auguſtus nequaquam inſolenter accepit, ſed illachrymans ob pietatem, & gratiam Senatus erga ſe, reſpondit.* Compos factus votorum meorum, Patres conſcripti, quid habeo aliud quã Deos immortales precari, vt conſenſum veſtrum in Reipublicæ quiete, & ſalute ad vltimum vſque finem perficere liceat. *Sicque profecto Maieſtas ſua Sacratiſſima Deo Opt. Max. ipſiſque Electoribus ad id diuinitus inſpiratis, pro tanto munere (ne dicam onere) in ſe collato, gratias agens, id ſolum ab Altiſſimo gratiarum omniũ exhibitore expoſcendum, ac exorandũ cenſet, vt huiuſmodi Electorum decretũ, ipſumq. onus iniunctum ita explere liceat, vt diuino ſatisfiat obſequio, Reipub. conſulatur, Sacrum Imp. reſtauretur, Chriſtianæ Religioni incrementũ accedat, Apoſtolica Sedes ſtabiliatur, ipſa Petri nauicula diu fluctuans, in ſalutis portum deducatur, perfidorum quoq. Chriſtiani nominis hoſtium exterminatio ſequatur. Hincq. ipſa Saluatoris ſententia impleatur, vt fiat vnum ouile, et vnus paſtor. Cum autem ipſis Sacri Imp. Electoribus pro re tanta, non ſolum meritas gratias agere, ſed & debitas referre laudes iubeamur, lapideo quaſi ac impenetrabili ſigno obiecto, proprio ictu repercutimur. Dum enim has Electorum laudes prędicare conamur, eorũq. prudentiſſimum conſilium, diligentem præteritarum rerum cognitionem, ac examinationem, æquam præſentium moderationem, necnon perſpicaciſſimam futurorum conſiderationem oſtendere cupimus: cogimur profecto has Electorum laudes ad ipſius Electi repercuſſionem maturare, vtpote ex quo tanquam ex vero lumine, ipſorum quoq. laus colluſtretur. Quid enim maiori dignũ præconio Electoribus ipſis tribui poſſet, quã quod ſuo prudentiſſimo conſilio, eum in Cæſarem deligendum cenſuerunt, quo nullus in vniuerſo orbe maior appareat. Non maior (inquam) animi et corporis dotibus, non origine ac ſanguine, nõ amicis & fautoribus, non regnis & dominijs, non potentia et diuitijs, non militibus, alijſque gentibus bellicoſis ad arma cuiuſuis generis capeſcenda paratis, non equis & armis, bellorumque machinis, ſine quibus bella geri nequeunt. Quid prætereà laudabilius ijs aſcribi poßet, quam quod ex ipſa præteritarum, præſentium, & futurarũ rerum animaduerſione, eum Imperatorem futurum decernerent, qui diminutum, ac fere exhauſtum Imperium reſtaurare poſſet, qui implumem Aquilam refoueret, renouaret, ac ad propriã naturã deduceret, qui præteritos anteceßorũ defectus ſuppleret, præſentẽ ſtatũ illæſum cõſeruaret, futuris quoque ſucceſſoribus oportune conſuleret. Quid tandem maiori laude dignum ijs retribui poßet, quã quod diuino ipſo ſpiritu meruerint informari, et vna voce, vnanimi conſenſu, vniformiq. ſententia, eum ad Imperij gubernacula aſſumerent, quem cernerent origine et moribus conformẽ, Germanũ natũ, et à Germanis parẽtibus ortũ, ex ipſaq. Imperatoria ſtirpe gentium, ætate florentem, corpore prȩſtantem, ac ad quodlibet armorũ genus aptiſſimũ, agilem, robuſtum, fortem,* Sal. Ann. 1519.

Sal. Ann. 1519. *magnanimum, iuſtum, clementem, ac liberalem, bonis moribus indutum, cæteriſque omnibus virtutibus plene refertum, ac ab omni vitiorum labe penitus alienum, in quo vis eſt magni animi, ſimulque extare videntur ſeniles mores iuuenili in corpore ſiti, vt ſic eius miniſterio, vtrumq. tempus & bellorum et pacis recte poſſit gubernari, illudque Dauidicum impleri, vt iuſtitia & pax ſe inuicem deoſculentur. Quanto vero magis huius rei magnitudinem ſpectamus, tãto magis laudandi vires deficiunt, quaſi id opus non humanum, ſed diuinum cenſeatur, quandoquidem Imperium à ſolo Deo inſtitutum iura omnia teſtantur, quod & à prophetis enunciatum, & à Saluatore Chriſto naſcente et moriente approbatum, & ab Apoſtolis prædicatum, & ab ipſis ſacris Canonibus ſancitum legitur. Faxit itaque Deus Optimus, Maximus, vt huiuſmodi Imperium ſub* Carolo *Magno diuiſum, & vt plurimum à Chriſtianæ religionis hoſtibus occupatum, ſub* Carolo *maximo valeat inſtaurari, ad ipſiuſque viui & veri paſtoris obedientiam reduci. Sicque electus ipſe Cæſar noſter fęlicior & Auguſto, & Traiano melior, qui iam nil aliud concupiſcit, nil ardet amplius & appetit quàm ipſorum Electorum votis pro viribus ſatisfacere, ijs perſonaliter pro meritis correſpondere, cæteraque Imperij membra viſitare & fouere. Ipſas quoque ſolemnitates de more inſtitutas quamprimum perficere & obſeruare, quod fauente Altiſſimo proximo vere futurum ſperat.* Sal. Ann. 1519.

Reſtat nunc, ut ad te Illuſtriſſimum Principem Fridericum Palatinum Rheni Comitem, in Bauaria Ducem, tuoſq. in hac parte collegas, hic adſtantes ſermonem conuertam, id duntaxat enunciaturus, nil gratius ueſtro hoc aduentu Cæſari noſtro contingere potuiſſe, tum inſpecta horum qualitate, à quibus hæc legatio eſt iniuncta, tum etiam perſpecta negotij uobis cõmiſſi excellentia, tum demum ex illa erga te Illuſtriſſimum Principem intima beneuolentia, familiariq. conuerſatione, quã ſuam Maieſtas ab ineunte ætate, ab ipſiſque teneris annis, tecum habuiſſe dignoſcitur, qua te ſemper benigne complexus eſt, ob tuam in ſe fidem & obſeruantiam diutius expertam, aliaſque virtutes innumeras, quibus etiam apud diuæ memoriæ Philippum *Patrem, &* Maximil. *auum optime claruiſti. Eo igitur quo antea ſolebas familiaritatis priuilegio, deinceps cum ſua Maieſtate vti poteris. Cumq. reliqua ſecretiora Imperij negotia tibi commiſſa tractare volueris, præbebit Maieſtas ſua aures gratiſſimas, teq. sẽper ea, qua ſolet benignitate, et clemẽtia acceptũ, cõmendatũq. ſuſcipiet. DIXI.*

LITERAE QVIBVS REX CAROLVS *ELECTORIBVS gratias agit, quod eum Auguſtum deſignauerint.*

CArolus *Diuina fauente clementia Electus Romanorum Rex, futurus Imperator ſemper Auguſtus, ac Hiſpaniarum, vtriuſq. Siciliæ et Hieruſalem &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Flandriæ, Tirolis &c. Dominus in Aſia & Africa &c. Reuerendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Alberto, TT. S. Chryſogoni, S. R. E. presbyt. Cardinali & Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Romani Imperij Archicancellario per Germaniam, Principi Electori, amico, & Conſanguineo noſtro Chariſſimo Salut. & omnis boni incrementum. Reuerendiſſime in Chriſto Pater, amice & Conſanguinee noſter, venit ad nos Illuſtriſſimus* Fridericus *Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bauariæ, Princeps & Conſanguineus noſter Chariſſimus & nunciata nobis legatione ſua, Decretum Electionis quo Reuerendiſſima paternitas veſtra, reliquique Principes Electores, nos Auguſti titulis decorarunt, nobis tradidit, quòd cum ſummum nominis noſtri ornamentum, firmiſſimum regnorum noſtrorum præſidium, & æternum quendam dignitatis noſtræ ſplendorem, denique maximum qui regi deferri poſſet, honorem cenſeamus decretum, illud ſumma animi alacritate, gaudio, lætitiaque ſuſcepimus, fuitque nobis in eo præcipue gratum, quod communi omnium conſenſu nos Cæſarem deſignaueritis, quod tanta verborum & ſententiarum grauitate, nos ad celſiſſimum Romani Imperij ſolium euexeritis, vt earum pondere rei magnitudinem prope adæquaſſe videamini. Nos autem in primis optauimus, vt Omnipotenti, cui omnia accepta referenda ſunt, meritam pro veſtro hoc munere gratiam, iuſtis honoribus & memori mente perſoluere poſſimus. Deinde eum comprecati ſumus, vt hanc Imperatoriam poteſtatem, tam Reipublicæ Chriſtianæ vtilem, quàm nobis decoram eſſe velit.*

Reue-

Sal. Ann. 1519. *Reuerendiſſimæ vero P.V. cæteriſque Principibus Electoribus maximas gratias agimus, ſed ita vt maiores etiam habeamus, ac nos vobis memoria huius beneficij ſempiterna obſtrictos fateamur. Hoc autem nobis tam vnanimi aſſenſu veſtro obligatis, præcipuo ſtudio, cura, adnitendum putamus, vt Sacrum Romanum Imperiũ ea iuſtitia, fortitudine & continentia, temperemus, vt æquiſſima manſuetiſſimaque Imperandi ratione, veſtrum in nos collatum beneficium vniuerſis gratum, atque probatum faciamus. Ita enim Reuerendiſſimæ P.V. & reliquis Electoribus maiores gratias relatum iri exiſtimamus quam vnquam agere, habere, aut referre poſſimus. Ceterum cum inter reliqua ex ipſo Duce* Friderico *Reuerendiſſimam P.V. Collegaſque ſuos, miro aduentus noſtri deſiderio teneri, hocque omnes vno ore contendere intellexerimus, licet omnia alioquin ad iter noſtrum neceſſaria parabamus, veſtris tamen ijs communibus votis inuitati, ita noſtrum aduentum maturare ſtatuimus, vt celeritate eius, & itineris nos longitudinem, atque difficultatem exuperaſſe, & veſtram expectationem præoccupaſſe, noſtramque magnitudinem nonnihil neglexiſſe viſum iri arbitremur. Datum ex Molino Regio, die ſexto Nouembris. Anno Domini M. D. XIX. Regnorum noſtrorum Romani, ac Imperij primo, aliorum vero quarto.* Sal. Ann. 1519.

BELLVM VVIRTEMBERGICVM.

A *Morte* Maximil. *Cæſaris bellum cœperat Vvirtembergicum. Eſt Reutlinga Rom. Imp. municipium: vicinum Vvirtenbergenſibus: vterque conteminus ager: confines ſyluæ: con-*



iuncti limites. Accidit, caſune an induſtria dubium, quod è Vvirtenbergicis ſaltuarijs quidam eo in oppido à ciue intra mœnia occideretur. Dux cui charus occiſus erat, ſiſti ſibi percuſſorem ad iudicium poſtulat. Cunctantibus oppidanis parat vltionem: contrahit exercitum de ſuis magna ex parte ſubditis: Reutlingios ex improuiſo media hyeme obſidione cingit: fontes ac fluuios auertit: muros amplius ſeptingentis ictibus maiorum tormentorum verberat. Oppidani ſubito infortunio perterriti, ſed non fracti, vrbem fortiter defendunt: muros aceruo proiectilium ſaxorum indefeſsè muniunt: ſpe freti hoſtes in maximo frigore, & alta, quæ iacebat, niue durare diu haud poſſe. Dux tamen nihil ſegnior ad Vrbem expugnandam totus accingitur, vili ſago tectus, & ruſticano pileo: Corruerat magna muri pars arcis euerſa machinis: altè brumali gelu foſſæ concretæ, hoſtibus aditum præbebant non difficilem, oppreſſi tot malis Reutlingani deditionem faciunt. Princeps, vrbe præſidio de ſuis munita domum ſe recipit, Erat in fœdere, vti appellabatur, Sueuico Reutlingia. Quapropter confœderati eius rem hanc ad ſe pertinere exiſtimantes, diu non cunctantur: bellum Duci indicunt: reſiſtenti pleraſque arces, oppidaque adimunt: vrgent ita denique imminutum viribus, vt relictis in arce Tubingenſi liberis per ſyluam Hercyniam in Mompelgartenſem comitatum recipere ſeſe cogeretur. Eam deinde prouinciam Cæſar à confœderatis: poſt Ferdinandus *Frater à Cæſare, cum hæreditas diuideretur, eſt conſecutus. Patria vero Dux profugus Heluetiorum aliquot millia*

Sal. Ann. 1520. *cogit, vt ſua recuperaret: & præter alia, Stutgardiæ ſuburbium capit: in eoque caſtra ponit, vt oppidum etiam occuparet. Cum autem Sueuici fœderis ordines, & Ferdinandi quoque Regis præfecti, qui regionem illam tenebat, copias conſcriberent: & occultè milites atque Duces ad defectionem ſolicitarentur, pecunia quoque non ſuppeteret, ab incepto rurſus deſiſtere coactus fuit. Reducitur tandem patrium in Ducatum opera maximè laboreque Philippi Haſſiæ Landrgauij, cum in Vndecimum vſque annum exilium pertuliſſet.* Sal. Ann. 1520.

CAROLI V. REDITVS IN GERMANIAM. Anno 1520.

Sal. Ann. 1520. XLVI. *Carolus apud Hiſpanos male audit ob aulicos Belgas.*

CVm iter in Germaniam meditaretur *Carolus*, Toletum vocatos Hiſpanorum ordines menſe Martio, rogauit, ne ſibi neceſſarijs adhoc iter pecunijs, deeſſent. Sed paucis ordinum, vrbiumque aſſentientibus, à pleriſque, etiam Caſtellanorum eſt reclamatum; negantes *ſe onera ſubituros, dum regni beneficia in peregrinos deriuarent. Pari lege ad idem ſpectare regnorum comoda, atque incomoda*. Procerum iam offenderat animos, inuiſa aulicorum potentia. Minime ferebant, externam ſibi Belgarũ nationem, quę Regis aulam moderabatur, tanto honore prælatam. Tot ſe Reges habere, quot peregrinos Hiſpanis prælatos cernerent. Hinc odia, & ſeditionis iacta ſemina. Exciderat eo tempore Gadium præfectura *Ferdinandus Daualus*, qui cum iccirco vindictæ cupiditate flagraret, ſocios quærebat, & inuenerat, vxoris *Pacacæ* lenocinio, *Ioannem Paliliam* Toletanæ nobilitatis virum principem, & Zamoræ Antiſtitem Daccugnam, ac *Petrum Gironium* Saluaterræ comitem, Magnates facile plures; quæ cum latere haud poſſent, *Guilielmum Croyum* aulæ moderatorem impulerant, ſpetie inuiſendæ claſſis ad Biſcaios *Carolo* inſtructæ, in Belgium ſecedere, ne ſui victima ſeditioſos cogeretur placare furentes. *Carolus* verò diſſimulata rebellium pertinacia, opportunius vindicanda, aurum, quod pacatæ vrbes deferebant, admiſit. Cumque à ſeditioſis militem conſcribi intelligeret, *Hadriano* Cardinali, Hiſpaniarum adminiſtratione commiſſa, ipſe ſe ſe Toleto, fugienti ſimilis ad claſſem ſubduxit. Angliam adijt, vt Rege *Henrico* cui etiamnum *Catharina* matertera *Caroli*, coniux placebat, contra *Franciſcum* Galliarum Regem amico vti poſſet. Inde per Zelandiam Brugas contendens, præter Venetorum, Germanorumque legatos, *Ferdinandum* fratrem, & *Margaritam* amitam Belgij gubernatricem, obuios habuit. Subſtitit ibi aliquandiu, Regem Anglum expectans, qui ſuæ coronationi fore promiſerat. Sed magnis Gallorum inflexus promiſſis, à *Carolo* defecerat. Arrepto itaque itinere *Carolus*, metu peſtilentiæ, quæ Francofurti ſæuiebat, Coloniam diuertere ab Electoribus rogabatur; noluit tamen duobus aduerſari *Carolis*: alteri magno, cuius illic cineribus eximius eſt honos: alteri huius nominis quarto; cuius legibus hæc coronationi ſedes eſt conſtituta. Ita *Carolo* morem gerere coacti Septemviri omnes, Saxone valetudinis cauſa apud Vbios relicto, XXI. Octob. vrbem ingreſſi, poſtridie venienti ſe Regi obuiam dederunt. Vbi propiùs ventum, ſinguli Electorum, duodecim ex nobilitate aſſumptis, ad Regem contenderunt, equiſque deſilientes, prono obſequio *Carolum* venerantur, ac deſcenſum viciſſim honoris gratia molientem detinent. Salutem, votaque principum expoſuit vernacula lingua *Albertus* Moguntinus Præſul, cui Saliſburgenſis Cardinalis beneuolè ex *Caroli* ſententia reſpondit. Pompa hoc ordine inſtructa: *Ioannes* Marchio Brandeburgicus, circa quem, præter ſatellitium, equites vexilliferi, clypeis, more veteri, latus muniti. Hunc tria à tergo millia peditum Germanorum ſequebantur, quæ vrbem tranſgreſſa, vicina Aquiſgrano loca obſederunt. Inde Iuliacorum Princeps cum quadringentis grauis armaturæ militibus. Pone Saxonis, Palatini, ac Brandeburgici copiæ. Inde Septemviralis Præſulum miles, poſt Moguntinenſem Treuir, denique Colonienſis proximè Regem adiunctus eſt. Cuiuſque Electoris legio habitu, clypeo, ſecernebatur à cæteris. His purpuratorum aulici, ex Belgio, Hiſpania præter Germanos. Subinde pars regij exercitus veluti in choros diuiſa, vt tympanis, liſtris, tubis, harmonicè plauderet. Agmen claudebat religioſorum ordo. Præmiſſis porro æneatoribus duodecim,

XLVII. *Carolus Belgium petit.*

XLVIII. *Electores Carolo occurrunt.*

Sal. Ann. 1519. cim, tres regali aquila, ac gentis Carolinæ inſignibus ornati, miſſiles in plebem nummos ſpargebant. Inter hæc *Magni Caroli* effigiem, eiuſdemque in ferculis ſacrum caput obtulere Canonici, æneis vigilum ex vrbe cornibus rudi muſica adſtrepentibus: quorum vnus regio inſidens equo, qui ex veteri illis conſuetudine ceſſerat, agmen ducebat. Cæſar namque, inſtituto Maiorum, vbi extremam vrbis partem attigit, exoſculatus, quam Canonici offerunt, Crucem, ſubmiſſaque veneratione proſecutus Caroli reliquias, equum, quo vehebatur, demittit, aliumque conſcendit, quo vrbem ſubeat, mox etiam, vbi deſcenderit, in aliorum manibus deſtituendum. Canonicorum latera ſtipabat Prætoriana cohors; pars ex Heluetijs bipenniferis incedebat pedes; ex Burgundionibus, Flandriſque pars altera, eques progrediebatur. Hos pone armigeri cum Imperij, ac Hiſpaniæ inſignibus. Comes Palatinus dextero, legatus Marchionis ſiniſtro latere, medio Electorem Treuirenſem acceperunt. His à tergo aderat, loco Saxonis, *Vdalricus Pappenheim*, nudatum vagina gladium ferens. Denique equo vectus, armiſque ac paludamento, Cæ-
XLXIX. ſar eminebat, cuius dexteram ſtipabat Colonienſis Septemvir, coronandi prærogatiua hoc loco prælatus cæteris; Siniſtram Moguntinus nuper electionis dignitate ſuperior. *Coronatur.* Sequuti ſunt plurimi Antiſtites Cardinalitia purpura illuſtres, plerique alij legati. Declinauerant tamen Pontificij, Anglicique legati pompam, ne quid Principum ſuorum auctoritati decederet, ſi minorem Septemviris locum occupaſſent. Nouiſſimo loco incedebat miles, & militari harmonia, populi plauſum excitabat.

Vbi Deiparæ Ædem à *Carolo Magno* conſecratam acceſſit, equo abſceſſit, quem antiquo ſibi iure ſupremus aulæ apud Vbiorum antiſtitem præfectus, Comes à Pufferſcheir vendicabat. Mox exceptus Baſilica, media illius area pronus in terram ſubpenſili corona ſtragulis incubuit: dum poſt dictas à Colonienſi præces, ad canticum laudis pedibus inſiſteret, ac denique in genua prouolutus ante aram Virginis, Cęlo ſuis honoris auſpicia conſecraret. Hinc ad ſacrarium cum Septemviris digreſſus, ſuas illis immunitates denuo confirmauit: quod olim in litore Rheni, *Sal. Ann. 1520.* haud procul Confluentia ad municipium Rentz, Imperatores ſaxeæ ſedi ſub nucibus impoſiti; Principibus firmaſſe, ſuo indulto feruntur. Altera die Principes eandem baſilicam ingreſſi, Pontificio ornati habitu, venientem excepere Regem. Sacris operaturus Colon. Antiſtes, dum preces pro Cæſare premittit, is per Septemviros ad aram deductus, prono in terram corpore, ſupplex iacuit. Poſtea ijſdem ductoribus auream aræ aduerſam ſedem adiens, poſt Litanias, in pedes erectus *Carolus*, ab Epiſcopo ſacrificante, Romano eſt interrogatus ſermone; *Num fidei catholicæ, Orthodoxæ Eccleſiæ, iuſtitiæ, Imperijque propugnandi defenſorem ſeſe addiceret? Romano denique Pontifici, Summo per Orbem Chriſti Vicario, debitam ſubmiſſionem delaturus eſſet?* Hæc omnia cum ſe facturum annuiſſet, ad dexterum altaris cornu progreſſus, duobus in illud digitis inclinatus, conceptis verbis fidem dictorum Sacramento firmauit. Inde *Carolo* in ſolium recepto, Colonienſis Princeps percontatur, *numquid fidem, obſequiumque præſtituri huic Domino ſint?* Quibus affirmantibus, iterum ad preces itum, *Carolo* procumbente, quem mox in genua aræ aduolutum oleo caput, pectus, brachiorumque flexus, ac manuum palmas Præſul inunxit. Ad ſacrarium reductus *Carolus*, amiculum aurea Dalmaticæ chlamyde permutauit, ſocculiſque imperialibus D. *Caroli* inductus, diaconi habitu ante aram inter preces ſuccubuit. Erectus breui, cultuque priore exutus, eductum vagina gladium de manibus Colonienſis inter duos Præſules ſtantis, accepit. Inde annulum digitis pallium *Magni Caroli* humeris, aurei velleris inſigne collo, tanquàm Imperij, Eccleſiæque ſponſus admiſit. Sceptrum porro dextræ, aureumque pomum, cum æquitatis adminiſtrandæ voto, tum denique corona triũ Archiepiſcoporum manibus capiti impoſita eſt. Sic admotus aræ nouo iuramento priora firmauit. Inde Baſilicæ inferiorem teſtudinem conſcendit: vbi ſaxeæ illocatus ſedi, Moguntinum Præſulem omnium Electorum nomine gratulantem, tum Canonicorum ordinem auſcultauit: cui deinde, & ipſe *Imperator*, veteri more *Canonicus*, eſt initiatus. Pone equites creat, D. *Caroli* gladio

Sal. Ann. 1521.

dio in ſubmittentium ſeſe humeros, leni ictu, inclinato. Ex Baſilica ad epulas ſe recepit. Vbi ſinguli Electores ſua præſtitere munia. Vſurpato tandem Imperatoris titulo, maluit *Carolus*, reuocata maiorum conſuetudine, non domi, ſed in Italia confirmationem ſuſcipere de manu Romani Pontificis.

L. *Sal. Ann. 1521. Comitia Vvormatiæ.*

Interim Vvormatiam comitia indixit ad ſextam Ianuarij, 1521. Ibi in Turcas, & hæreticos quæſita remedia, ſed fruſtra. Magiſtratus delecti, quæ vice Cæſaris abſentis fungerentur. In fœnora renouatæ leges. Moneta certi ponderis cuſa. Veſtium luxus caſtigatus. Germanis interdictum ſub ſignis militare alienis. Italica decreta expeditio. Hæc omnia facile.

LI. *Lutheri dotes.*

Gliſcentis in religione ſeditionis vis maior, quàm legibus coerceretur. Malorum auctor *Martinus Lutherus* habitu Eremita Auguſtinianus, in Saxonia natus, acris ingenij homo, quem vt deterreret Cœlum, fulmine opus habuit: quo territus, Mundo Vale dicens, clauſtra ingreſſus eſt. Vvitembergæ, vbi Logicam Ariſto elis in clauſtris docebat, cum eum *Mellerſtadius* diſputantem audiret, dixiſſe fertur. Hic Monachus profundos habet oculos: mirabiles phantaſias: omnibus Doctoribus negotium faceſſet, & turbas dabit. Fuit quidem præ multis Germanis ingenio prompto, fœlici memoria, vernaculæ linguæ eloquentia nemini ſuæ ætatis concedens. E ſuggeſtu declamans, velut æſtro percitus, accomodata verbis actione, auditorum animos mirifice percellebat, & quocumque vellet abripiebat. Laboris patientiſſimus, in legendo, & ſcribendo aſſiduus: magno & vaſto animo excelſa tentando, præcipiti. Comis, affabilis, inter magnates, ſupra cæteros quid grande ſpirabat. Multæ Lectionis fuit, vt qui quatuordecim annis, quibus regularem egit vitam, bonos libros ſedulo euoluerit. Sophiſta acutiſſimus inter ſcholaſticos diſputatores, primas detulit.

LII. *Superbia.*

Dotes has intollerabili tamen arrogantia polluit, nam inquit *Geſnerus Lutheranus*, adeo ingenio fuit vehementi, vt neminem ferre poſſet, qui cum eo non ſentiret. Mordax fuit, vt nec Sanctiſſimorum hominum cineri pepercerit: quod ei tam à *Bucero*, quàm *Eraſmo* non ſemel fuit exprobratum. *Lutherus* (inquit Eraſmus) animum ſuum iniurijs, & conuicijs paſcit: nec ijs ſatiatur vmquàm furioſo Oreſti ſimilis. Tantum ſibi tribuebat, vt nec Angelis cederet, ipſe teſtatur.

Sal. Ann. 1521.

Fridericus Saxo Lutheri patronus.

Multorum animos iam ſibi conciliauerat, in primis *Friderici* Saxoniæ Electoris, quòd is Accademiæ ſuis auſpicijs non itam pridem inſtitutæ, magnum crederet allaturum *Lutherum* nomen, vnde ſuo inſtituto comodum, quoquo pacto fouendum, putabat. Fretus hoc præſidio *Lutherus*, non minus liberè, quàm inſolenter, Scholaſticis contradicebat, vt gloriam captaret inanem. *Ariſtotelem* inter Philoſophos, & *Thomam* inter Theologos principem aggredi habebat in animo, quos in dies ſuggillabat, vt ad altiora conſcenderet. Nec defuit occaſio.

LIII. *Lutheranæ hæreſis origo, & occaſio.*

Leo Pontifex hoc nomine *Decimus*, vt Vaticanæ Eccleſiæ nobiliſſimum opus, à *Iulio* cæptum Pontifice, glorioſo coronaret exitu, & contra Turcarum irruptiones, arma pararet, Indulgentias vulgauit ijs, qui ſubſidiariam aliquam pecuniæ opem facerent. Hic labor ab *Alberto* Moguntino Principe, eis rebus per Germaniam præfecto, Dominicanæ familiæ viris, anno huius ſeculi XVII. traditus, inuidente hanc illis, ſiue dignitatem, ſiue vtilitatem *Staupitio* Auguſtiniani Ordinis Generali, genere nobili, cum Ducibus Saxoniæ, non minus ſanguine, quàm familiaritate iuncto. Hic vbi vidiſſet vulgaris plebeculæ abuſu, & inſcitia, Pontificia diplomata, velut ex mercatu comparari, hominesq. flagitioſos oberrare, vbi hac, tanquàm libertatis ſecuritatiſque teſſera, muniti incederent; *Lutherum*, iam inuidia, ac indignatione æſtuantem, rem hanc pro concione in ſcholis, templiſque exagitare iuſſit. Sed is præ ingenij ferocia, modeſtiæ limites ſupergreſſus, non Romanorum diplomatum abuſum, quàm illorum diſpenſatorem aggreſſus Romanum Pontificem, verbis, ſcriptis carpere cepit, & in eum Germaniam concitare. Neque hic ſterit arrogantia: ipſa Patrum Concilia, atque Eccleſiæ canones deridere non erubuit, & iniectis flammis violare, vt quidquid priſco more ad diluenda crimina, Eccleſiaſtica traditione inoleuerat, dirueret. Aduerſarios Patres paſſus Dominicanos, ne ſucumberet, hoc clypeum defenſionis arripuit, *Omnia negare, & iudicem in terris non recognoſcere*. Ex Do-

minica-

Sal. Ann. 1521. minicanis *Tetzelius*, & *Prierias* cum *Lutheri* aphoriſmis alios obieciſſent, conuitijs ſunt onerati. Pontificij legati *Caietanus* ac *Militius* ſapientia ac dignitate illuſtres operam ſanando homini fruſtra admouerunt. Lipſiæ *Ecchius* magnæ Ingolſtadij famæ Theologus, cum *Luthero* congreſſus, irrito ſe labore fatigauit. Nam Patres, Eccleſiam, Concilia prò nihilo ducebat *Lutherus*, omneſque veluti labe pollutos ſolus ipſe corrigere profitebatur. Hæc omnia ante electionem *Caroli V.* Huic cum opera *Federici* Saxonis Electores obtuliſſent Imperium, *Federici* merito, de *Carolo Lutherus* multa ſibi pollicebatur. Ad

LIV. *Artes Lutheri.* eum itaque circumueniendum, occaſio quærebatur. Iactabantur Saxonis merita; quæque Pontificis Romani conciliare poſſent odia, ſuggerebant. *Hunc videlicet illum eſſe, qui in Cæſarem Gallum promouerat, neque Carolum Neapolitanum Regem, & Cæſarem pati volebat. Nihil Romanorum Pontificum tyrannide Germanis Principibus fuiſſe intolerabilius, quàm plures Imperatores excutere fuerint conati. Iugum hoc ſemel abijciendum. Paſcat verbo gregem paſtor; regat Cæſar gladio populos. Rem longè diſparem Eccleſiam eſſe, & Imperium; hoc gladio, illam clauibus ſeruari: illic imperari, hic doceri. Agnoſcat Auguſtum ſe iam factum eſſe, quòd ſoli Deo ſubſit, cæteris*

Cæſari ſcribit. *præſit vniuerſis.* Tum ipſe *Lutherus* ſuorum conſilio fretus ad eundem *Carolum* epiſtolam ſimulata humilitate, odioſiſque in aduerſa-

LV. rios querelis depictam exarauit: In qua poſt captatam blanditijs beneuolentiam, ait: *Editi ſunt à me nonnulli libelli, quibus multorum, & magnorum mihi conflaui inuidiam, & indignationem, vbi debui duplici præſidio tutus eſſe. Primum quòd inuitus in publicum veni, nec niſi aliorum vi, & inſidijs proditus, ſcripſi quicquid ſcripſi: nihil vnquàm maioribus votis expetens, quàm vt in angulo meo laterem. Deinde quod teſtor mea conſcientia, ac optimorum virorum iudicio, non niſi Euangelicam veritatem ſtudui euulgare, aduersùs ſuperſtitioſas humanæ traditionis opiniones. Propter quam tertius iam finitur fermè annus, ex quo patior ſine fine iras, contumelias, pericula, & quicquid poſſunt mali excogitare. Fruſtra veniam peto, fruſtra ſilentium offero, fruſtra pacis conditiones propono, fruſtra erudiri meliora poſtulo. Vnum eſt quod in me paratur, tantum vt extinguar* Sal. Ann. 1521. *cum vniuerſo Euangelio. Cum autem omnia fruſtra tentarim, viſum eſt tandem, exemplo S. Athanaſij, Imperatoriam Maieſtatem inuocare, ſi forte Dominus dignetur per eam ſuæ cauſæ adeſſe.* Et in proteſtatione ſua. *Sed ne hoc quidem promoui* (inquit) *quod me ſæpe numero & multifariam obtulerim, vt filius ſupplex, & obediens S. Eccleſiæ Catholicæ, qualis, Deo Opt. Max. adiutore, mori volo, taciturum, ſi per meos aduerſarios liceat, omnium Vniuerſitatum non ſuſpectarum cognitionem, & ſententiam paſſurum, coram non ſuſpectis iudicibus, ſacris, & prophanis, ſub fide publica, idonea, & ſufficienti, conductu libero, & libenter, & humiliter compariturum, eorumque cognitionem & ſententiam accepturum.* Cauſam *Lutheri* fouebant Rhetores, Poetæ, aulici, inter quos *Vlricus Huttenus*, eques Germanus vir natalibus clarus, ac ingenij acerrimi. Is, ante- LVI. *Vlricus Huttenus. vide eius effigiem nu. 90.* quam *Lutheri* nomen mundo innoteſceret, multa pro Germani libertate contra penſionum quæſtus, & citationum vexationes, quibus Romana Curia Germaniam grauare videbatur, ſcripſerat. Is tum ædiderat *Triadem Romanam*, libellum quidem paruulum, ſed mirè feſtiuum, & Laicis plauſibilem. Quo ſane effecit, vt nihil æquè inuiſum Germanis eſſet nomen Romanę curiæ, & *Curtiſanorum*. Eam occaſionem nactus *Lutherus*, cępit Teuthonicè ſcribere *Reformationem* ad *Carolũ V.* & ad nobiles Germaniæ: in qua vt omnium mentes à Romano Pontifice, & ab eius curia retraheret, diligentiſſime Romanos recenſuit abuſus. Inde vt aulam prenſaret in curiam, Papam, Epiſcopos Cæſaris ſubiecit gladio. *Carolus* verò hiſce minime irretitus blan- LVII. *Cæſar iubet Lutheri libros comburi.* ditijs, ſeuerè præcepit, vt *Lutheri* libri à Sede Apoſtolica damnati, publicè comburerentur. Mandata Cæſaris cum audiſſet *Vlricus Huttenus* (qui polemicis ſcriptis cauſam propugnabat *Lutheri*) non eſt veritus Moguntino Principi denuntiare minacibus literis: *Si libris à ſe conſcriptis admoueret flammas, ſe eaſdem in ipſius regeſturum oppida.* Hinc timore correpti Moguntinus, & *Aleander* Le- LVIII. gatus Pontificis, mitiùs agentes, quomodò ſecederent, cogitabant. Lutherani namque multitudine freti, iam pudorem, metumque excuſſerant, infameſque imagines, &

Aleandri

Sal. Ann. 1521. *Aleandri* expedibus ſuſpenſi effigiem, & Pontificis cuſtodiæ traditi, exhibentes, minaces in Cæſarem ſpargebant literas, quibus necem minabantur *Lutheri* damnationem molientibus, iactabantque iam nobilium in armis ſtare quadringentos. Cumque concepta formidine, trepidaret Moguntinus, Cæſar conſtanter adiecit: *Mutium olim iactaſſe in caſtris Porſenæ, trecentos ſuorum eſſe, cum ſolus veniſſet: videri has vmbras, quæ non ſint metuendæ:* iuſſitque adeſſe proceres ſtatuta die, qua *Aleander* audiretur, quem per ſe admonuit, liberè diſerteque cauſam exponeret. Sal. Ann. 1521. LIX. *Caroli Cõſtantia.*

COMITIA VVORMATIAE. Anno Sal. 1521.

Coactis comitijs, *Hieronymus Aleander* Pontificis nomine, cœpit *Lutherum* in
LX. frequentiſſimo Principum, Prelatorum, conſeſſu grauiſſimè accuſare, non ſolum inobedientiæ & hæreſeos, verum etiam ſeditionis, rebellionis, impietatis, & blaſphemiæ. Cum autem pleriſque videretur magis vindictę libidine, quàm zelo pietatis in illum concitari, parum promouit, donec ex libro *Lutheri, de Captiuitate Babylonica*, recens ædito, excerpſiſſet, XL. articulos, in quibus ille non ſolum ſacramenta Eccleſiæ, verùm leges Principum damnare auſus fuerat. Hos ergo vbi ex ſchæda recitaſſet *Aleander*, Principes qui eum librum nondum legerant, & de *Luthero* nihil tale ſuſpicabantur, vehementer exterriti, alter alterum intuebantur, atque in *Lutheri* fautores muſſitare cæperunt. Quod vbi ſenſit Dux Saxoniæ *Fridericus*, declinandæ inuidiæ gratia dixit: Eos articulos non eſſe *Lutheri*, ſed in eius odium ab aduerſarijs effingi. Orta itaque contentione, dum hic negaret, ille affirmaret, viſum eſt Principibus, *Lutherum* ipſum eſſe accerſendum, vt ore ſuo confiteretur, qui nam ſint libri ſui, & qui ſuppoſiticij. Tam verò difficilis diſceptatio inter proceres exorta eſt, qua cautione adducendus foret. Timebant enim, ne traderetur in manus Pontificis, & veluti perfido hæretico nulla eſſet ſeruanda fides. Multis res nimiū LXI.
indigna videbatur, vltra Cæſaris fidem quidpiam deſiderari, prò vnius Monachi ſaluo conductu. Permiſit tamen Cæſar, vt & nonnulli Principum ſuam fidem interponerent. *Diſceptatio de ſaluo conductu.*

CAROLI V. LITERAE AD MARTINVM LVTHERVM.

Carolus V. *Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, &c.*

Honorabilis, dilecte, Deuote: Quoniam nos & Sacri Imperij Status, nunc hic congregati propoſuimus & concluſimus, propter doctrinam & libros aliquandiu hactenus abs te editos, ſcrutinium de te ſumere, dedimus tibi ad veniendum huc, & iterum hinc ad tuam ſecuram tuitionem, noſtram & Imperij liberam, directam ſecuritatem & conductum, quem tibi circa hæc mittimus; deſiderantes, vt velis te ſtatim accingere itineri, ita vt infra viginti vnum dies in huiuſmodi conductu noſtro nominatis omnibus modis hic apud nos ſis, & non domi maneas. Neque vllam vel violentiam vel iniuriam timeas. Volumus enim te in præfato noſtro conductu firmiter manutenere, & nobis perſuadere te venturum. In hoc namque facies noſtram ſeueram ſententiam.

Datum Vvormatiæ, die VI. Martij, Anno Domini milleſimo, quingenteſimo, vigeſimoprimo, Regnorum noſtrorum, Romani tertio, &c.

Ad mandatum Domini Imperatoris propria manu ſubſcripſit Albertus Cardinalis Mogunt. Archicancell.

Honorabili noſtro dilecto, deuoto Doctori Martino Luthero, *Auguſtiniani Ordinis.*

Publica itaque accerſitus fide, cum in præſentia Cæſaris eſſet, nec fingere verecundi, modeſtique hominis vultum vocemque poſſet, *Carolus* ad Principes verſus, dixit: *Hic ſanè, vt ipſius religionem amplectar, numquàm effecerit.* Admiſſus poſtridie XVII. Aprilis ad comitia, à *Io: Eccio* Treuirenſi vicario rogatus eſt primò: *Num libros ſuo vulgatos nomine, quorum inſcriptionem prælegit, à ſe profectos agnoſceret?* Cumque annuiſſet, iterum rogatur, *an in his contenta tueri velit? an abolere religioni maiorum contraria?* Hanc poſtulationem cum *Lutherus* grauiorem affirmaret eſſe, quàm vt extemporanea reſponſione expediri poſſet, deliberandi moram petijt. Dimiſſus itaque poſtridie non imparatus adfuit, & prolixo verborum ambitu, conſcripta *Lutherus in comitijs.*

pta

Sal. Ann. 1521. pta ab ſe volumina ad triplicem claſſem reuocauit; cumque in Crepuſculum dies vergeret æſtiua, dixit ei Orator Cæſaris, *ad rem reſponde, ac ſimplex, et non cornutum des reſponſum: an reuocare velis, nec ne?* Ad hæc Lutherus. *Quum S. M. veſtra, Dominationeſque veſtræ ſimplex reſponſum petunt, dabo illud neque cornutum, neque dentatum. Niſi conuictus fuero teſtimonijs ſcripturarum (nam Papæ, vel Concilijs minime credo, cum conſtet eos ſæpius erraſſe)* ſcripta *non reuocabo*. Poſt hanc reſponſionem, deliberato negotio, mandarunt Principes *Luthero* reſponderi, *immodeſtè reſpondiſſe, iam à Concilijs damnata, fruſtra iterum diſputari, præterea errores recantaret, & de Cæſaris ſperaret clementia.* Lutherus autem ad Cæſarem obſecrando verſus, *ne conſcientiæ vim inferret, reſponſum minimè dediſſe ambiguum, ab hoc dimoueri non poſſe, cum concilia falſitatis arguere paratus eſſet.* Cæſar altera die, quòd pertinaciam hominis præfractè obſiſtentis frangendam deſperaſſet, ipſe non eſt reuerſus; ſed animum ſuum ſcripto propria manu exarato Ordinibus in hanc ſententiam expoſuit. Sal. Ann. 1521.

LXII. *Lutherũ Cæſar damnat.*

CAROLI V. RESCRIPTVM AD ORDINES IMPERII DE LVTHERO.

Nõ clam vos eſt, me genus ducere à Chriſtianiſſimis Imperatoribus illuſtris Nationis Germanicæ, à Catholicis Hiſpaniarum Regibus, ab Archiducibus Auſtriæ, Ducibuſque Burgundiæ: qui omnes ad ſupremum vſque vitæ diem ſe fideles Romanæ Eccleſię declararunt, ſemperque Catholicæ fidei, ſacrarum cæremoniarum, decretorum, conſtitutionum, ſanctorum morum, pro Dei honore, pro fidei incremento, pro animarum ſalute propugnatores fuere. Qui vita functi, nobis ex naturæ inſtinctu, & iure quodam hæreditario ſacra, quæ diximus, Catholica inſtituta quaſi per manus tradita reliquere, vt eorum veſtigijs inſiſtamus, & in ijs etiam mortem oppetamus. Et nos quidem, vtpote maiorum noſtrorum non fallaces imitatores, Deo nos bene iuuante, in hunc vſque diem eo pacto viximus. Itaque ſtat ſententia, tueri & propugnare quæcumque tum anteceſſores mei, tum ego ipſe hucuſque obſeruaui: id autem vel maximè, quod per anteceſſores meos tam in Conſtantienſi, quàm alijs Synodis, ſancitum eſt.

2. *Cùm verò in aperto ſit, vnum ſolum Fratrẽ hallucinari, priuata opinione deceptum, quæ quidem cum totius Chriſtianitatis ſententia pugnet, tam eorum qui ante mille annos nos præceſſerũt, quã qui in præſens viuunt: eaq. præ ſe fert, Chriſtianos omnes hactenus ſemper in errore fuiſſe: eam ob rem planè deliberatum mihi eſt, Regna mea omnia, Imperium, ditiones, amicos, corpus, ſanguinem, vitam denique ipſam, & animam impendere, ne improbus hic conatus longiùs progrediatur: quandoquidem in meam haud exiguam, itemque veſtram id ceſſurum eſt ignominiam, qui præclara & cum primis celebris eſtis Germaniæ natio: quibus id in honoris, authoritatis, prærogatiuæ cumulum acceſſit ex priuilegio, vt iuſtitiæ obſeruantiſſimi, Catholicæque Fidei defenſores & propugnatores habeamur. Quòd ſi qua igitur non modò hæreſis, ſed vel ſuſpicio hæreſeos, vel aliqua Chriſtianæ religionis imminutio in hominum animis noſtra tempeſtate relicta erit, id poſteris noſtris perpetuæ vituperationi fuerit.*

3. *Quandoquidem ergo pertinax heſterno die Lutheri reſponſum coram omnes audiuimus, mentem ego vobis meam aperio, pœnitere me, quòd tam diu diſtulerim contra hominem illum eiuſque falſam doctrinam procedere, nec me poſthac audire illum velle, quicquid etiam allaturus ſit. Iubeo autem vt quàm primùm ex mandati præſcripto reducatur, caueatque ipſe ex publicæ fidei, ipſi data formula, ne palàm concionetur, neue populo praua ſua dogmata inſtillare pergat, ne denique ipſius opera noui quidpiã aut motus aliquis excitetur. Equidem, ſicut iam dixi, contra eum haud ſecus, atque contra notorium Hæreticum, planè deliberaui procedere: ſimulque à vobis repoſco, vt in iſtac cauſa id ſtatuatis, quod decet probè Chriſtianos, & vt vos facturos recepiſtis.*

Scriptum manu propria, die 19. Aprilis, Anno 1521. Carolus.

Lecta in comitijs ſententia *Caroli*, varia in vulgus concitatio manauit, prout *Lutheri* rebus quiſque animum in fauorem, vel odium impenderat. Spargebantur ſeditioſorum voces, ædiumque valuis legebantur inſcriptæ, *Væ terræ, cuius Rex puer eſt*. Magna hic quibuſdam poetis, *Hutteno* Franconi, & *Buſebio* Vveſtphalo audendi licentia in Theologos eſt vſurpata. Nobilium arma iã in

LXIII. *Cæſari Lutherani illudũt.*

Sal. Ann. 1521.

Lutheri ſuppetias à Franconibus dicebantur parari; vt principes nouitatis metu ſolliciti, nil relinquerent, quo hominem placarent. Ab Imperatore rogarunt; liceret pertentare *Lutherum*, vt damnatos ab Eccleſia reuocaret articulos. Cum quo, toto triduo publice nihil actum, priuatim verò frequens ſeditioſorum ad eum concurſus eſt factus.

LXIV. *Principes ſtudent Lutherũ ad fidem reducere.*

Die itaque XXIV. Aprilis, nonnulli principes inter quos Archiep. Treuir, Marchio Brandeburgenſis, accerſitum *Lutherum* per *Hieronymum Væum* humaniſſime monuerunt, *temperaret illis vocibus, quibus tot ſæculis nationibuſque probatam Conciliorum conuelleret auctoritatem*. Quibus Lutherus *gratias egit pro tam clementi exhortatione, qua ipſe non ſit dignus*. Deinde ad obiecta reſpondit, *de concilijs, quod non omnia reprehenderit concilia, ſed tantum Conſtantienſe, quod verbum Dei damnauerit*. Plurima in hoc conſeſſu acta ſunt, ſed vltimo poſtulatum *an ſcripta abs ſe, Cæſaris vel Imperij Ordinum iudicio ſubmittere vellet?*

LXV. *Humanũ reſpuit iudicium.*

Ad quæ *Lutherus* reſpondit, *nullius hominis ſe ſubterfugere iudicium, modò ex verbo Dei definiatur controuerſia*. Non enim *confidendum erat in Principibus, & filijs hominum*. Interrogatus *an Concilio acquieturus eſſet?* Annuit ſed ijs legibus, *vt dicẽda per Concilium ſententia ex ſacris literis deſumeretur*. Tum Moguntinus Archiep. duritiem hominis admiratus, iuſſit rationem componendæ litis ſuggerere. Reſpondit *Lutherus* aptiorem ſibi nullam videri illa *Gamalielis* ſententia: *Si ex hominibus eſt conſilium hoc, aut opus diſſoluetur; ſi verò ex Deo, diſſoluere non poteritis*. Solitum hæreticorum clypeum, ex ſacris voluminibus patrociniũ quærere, ſed vni ſibi traditum de Cœlo rectè intelligẽdi ſenſum aſſerere: & tot ante Concilijs Patribuſque ignoratum vſurpare: vt vehementer deſiperet, qui ſibi ſoli contra reliquos Doctores ſaperet.

LXVI. *Lutherus remittitur.*

Re igitur deſperata, *Lutherus* indemnis per Fecialem Cæſaris *Sturmium* reductus eſt: quamuis *Carolo* eſſet, qui ſuaderet, detinẽdũ in captiuitate hominem, qui indemnitatis leges, ſeditioſis in itinere concionibus primus violaſſet. Maluit tamen *Carolus* in *Luthero* manere impunitam, quàm ſibi leges vindicanti perfidiam imputari.

Vaſre ſubducitur.

Fridericus autem Elector, prò ſua in Apoſtatam beneuolentia, cum proſcribendum Cæſaris mandato intelligeret, vt diſcrimini anteuerteret, duobus ex fide *Lutheri* nobilibus eum in via abducendi, ad aliquam ſuarum arcium (nec ſibi quidem deſignandam, vt profiteri ignorantiam poſſet) negotium commiſit. VVartemburgum abductus, lauta nouem menſium captiuitate, ipſis etiam arcis cuſtodibus ignotus delituit. Manauit repente à ſocijs itineris fama, *Lutherum* per vim abductum, violatamque à Cæſare datam homini fidem, nec leues in *Carolum* concitauit motus: Pontificijs nuntijs in extremo vitæ diſcrimine poſitis, donec pateret, *Lutherum* non ereptum, ſed ſeruatum. Vnius *Friderici* apud *Carolum* veneratio, cuius potiſſimùm conſilio poſſidebat Imperium, obſtitit, ne in *Lutherum* acerbius aduerterent.

CAROLI V. EDICTVM VVORMACIENSE IN LVTHERVM.

LXVII. *Proſcribitur.*

CArolus V. Diuina fauente Clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ: Comes Habſpurgi, Flandriæ, & Tyrolis, &c. Vniuerſis & ſingulis S. Rom. Imp. Electoribus, alijſque Principibus, tam Eccleſiaſticis quàm Sæcularibus: Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Cliẽtibus, Præfectis, Pręſidibus, Iudicibus, Scultetis, Burgimagiſtris, Conſulibus, Scabinis: Ciuitatum, Oppidorum, Villarum, Terrarum, & quorumuis aliorũ locorum Communitatibus: necnon Vniuerſitatum, Studiorum ſiue Gymnaſiorum Rectoribus, & Locumtenentibus, ſeu Officialibus eorundem, ac cæteris quibuſcunque nobis, tam iure Sacri Imperij quàm hæreditario, aut alio quocunque modo ſubiectis: & fidelibus dilectis, cuiuſcunque ſtatus, gradus, aut conditionis ſint, & ad quos præſentes, vel earundem exemplum, noſtro, vel cuius Pręlati Eccleſiaſtici ſigillo, ſiue etiã publici Notarij manus ſubſcriptione, cõmunitũ peruenerit, gratiam Cæſaream, & omne bonũ.

1. *Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinet, non ſolum fines huius Sacri Imperij: quod prædeceſſores noſtri, Germaniæ Principes, ob defenſionem Sanctæ Romanæ & Vniuerſalis*

Sal. Ann. 1521. uerſalis Eccleſiæ, ſuo, ſuorumq. ſæpius effuſo ſanguine, per diuinam gratiam, ſibi quæſierunt, ad Orthodoxam viam adductis, vel expulſis infidelibus, propagare: verumetiam, ne qua hæreſeos labes aut ſuſpicio, in iam ſibi ſubditis Nationibus ſacroſanctam Religionem noſtram commaculet, ſummo ſtudio prouidere: ac ſi qua iam oriri cœperit, eam omni ope, omnique cura, iuxta normam, à Sancta Romana Eccleſia hactenus obſeruatam, delere penitus & extinguere. Quod ſi quis alius è Maioribus noſtris, tanto nos magis præſtare debemus, quanto Deo Opt. Max. immēſa benignitatis Nobis plura Regna et Dominia, pluresque & magis bellicoſos populos, maioreſq. vires, quàm iam multis ſæculis alicui Principi, qui hiſce titulis ſit potitus, ad ſuæ ſanctæ fidei tutelam & incrementum, elargiri dignata eſt. Accedit, quòd quum ex paterno genere, è Chriſtianiſſimis Imperatoribus et Archiducibus Auſtriæ, Ducibuſque Burgundiæ: Ex materno vero, Catholicis, Hiſpaniarum, Siciliæ, & Hieruſalem Regibus, ſimus orti: quorum omnium, pro fide Chriſtiana, res præclare geſtas, nulla vnquam delebit obliuio: Non ſine graui conſcientiæ noſtræ onere, et perpetua nominis nota, quadamque veluti nebula, fœlicibus ineuntis Principatus noſtri auſpicijs offuſa, factum crederetur, ſi, quæ iam ab hinc triennium pullulare in Germania cœperunt, noxias quaſdam hæreſes, immo verius iam ſæpe olim per Concilia Summorum Pontificum decreta, approbante Eccleſia, damnatas, & nunc denuo, veluti ab Inferis, erutas, altiores iacere radices, ulla noſtra negligentia paſſi eſſe videamur.

2. Sane, veſtrum neminem ignorare exiſtimamus, quibus erroribus & hæreſibus, ab Orthodoxa fide longe alienis, quidam frater Martinus Lutherus, Ordinis S. Auguſtini, Religionem Chriſtianam, in hac præſertim Inclyta Germanica Natione, omnes infidelitatis & hæreſum perpetua oppugnatrice, ita inficere conetur, vt niſi maturè occurratur, tota hæc Natio, & deinde ſerpente contagione vniuerſa Chriſtiana Reſpublica, in abominandum ſchiſma, & bonorū morum paciſque, ac tandem deteſtandam ſui perniciem, prolapſura videatur. Quapropter, non immerito commotus Sanctiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Leo X. Sacroſanctæ Romanæ & Vniuerſalis Eccleſiæ Summus Pontifex: ad quem fidem Catholicam, & Eccleſiæ Sacramenta curare ſpectat, prædictum Martinum à principio clementer & paterne monuit, & hortatus eſt, vt à nephandis huiuſmodi incœptis deſiſteret, & iam ſparſos errores reuocaret. Quod cum ille neglexiſſet, et peiora ſemper prioribus adderet: idē Beatiſſimus Pater, ad opportuna, neq. tamen inſueta remedia procedere ſtatuit. Itaq. conuocatis ſæpius Reuerendiſſimis S. R. E. Cardinalibus, Epiſcopis, ac alijs Prælatis, necnon Regularium ordinum Prioribus ſeu Miniſtris generalibus, acceſitiſque pluribus ſcientia et probitate præſtantibus viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diuerſarum Chriſtianorum Nationum Doctoribus & Magiſtris: prædicto tamen Martino prius vocato ac citato, ac in contumacia perſiſtente, ipſius ſcripta, tā Alemanico quam Latino ſermone ædita & ædenda, vt pernicioſa, & fidei vnitatiq. Eccleſiæ contraria, authoritate ſua Apoſtolica, præfatorumq. ad hoc accedente Cardinalium conſilio & aſſenſu, ac Epiſcoporum & Prælatorum, Doctorumq. & Magiſtrorum matura deliberatione, damnauit, & vbiq. locorum comburenda, prorſuſq. abolenda cenſuit & decreuit. Martinum verò ipſum, niſi infra certum expreſſum terminum, à publicatione Decreti ſanctitatis ſuæ, mutata ſentētia, ſe errores ſuos reuocaſſe, et ad pœnitentiam rediſſe, docuiſſet: vt inobedientiæ et iniquitatis filium, vt ſchiſmaticum & hæreticum ab omnibus euitandum, & prout iura poſtulant, puniendum declarauit, ſub pœnis & cenſuris, quæ in Apoſtolicis literis, Bulla plumbea communitis, & ſuper hac re æditis, latius continentur. Quas ad Nos, vtpote Chriſtianæ fidei verum et ſupremum propugnatorem, & Sedis Apoſtolicæ, ſanctæq. Romanæ & Vniuerſalis Eccleſiæ Primarium filium, & Aduocatum, per ſuum, & dictæ Sedis ſpiritualem Nuncium & Oratorem, honorabilem virum nobis dilectum, Hieronymum Aleandrum, eiuſdē Sedis Protonotarium, & Apoſtolicæ Bibliothecæ Prefectum, dedita ad hoc opera, miſit: petēs atq. requirens, vt pro officio ac debito Imperialis dignitatis, in vniuerſo primùm Romanorum Imperio, deinde (quod Catholicum Regem & Chriſtianū Principem decet) in cæteris etiam Regnis, Dominijs, & Prouincijs noſtris, & præſertim in Germania, præſtito in auxilium fidei Catholicæ brachio ſæculari, omnia & ſingula in iam dictis literis Apoſtolicis contenta, inuiolabiliter obſeruari, & executioni mandari iuberemus.

Sal. Ann. 1521. *3. Poſt quas quidem prædicto Martino factas à Summo Pontifice, Monitionem, Vocationem, Citationem, & ipſius tandem Condemnationem, necnon præſentatas Nobis eiuſdem Beatiſſimi Patris literas, Bullamque Apoſtolicam, per varia & diuerſa loca Germaniæ publicatam, & noſtro iuſſu & mandato, non ſolum Louanij in Inferioribus Dominijs noſtris: verum et Coloniæ, Treueris, Moguntiæ, Leodij, executioni demandatam, tantum abfuit, vt idem Martinus reſipiſceret, errataque ſua reuocaret, & petita abſolutionis venia, in gratiam cum Summo Pontifice & Sancta Eccleſia redire procuraret, vt etiam deteſtabiliores peruerſi ingenij ſui fructus indies æderet, & perinde, ac in manifeſtam Eccleſię perniciem, furens rueret, complures aceruatim libros, non modo nouarum, ſed etiam à Sacris Concilijs olim condemnatarum hæreſum plenos: nec ſolum Latino, verumetiam, vt facilius vulgus peruerteret, Alemanico ſermone à ſe compoſitos, vel ſaltem ſuo nomine æditos, ferè quotidie diuulgaret. In quibus (bone Deus) obſeruatum ab Eccleſia iam tot ſæculis, ſeptem Sacramentorum numerum, ordinem, vſum, diſſipat, confundit, deturpat: inuiolatas Matrimonij leges, miris modis fœdiſſime inficit: Extremam Vnctionem cum Vviclepho fictionem dicit: Communicandæ Sacratiſſimæ Euchariſtiæ ritum, ad damnata Bohemorum reuocat inſtituta. Ac ſaluberrimam contaminatis peccato mentibus Confeſſionem primum ita inuoluit, ut confuſionem eam è Confeſſione fecerit, mox etiã magna in parte conuellit: poſtremo, adhuc peiora ſe de ea ſcripturum minatur. Vnde nonnulli iam (vt accepimus, quod vel auditu eſt intolerabile) ſumpta hinc occaſione, de Confeſſionis inſtituto et modo cęperint ſubdubitare. Alij mutilatam & truncam fecerint: Alij vero (proh ſcelus) & confiteri ipſi deſtiterint, & nequaquam eſſe confitendum publice aſſerere ſint auſi. Porro Sacerdotalem ordinem, & per quod Sacroſanctum Chriſti corpus ſanguiſque conficitur, diuinum illud munus clauiumque cœleſtium poteſtatem, non ſolum viliſſimi pendit Lutherus, & Laicis pueriſque atque adeo fœminis ipſis, communia facit: ſed & eoſdem Laicos, ad lauandas ſibi in Sacerdotum ſanguine manus, incitat. Ipſum verò ſummum noſtræ Religionis Sacerdotem, diui Petri ſucceſſorem, & verum in terris Chriſti Vicarium, non niſi infamibus & probroſis nominat verbis, & frequentiſſimis atque inauditis inuectiuis contumelijs, & blaſphemijs inſectatur. Liberum arbitrium prorſus nullum eſſe, ſed omnia certa lege ſtare, ex Manichæi quidem & Vviclephi penu depromit: ſed tanquam irrefragabili argumento Ethnicorum Poetarum carminibus confirmat. Miſſæ venerabile Sacramentum neque defunctis, neq. viuis alijs, quam ſoli celebranti ſuffragari ſcribit. Ieiuniorum & Orationum inſtitutionem, & conſuetudinem, ab Eccleſia obſeruatam, inuertit & corrumpit.* Sal. Ann. 1521.

4. De Purgatorio, & Animarum, quæ in eo expiantur, ſtatu, deque diuini ſacrificij & veniarum ſuffragijs, quæ à nobis fideles defuncti expectant, cum Vvaldenſibus & Vviclephiſtis contra Eccleſiam ſentit. De Eccleſia vero ipſa militante, cum Pelagianis & Huſſitis. At Sanctorum Patrum authoritates & ſcripta, ab Eccleſia recepta, pro nihilo habet. Eſt vbi etiam ſæpe deridet, debitumque illis cultum & deuotionem deterit & diminuit. Obedientiam, & Regimen omne prorſus tollit. Vnde populi ad defectionem & rebellionem à ſuis, tam ſpiritualibus quam temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia, cum magno & manifeſto Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimine, prouocentur. Quinimo, quum vitam quantam ſolutam, licentioſam, atque ab omni lege explicitam, & vere ferinam inducere conetur, ita exlex homo, leges ipſas omnes damnat & contemnit, vt Decreta ſanctorum Patrum, & Sacros Canones, publico igni comburere non formidauerit: facturus peiora Ciuili iuri, ſi non magis ſæculi gladium, quàm Pontificis excommunicationes & cenſuras metuiſſet.

5. Iam verò Sacroſanctis Concilijs palam contradicere, & pro ſuo arbitratu detrahere, non erubeſcit. E quibus potiſſimum Conſtantienſe illud, quod cum perpetua Inclytæ Germanicæ Nationis gloria, pacem & tranquillitatem diſſidenti Eccleſiæ dedit: ita vbique mordet, & impuro ſceleratoque ore lacerat, vt in magnum vniuerſalis Eccleſiæ dedecus & offendiculum, ſed Germanicæ præſertim Nationis opprobrium & ignominiam Concilium ipſum nunc peſſimè omnium erraſſe ſcribat: nunc Synagogam Sathanæ quique in eo conuenerant, & Ioannem Huſſitam hæreſiarcham comburi iuſſerant. Sigiſmundum vtique fœlicis recordationis Imperatorem, &

Sacri

Sal. Ann. 1521. *Sacri Imperij Principes, Antichriſtum, & ſuos Apoſtolos, homicidaſque & Phariſæos, vocet. Quid, quod damnata in eodem Concilio omnia Ioannis Huſſitæ errata, Euangelica & Chriſtiana eſſe, & ſe recipere, probaturumque profitetur: Approbatos vero eiuſdem Huſſitæ articulos, nequaquam admittit. In tantamque prorupit mentis veſaniam, vt ſi ſemel Ioannes Huſſita fuerit hæreticus, ſe plus decies hæreticum Martinus glorietur: homo vſque adeo nouarum rerum ac potiùs perditionis humanæ cupidus, vt nihil fere ſcripſerit, vel ſaltem ſuo nomine diuulgauerit, cui non aliqua peſtis, aliquis lethalis inſit aculeus: præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam, ipſius tamen titulo æditos, & ab eo cum reliquis vt ſuos agnitos, quorum ſingula verba, ſingula venena merito quis dicat. Et ne omnia, quæ innumerabilia ſunt Lutheri errata, ſingulatim percenſeantur, tanquam ſi hic vnus, non homo, ſed Diabolus ipſe, ſub hominis ſpecie, ad perniciem humani generis, aſſumpta. Monachi cuculla, quàm plurimorum hæreticorum damnatiſſimas hæreſes, iamdiu ſepultas, in vnam ſentinam congeſſerit, & aliquas etiam nouiſſime de ſuo excogitauerit, ſub ſimulata prædicatione fidei, quam ad prætexendos ſuos dolos, tam ſæpe, tantoque opere obijcit: Fidem veram prorſus deſtruit, ſub libertatis, quam promittit, ſpecie: Diaboli iugum & ſeruitutem inducit, & ſub Euangelicæ profeſſionis nomine, omnem Euangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcherrimam denique totius Eccleſiæ faciem inuertere, labefactare, & penitus peſſundare molitur.*

6. Quibus omnibus per Nos, & conſilia noſtra omnium Nationum nobis ſubditarum, ſæpius & diligenter attentis & conſideratis, & præſertim in hac parte ab eodem Beatiſſimo Patre requiſiti: abſque inſigni macula noſtra, atq. Orthodoxæ Religionis iniuria et detrimento, rem tanti ponderis negligere nequaquam potuimus, vt etiam non debuimus, neque voluimus: ſed potius prædeceſſorum noſtrorum, Romanorum Imperatorum, veſtigijs inſiſtentes, eorumque pro libertate Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ perpetuò laudabilia facta, ac pias & ſanctas, ſuper puniendis & exterminandis hæreticis, conſtitutiones obſeruantes, conuocatis ſæpius ad præſentiam noſtram, propter hoc præcipue, Electoribus: necnon vniuerſis Sacri Romani Imperij Ordinibus & Statibus, in hoc Vvormacienſi Conuentu Sal. Ann. 1521. *congregatis, de eorum omnium & ſingulorum vnanimi conſilio, matura deliberatione & conſenſu, in hanc tandem deuenimus ſententiam et concluſionem; Vt quamuis hominem, ita à Summo Pontifice & Sede Apoſtolica condemnatum, & in ſua obſtinata peruerſitate obduratum, atq. abuſu Catholicæ Eccleſiæ alienum, & notorium hæreticum audire, omni iure exceptum eſſet: tamen ad tollendam omnem cauillandi anſam (idque, quia nonnulli plæroſque libros Martino aſcriptos, ipſius eſſe apertiſſime inficiabantur) complures audiendum à Nobis priùs hominem, quam in eum ad executionem Pontificij Decreti vlterius procederemus, aſſeuerabant, Martinum ſæpedictum, miſſo ad ipſum, dedita opera, vno è Caduceatoribus ſeu Præconibus & Heraldis noſtris, Sub libero huc veniendi & hinc recedendi ſaluo conducto, accerſiri iuberemus: Quod & factum fuit. Non vt nos de hoc negocio iudicaremus, aut cognoſceremus (quum id dubio procul ad Romanum Pontificem, & Sedem Apoſtolicam pertineat) neque vt res Sacroſanctæ fidei noſtræ; nunc tandem, poſt tot ſæcula, per nouas altercationes, cum magno fidelium ſcandalo & perturbatione, ac infidelium deriſione, in controuerſiam reuocari pateremur: ſed vt cum vulgi & plurimorum ita petentium ſatisfactione, hominis animum percontantes, eum bonis monitionibus & ſuaſionibus, ad rectam ſemitam (ſi fieri poſſet) reduceremus.*

7. Itaque Lutherum in noſtra, & Sacri Imperij Electorum, Principum, Prælatorum, & Statuum, præſentia conſtitutum, iuxta formam Imperialis mandati, ſuper hac re nuper æditi, interogari iuſſimus. Primum; Nunquid ipſe multos libros ſibi ob oculos adductos, & titulatim nominatos, & alios item, qui ſub ſuo nomine circumferuntur, compoſuiſſet. Deinde, an ea, quæ in ipſis libris contra ſacra Concilia, Decreta Patrum, ritus & conſuetudines, à noſtris maioribus ad hunc vſque præſentem diem obſeruatas, ſcripſerit, reuocare vellet, & ad ſinum & vnitatem vniuerſalis Eccleſiæ redire, adhibitis ad hoc noſtro et Imperij nomine admonitionibus & adhortationibus, quæ obſtinatiſſimum hominem (etiam lapide duriorem) emollire, & conuertere potuiſſent. Qui ſane ſtatim libros ipſos antedictos vt ſuos agnouit, & confeſſus eſt,

& nun-

Sal. Ann. 1521.

& nunquam ſe id negaturum proteſtatus; immo et adhuc alios ſe compoſuiſſe dixit, quorum copia cum nobis non fuiſſet facta, idcirco in medium non fuerant allati. Quantum vero ad reuocationem attinet, terminum ſibi ad reſpondendum dari petijt, qui quamuis merito negari potuiſſet, tum quia nouitates & errores in fide nulla ſunt dilatione tractandi, ſed ſtatim penitus reſecandi: tū quia ex mandato noſtro ſibi legitimè inſinuato, necnon etiam literis, quas ad eum dederamus, optimè admonitus, quam ob cauſam vocaretur, non niſi ſtatim reſpondere paratus, ad tantū Imperialis Conuentus cōſeſſum venire debuiſſet: tamen ex noſtra clementia & benignitate, vnius adhuc diei terminum ad reſpondēdum ſibi dedimus. Quo elapſo, rurſus coram Nobis, & prædictis Ordinibus Imperij comparens, & ſimilibus adhortationibus ſæpiùs, vt ad cor rediret, efflagitatus, pollicentibus etiam nobis, ſi reſpiceret, erroreſq. ſuos agnoſceret, & quæ in ſuis libris damnata & mala eſſent, & reuocaret: facile nos impetraturos, vt à Beatitudine Pontificis in gratiā benigne reciperetur, & adhibito fideli, æquo, et diligēti examine, ex ipſius libris, quę mala ſcripſerat, ſecernerentur: quæ vero bona, Authoritate Apoſtolica approbarentur. Sed ne verbum quidē in ſuis libris mutaturum, imprudētibus ſimul & impudentibus verbis, oriſque & corporis geſtu, quoduis potius, quàm religioſum aut ſanū hominē præ ſe ferente, apertiſſime negauit. Quinimo, in noſtram & S. Imp. faciem, Summorum Decreta Pontificum, & Concilia ipſa Sacroſancta, erraſſe ſæpiùs, & ſibi ipſis contradixiſſe, & tandem nullius apud ſe momenti fore, aſſeuerauit: ſeq. nihil ex his, quæ ſcripſerat, reuocaturum, niſi euidenti ſibi ratione, et ſacræ ſcripturæ authoritatibus, ad ſuæ conſcientiæ animiq. ſatisfactionem & aſſenſum fuerit conuictus: illud ſubinde repetens & inculcās (quo fraudum ſuarum virus, iam multis detegi cœptum, occultaret) conſciētia ſibi illæſa et integra neq. velle ſe, nec poſſe verbū Dei immutare. Mala mēs, malus animus. Quaſi vero Nos id ab eo peteremus, vt verbū Dei immutaret, ac non potiùs, vt iuxta verbum Dei verum, ad gremium Sanctæ matris Eccleſiæ, à qua tā impiè quàm turpiter defecerat, rediret. Cuius authoritatem, quā tantā voluerit eſſe Dominus, idemq. Deus noſter Ieſus Chriſtus, vt qui Eccleſiam non audierit, tanquam Ethnicus & Publicanus ſit habendus. Idcirco non immerito vel cā ſolam omnibus inuentionibus, & vaframentis hæreticorum longe anteferendam nemo nunquā, niſi perditiſſimus & vere hæreticus, & Lutherus iudicauit, qui vt tandem egregia ſua hic acta cōdigno fine clauderet, & quod peſſimè inceperat, peius terminaret, et quid animi habeat, et quàm fidelium clade exultet, vel in noſtro et S. Imperij conſpectu diſſimulare non potuit. Nam detorta (vt hæreticis mos eſt) à vero ſenſu ad ſuā impietatem Euangelica illa ſententia: Nō veni mittere pacem, ſed gladium. *Omnium ſibi, dixit, iucundiſſimam iſtam in rebus faciem videri, ob verbum Dei, ſtudia, & diſſenſiones fieri: Id eſt (quod vtinam ne experientia videremus) ob diſſidentes ab Eccleſiæ ritu Lutheri opiniones, quas verbi Dei falſo titulo prætexit, verè ſtudia contraria, & diſſenſiones, & diſſidia, & ſchiſmata, & bella, & cædes, & rapinas, inter Chriſtianos concitari. Tali igitur, & tam ſubdola, atq. hæreticis omnibus peculiari reſponſione, Nobis, & Sacro Imp. à Luthero data, etſi decreueramus, ipſo ſtatim remiſſo, ad vlteriora progredi (id quod ex ſententia noſtra, manu noſtra ſcripta, & poſtera die publicata, nemini non conſtare poteſt.) Tamē ad preces omnium Imperij Ordinum inclinati, adhuc ipſi triduū ad reſipiſcendum conceſſimus. Quo tempore duo Electores, duo Epiſcopi, duo Principes Sæculares, duoq. Ciuitatum nomine, Vniuerſos Ordines, & Status S. Rom. Imp. repræſentantes, & ad hoc communi omnium iuſſu & nomine deputati, vocato ad ſe Martino prædicto, nullum non admonendi & adhortandi eum vt tandem reſipiſceret; & niſi id faceret, quæ ipſum à Nobis, & S. Imp., legumq. conſtitutionibus pęnę manerent, declarandi officium fruſtra inſumpſerunt. Vnus etiam eiuſdem S. Imp. Elector, adhibitis ſecum duobus Doctoribus, pietate & ſciētia præclaris, non ſolum adhortationibus; ſed etiā multorum errorum euidentibus redargutionibus, ad ipſius vſq. obmuteſcentiam factis, mox ſeorſim ipſum prudenter & humanè commonefecit, vt ad Summi Pōtificis, & Sedis Apoſtolicæ, Noſtrumq. & S. Imp. Statuum, & cæterarum fidelium Nationum, ſanam ſententiam, iuxta continuatum tot ſæculis Eccleſiæ ritum, potiùs, quā ad ſuam vnius opinionem, reſpiceret. A qua ſi recedens, in ordinem redire vellet, id ſe primū nonnullorum ſanctorū Patrum, qui & ipſi aliquando errauerunt, laudabili exemplo, deinde ſaluis, anima, corpore, & honore, facturum cognoſceret.*

Sal. Ann. 1521.

Ad

Sal. Ann. 1521.

Ad quæ Martinus antedictus, etſi varia pleraq. et diuerſa, cumque eis, quæ ſcripſerat, pugnantia: nihilo tamen meliora, aut ſaniora, priuatim reſpondit, quàm publicè, coram Nobis, et Sacro Imperio, fecerat. Atq. adeo ſe, non omnes modo ſupra memoratos, ſed & Concilium ipſum generale (ſi quod fieret) ſuſpectum habere proteſtatus eſt. Et (vt certiſſimo, & omni exceptione maiori teſtimonio nobis conſtat) pollutiſſimo & ſceleratiſſimo ore profari non eſt veritus, res Euangelij & Catholicæ fidei, nunquam fuiſſe in Concilijs generalibus bene tractatas. Vnde non iniuria plurimum nobis mirari ſubiret, cur nam à Summi Pontificis ſententia, ad generale Concilium nuper prouocarit, quum tam impiè de Concilijs ipſis loquatur et ſcribat, niſi manifeſtè ſciremus, vt nihil eſt hæreticis æquè formidabile, atq. œcumenicum Conciliũ: ita nihil illis ijſdem magis proprium eſſe, quàm vt dictis factiſque et ſcriptis, ſecũ ipſi diſſideant. Quod ſi vſquam alibi, præcipuè in Lutheri libris (diuina prouidentia ſic operante, quo ipſius vana ædificia per ſe ruant) paſſim legere & videre eſt.

8. *His omnibus et ſingulis, ſic omnino, vt præmittitur, ſe habentibus, quum prædictus Martinus, tam peruersè & obſtinate, in ſuis adeo manifeſtè hæreticis opinionibus perſiſteret, vt ab omnibus ijs, qui ſapiunt, partim demens, partim etiam malo aliquo obſeſſus ſpiritu, iudicaretur. Nos, iuxta tenorem ſalui conductus, ipſum ſtatim à conſpectu noſtro miſſum fecimus, datoque ſibi in comitatu vno ex Heraldis noſtris, & præſcripto termino, à die viceſimaquinta menſis Aprilis, qua ex Vvormacia diſceſſit, ad viginti deinde proximè futuros dies, quibus peractis, una ſaluus conductus peractus & extinctus cenſeretur. Nunc tandem ad reliquas opportunas medelas, huic peſtilentiſſimo morbo neceſſarias, in hũc, qui ſequitur modum, procedere decreuimus.*

9. *Primùm omnium, ad honorem Dei omnipotentis, Romaniq. Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio, ac debito, necnon zelo et ſtudio, quo noſtrorum maiorum more, et ingenita etiam nobis vi, ad defenſionem Catholicæ fidei, ſanctæque Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ honorem, tutelam & protectionem, omnes noſtras vires & facultates, Imperium, Regna, Dominia, amicos, vitam denique & animam ipſam noſtram, exponere ſumus parati: Ex Imperiali & Regia authoritate, necnon conſilio & aßenſu Electorum, & omnium Sacri Rom. Imp. Principũ,* Sal. Ann. 1521. *Ordinum, & Statuum, in hac celeberrima & frequentiſſima Imperiali Dieta Vvormaciæ cõgregatorum, ad perpetuam rei memoriam. Exequendo Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, veri in hac parti iudicis, ſententiam, decretum & condemnationem, in literis Apoſtolicis (vt ſupra dictum eſt) ad Nos directis, contentam, Martinũ Lutherum, vt membrum ab Eccleſia Dei abalienatum, vt obſtinatum ſchiſmaticum & Notorium hæreticum, a Nobis haberi declaramus, & vt talem à vobis omnibus et ſingulis habendum decernimus & edicimus: Mandantes de eorundem Statuum conſilio & conſenſu, ſub criminis læſæ Maieſtatis, Noſtræque & Sacri Imp. grauiſſimæ indignationis, ac etiam amiſſionis feudorum, Dominiorum, & bonorum omnium, gratiarum quoque & omnium Priuilegiorum, à Nobis, et Sacro Imperio dependentium, quæ obtinuiſtis hactenus, aut prædeceſſores veſtri quomodolibet obtinuerunt: necnon proſcriptionis ac Bani, & interdicti Imperialis, pænis: ne quis veſtrum præfatum Martinum Lutherum, receptare, defendere, ſuſtentare, fouere, dicto, facto, aut ſcripto præſumat. Quinimo poſt elapſum ſupradictum viginti dierum terminum, contra eum, vbicunque deprahenſus fuerit, & in manu, aut facultate veſtra erit, iuxta formam Imperialis Banni procedatis, vel ſaltem perſonaliter captum, tam diu cuſtodiatis, donec Nos, à vobis de hac re certiores facti, de legitima in eum proſecutione facienda vobis ſignificemus, & vos tam ſancti operis & laboris debita præmia, & mercedem etiam vberem, cum impenſis ob hanc cauſam factis, reportetis. Et nihilominus eiuſdem Martini complices, adhærentes, receptatores, & quomodolibet fautores & ſectatores (niſi ſe iniquitatis ſemitam deſeruiße, et authoritate Apoſtolica abſolutionis remedium conſecutos eſſe, fidem condignam fecerint) necnon eorum omnia & ſingula bona, mobilia, & immobilia, iuxta ſacras conſtitutiones, ac interdicti et Banni Imperialis legem & ordinem, liberè & abſque vlla contradictione proſequamini, illoſque & illa capiatis, & in vſus veſtros, optimo & pleno iure conuertatis.*

10. *Mandamus inſuper vobis omnibus & ſingulis prefatis, ſub eiſdem pręnominatis pęnis, ne quis Martini Lutheri ſcripta, à Summo Põtifice*

tifice

Sal. Ann. 1521. tifice authoritate ſua Apoſtolica (vt præmittitur) damnata, aut alia quæcunque, tam Latino quā Alemanico, ſeu alio quouis idiomate, ab eo hactenus compoſita, vel in poſterum componenda, vtpote mala, ſuſpecta, et à notorio & peruicaciſſimo hæretico prouenientia, emere, vēdere, tenere, legere, deſcribere, imprimere, aut deſcribi vel imprimi facere, aſſerere, ſuſtentare, prædicare, defēdere, præſumat: non obſtante, quod in illis etiam aliqua bona (ad fallendas ſimplicium mentes) immixta eſſent. In quo præter iuſtā Sedis Apoſtolicæ ſententiam, etiam laudatiſſimam veterū Patrum inſtitutionem & conſuetudinem omnino exequendam duximus: Qui Arrianorum, Priſcillianiſtarum, Neſtorianorum, Euthychianorum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis contenta omnia, tam bona quam mala, promiſcuè exuſſerunt, & adnihilarunt. Neque id immerito. Nam ſi optimi quique cibi, vnius tantū guttæ veneni (quo humanum corpus læderetur) infuſione ſuſpecti, penitùs ſunt abijciendi: quāto magis ea ſcripta, quibus tanta & tam noxia animabus venena paſſim inſerta ſunt, non ſolum nobis cauenda ſunt, ſed etiam (ne alijs noceant) prorſus deſtruenda & corrumpenda, atq. ab omni hominum memoria veniunt obliteranda. Accedit ad id, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea à ſanctis Patribus, quos Eccleſia recepit & approbauit, ſæpe dictum & ſæpius repetitum, abſque vllius periculi aut mali ſuſpitione, legi, & haberi poteſt.

11. Ea propter, ſub eiſdem pœnis omnibus & ſingulis ſupradictis, vos omnes, & quilibet veſtrum, tam Principes quàm alij, ad quos iuſtitiā quomodolibet pertinet miniſtrare: et alij quicunque in vniuerſo Imperio, Regnis, & Dominijs noſtris conſtituti, huiuſcemodi peſtiferos Martini libros, tam Alemanicos quam Latinos, impreſſos & imprimendos, aut etiam manu ſcriptos, vbicunque reperiantur (vtpote magnæ ſeditionis, ſchiſmatis, hæreſeos, in Eccleſia Dei fomites) diripiendos, & publico igni conſumendos, penituſque abolendos cum effectu curetis, Apoſtolicíſque Nuncijs, ſeu eorum Commiſſarijs, ſi operam veſtram ad hanc rem requiſierint, fideliter & diligenter aſſiſtatis: & nihilominus in eorum abſentia, per vos ipſos hæc ſic fieri, noſtro nomine & iuſſu, omnino & reipſa faciatis. In quo omnibus fidelibus, dilectis, ſubditis noſtris, vt vobis ac Nobiſmetipſis aſſiſtant & pareant, tenore præſentium ſub eiſdem pœnis iniungimus & mandamus. Sal. Ann. 1521.

12. Verum, quia maxime cauendum eſt, ne Martini libri, aut ex illis excerpta mala, ſuppreſſo aut etiam mutato authoris nomine, publicentur: quia etiam non ſine magna animi noſtri offenſa, multos quotidie videmus et audimus, cū alibi, tum maxime in Germania, cōponi & imprimi libros, pluribus malis traditionibus et exēplis refertos: & ne non omni aſtu & dolo, humanæ naturę hoſtis, Chriſtianis laqueos tendat multos, paſſim diuulgari picturas & imagines, non in opprobriū modo priuatarum perſonarum, ſed & ipſius Summi Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ contumeliam excogitatas: ex quibus omnibus libris & picturis, Chriſti fideles in maximos, tam in fide quam in vita & moribus, prolabuntur errores, & non ſolum priuata odia, ſcandala, et ſimultates (pro vt experientia docet) multis in locis exorta fuerunt: verumetiam ſeditiones, tumultus, rebelliones, ſchiſmata, in Regnis, Prouincijs, & populis, atq. vniuerſa Dei Eccleſia (niſi prouideatur) iamiam excitanda formidantur: Idcirco, ad hanc pernicioſiſſimam peſtem extinguendā, et ſupradictorum Electorum et Statuū concordi animo & ſententia, omnibus et ſingulis ſupradictis, tam Imperiali quā hæreditario iure nobis ſubditis, ſub iam ſæpedictis omnibus pęnis præcipimus et mandamus, ne quis huiuſmodi famoſos et peſtilentes libros, ſeu quaſcūq. alias ſchedas, ſcripturas, imagines, picturas, contra Orthodoxam fidem, bonos mores, et id quod ſancta Romana Eccleſia hactenus obſeruauit: atq. etiā inuectiuas criminationes et ignominias, contra Sūmum Pontificem, Sedem Apoſtolicam, Prælatos, Principes, Vniuerſitates Studiorum, & eorū facultates honeſtaſq. perſonas, componere, ſcribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere, habere; aut imprimi, deſcribi, depingi, vel vendi facere, quauis arte aut dolo audeat, aut attentet. Quinimo ſub eiſdem pœnis iubemus omnibus & ſingulis ſupradictis, & præſertim ijs, qui iuſtitię miniſterio pręſunt, vt eiuſmodi libros quoſcunq. antehac impreſſos, vel poſthac imprimendos, necnon etiam manu ſcriptos, cuiuſcunq. ſint authoris, aut vbicunque locorum per S. Imp., atque etiam noſtra hæreditaria Regna et Dominia, inueniantur; ſimiliter etiam picturas huiuſmodi et imagines, noſtro iuſſu & nomine occupent, diripiant, & publico igni comburant. Et nihilo-

Sal. Ann. 1521. *hilominus huiuſmodi deteſtabilium librorum, codicum, ſchedarum, ſcripturarum, authores & inuentores, ac etiam poſt præſentis mandati publicationem, Impreſſores, Emptores, & Venditores, qui contra iuſſa noſtra facere præſumpſerint (ſi modo id legitime conſtiterit) necnon eorũ iura, & bona omnia & ſingula capiant, apprehendant, & detineant, ac iure bono quicquid ſibi licitum fuerit de illis diſponant: ita, quod de hoc nulli hominum, tam in iudicio quàm extra, reſpondere ſint obligati.*

13. *Atque vt omnis eiuſcemodi & aliorum errorum occaſio tollatur, & ne talia ſcribentium venena longe lateque diffundantur, ſed præclarum imprimendi libros artificium in bonos tantum, & laudabiles vſus exerceatur: ex certa noſtra ſcientia, animoque deliberato, ac Imperiali Regiaque authoritate, de maturo ſupradictorum Electorum, & aliorum S. Rom. Imp. Statuum, conſilio, deliberatione, & vnanimi conſenſu, volumus & ſub Banni, & Interdicti Imperialis, ac alijs antedictis pęnis præcipimus et iubemus, tenore præſentis Edicti, quod vim inuiolabilis legis habere decernimus; Ne quis de cætero Chalcographus, et librorum Impreſſor, aut alius quiuis vbilibet per Sacrum Imprium, atq. noſtra prædicta Regna & Dominia conſtitutus, libros vllos, ſeu aliam quamcunque ſcripturam, in quibus de ſacris literis, aut fide Catholica aliquid vel minimum tractatur, non habito prius cõſenſu et volũtate Ordinarij loci, aut eius ad hoc ſubſtituti & deputati, cum authoritate etiam facultatis Theologicæ alicuius propinque Vniuerſitatis, pro prima videlicet impreſſione: alios vero cuiuſcunque rei, & facultatis libros, ſchedas, & picturas, de conſenſu ſaltem Ordinarij, aut eius ad hoc Subſtituti, vllo pacto imprimere, vel vendere, aut imprimi, vel vendi facere, directe vel indirecte, quoquomodo præſumat aut attentet.*

14. *Quod ſi quis cuiuſcunq. ſit dignitatis, gradus, aut conditionis, hanc noſtram mentem, decretum, ſtatutum, legem et ordinationem, in omnibus & ſingulis ſupradictis, tam Lutheranam, quam impreſſoriam materiam concernentibus, inuiolabiliter obſeruãdam, vllo pacto, aut quouis quæſito colore vel ingenio, contra facere, aut venire, auſu temerario præſumpſerit: præterquam quod illud irritum decernimus & inane, etiã in læſæ Maieſtatis crimen, ac noſtram, & S. Imp. grauiſſimam indignationem, proſcriptioniſque et Banni, ac interdicti Imperialis, necnõ alias ſępe dictas pęnas, ſe, ipſo facto, incurriſſe cognoſcat.* Sal. Ann. 1521.

Harum teſtimonio literarum, Sigilli noſtri munimine roboraturum. Datum in Ciuitate noſtra Imperiali Vvormaciæ, die Octaua Menſis Maij, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Viceſimo Primo, Regnorum noſtrorum: Romani ſecundo: Cæterorum vero omnium ſexto.

Ad mandatum Domini Imper. proprium.

Hæc ſanctè ſeuereq. decreta, tranquilitatem Germaniæ, laudem *Carolo* paritura videbantur, niſi minor in exequendo, quàm in mandando Cæſaris poteſtas fuiſſet. Hiſpanorum ſeditio *Carolum* in Hiſpaniã reuocabat, vnde ex veteri Germanorum lege penes Saxonem, & Palatinum *Lutheri* patronos Imperij adminiſtratio relinquenda erat. His Cæſar. *Ferdinandum* addiderat fratrẽ, tanquàm ſuæ poteſtatis vicarium: ſed is ætate impar, moderari potius, quàm moderare propior erat. LXVIII. *Ferdinãdus vicarius Imperij.* *Lutheri* Caſtris cum pleriq. eruditione, & linguarum peritia non ignobiles, vt in Palatinatu *Melancthon*, inter Heluetios *Zuuinglius*, recens adſcripti eſſent, & Cæſaris irriderent decreta, vulgi plauſum *Luthero* conciliabant. LXIX. *Melancthon.* Non deſperantes *Franciſcum* Galliarum Regem in partes ſuas adducendi, tum ob æmulationem Imperij cũ *Carolo* ſuſceptam, tũ ob illius ad luxuriam propenſos mores, quæ in multis acutiſſima erant huius ſectæ perſuadendæ argumenta, vt in Anglorum Rege poſtea compertum eſt. Interim *Henricus* Anglorum Rex *Carolo* conciliatus, dignum Chriſtiano Rege opus aggreſſus, librum *Lutheri de captiuitate Babylonica*, aſſertis ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, quàm ſancte confutauit, vt in præmium ab Apoſtolicæ Romanæ Sedis collegio *Defenſionis fidei* titulus ei fuerit decretus: quem lubrica deinde Regis vita in Subuerſoris Eccleſiæ infame nomen, tanquàm Circe quædam transmutauit. LXX. *Rex Anglorum ſcribit in Lutherũ.*

CAROLVS HISPANIAM REPETIT. Anno 1521.

LXXI. IN Germaniam cum diſceſſiſſet *Carolus*, vt regnum quæreret, domi propemodum regnum amiſit. *Hadrianum* Cardinalem cum ſumma Imperij poteſtate diſcedens reliquerat, virum in quo nihil Hiſpani reprehendere potuiſ-

Sal. Ann. 1522. potuiſſent, quàm quòd Hiſpanum mater nõ genuiſſet. Adultam iam viribus coniurationem, ac *Croy* exactionibus inflammatam, cũ humanitate ſua extinguere haud poſſet, vi vtendum ratus, *Antonium Fonſecam* in auxilium adhibet, qui exiguo militum apparatu *Medinam Campi* profectus, tormenta ex Regis armamentario in vſum militiæ poſtulabat. Sed rebellibus incolæ alligati, cum pro
LXXIII. retinendis armis, armati ſtarent, *Fonſeca* vir nobilis atq. ingenio ferox, ignẽ tectis ſubijcit; vt ad priuata quemque pericula ab armis reuocaret. Sed tanta obſtinatos pertinacia obfirmauerat, vt miſerabile tectorum, patriæq. buſtum, quàm hoſtis victoriam ſpectare mallent. Vicerunt itaque, ſed melius eis, ſi victi fuiſſent. Hac immanitate vicinæ vrbes exacerbatæ, earum tredecim, vindictæ cupiditate rebellibus acceſſerunt. Cæteræ prouinciæ ſenſim afluxere, præter quatuor quæ fide *Carolo* data, numquàm abierunt. Valliſoleti cogebat *Hadrianus* copias, quum ſuperuenientes fœderati *Gironio* Duce, vrbem inſperatò obſidione cinxerunt, & inter fugientium agmina ipſum *Hadrianum* ſumma verborũ humanitate ad vrbem redire *Gironius*, & *Padillia* coegerunt, profeſſi non aduersùs Regem, ſed auaros externæ gentis præfectos, arma moliri. Paruit *Hadrianus* armatæ beneuolentiæ, dum inſequenti nocte, perfoſſo vrbis muro, honeſtam captiuitatem honeſtiore fuga redemit. Hoc licet *Valliſoletanis* moleſtum, poſtero die familiam, & apparatum, venerationis cauſa ſubmiſere. Hinc

LXXIV. *Ioanna Caroli mater fruſtra à rebellibus ſollicitatur.* Tordeſillam profecti rebelles, *Ioannam* Regis matrem fruſtrà in eam conati ſunt ſententiam pertrahere, vt proditorijs tabulis ſubſcriberet cum illa *matrem ſe eſſe Caroli* identidem ipſis exprobraret. *Carolus* cum hæc apud Belgas conſiſtens, acciperet, duos Hiſpanorum proceres, *Henricum Medinæ* Riuiſicci Ducem maris præfectum, & *Ignatium Velaſcum* magiſtrum equitum, bello adminiſtrando præfecit. Hi conſcripta octodecim armatorum millia, rebellium triginta millibus oppoſuere. Primus in Tordeſillam impetus, vbi per apertas murorum ruinas miles immiſſus, obſtinatos fregit, Sa-
Rebelles domat. cerdotum pene omnium internecione, qui numero trecenti Duce Zamora Antiſtite, oppidum cuſtodiebant. Plenis ſubinde *Sal. Ann. 1522.* caſtris ad Medinam Campi vterque concurrit exercitus. Vbi victis coniuratis, *Brauius* ac *Padillia* (iam enim *Gironius* & *Laßus* ad regias ſeſe receperant partes) ſub manu carnificis ſeditionem expiarunt. Vrbes fere omnes rebellibus oblatis, in fidem propere rediere. Ita excluſi ſeditionis Principes, cum ad Galliarum regem irrito contenderent effugio, alij intercepti lictoribus traditi, alij vt mortem declinarent infamem, ſibi manus conſciſcere. Maria Pacæca indomitæ ferociæ mulier, nec viri *Padilliæ* caſu deterrita, *Valencianorum* armis freta, fortunà tandem deſtituta, lictori tradita, *Valencianos* vltimos ad pacem ſe recipientes reliquit. LXXV.

Hoc tumultu excitatus *Franciſcus* Rex Gallorum *Andream Tuxium Aſparrum* fratrem *Lautrecij* ad Nauarricum recuperandum regnum cum ſex Vaſconum millibus peditum, ac ducentis cataphractis equitibus miſit: nam *Henricus* Rex Nauarræ non ætate maturus, minimè expeditioni videbatur idoneus. *Ioannes* eius pater paulò ante deceſſerat. *Franciſcus Rex Gallorum in Carolũ molitur.* *Aſparrus* regnum illud à *Ferdinando* Cæſaris auo materno occupatum, quindecim diebus in ſuam poteſtatem redegit: nec eo contentus Hiſpaniam Tarraconenſem ingreſſus, ad Iberum fluuium vſque peruenit. Hiſpani verò vna ſubactis victoria rebellium copijs, trans Iberum ſe Gallis tulerunt. Primo hi impetu in aliquot Hiſpanorum cohortes inuecti, felici ſtratagemate prælium auſpicantur, hoſte, aut fuga, aut ferro deiecto: ſed vbi eoſdem circumducta Hiſpanici æquitatus acies, peditatu roborata cinxit, confuſis Galli ordinibus ceciderũt. Vterque ducum captus, & vnius victoriæ beneficio, eadem qua amiſerant facilitate regnum recuperarũt Hiſpani. Hoc bellũ cæterorũ, quæ in Cæſarẽ Frãciſcus geſſit, velut quoddam malum omen fuit. LXXVI.

Eodem anno apud Belgarum populos *Robertus Marcanus* Leodienſium Antiſtes, reſciſſis ex fœdere pactis, *Franciſci* partibus contra Cęſarem ſe ſe fauctorem addidit: quęſitam belli occaſionem *Aimerius* princeps dedit, ſuſtinuit; hic Cæſaris opibus, ille Gallicis innixus. Imperatorio per Belgium exercitui, *Henricus Naſſaurij comes*, regio *Carolus Borbonius* Dux præficitur. Ille ſtrenui

Sal. Ann. nui Ducis officium occupans, aduerſus Mar-
1521. canos profectus, Lognium, Iamertium, Fleuringam, Sancerum, Sedanum, Moſoncurtium, Bullonium, vno victoriarum impetu expugnat. Moram victori, impetratis à Cæſare inducijs, *Marcanus* iniecit. Rex interea *Franciſcus* Muſſonio, *Borbonius* Heſdi-
LXXVII. no occupato, in Hannones, Attrebateſque
Fräciſcus ad regnū Neapol. aſpirat. graſſabatur. Adiecerat inſuper *Franciſcus* animum regno Neapolitano; quam in rem Pontificis animum ea ſibi lege deuinxerat; vt poſtquàm eiecti forent Hiſpani, pars illius minor Pontifici, potior Regis filio, de manu eiuſdem concederetur. Eodem voto cum *Heluetijs* Gallus ſocietatem inierat, qui reie-
Init fœdus cum Heluetijs. ctis oblatis à Cæſare conditionibus, tantum quantum peteret peditatum aduersùs quoſuis, nec vlli aduersùs Gallum ſe daturos promiſerant. Legatum itaque ad *Leonem* miſit, quid de Neapolitana expeditione, rogaturum, ſentiret? Ille tormentorum, equitum, peditum numerum ei expeditioni neceſſariū
LXXVIII ad Regem deſcriptum remiſit; vtque intra
Leo Papa Gallis aduerſus. viceſimum diem reſponſum acciperet, fœduſque ratum haberetur, inter *Leonem* & *Franciſci* legatos conuenit. Plerique tamen proceres *Leonem Gallis ſemper iniquum fuiſſe clamabant, tantam tam repente non fruſtra oſtentari beneuolentiam: caueret Franciſcus, ne dum regnum Neapolitanum nititur ſibi vindicare, Mediolanenſem amittat principatum: non enim vt vtroque potiatur, Leonem facile paſſurum, cui tum magis ipſe, quàm Cæſar, metuendus eſſet. Quod vi obtinere non potuit Leo, vt Gallos Italia pelleret, id nunc fraudolentis conſilijs aucupari. Si iam cum Cæſare clam conuenerit, & Gallos Neapolim proficiſcentes coniunctis viribus adoriantur, ac fundant (neque enim fruſtra Leo ſex Heluetiorum millia tot menſes otioſa ſtipendio affecit) quis pro Mediolanenſibus propugnabit?* Hæc *Franciſcum*, ne ad præſcriptum diem reſponderet, ſuſpenſum tenebant.

At *Leo* vel quod amicitiam Regi ſpecie ſimulationis oſtentarat, malum clam illi moliens, vel quòd Rex ad præſcriptum diem non reſpondiſſet, ne machinas eius Cæſari palam faceret, & aduerſum ſe iungerentur, timebat: aut quod Parmæ, Placentiæ recuperandæ ardore flagraret, aut quod *Lautrecij* ac *Menardi* Antiſtitis inſolentiam, qui toto *Sal. Ann.*
Mediolanenſi agro Romana diplomata, ce- *1521.*
teraque mandata vix admittebant, ferre diutius non poſſet, aut quòd infelicem belli Nauarrici exitum boni ominis loco haberet, aduersùs Gallum cum Cæſare ſocietatem inire properauit: qui bello Nauarrico irritatus, & à Mediolanēſibus exulibus inuitatus, oblatas à *Leone* non reſpuit conditiones. Socie- LXXIX
tas igitur inter *Leonem* & Cæſarem, *vt pro* *Fœdus Cæſaris cū Papa.*
ſuarum ditionum propugnatione ſe mutuis iuuarent auxilijs, qua Florentini, præſertim Medicea familia comprehendebatur, Ciuriano inſcio inita eſt. Cauebatur præterea, vt pro recuperando Mediolanenſi Ducatu bellum, vti commodior ſe ſe offerret occaſio, ſuſciperetur. Franciſcus Sfortia *tum Tridenti exul reſtitueretur à* Carolo, *quemadmodum* Ludouicus *eius pater à* Maximiliano *quondam receptus fuit, in fidem recipiendus: ſalinis Ceruiæ, principatu Mediolanenſi potitus, vteretur:* Leoni *aduerſus Romani Pontificatus clientes lege agere liceret: ſi ad arma res veniret, Cæſar recuperato Mediolano ſuppetias ferret, præſertim aduersùs Ferrarienſem Ducem: nummum aureorum millia Iulio Cardinali Mediceo in penſionem annuam promiſſa, quæ à Toletano Pontifice nuper eum Pontificatum adepto, penderentur: Alexander Laurentij Medicei nuper Vrbinatis reguli nothus munere in regno Neapolitano eiuſdem annui prouentus donaretur.* Decretum quoque bellum eſt in Ta- LXXX.
nuenſium Ducem *Octauianum Fregoſium*, *Bellum in Tannēſes.*
quòd is Gallos in Italiam pertraxiſſet, & patriæ libertatem externis gentibus ingrate prodidiſſet. Nec mora opes vterque ſuas vireſque contulere. Pontificijs *Fridericus* Gonzaga Mantuæ Princeps, Cæſaris pediti *Ferdinandus Daualus*, equiti *Antonius Leua* præfectus eſt. His ſummo cum Imperio *Proſper Columna* exploratę virtutis Dux pręerat. Prima Romani exercitus vis Parmæ intentata, felicemque euentum ſortita, Placen- LXXXI
tiam, Ticinum, & Cremonam traxit. Quod *Federatorum victoriæ.*
imprudenti, pertinaciq. contra ducum ſocij conſilia, opinioni innixus *Lautrecus* pugnam detrectaſſet, aduersùs hoſtem, loci iniquitate, & copiarum diuiſione inferiorem. Reductis *Lautrecus* ad Mediolanum caſtris, ab hoſtili exercitu circumſeſſus, tanta

Sal. Ann. 1521. denique Hiſpanorum virtute oppugnatus
LXXXII. eſt, vt *Veneti* primùm ſuo depulſi præſidio
Galli cæſi. ceſſerint, duce ſuo *Triuultio* in hoſtium manibus
deſtituto: reliqua porrò caſtra terrore
magis, quàm ferro hoſtium diſiecta fuère.
Lautrecius cum equitatu ad vrbem receptus,
Mediolanum capitur. neque Mediolanenſium ſatis fiſus ingenio,
Comum aufugit. Vrbs ſub noctem conſpirantibus
Gibellinis, Cæſarianis patuit. Mediolani
exemplum Comum, Lauda Pompeia,
Alexandria cum ſequerentur, breui eſt Inſu-
LXXXIII. bria purgata Gallis. Ad hæc Venetus Senatus
tanta felicitate attonitus, cum *Leone* Pōtifice
de reconciliatione agebat, & de expellendis è
ſuis ditionibus Gallicis copijs ſpem dabat: ſed
Pōtif. Leonis mors. repentina *Leonis* mors Kal. Decemb. interueniens
multorum animos immutauit; Hunc
accepto Mediolanenſis victoriæ nuntio lætitia,
aut veneno, (vt alij ſcribunt) ſublatum
ferunt. *Bernabos Maleſpina* cubicularius, ac
miniſter à poculis, ob ſuſpicionem in cuſtodiam
traditur: ſed Cardinali *Medicæo* Romam
appulſo, ne quæſtio haberetur, prohibente,
ne in magnum aliquem principem
ſuſpiciones redundarent, liberatus eſt. Subijt
LXXXIV *Hadrianus Papa.* ſacrum Romanæ dignitatis faſtigium *Hadrianus Florentij*
Vltraiectinus, *Caroli* Cæſaris
quondam præceptor, eiuſdem opera à
Leone in Cardinalem adſcitus, tandem ſuffragante
virtute, licet alienigena ab extremis
Oceani litoribus vocatus, Pōtifex creatus eſt.

Gallis nouo licet ſexaginta millium inſtructis
exercitu Mediolanum aggreſſis, ingenti
noui operis foſſa arci obiecta, qua & fuga
ſuis, & hoſtis aditus prohiberetur, armatorum
ciuium conſpiratione *Proſper Columna*
egregiè defendit; vt hoſtis potiundæ vrbis ſpe
depoſita, aliò mentem, armaque deflecteret,
ſed maiori apparatu, viriumque oſtentatione,
quàm ſucceſſu, alibi etiam bellatum eſt;
LXXXV. *Galli ad Bicoquam victi.* Ad *Bicoquam* conflictus cogentibus Heluetijs
nitus, fatali Gallorum exitu, vel Heluetiorū
temeritate, Hiſpanis felix, quidquid Gallico
per Italiam parebat Imperio, magnis terroribus
concuſſit. Ducibus ferè omnibus amiſ-
ſis, Heluetiorum tria millia, Gallorum quin- *Sal. Ann. 1521.*
que hanc pugnam funeſtarunt. Genua cum
pertinaciùs Cæſarianis obſtaret conatibus,
per apertas murorum occupata ruinas, victori
militi in prædam ceſſit. *Octauianus* LXXXVI *Genua capta.*
Fregoſius in lectulo iacens, occluſo prætorio,
cum alijs principibus deprehenſus, *Hieronymo Adurnio*
antiquiſſimo hoſti, primam in
Rep. dignitatem, ipſe ad vincula ductus, aperuit.
Longa namque inter *Fregoſios*, & *Adurnios*
virtutis ac dignitatis interceſſerat æmulatio.
Fregoſij Gallis, *Adurni* Cæſari addicti,
vtrique tamen populares, & Gibellini nominis:
ad quos lege maiorum, Magiſtratus à
Guelfis ac nobilitate translatus pertinebat.
Contentio, quæ tandem Rempublicam penè
ſubuertit. Interim *Hadrianus* vbi primùm LXXXVII.
Romam ingreſſus eſt, non ſedem modò vacuam,
ſed & ærarium reperit, ipſumq etiam
principatum *Leonis* profuſione oppignoratum;
vt ſubſidia aduerſus Turcas, præſidiaque
Carolo in Gallum præſtare non poſſet.
Magno tamen animo Remp. aggreſſus, primò
ſibi, aulicæque magnificentiæ negare cæpit,
vt hanc auaritiæ ſpeciem aulici interpretarentur,
ſapientiores piam, vtilemque parſimoniam
agnoſcerent, quam virtus, neceſſitaſque
ſuadebat. Receptis etiam in fidem
Ferrariæ Vrbinique Ducibus, eorum ope recuperauit
Ariminum, à *Malateſtis* per abſentiam
Pontificis occupatum. Omni deinde
ſtudio tentauit *Carolum* reconciliare *Franciſco*,
vt in *Solimanum* infenſiſſimum Chriſtiani
nominis hoſtem, Reges coniungeret.
Quod *Ludouicus* Rex Hungarorum,
ingenti Turcarum imminente exercitu; &
Liladamus, obſeſſa iam Rhodo, ordinis
Magiſter in ſummo diſcrimine conſtituti
poſtulabant. Pontifici præter voluntatem,
ſubueniendi, omnia deficiebant. Hiſpani
ſeditionibus colliſi, omnem *Caroli* curam
eludebant. Galli Inſubriæ recuperandæ ardore
flagrabant. Germani *Lutheri* pernicioſis
concionibus auerſi, in aulæ Romanæ armabantur
excidium.

LVTHERANORVM NOVI TVMVLTVS. Anno 1522.

LXXXVIII Abeunte in Hiſpaniam *Carolo*, nouam
tempeſtatem concitauit *Andreas Carolſtadius*
aſſecla *Lutheri*, vnà cum nonnullis
Auguſtinianæ familiæ cœnobitis. *Lutheri* li- *Caroloſtadius abrogat Miſſam.*
bro *de abroganda Miſſa* freti, quam ex nocturna
Dæmonis concertatione argumentis
hauſtis,

Sal. Ann. 1522. hauſtis, ſtabiliuit, abolendi primùm in templo ſacrificij auctores extitere. Conſultus ſuper ea re *Fridericus* Princeps, ad Academicos Vvittenbergenſes remiſit. Ex quibus delecti quatuor *Iuſtus Ionas*, *Philippus Melanchthon* *Nicolaus Ambſtorffius*, *Ioannes Dulcius*, re cum Auguſtinianis communicata, abolẽdam Miſſam, tanquàm Cœnæ Dominicæ probroſam Principi referũt. Diſplicuit *Friderico* nouitas. Præuidebat enim indirectè euerti collegia, templa, opibuſq. ſacerdotum inhiari (quæ cũ Miſſis transferẽdæ videbantur.) Cumq. exciperent *Lutherani*, bona illa in Doctorũ gymnaſia ad eruditionem iuuentutis pietate, ac literis informandæ, tum pauperorum alendorum gratia eſſe deſtinata: impudenter etiam adiecerunt, *à Bernardi temporibus*, *Miſſarum abuſum antea ignoratũ inualuiſſe*; quaſi Apoſtolorum Liturgiæ, tum celebris ſacrificij à *D. Auguſtino* prò matre defuncta celebrati, nõ eſſet memoria. Verum nec Principis, nec antiquitatis reuerentia ducti, plaudente vulgo iam omni religione ſoluto Sacrificiorum apparatum euertunt, ſacraq. vaſa diripiunt. *Carloſtadius* hoc ſucceſſu lætus, ne alienæ volũtatis manceps, ſed ſuis ipſe auſpicijs, *Luthero* in latebris abdito, rem cœptam promoueret, aduersùs Sanctorum imagines, Sacrum Euchariſtiæ, & eſurialium dierum vſum, renouatis veterum hæreſiarcharum blaſphemijs, imagines templis exturbat, Laicorum manibus, profano ritu, nulla ſcelerum expiatione epulum porrigit Euchariſticum. Deniq. eo inſaniæ prolapſus, vt Ariſtotele ex Accademijs profligato, cuilibet ex labore manuum victitandum eſſe traderet; ideoq. deſertis ſcholis, ipſe ad aratrum, *Melanchthon* ad piſtrinum diuerteret. *Lutherus* his cognitis, veritus, ne quis palmam ſubuerſę religionis eriperet, inconſulto Principe, cuius repulſam formidabat, Vvittenbergam ſua ex eremo erupit; literaſq. hinc ad *Fridericum* dedit, quibus periclitanti eccleſiæ Vvittenbergicæ accurrere proteſtabatur, verens ne quorundam impro- *Sal. Ann. 1522.*

LXXXIX *Lutherus erumpit in lucem.*



Lutherus reprehen- it Melã- thonem. bitate grauior per Imperium tempeſtas concitetur, niſi tẽpeſtiuè occurratur; quòd Euangelium plures ore, quàm vita profiteantur. Domum itaque reuerſus, Miſsæ abrogationem

nem

Sal. Ann. 1522. nem publice prò concione ad populum reprobauit: non quòd bonum non fuerit, ſed quod inordinatè factum, & abſque ſui auctoritate, (quam ſibi vni vendicabat) conſtitu-

XC. *Fugit Caroloſtadius.* tum eſſet. Cuius furioſæ eloquentiæ cum impar eſſet *Caroloſtadius*, Orlamundam ſe recepit, vbi fautores nactus, ſemina iecit ſectæ deterioris, quam ab auctore poſtmodùm deſertam *Zuvinglius*, atque *Oecolampadius*, denique *Ioannes Caluinus* excoluit: qui omnes realem in pane Euchariſtico negarunt Chriſti præſentiam, & Tranſubſtantiationem. *Zuvinglius* Heluetios incitauerat, ne ſacerdotibus, quibus hactenùs concubinas indulſerant, legitimas coniuges ſanctiore inſtituto non denegarent. Ad Salam quoque

XCI. *Anabaptiſtæ.* Saxoniæ flumen noua gliſcebat *Anabaptiſtarum* ſecta, cui *Caroloſtadius* fauere creditus; Hi *Enthuſiaſtæ* dicti, quòd Dei ſe colloquio in fide firmari dicerent; ſed ad ſpeciem ſanctitatis compoſitis moribus, occultæ & promiſcuæ ſuis in conuenticulis Veneri indulgerent. Poſt *Nicolaum StorcK* ſiue *Pelargum* primum authorem, *Thomas Muncerus* popularis per Thuringiam, & Franconiam ſeditionis concitator fuit. Suadebat nouum à Deo mundum, ſublatis tyrannis, conſtituendum, ſolum in regnaturos innocentes, omnia omnibus fore communia, etiam coniuges. In tanta rerum confuſione

XCII. *Lutherus in ſuos cõcitatur.* *Lutherus* ſe continere minimè poterat, *Abſalones ſuos, à ſe educatos, ingratiſſimo Iudæ ſimillimos* proclamabat, *qui ſacrum Euangelium tanquàm gladium in Papiſtas arreptum, proditoriè ad iugulum magiſtri ſtringerent, & manifeſtam Scripturæ veritatem peruerſa interpretatione malignè traducerent.* Quare Bibliorum translationem in linguam vernaculam, *Melanchthonis* ope aggreſſus, eò inſolentiæ prorupit, vt mille quadringentis locis, libros Noui Teſtamenti corrupiſſe argueretur. Ab amico reprehenſus, *quòd Romanorum calumnijs ſe opportunum obieciſſet*, reſpondit, Papiſtis dicendum eſſe, *Sic Doctorem Martinum voluiſſe, qui aſinorum ruditu nil moueatur.* Traditionibus, Concilijs, Pontificibus illum honorem habuit, vt omnia ſecus, quàm hi ſtatuiſſent, agenda diceret. *Edendum*, cum illi ieiunia imperant: *Abſtinendum*, cum ad vſum ſacramentorum prouocant. *Ego* (inquit in ſua captiuitate Babylonica) *ſi Concilium Euchariſtiam ſub vtriuſque ſpetiebus ſumendam præciperet: aut ſub alterutra tantum fruerer, aut certe neglectim præterirem.* Diuum, hominumque ſpretor, in Epiſcopos, Principeſque debachatur, vt in ſua (quam *Reformationis* bullam vocat) *filios Dei dixerit, & veros Chriſtianos, quicumque opem ferant, corpuſque, bona, ac famam impendant, vt Epiſcopatus deuaſtentur, & Epiſcoporum regimen exſcindatur: contra, quicumque defendunt Epiſcoporum regimen, hi ſunt Diaboli miniſtri proprij.* Angliæ Regem ſacramenta Eccleſiæ ſcriptis vindicantem, tot conuitijs petijt, vt ſuis ipſe putêret fautoribus. Cuius impudentiæ correptus, tentauit Regem inſigni laudum præconio demulcire, ſed irriſus, iuſſus eſt *ſuæ ante inſaniæ remedium facere, quàm alienis ſe ſe impendere laudibus; cum tam ſibi Rex turpe putet, laudari à turpibus, quàm ob turpia: neque impenſiùs commendari poſſit, quàm ſi à diſſimillimo ſibi Luthero reprehendatur.*

(Margin: *Sal. Ann. 1522.* — *Bibliam corrũpit.* — XCIII. *Lutheri inſolentia.* — XCIV. *Conuitijs petit Regẽ Angliæ.*)

COMITIA NORIBERGENSIA. Anno 1522.

Coactis Noribergæ comitijs, *Ferdinandus* Cæſaris frater tum ſuo, ac Cæſaris nomine, latam aduersùs *Lutherum* anno ſu-

XCV. periori ſententiam vehementer vrgebat. Sed Saxone, ac Palatino infectis, parum proficiebat. *Hadrianus* igitur Pontifex non ignarus malorum, quæ ex Germaniæ ſeditione, toti Chriſtiano Orbi imminerent, *Franciſcum Cheregatum* Epiſcopum Aprutinum, Noribergam ad Principes legauit, præſertim ad *Fridericum* Saxoniæ Ducem, & ſequentibus ita commonuit.

Friderico Saxoniæ Duci.

Dilecte fili. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Satis & pluſquam ſatis ſuſtinuimus, dilecte in Chriſto, ſi forte Dei pietas tuam animam dignetur inuiſere, ac dare pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, vt reſipiſceres à Diaboli laqueis, à quo captiuus detineris. Nouimus te paterne monitum à fe. rec. prædeceſſore noſtro, vt à te ſepares perniciem illam Chriſtianæ religionis Martinum Lutherum; & cum iam toti orbi manifeſtæ eſſent ſceleſtiſſimæ machinationes illius,

Sal. Ann. 1522. *illius, ſperauimus & te ad cor pœnitens rueurſurũ. Sed quoniam expectamus vuas, & ecce quia fruſtra conflauit conflator, malitiæ enim tuæ non ſunt conſumptæ; coegit nos miſeratio tui, coegit paternus amor, quo te & tibi ſubditos Saxones in Domino ſemper fuimus proſocuti, ſalutaribus & paternis monitis adhuc conuenire, ut vel tandem reſipiſcatis, antequam plane in vos conueniat, quod mox ſubdit propheta, Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos, & quid dicemus vobis, quam quod Galatis ſuis Paulus: O inſenſati, qui vos faſcinauit, non obedire veritati? Currebatis bene. Interrogate Patres veſtros, ac dicent vobis; maiores veſtros, & annunciabunt vobis; quod ab ea ætate, quo vno eodemque tempore vixere Hadrianus Romanus Pontifex, & Carolus ille magnus Imperator Saxonicæ fidei plantatores, ad noſtra vſq. & Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Caroli tempora, aui & proaui veſtri, atque adeo Saxones omnes, ſemper habiti eſtis veluti pacis amatores, fidei propugnatores, & per omnia obedientiæ pacifici filij; taleſque, vt non immerito Gregorius V. natione Saxo olim Romanus Pontifex; Saxoniæ Ducem in Romani Imperatoris conſtituerit Electorem. Quomodo ergo tam cito mutatus eſt color optimus? Cur tam facile transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt quidam qui vos perturbant, & volunt peruertere Euangelium Chriſti? Quis vineam Domini Sabbaoth tam pulchrè plantatam eſt demolitus? Certe exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Sed væ illud à vobis, à domeſticis et amicis, à cruciatu præcordiorum. Obſecramus te fili dilecte in Chriſto, leua oculos tuos in directum, & vide vbi ſis proſtratus. Conſidera quantum Eccleſiæ Chriſti, tot malis vndique circumuallatæ, ac pene oppreſſæ, pro opera qua illi ſubuenire debueras, cladem inſuper intuliſti. Oppugnatur foris ab infeſtiſſimo illo ac potentiſſimo Chriſtiani nominis hoſte. Diſſident intus principes Reipublicæ Chriſtianæ, & in mutuam armati perniciem, cruentiſſimis inter ſe odijs conflictantur, & in fraterna viſcera ferrum ſtringunt, vt vix ethnici inter ſe crudelius. An hæc ita tibi viſa ſunt non ſatis grauia, niſi contritionem induceres ſuper contritionem, nutriens ac fouens ſerpentem illum in ſinu tuo, qui veneno linguæ ſuæ Eccleſiam & terras infecit adeo, vt nunc peruenerit gladius etiam vſq. ad animam? Quanto autem pluris eſt anima quam corpus, tanto grauius eſt prædictis omnibus horrendum illud & pluſquam tartareum venenum, quo hæreſum ac ſchiſmatum contagione tot myriades animarum interierunt, intereuntque. Ita tibi debemus omnes, quod nunc paſſim ab vnitate matris Eccleſiæ recedatur: quod auertatur vulgus indoctum, ac bis mille præſtigijs ac faſcinationibus retrahatur à fide, quam ſuxit ab vbere materno: quod Baſilicæ ſint ſine plebibus, plebs ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reuerentia, & ſine Chriſto denique Chriſtiani: quod Sacramenta fidei, non ſacra cenſeantur; quod ſanctuarium Chriſti, ſanctum eſſe negetur; quod dies feſti feſtiuis fruſtrentur ſolemnibus; quod moriantur homines in peccatis ſuis, rapiantur animæ ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliati, nec ſacra communione muniti: quod pulcherrimus ille tabernaculi ordo confuſus ſit, & pro Chriſtiana pace & tranquillitate ad rebellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia, cum magno ac manifeſto Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimine, veluti claſſico paſſim excitati. Pro quibus egregijs tuis in Eccleſiam Chriſti meritis, quo te præmio, imo quo non ſupplicio dignum cenſebimus? At dices forte; Serpens me decepit. Dignam certe recepiſti mercedem, qui illum nutriuiſti in ſinu tuo; Sed itane ſtultus es, & ſine corde, vt in eis maxime rebus in quibus errare damnari eſt, vni homuncioni cooperto peccatis, quam tot ſanctiſſimis ab initio Patribus, qui in lege Dei meditati ſunt die ac nocte; & quam tot vniuerſalibus Concilijs, aduerſus quæ impudens os illud velut ſepulchrum patens, ſe aperire non erubeſcit: Sanctæ denique & Catholicæ Eccleſiæ, cuius ritum, conſuetudinem & decreta, à temporibus Apoſtolorum ad nos vſque inuiolabiliter obſeruata, vnus iſte ſacrilega temeritate damnare præſumit, plus credere potueris? O cæcam dementiam, ac pluſquam Iudaicam cæcitatem. At fortaſſis hoc tibi impoſuit, quod veterator ille Martinus, & eius ſequaces, de capitulis ſcripturarum viſi ſunt ſua confirmare, & quis tandem hæreticorum ita non fecit? An non hæ ſunt veteris ſerpentis aſtutiæ, qui hac veluti eſca obducto hamo, miſeris animabus mille: technis & verſutijs ſemper eſt inſidiatus; quique, quo angularem infringeret veræ fidei lapidem, ac Chriſtianam*

Sal. Ann. 1522. nam ſcinderet vnitatem, in ſcripturarum, agrũ, ſuum ſeminare ſemen, & peruerſarum ſcripturarum intelligentiam; iampridem eſt egreſſus? Cum itaque maxima ſemper pars Eccleſiarum, imperita turba ſit, & vix vnus reperiatur aut alter, qui ſpiritualibus oculis de ſcripturarum intelligentia digne valeat iudicare: ſiquidem librum ſignatum legimus, quem ſolus Leo de Tribu Iuda dignatus eſt aperire; ac ſoluere ſignacula eius: quæ tandem eſt iſta Diabolica excæcatio, vni carnali homuncioni, ſemper eructanti crapulam & potum, quam reliquo Orbi vniuerſo, quam tot ſpiritualibus Patribus, quorum voluntas ſemper fuit in lege Domini: qui vitæ ſanctimonia, oſtenſione ſpiritus ac virtute, glorioſo denique martyrio ſuam doctrinam comprobauerunt, in ſcripturarum intelligentia plus te fidei habere potuiſſe. O cæcitatem nouam, & inauditam. Vnus apoſtata tibi potuit perſuadere, fefelliſſe priores vniuerſos, errore poſteros, & in ſolum ſe, & quos decepit perueniſſe regnum Dei, perueniſſe totas miſerationum Dei diuitias, ac gratiam vniuerſitatis? Et quid non dicimus cum propheta; Heu, heu, heu Domine: ergone decepiſti populum tuum? Quin potius, cur non deuitatis, ſecundum Apoſtolicum præceptum, quæſtionibus ac pugnis verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictiones hominum mente corruptorum, & ſubuertunt corda audientium, ex operibus ſuis iuxta Dominicam deſignationem, ſtuduiſtis cognoſcere filium prophanum iſtum, qui ad uos uenit primum in veſtimentis ouium, lupus intrinſecus rapaciſſimus? Siquidẽ non ex folijs, non ex floribus, ſed ex fructibus arbor cognoſcenda erat. An non manifeſti ſunt nequiſſimi fructus eius? Siquidem ſacrilegus hic aduerſus Deum, imagines ſacras, atque adeo ipſam Crucem Chriſti ſceleratis manibus confringere, & pollutis conculcare pedibus non formidat: contra ſacerdotes Dei furore impio temerarie debacchans, non deſinit laicos, ad lauandas ſibi in eorum ſanguine manus ſedulo concitare Eccleſiam Chriſti parricidalibus armis oppugnans, hoc agit aſſiduo, ut ſuffocentur homines in peccatis ſuis: hoc unum elaborat, ne diuina miſericordia ſuis Sacramentis, quæ peccatorum remedia efficacia eſſe uoluit, uulneratos in Eccleſia ſua curet. Ita enim ea aut ſuſtulit uniuerſa, aut hæreſeos ſuæ peſtifero infecit veneno, ut toxicum magis requirat, quam animarum medicinas. Præcepit ſuis, ne indignanti Deo quis ſatisfaciat, ne ieiunijs, orationibus, lamentationibus peccata redimat: ne hoſtia illa placens Deo, corpus et ſanguis Domini Noſtri Ieſu Chriſti à Sacerdotibus offeratur quotidie pro peccatis noſtris: vota docet non reddere Domino Deo ſuo: & cum ipſo ſit apoſtata, ac profeſſionis ſuæ deſertor, ut plurimos ſui faciat ſimiles, ſancta illa Deo vaſa polluere non veretur, conſecrataſque Chriſto virgines, & vitam Monaſticam profeſſas, extrahere à Monaſterijs ſuis, & mundo, imo Diabolo quem ſemel abiurauerunt reddere. Sal. Ann. 1522. Quod in veteri lege, in vmbraticis ſacerdotibus Dominus non tulit: quod ethnici in idolorum ſuorum Flaminibus omnes ſunt abominati, Chriſti Sacerdotes etiam viliſſimis copulat meretricibus: S. Patres illos, quorum vita & doctrina illuſtrauit vniuerſum mundum, non ſolum debito honore non proſequitur, ſed multo quam Cam ſceleſtius deſpicit, deridet, contemnit, inſectatur. Sacroſanctis omnibus vniuerſalibus Concilijs impudenti ore palam contradicit, ac ſacrilega lingua detrahit: libertatis ſpecie, licentioſam quandam vitam, nullis conſtrictam legibus, ac vere ferinam, inducere conatur, vnde & exlex homo, contemptor atque violator legum omnium, in tantam erupit mentis ueſaniam, ut SS. Patrum decreta: & Eccleſiaſticos Canones igne publico concremare non formidarit, & breuiter, Chriſtianam ueritatem, omnem rerum ordinem, pulcherrimam denique Eccleſiæ faciem, à Chriſto, ab Apoſtolis, Apoſtoliciſque uiris, ac SS. Patribus, unus hic poſt tot centenos annos diſcindere, inuertere, ac deformare molitur. Quod ſi nondum ſatis etiam internoſcis, de Chriſtiano Magiſterio, an de Anitchriſti ſpiritu iſta proficiſcantur; ſi ita faſcinauit te præſtigiator ille, ut credere poſſis unum hunc perfidiſſimum apoſtatam, ueluti alterum Heliſæum habere duplicem ſpiritum Heliæ, aut alterũ eſſe (quem ſe iactat) Danielem, in quo ſit ſpiritus amplior, & intelligentia ſcripturarum maior, quam in omnibus olim ſanctiſſimis illis doctiſſimiſque uiris, quam in Sacroſancta Eccleſia Catholica, quid eſt te uno cæcius? Aut ſi iam ex fructibus arborem cognoſcens, in errore perſiſtis tamen, quid te miſerius? Sed eſto? transfiguratus ſit coram te Sathanas ille in Angelum lucis; & quæ manifeſta ſunt opera carnis & Diabolica, ſpiritus eſſe &

Chriſti

Sal. Ann. 1522. Chriſti opera, venenata ſua facundia perſuadere potuerit? Numquid non vbique vel hoc ipſo prodidit, cuiuſnam ſpiritus ſit, quod omnis eius ſermo amarus eſt, virulentus, arrogans, ac maledicentiſſimus, numquam non ſcatens conuicijs, blaſphemijs, ac ſcommatibus pluſquam venenatis, aduerſus omne Chriſtianæ pietatis, modeſtiæ, manſuetudinis ac benignitatis officium? Numquid ita docuit Paulus, cuius ſe iactitat ſpiritum habere, cum nulla eius extet epiſtola, quæ non pacem, & vnitatem, ac alias id genus virtutes redoleat? An non Romanos ſuos hortatur in Domino, vt in charitate fraternitatis ſe diligant, inuicem ſectentur quæ ſunt pacis, & quæ ædificationis cuſtodiant? Corinthijs an non teſtatus, ſe docere in Eccleſijs, Deum, non diſſenſionis ſed pacis Deum eſſe? et breuiter: Numquid, non vbiq. clamat, vbiq. docet Euangelica illa tuba, vt digne ambulemus in omni humilitate, ac manſuetudine cum patientia, ſupportãtes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis: vtq. deponamus omnẽ iram, indignationem malitiã, blaſphemiã, turpem ſermonem? Quo igitur pacto maledicentiã, amaritudinem, iram, indignationem, blaſphemiam, inflationem, iactationem, quæ huic ita peculiaria ſunt, vt illa Paulo, ac illius diſcipulis vniuerſis, qui mitis eſt ac humilis corde; nõ Paulini, non Chriſtiani, ſed Diabolici ſpiritus eſſe certiſſima indicia, vel cæco non clariſſime appareat? Ex verbis illius, quomodo non intellexiſtis Chriſtum in corde ſuo, an vero Antichriſtum haberet, ſecundum quod ipſa veritas in Euangelio ait: Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? De abundantia enim cordis os loquitur, et cum ſcriptum ſit, quod maledici regnum Dei non poſſidebunt; Item cum in Euangelio dicit Dominus. Qicumque dixerit fratri ſuo Racha, reus erit Concilio: Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ incendio; illumne eſſe Antichriſti Apoſtolum, cuiquam obſcurum eſſe poterit? Qui non modo Sacerdotes Dei, ſed & Principem Sacerdotum, Petri ſucceſſorem, Ieſu Chriſti in terris Vicarium, tam nefandis infamibuſq. nominibus, tam inauditis contumelijs, conuicijs, ac blaſphemijs, nuſquam non lacerat, diſcerpit, & inſectatur, vt ea commemorare pudica refugiat lingua, & audire horreant aures caſtæ. Qui Apoſtolicam Cathedram, in qua præſedit caput Apoſtolorum Petrus, cui præfuerunt tot ſancti Pontifices, quã Eccleſiam principalem, vnde ſit exorta vanitas Sacerdotalis, ſanctus ille & glorioſus Martyr Cyprianus non dubitat aſſerere, impio ac peſtilenti ore Cathedram peſtilentiæ, Antichriſtianã, Diabolicam, et ſi quæ potuit excogitare nefãdiora, toties appellare non ceſſat: Qui ſcholas Chriſtianas, quæ tam multos doctiſſimos, ſanctiſſimoſq. viros, tam egregias in Eccleſia Dei columnas nobis protulerunt, impudica lingua ſua, lupanaria, Sodomas et Gomorrhas vbique vocare non verecundatur: Qui non ſatis habet omnipotentis Dei Sacerdotes, probris omnibus, conuicijs, contumelijs, ac blaſphemijs horrendis & inauditis, nunquam nõ publice ac priuatim inſectari, quibuſuis canibus viliores facere, niſi etiam laicos concitet ad lauandas ſibi manus in ſanguine ipſorum: Cum tamen quanto honore haberi velit Sacerdotes ſuos, maxime autem Principem Sacerdotum, idem ipſe Dominus in Deuteronomio teſtatus eſt, dicens: ſi difficile et ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam et cauſam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum, quẽ elegerit Dominus Deus tuus, ueniesq. ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicẽ qui fuerit illo tempore, quæreſq. ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcumq. dixerint qui præſunt, loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſq. ſententias eorum, nec declinabis ad dexteram neq. ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur, homo ille: & auferes malum de Iſrael: cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia, & Samuel cum ſperneretur à filijs Iſrael, an non dicit Dominus, Non enim te ſpreuerunt ſed me, ne regnem ſuper eos: manifeſte oſtendens, inuiſibilem ſe contemni, cum viſibilem quis ſpernit ſacerdotem? Quare & Moyſes murmuranti aduerſus ſe populo reſpondit: Non aduerſum me murmuraſtis, ſed aduerſus Dominum Deum veſtrum. Quod ſi Leuiticos illos Sacerdotes tanta honoris prærogatiua præcellere voluerit Dominus, qui exemplari tantum ac vmbræ deſeruiebant cæleſtium, in vmbratico illo tabernaculo ſacrificiorum officia conſummantes, quo tandem honoris

Sal. Ann. 1522. ris loco eos haberi voluit, quibus tradidit claues regni cœlorum? tantamque tribuit poteſtatem, vt quæ ligarent ſuper terram, ligarentur & in cœlis; & quæ ſoluerentur ſuper terram, ſoluta eſſent & in cœlis; vtque quorum ipſi dimitterent peccata, dimiſſa forent; quorum retinerent, forent & retenta? Qui non ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed hoſtiam viuam, ſanctam, immaculatam, Corpus & Sanguinem Domini Noſtri Ieſu Chriſti offerunt quotidie pro peccatis noſtris, conficiunt verbo ſuo & manibus tractant; & breuiter, Sacramenta omnia: quibus hominibus vita ſaluſque tribuitur animarum ſuis perficiunt orationibus: Quanto inquam, honore hos præcellere voluerit Dominus, quis tandē dubitabat, quod nec ipſe tacuit in Euangelio, cum dicit ad eos; Qui vos audit, me audit; et qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit & eum qui miſit me? & quod conſequitur? Quod in eundem Chriſtum blaſphemus eſſet & maledicus, qui ſacerdoti Chriſti blaſphemat & maledicit. An non hoc mandatum primum in retributione, Honora Patrem & Matrem, vt ſis longæuus ſuper terram? Qui autem maledicit Patri aut Matri, morte moriatur. Numquid ad carnales tantum parentes illud eſt referendum, & num minus ad eos qui nos in Chriſto regnauerunt, per quos Chriſtiani ſumus, qui nobis peccata dimittunt, qui cœleſtibus nos paſcunt Sacramentis? Quid ſi peccatores ſunt, & mali Sacerdotes? Quid ſi & parentes? Numquid propterea eos non honorare, aut eis maledicere licebit? Numquid & Iudas erat inter eos, quos Dominus miſit ante faciem ſuam, & ad quos dicebat; Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo aut ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris; Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati. An non ita præcepit Apoſtolus, Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis? Quod ſi malis & peccatoribus non ſit obediendum, quibus tandem? Quoniam ſi dixerimus, peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quis es? noli diſcutere paſtorem: Noli te iudicem Dei conſtituere & Chriſti. An non ita præcepit Dominus in Euangelio, dicens: Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite; Si quæ autem fecerint male, facere nolite: manifeſte ſignificans, habere eos dignitatem, tametſi vitæ eſſent perditæ. Numquid idem Dominus, cum poſtea tempore paſſionis alapam accepiſſet à ſeruo Sacerdotis, dicenti ſibi; Sic reſpondes Pontifici? aduerſus Pontificem quidquam dixit contumelioſe? quin magis innocentiam ſuam aſſerens et oſtendens, Si male, inquit, locutus ſum, exprobra de malo: Sin bene, quid me cædis? An non & Paulus, cum cæderetur in concilio iuſſu Ananiæ, diceretque ad eum, Percutiet te Deus paries dealbate; & tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti; audiens ab aſtantibus, Sic inſimulas ſacerdotem Dei, maledicendo ipſum? tamen inane nomen, & vmbram quandam ſacerdotis cogitans, expauit: Neſciebam, inquit, fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum. Scriptum eſt enim; Principi populi tui non maledices. Quo magis miramur, quod ex iſtis Diabolici ſpiritus operibus, veluti fructibus nouiſſimis, arborem peſſimam nondum agnouiſtis, & quis tandem eſt ita hebes animo, ut non videat quo nunc prorumpant furioſiſſimi conatus iſtius, cum ut quiſque eſt facinoroſiſſimus, deſperatiſſimus, aut perditiſſimus latro, aut homicida, ſub iſtius vexillis ac ſignis conueniant? Eccleſiam iam Chriſti parricidalibus armis ac ſacrilegis manibus, non clam, ſed palam oppugnantes; conſecrata Deo loca, templa & monaſteria exurunt, & prophanant; Chriſto dicatas Virgines, ſacerdotes Chriſti & monachos crudeliſſime perſequuntur; Eccleſiarum bona diripiunt: & breuiter, rapinis, latrocinijs, cædibus ac incendijs confundunt vniuerſa: excæcante nimirum eos iuſto Dei iudicio, & in inſaniam tam manifeſtam erumpere permittente, vt neminem iam latere poſſint ſceleſtiſſimæ machinationes iſtius. Atque, hi qui peſtifera contagione ipſius infectos ſeſe nunc tandem cognouerunt, ſchiſmatico errore depoſito, ac hæretico furore deſerto, vnitatis ac veritatis domicilium fidei ſanitate repetunt. Inter quos, dilecte nobis in Chriſto Ieſu, cum & te non ex poſtremis reuerſurum ad ſalutarem matris ſinum ſperaſſemus: quem reuertentem libenter & obuijs excepiſſemus manibus, bona ſpe noſtra tandem fruſtrati, videmus ſupra petram indurauiſſe te faciem tuam: videmus perniciem illam animarum Lutherum, ſub tuo patrocinio latitantem, ſuum adhuc virus longe la- Sal. Ann. 1522.

ge la-

Sal. Ann. 1522. *ge lateque ſpargere. Sed quoniam adhuc potens eſt Dominus Deus etiam de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, antequam egrediatur ut ignis indignatio eius, & ſuccendatur, nec ſit qui extinguat; ideo te fili dilecte in Chriſto obſecramus, per viſcera noſtri Redemptoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti, per Chriſtianam vnitatem, per patriæ charitatem, per tuam denique ipſius tuorumque ſalutem, miſerere Eccleſiæ Chriſti, & tot iam malorum procellis vndique exagitatæ, ac pene oppreſſæ tua maxime culpa, aliquando fer opem: Miſerere patriæ noſtræ, quæ ſinceræ olim fidei, eximiæ religionis, ſanctæ ſub iugo Domini ac religioſæ obedientiæ inſigni præcellens gloria, perniciem iſtam religionis Chriſtianæ, & fidei ac pietatis publicum hoſtem Martinum, in ſuis ſe peperiße ac fouiße viſceribus, nunc erubeſcit. Miſerere denique tui ipſius, tuorumque miſere ſeductorum Saxonum. Quos, niſi reſipiſcatis, & quidem cito, manet præſens & certa vltio diuina, quam neque in hoc ſeculo effugietis, neque in futuro. Hæc dicit Dominus Deus; Audi popule ſtulte, audi Princeps qui non habes cor: qui habetis oculos, & non videtis; aures, & non auditis: Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis. Numquid non audiſtis, quæ fecerim in diebus antiquis? Legite ſcripturas, in quibus putatis uos vitam æternam habere, & inuenietis, quam grauis ſemper fuerit, & quàm terribilis diuina vindicta in illos, qui in populo Dei ſchiſmata concitauerunt. Numquid non legiſtis horribilem diuinam vltionem aduerſus Dathan & Abiron, quod multitudinem aduerſus Moyſen concitauiſſent, quos dehiſcens ſub pedibus terra, & aperiens os ſuum deglutiuit, & omnia quæ ad eos pertinuerunt, ita ut deſcenderent viuentes in infernum? & aduerſus Core, quem eandem ob cauſam cum ducentis & quinquaginta viris cœleſtis flamma deuorauit. Quod ſi ob durius Imperium fortaſſis, aut quorundam Paſtorum ſeu ignauiam, ſeu malitiam, ſchiſmata excitanda putatis, numquid non ex libro Regum audiſtis, adeo indignatum fuiße Dominum aduerſus decem tribus filiorum Iſrael, & in omne ſemen eorum, ut dimouerit eos, & tradiderit in direptionem, donec proijceret eos à facie ſua? Ob quam tandem culpam, niſi quod ob durius Imperium Salomonis, & imprudentius arrogantiuſque reſponſum Roboam Regis Hieruſa-*

lem, ſciſſæ fuerunt à tribu Iuda & Beniamin? Quam præſens ſemper fuerit Dominus vindex ſacerdotibus ſuis, an non Saul ab Regio abiectus honore, & Ozias Rex Iuda percuſſus lepra, propterea quod quæ ſacerdotum erant, contra Sacerdotes Domini auſi ſunt vſurpare, ſufficienti vobis potuerunt eſſe argumento? & breuiter: An non omnes teſtantur hiſtoriæ, vniuerſos vltrice Domini manu infelici perijſſe exitu, qui in Chriſtos Domini ſacrilegas manus inijcere non formidauerunt? Contra autem, felicia omnia, & lõgam illis contigiſſe vitam, qui Chriſtum in ſacerdotibus ſuis venerati ſunt? Moueant ergo vos exempla aliorum, & cogitate quid vobis ſit expectandum, qui venerabilem Dei chorum, in manus tendatis tradere profanas. Proinde quod Dominus præcepit per Moyſen, vniuerſo populo Iſrael, vt ſepararẽtur à tabernaculis Core, Dathan, & Abiron, nec tangerent quidquam quod ad eos pertineret, ne inuoluerentur in peccatis eorum; hoc & vobis, præcipue autem tibi dilecte fili, eiuſdem Domini noſtri authoritate præcipimus, & obſecramus in Chriſto Ieſu, vt ſeparemini à Martino Luthero; auferatis à vobis petram illam ſcandali, neq. tangatis quod illius eſt; ne & vos diuina vltio inuoluat ſubito in peccatis illius. Expurgate quamprimum fermẽtum illud, quod reliquam fidei veſtræ maſſam corrupit; vt ſitis noua conſperſio, nouaq. creatura. Non dedigneris fili dilecte Paulum imitari, quem ſicut viciſti in Eccleſiæ Dei perſecutione, tam grauem animarum perniciem ſub tuo nutriens patrocinio, ita reuerſus ad cor, effice vt omnes intelligãt tuam conuerſionem; vtq. qui per te ſunt ſcandalizati, in te rurſus glorificent Deum. Maxime autem hoc præſta quamprimum, vt impurum os illud obſtruatur, vt capuletur blaſphema lingua, quæ contra Deum ac ſanctos eius loqui non ceſſat, & virus ſuum vndique ſpargit, & ut propheticis vos uerbis admoneamus; ſtate ſuper vias, & videte, ac interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus ueſtris. State inquam, & doctrinis varijs et peregrinis nolite abduci. Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit uia bona per quã ambulauerunt patres noſtri quã demonſtrauerũt tot myriades martyrũ, docuerũtq. tot millia cõfeßorũ, et ambulate in ea. Quod ſi à uobis impetrauerimus, ſicut & ſincere ſperamus, erit quod gaudeamus cum Angelis de peccatore Sal. Ann. 1522.

Sal. Ann. 1522.

pœnitentiam agente, & perditam, ac rurſum inuentam ouem humeris noſtris ad ouile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate, quantum in nobis fuerit, ſtolam vobis priſtinam reſtituemu: . Quod ſi dixeritis: Non ambulabimus; & ſalubriterque vos momenti reſpondebitis; Non audiemus: Ideo audite gentes, dicit Dominus, & cognoſcite congregationes, quanta ego faciam eis.

Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtũ, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Sed & hoc tibi denunciamus in virtute Omnipotentis Dei, & Domini Noſtri Ieſu Chriſti, cuius in terris Vicarius ſumus, nec te in præſenti ſæculo hoc laturum impunè, & in futuro æterni te ignis expectare incendium. Viuunt vna Pontifex Hadrianus, & religioſiſſimus Imperator Carolus, meus Chariſſimus in Chriſto filius et alumnus; cuius tu edictum vere Chriſtianum aduerſus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, Non ſine graui offenſa ac vilipenſione Cæſareæ Maieſtatis violare non timuiſti. Non committemus, vt quos olim cum Magno Carolo Hadrianus Pontifex & Imperator Carolus, ſub ſchiſmatico ac hæretico tyranno, hæreſum ac ſchiſmatum ſinamus interire contagione. Quare reuertimini ad cor, & reſipiſcite, tu, tuique miſere ſeducti Saxones, niſi vtrumque gladium, Apoſtolicum ſimul & Cæſareum, olim velitis experiri. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Domini M.D. XXII.

XCVI. *Electoribus & alijs Principibus Imperij.*

Hadrianus Papa VI.

Venerabiles fratres & dilecti filij ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Poſtquam ad Apoſtolatus officium, diuina diſponente prouidentia, aſſumpti ſumus, teſtis nobis eſt ille, qui nos vt immeritos, ita nil tale expectantes, promouit, nil nos aliud die noctuque cogitaſſe, quam vt in curando grege nobis credito, tam in vniuerſum, quam ſingulatim boni paſtoris partes, modis omnibus impleremus: atque adeo nullam exiſtimaſſe è noſtris ouibus tam morboſam, quam non pro viribus curare: nullam tam vagam, & à cæteris errantem, quam non perquirere, & ad Dominicam caulam reducere ſummopere cuperemus. Et ſane ab ineunte ſtatim Pontificatu noſtro, (quod tum potiſſimum expedire videbamus) Chriſtianorum Principum animos, heu nimis iam inter ſe diſſidentes, ad pacem & concordiam ineundam, dcponendaque arma, (aut ſi bellandum eſſet, ea in fidei hoſtes conuertenda) tam per diuerſos nuncios noſtros: quam per quotidianas feres litteras hortari, animare, precari, hactenus nunquam deſtitimus. Et ne verbo tantum: ſed et re ipſa huius noſtri deſiderij ederemus exempla. Deus ſit, quanto rei noſtræ familiaris, hic præſertim temporibus incommodo, pecunias: & alia ſubſidia ad Rhodienſes milites ſtrenuos fidei propugnatores, ab immaniſſimo Turcarum tyranno atrociter obſeſſos, ac in alia etiam loca in eiuſdem hoſtis faucibus periclitantia, miſimus. Mox vero ab externis ad inteſtina animum aduertentes, non ſine graui animi moleſtia percepimus, Martinum Lutherum (quem ſua culpa iam filium noſtrum vocare non poſſe dolemus) hominem veterum, & iam damnatarum hæreſum ſuſcitatorem, poſt Sedis Apoſtolicæ paterna primum monita, deinde etiã ſententiam, non abſque conſilio optimorum & doctiſſimorum virorum: & diuerſarum vniuerſitatum legitime contra eum latam. Poſt Chariſſimi in Chriſto fili Caroli noſtri Romanorum & Hiſpaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi: & veſtrum Imperiale edictum, ſuper eiuſdem ſententiæ executione, in proximis comitijs Vvormatiæ habitis, mature decretum: & per totam fere Germaniam promulgatum: non modo per quos deceret, non punitum, aut per ſe cohibitum, à prauiſſimis inceptis non deſiſtere: ſed omnis Chriſtianæ charitatis & pietatis Euangelicæ non oblitum modo: ſed & impie contemnentem, nouos quotidie libros, errorum, hæreſum, contumeliarum, ac ſeditionum plenos: ſiue de ſuo, ſiue ab alijs adiutum, diuulgare: ac veluti peſtem quandam Germaniam, & vicinas regiones longe lateque peruadentem, venenatæ linguæ ſpiculis bonas & animas & mores inficere & corrumpere conari: &, quod peius eſt, horum ſuorum facinorum non plebeios modo, ſed & nobiles pleroſque habere fautores: adeo, (vt qua fortaſſe iſtorum tumultuum primaria fuit cauſa) in ſacerdotum bona iri: & obedientiam tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus debitam, vilipendi cæptum ſit: & tandem inter nonnullos veſtrum ad ciuilia bella deuentum. Quod quam male cadat Chriſtianæ Reipublicæ hoc præſertim tempore, mente & cogitatione facile proſpicere poteſtis. Etſi enim prædixit Apoſtolus,

Sal. Ann. 1522.

lus, oportere hæreſes eſſe: vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant, nullum tamen videas tempus huic rei magis importunum, quam hoc, aut quod citius ab hæreſibus ſi quæ ortæ ſint, neceſſario veniat repurgandum. Quum enim humani generis perpetuus hoſtis diabolus, ſub leonis rugientis ſpecie, per Turcarum vires in Chriſtianas oues continue debacchetur, non videmus, quo modo contra tantos impetus abſiſtere poſſimus, quam diu eundem diabolum ſub draconis ſubdoli forma, iſtas hæreſes domi noſtræ diſſeminantem, interque fortiſſimos Germanos noſtros diſcordias et ſeditiones ſuſcitantem, fouebimus. Atque vt etiam debellare externos hoſtes maxime poſſimus, irritus tamen fuerit labor, impenſaque: & animarum ſaluti minimi vtilis, foris hoſtes vincere, & domi hæreſibus, ſchimatibuſque laborare meminimus, quum etiam in minoribus conſtituti in Hiſpania eſſemus, multa ad nos & varia de Luthero, & eius peruerſis dogmatibus frequenter perferri. Quæ cum per ſe duriſſima auditu, eo nobis duriora videbantur, quod ex ea regione venirent, vnde nobis ſecundum carnem origo eſt. Sed ſolabantur nos tum rei ipſius adeo manifeſta, vel iniquitas, uel ſtoliditas: ut à nemine diu toleranda crederetur. Tum illa ſubinde nobiſcum facta reputatio, qua dubio procul confidebamus iſtas venenatas plantas aliunde in Germaniam translatas, non peruenturas ad frugem in ea terra, quæ acerrimos hæreſum, & omnis infidelitatis hoſtes ſemper protuliſſet. Nunc vero poſtquam hæc mala arbor ſine diuino iudicio ſic populi ſui peccata punienti ſiue ſocordia eorum, qui, vt debebant & poterant, principio non obſtiterunt. Quos videtis & auditis longe lateque ramos expandere cœpit. Conſiderandum vobis eſt, Germani princeps & populi, ac prouidendum, ne uos qui ab initio huius mali culpa aliunde orta, facile excuſari poteratis, per iſtam nimiam tolerantiam, & priſtinæ virtutis naturæque obliti, & tanto facinori, dum illi non reſiſtitis, conſentire videamini. Omittimus quod enormiſſimum eſt, tantam, tamque religioſam nationem per vnum fraterculum (qui à Catholica fide & religione Chriſtiana, quam ab ineunte ætate, non ſolum profiteri & ſequi viſus eſt, ſed etiam multis annis prædicaſſe ac docuiſſe dicit, nouiſſime infœliciter apoſtatauit, ac Deo mentitus eſt) ſeduci ab ea via, qua à Redemptore noſtro, & eius Sanctiſſimis Apoſtolis demonſtrata, tot martyres, tot præclari doctrina & ſanctitate viri, & maiores denique veſtri, omnes hactenus inceſſerunt, quaſi ſolus Lutherus ſapiat & ſciat: ſolus nunc primum (vt de ſe hæreticus Montanus gloriabatur) Spiritum ſanctum acceperit, & Eccleſia ipſa, cum qua ſe futurum ad conſumationem ſeculi benigniſſimus humanis generis Redemptor pollicitus eſt, in tenebris ignorantiæ & perditionis ambagibus ſemper errauerit, donec nouo Lutheri lumine illuſtrarent. Quæ omnia quanquam apud eos qui ſapiunt, perridicula iudicantur. Simplicibus tamen animis plurimum ſunt pernicioſa, & eis qui nouarum rerum cupiditate omnem ordinem immutatum vellent, plurimas ad ea perpetranda, quæ nunc experimini, cauſas & fomenta ſubminiſtrant. An non conſideratis Germani Principes & populi, præludiũ eſſe quoddam, hoc eorum malorum, quæ Lutherus & eius ſectatores moliuntur? An non aperte videtis, iſtud prætenſum principio à Lutheranis veritatis Euangelicæ patrocinium detectum, nunc eſſe merum rerum veſtrarum latrocinium: An putatis, alio tendere iſtos iniquitatis filios, quam ut libertatis nomine, omni obedientia ſublata quod cuique libuerit, faciendi licentiam inducant? An vllius penſi iuſſa & leges veſtras habituras creditis, qui ſacros canones, & patrum decreta necnon ſacroſancta concilia, quorum auctoritati Imperatorum leges ſemper, & libenter ceſſerunt, & promptæ famulatæ ſunt, non ſolum vilipendunt, ſed etiam diabolica rabie lacerare & comburere non verentur? Denique qui ſacerdotibus, qui Epiſcopis, qui Pontifici ſummo debitam obedientiam detrectantur? An ſperatis contenturos, ſacrilegas manus à laicorum bonis, & non omnia potius ſibi, quæ poterunt, vindicaturos, qui res Deo dicatas, quotidie vobis præſentibus & videntibus, ferunt, aguntque? An denique veſtris ceruicibus parſuros, qui non tangendos Chriſtos Domini contemerare, cedere, trucidare auſi ſunt? In vos, in veſtras res, domos, vxores, liberos, ditiones, dominatus, templa, quæ colitis, hæc miſeranda calamitas tendit, niſi mature obuiam eatis. Proinde fraternitates, nobilitates, & deuotiones veſtras, omnium & ſingulorum in Domino hortamur, & per Chriſtianam charitatem et religionem, quam tam ſæpe maiores veſtri ſuo ſanguine & tutati ſunt, & auxerunt, obſecramus,

Sal. Ann. 1522.

Sal. Ann. 1522. *mus, atque in virtute ſanctæ obedientiæ, quam Deo & beato Petro, eiuſque Vicario omnes Chriſtiani debent, à vobis requirimus: vt depoſitis, ſi quæ ſunt inter vos ſimultatibus ad hoc commune incendium extinguendum, nunc ſaltem toto animo incumbatis: & Martinum Lutherum, cæteroſque iſtorum tumultuum & errorum autores, ad rectam ſentiendi & viuendi viam (quod nobis gratiſſimum & iucundiſſimum eſſet) omnibus ſanctis modis reducere enitamini. Quod ſi (quod auertat Deus) veluti aſpides, obturatis auribus, audire recuſauerint, ne quod reliquum, & nunc ſanum conſtat: cum magna & euidenti nationis veſtræ macula: & totius Reipublicæ Chriſtianæ manifeſto periculo inficiatur: ni eos iuxta ſacras conſtitutiones, iuxta leges veſtratibus Imperatoribus latas: adeoque recens veſtrum ſuper hac re Imperiale edictum, ſeueritatis virga animaduertatis. Nouit ille, cui ſola arcana humanorum pectorum aperta ſunt, quam nos: & pro natura noſtra, inſtitutoque: & pro paſtorali, quod gerimus, officio, ad ignoſcendum potius, quam ad vlciſcendum ſimus propenſi. Sed vbi tetrum iſtud cancer ita ulceroſum eſſet, vt blandis, lenibuſque medicamentis curari non poſſet: aſpera erunt & ignita cauteria adhibenda, & abalienata membra ab integro corpore penitus reſecanda. Sic Deus omnipotens ſchiſmaticos fratres: Dathan & Abiron in terræ baratrum viuos demerſit, & nolentem obedire ſacerdotis imperio, capitali ſupplicio puniri iuſſit. Sic Apoſtolorum Princeps Petrus Ananiam & Saphiram ſibi in Deum mentientes, ſubito morituros denunciauit. Sic veteres & pij Imperatores Iouinianum, & Priſcilianum hæreticos gladio ſeculi ſuſtulerunt. Sic diuus Hieronymus Vigilantium item hęreticum optat in interitum carnis tradi, vt ſpiritus ſaluus fiat. Sic denique maiores veſtri de Ioanne Huſita, & Hieronymo Pragenſi, quod nunc in Luthero reuixiſſe videntur, à quo & in ſumma habentur veneratione, in Conſtantienſi concilio debitas ſumpſere pœnas. Quorum ſancta & præclara geſta ſi etiam hac in parte (vbi aliter fieri nequeat) fueritis imitati, non dubitamus, quin diuina clementia ad eũdem mox ſuppetias Eccleſiæ Dei, quæ ab infidelibus vexata, in nationem veſtram virtute bellica & hominum numero facile præſtantem, os oculoſque iamdudum intendit, ſenſus & corda veſtra inſpiret. Vnde omnipotentis Dei & Beati Petri benedictione per nos accepta, & de triumphato dracone ac leone diabolo, id eſt ſublatis domo hæreſibus, & deuictis foris fidei hoſtibus, glorioſam victoriam, & in futuro ſeculo æternæ ſalutis præmia reportetis. Vos uero pro compertiſſimo habeatis, quicquid nobis opum & auctoritatis altiſſimus concedere dignatus eſt, id omne & vitam ipſam pro tam ſanctis operibus, & pro ſalute commiſſarum nobis ouium libentiſſime expoſituros. Cætera quæ tam in hoc Lutherano, quam alijs negotijs vobiſcum particularibus communicata cupimus, dilecto filio Franciſco Cheregato, electo Aprutini: quem nuper menſe Septembri ad negocia fidei & religionis, noſtro nomine vobiſcum tractanda, noſtrum & huius ſanctæ Sedis nuncium: ad inſignem iſtum conuentum ire iuſſimus, vobis latius explicanda commiſimus. Cuius verbis hortamur uos, eandem quam noſtris haberetis, fidem adhibere. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die XXV. Nouembr. M.D.XXII. Pontificatus noſtri anno primo.* Sal. Ann. 1522.

XCVII. *Inſtructio pro Cheregato.* Data eſt eidem *Cheregato* inſtructio, vt viua voce, vbi & quando Germanis Principibus occurrere, opportunum iudicaret.

In primis declarabis eis maximum dolorem, quo affligimur, ex proſperatione ſectæ Lutheranæ, ob id potiſſimum, quod videmus innumerabiles animas Chriſti ſanguine redemptas, & curæ noſtræ paſtorali commiſſas, illius occaſione à vera fide ac religione auerti, & in perditionem ire, idque in natione, ex qua nobis ſecundum carnem origo eſt, quæ ab initio, ex quo ad Chriſtum conuerſa fuit, uſque ad iſtos proximos annos ſemper extitit fideliſſima, ac religioſiſſima, ac propterea nobis vehementiſſimum deſiderium eſſe: ut huic peſti celerius occurratur, priuſquam Germaniæ ipſi contingat, quod Bohemiæ olim contigit, noſque paratiſſimos eſſe, ad faciendum omnia in hunc effectum, quæ ex parte noſtra expectari poterunt, ac ſummopere deſiderare, vt etiam vniſquiſque eorum hoc ipſum pro viribus facere ſtudeat, vtque id faciant, nos quantum poſſumus unumquemque eorum hortari & rogare. Debebunt autem eos ad hoc mouere ſequentia.

Primo, & ante omnia honor Dei omnibus rebus præferendus, qui per iſtas hæreſes grauiter læditur, eiuſque cultus conſuetus non ſolum diminui-

Sal. Ann. 1522. *minuitur, ſed potius ex toto corrumpitur. Item charitas erga proximos, qua vnuſquiſque pro viribus ſtudere debet, proximos errantes ab errore reuocare. Quod niſi fecerit, Deus eos qui ſua negligentia pereunt, de manu eius requiret.*

Secundo, mouere eos debet infamia nationis ſuæ, quæ cum ſemper præ cęteris nationibus Chriſtianiſſima ſit habita nunc propter eos, qui ſectam Lutheranam inſequuntur, apud omnes peſſime audit.

Tertio, moueat eos reſpectus honoris eorum proprij, qui maxime læditur, ſi ipſi, qui apud nationem Germanicam auctoritate & potentia pollent, hæreſes iſtas non totis viribus expellere laborant, tum quia degenerabunt à progenitoribus ſuis, viris Chriſtianiſſimis, qui in Conſtantienſi concilio ex magna parte interfuerunt condemnationi Ioannis Huſſ, & aliorum hæreticorum, quorum aliqui ipſum Ioannem Huſſ proprijs manibus ad ignem duxiſſe dicuntur. Tum quia ipſi, vel maior eorum pars, edictum Imperiale in executione ſententiæ Apoſtolicæ contra Martinum Lutherum & ſuos late factum approbarunt, eique auctoritatem ſuam adhibuerunt, & propterea niſi illud pro viribus executi fuerint, vel inconſtantes iudicabuntur, vel etiam fauere reputabuntur, cum manifeſtum ſit, eos vbi efficaciter velint, illum exterminare facile poſſe.

Quarto, moueat eos iniuria, quæ per Lutherum, eis, & eorum parentibus, ac progenitoribus infertur. Cum enim ipſorum parentes & progenitores, & ipſimet ſemper tenuerint fidem, quam Eccleſia Romana atque Catholica approbat, & Lutherus, ſuique ſectatores, longe diuerſam fidem teneant, aſſerendo multa non eſſe de fide, quæ tamen illi tenuerint eſſe de fide, manifeſtum eſt, illos à Luthero condemnari, pro infidelibus & hæreticis, & per conſequens ſecundum Lutherum omnes eorum maiores, qui in fide noſtra deceſſerunt, ſunt in Inferno, cum error in fide homines damnationis reos faciat.

Quinto, attendant finem, ad quem Lutherani tendunt, vt ſcilicet ſub colore libertatis tollantur. Nam licet ab initio præ ſe tulerint, Eccleſiaſticam poteſtatem tanquam tyrannice, & contra Euangelium occupatam annihilare: ſeu reprimere velle, tamen cum eorum fundamentum, ſcilicet libertas, quam prædicant, æque vel plus militet contra poteſtatem ſecularem, quam ſcilicet illa nullis præceptis, quantumuis iuſtis & rationalibus obligare poſſit homines ad parendum, ſub pœna mortalis peccati. Manifeſtum eſt, eos etiam illam eneruare velle, quamuis aſtute fecerint illam ſaluando, vt ſcilicet principibus ſecularibus credentibus, machinationem hanc, non contra ſe, ſed duntaxat contra Eccleſiaſticos, (quibus laici communiter infenſi ſunt) dirigi, ac propterea partim in eorum fauorem tractis, partim diſſimulantibus, ſeu non contradicentibus, ipſi facilius Eccleſiaſticos euerterent. Quo facto, dubium non eſt, quin populi idem contra ſeculares principes tentaturi eſſent. Sal. Ann. 1522.

Sexto, moueant eos maxima ſcandala, turbationes, direptiones bonorum, homicidia, lites, diſſenſiones, quas ſecta hæc peſſima excitauit, & quotidie excitat per totam Germaniam. Item blaſphemiæ, maledicta, ſcurrilitates & amaritudines, quæ iſtis ſemper in ore ſunt qua niſi ipſi ſedare curauerint, verendum eſt, ne ira Dei deſolatio veniat, ſuper Germaniam, in ſe tam diuiſam, immo ſuper ipſoſmet Principes, qui cum poteſtatem & gladium à Domino acceperint, ad vindictam malorum, talia in ſubditis ſuis fieri permittant. Maledictus, inquit Propheta qui facit opus Dei negligenter, & prohibet gladium ſuum à ſanguine iniquorum.

Septimo, conſiderant Lutherum prope conſimili via ad ſeducendum populum Chriſtianum vti, qua Machometus ille ſpurciſſimus vſus, tot animarum millia decepit, permittendo videlicet ea, ad quæ homines carnales inclinantur. Et exinde eximendo eos ab his, quæ in lege noſtra grauiore videntur, niſi quod Lutherus paulò modeſtius agere videtur, vt eo efficacius decipiat. Machometus plures vxores habendi, & eas pro arbitrio repellendi, aliaſque ducendi licentiam conceſſit. Iſte vt monachorum & Deo dicatarum virginum ac ſacerdotum, laſciuia carnis geſtientium ſibi fauores conciliet, prædicat vota perpetuæ continentiæ etiam illicita eſſe, nedum non obligatoria. Proptereaque licere illis, per Euangelicam libertatem, nubere: immemor verbi Apoſtoli, cum dicit de viduis adoleſcentioribus, quod cum luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Quibus per te expoſitis, & alijs pluribus, quæ in hanc ſententiam partim ex literarum noſtrarum

rum

Sal. Ann. 1522. rum exemplis colligere, partim ex tua prudentia excogitare poteris, hortaberis noſtro nomine dictos Principes, prælatos, ac populos, ut tandē expergiſcantur, & excitentur ad obuiandum, & tam grandi iniuriæ, quam Lutherani Deo & ſacræ religioni eius & maximæ ignominiæ: quam tanti nationi ueſtræ Germaniæ, ipſiſmet Principibus, & maxima opprobria atque contumelia, quam maioribus eorum, quos (ut diximus) in effectu ad gehennam condemnant, inferre noſcuntur, & ad executionem ſententiæ Apoſtolicæ ac Imperialis edicti facti, omnino procedant, detur venia his, qui reſipiſcere, & errores ſuos abiurare uoluerint: ſemperque proniores ſint ad miſerandum, quam ad vindicandum, exemplo Dei noſtri, qui non vult mortem peccatorum, ſed magis ut conuertantur, & viuant. At qui in errore pertinaces permanſerint, diſtrictionis virga iuxta ſacrorum canonum & legum decreta, ſic puniantur, ut cæteri eorum exemplo uel in fide recta permaneant, uel lapſi in rectam viam redeant.

Quod ſi quis forte dixerit, Lutherum inauditum & indefenſum fuiſſe per Sedem Apoſtolicam condemnatum, & propterea audiri omnino debere, nec antequam conuictus ſit, condemnandum eſſe: Reſpondebitis, quod illa quæ fidei ſunt, propter diuinam auctoritatem credenda ſunt, non probanda. Aufer (inquit Ambroſius) argumenta, vbi fides quæritur, piſcatoribus creditur, non dialecticis. Et certe fatemur, ei defenſionem negari non debere, in his quæ ſunt facti: hoc eſt vtrum dixerit, nec ne? utrum prædicauerit, uel ſcripſerit, nec ne? ſemper diuino iure verùm & materia ſacramentorum ſtādum auctoritati Sanctorum & Eccleſiæ. Adde quod fere omnia, in quibus Lutherus ab alijs diſſentit, ſunt per diuerſa concilia prius reprobata. Non debet autem reuocare in dubium, quod per concilia generalia et vniuerſam Eccleſiam conſtat eſſe approbatum, tanquam fide tenendum. Iniuriam namque facit Eccleſiæ Synodo, qui ſemel recte diſpoſita nititur in dubium reuocare. Quid enim vnquam certi eſſe poterit inter homines, vel quis diſputationum contentionumque finis erit: ſi præſumptuoſo & peruerſo cuique libertas ſeu licentia erit recedendi ab his, quæ non vnius neque paucorum ſed tot ſeculorum & tot ſapientiſſimorum hominum conſenſu, & catholicæ Eccleſiæ (quam Deus in his quæ fidei ſunt, nunquam errare permittit) determinatione ſancita ſunt, cum tamen vnaquæque ciuitas leges ſuas inuiolabiliter obſeruari exigat? Quomodo non omnia turbationibus & ſcandalis & confuſione plena erunt, niſi ea quæ ſemel imo ſæpius maturo iudicio conſtituta, ab omnibus inconcuſſa obſeruentur: Cum igitur Lutherus & ſui concilia ſanctorum patrum condemnant, ſacros canones comburant, & cuncta pro arbitrio ſuo confundant, ac totum mundum perturbent, manifeſtum eſt, eos tamquam publicæ pacis inimicos & perturbatores, ab omnibus eiuſdem pacis amatoribus exterminandos eſſe. Sal. Ann. 1522.

Item, dices nos ingenue fateri, quod Deus hanc perſecutionem Eccleſiæ ſuę inferre permittit, propter peccata hominum, maxime ſacerdotum & Eccleſiæ prælatorum. Certum enim eſt, non eſſe abbreuiatam manum Domini, vt ſaluare nequeat, ſed peccata diuidere inter nos & ipſum, & abſcondere faciem ſuam à nobis, vt non exaudiat. Clamant Scripturæ, peccata populi deriuari à peccatis ſacerdotum: propterea que (vt ait Chryſoſtomus) Saluator noſter curaturus infirmam ciuitatem Hieruſalem, ingreſſus eſt prius templum, ut peccata ſacerdotū primum caſtigaret, inſtar boni medici, qui morbum à radice curant. Scimus in hac ſancta Sede, aliquot iam annis, multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in peruerſum mutata. Nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis Pontificibus in alios inferiores prælatos deſcenderit. Omnes nos (id eſt prælati & Eccleſiaſtici) declinauimus, vnuſquiſque in vias ſuas, nec fuit iam diu, qui faceret bonum, non fuit vſque ad vnum. Quam ob rem neceſſe eſt, vt omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas noſtras ei, videatque vnuſquiſque noſtrum, vnde ceciderit, & ſe potius quilibet iudicet, quàm à Deo in virga furoris ſui iudicari velit. Qua in re, quod ad nos attinet polliceberis nos omnem operam adhibituros, vt primum curia hæc, vnde forte omne hoc malum proceſſit, reformetur, vt ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eadem ſanitas & reformatio omnium emaneat. Ad quod procurandum nos tanto arctiùs obligatos reputamus, quanto vniuerſum mundum huiuſmodi reformationem auidius deſiderare videmus. Nos (vti alias

tibi

Sal. Ann. 1522. *tibi dixiſſe credimus) Pontificatum hunc numquam ambiuimus, immo quantum in nobis fuit, longe maluiſſimus priuatam vitam agere, & in ſancto ocio Deo ſeruire. Et Profecto Pontificatum ipſum plane recuſaſſemus, niſi Dei timor, & ſincerus electionis noſtri modus nec non ſchiſmatis ex recuſatione noſtra imminentis metus nos acceptare illum coegiſſet. Subijcimus igitur colla ſummæ dignitati, non ob dominandi libidinem, neque ad ditandos propinquos noſtros, ſed ad diuinæ voluntati parendum, ad deformatam eius ſponſam Eccleſiam Catholicam reformandam, ad ſubueniendum oppreſſis, & doctos ac virtute præditos, qui multo iam tempore neglecti iacuerunt, erigendum & ornandum, & denique ad omnia alia agendum; quæ bonum Pontificum & legitimum Beati Petri ſucceſſorem agere oportet. Quanquam nemo mirari debebit, ſi non ſtatim omnia errata & abuſus omnes per nos emendatos viderit. Inueteratus nimium morbus eſt, nec ſimplex, ſed varius & multiplex, pedetentim in eius cura procedendum eſt, & prius grauioribus magiſque periculoſis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus. Omnes ſubitæ mutationes (inquit Ariſtoteles in Republica) periculoſæ ſunt. Qui nimis emungit, elicit ſanguinem.*

Quod autem vltimis literis tuis ſcribis, queſtos fuiſſe tecum Principes iſtos, quod concordatis eorum per hanc ſedem derogatum ſit: dices, nos de his, quæ ante nos facta fuere, culpari non poſſe nec debere nobiſque eiuſmodi derogationes etiam dum in minoribus eſſemus, ſemper plurimum diſplicuiſſe. Proinde nobis certiſſimam ſententiam eſſe: etiam ſi ipſi non requirerent, illis noſtri Pontificatus tempore penitus abſtinere, partim, vt vnicuique ius ſuum ſeruemus, partim, quia æquitas & humanitas expoſcit, vt inclitam nationem noſtram ſolum non offendamus, ſed etiam peculiares ei fauores impendamus.

De proceſſibus vero, quos à rota auocari, & ad partes remitti poſtulant, dices nos cupere eis in hoc gratificari, quantum honeſte poſſimus. Sed propter abſentiam adiutorum ab vrbe peſtis gratia, non poſſe nos de qualitate & habitudine ipſorum proceſſuum ad præſens informari, reuerſis vero illis, quod peſte iam decreſcente, breui futurum ſperamus, facturos in gratiam dictorum Principum, quicquid rationabiliter poterimus. Sal. Ann. 1522.

Item, ſollicitabis diligenter, reſponſa literarum noſtrarum, & requires eos, ad quos ſcribimus, vt nos literis ſuis informent, quibus medijs eorum iudicio videatur huic peſſimæ ſectæ commodius obuiare poſſe, vt ea quæ per nos prouidenda fuerint, celerius prouideri poſſint. Et ſuper hoc ipſo etiam tu te diligentiſſime informabis, & nobis plene perſcribes.

Item, quia intelleximus, in Germania eſſe multos bonos & doctos viros pauperes, aliqua etiam præclara ingenia, quæ ex dignitate Apoſtolicarum prouiſionum hiſtrionibus & ſtabularijs potius, quam viris doctis fieri ſolitarum, à ſedis huius deuotione auerſa, cupimus, vt inquiras, qui nam illi ſint, eorumque nomina ad nos tranſmittas, vt accurrente beneficiorum Germanicorum vacatione, illis proprio motu prouidere poſſimus. Scimus enim quantum Dei honori & animarum ſaluti ac ædificationi obfuerit, quod iam diu beneficia Eccleſiaſtica maxime curam & regimen animarum habentia, data fuerunt hominibus indignis.

De ſubſidio procurando, pro Hungaris, non damus aliam informationem, quam diſcedenti tibi dedimus, excepto, quod te hortamur, vt rem illam ſummo ſtudio (vti facis) cures, nos etiam apud Principes & Reſpublicas Italicas, miſſis oratoribus, ſollicitabimus, vt pro viribus quiſque ſubueniat.

Adrianus Papa VI.

T. Hezius.

Porrò ſunt, qui *Cheregatum* accuſent, quùm ex *Hadriani* mandato, abuſus vulgauit Romanæ Curiæ, priorumque deceſſorum Pontificum exiſtimationi non pepercit. Quo in facto plus Germani candoris, quàm maturi conſilij *Hadrianus* oſtendit: exaggeratis namque *Lutheri* accuſationibus pondus addebat. Vnde *Lutherus* eandem typis vulgatam ſuis annotationibus locupletauit, teſte vſus ipſo Pontifice. Quid verò reſponderint Principes? attende. XCVIII.

Sal.Ann. 1522. XCIX.

RESPONSIO PRINCIPUM DATA LEGATO PONTIF.

Sal.Ann. 1522.

SEreniſſimus & Illuſtriſſimus Princeps & Dominus, Dominus Ferdinandus, ſacræ Cæſareæ Maieſtatis Locumtenens, nec non Reuerendiſs. in Chriſto patres, Illuſtriſſimi, Reuerendi, ac Illuſtres Principes Electores, aliorumque omnium ordinum huius ſacri Rom. Imperij conuentus proceres, literas Beatiſſimi in Chriſto patris & Domini, Domini Adriani, ſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pontificis optimi & maximi, in forma Breuis ſimulque ea, quæ veſtra Reuerendiſſima dominatio verbo propoſuit, tandemque inſtructionem, quam ſcriptis nomine ſuæ Beatitudinis præſentauit, in negocio Lutheranæ factionis, cum debita honoris & reuerentiæ exhibitione, atque non ſine ſingulari animorum gratitudine acceperunt, & diligentiſſime intellexerunt.

In primis, ex quo Sereniſs. & Illuſtriſs. Princeps & Dominus Locumtenens, cæteriq. Electores Principes, & huius ſacri conuentus proceres nouerunt Beatitudinem Pontificis ex nobiliſſima Germaniæ natione originem traxiſſe et natum eſſe: Cuius eximias ac præſtantes animi et corporis dotes virtuteſque toto fere orbe, etiam dū in minoribus eſſet, celebratas, iam pridem perſpicuas habent. Quare de ſuæ Beatitudinis ad ſummum Apoſtolatus apicem concordi ac diuina electione & vocatione incredibili quadam animorum hilaritate & lætitia ſunt affecti, aguntq. Deo optimo maximoq. ſummas gratias, quod ſanctæ ſuæ Eccleſiæ de tali ac tam digno, optimoq. paſtore prouidere dignatus eſt. Ex animoq. precantur, & pro ſua ſumma clementia, & perpetua ſui nominis gloria, animarumq. ſalute, & Eccleſiæ vniuerſalis incolumitate, ſuæ Beatitudini omnem felicitatem rerum atque corporum diutinam proſperitatem largiri velit: Nihil dubitantes, quod ex hac tam ſancti et virtuoſi paſtoris concordi electione, ſanctæ, Chriſtianæ, Catholicæq. Eccleſiæ, plurimum fructus & ſalutis ſit euenturum. Cuius rei euidens facit argumentum, quod ſua Beatitudo iterum atque iterum teſtatur, nihil ſe tam die noctuque cogitare, quam vt in curādo grege ſibi commiſſo, boni paſtoris partes modis omnibus præſtare poſſit, primiſq; ſibi curæ eſſe, Chriſtianorum principum animos, iam nimis inter ſe diſſidentes, ad pacem & concordiam ineundam componere, deponendaque arma (aut ſi bellandum eſſet, ea in fidei hoſtes conuertenda) quotidianis fere literis hortari, precarique hactenus non deſtitit: Simulque declarando, quanta huius tam ſancti & præclari deſiderij (iuuando, & ſubſidia mittendo Rhodianis militibus cum incommodo ſuæ rei familiaris) re ipſa ediderit exempla. Ex quibus omnibus ſacræ Cæſareæ Maieſtatis Dominus Locumtenens, cæterique huius ſacri Imperij ordines, non mediocrem ſpem & conſolationem cum maxima animorum gratitudine accepere, plane intelligentes, hanc concordiam Chriſtianorum Principum in omnibus rebus bene gerendis ac ordinandis non minimum momenti habere, ſine qua profecto nec Reſpublica Chriſtianæ religionis recte curari, vel inſtitui multoque minus tyrannidi immaniſſimi Turcæ commode obſiſti poterit.

Quemadmodum hæc ex his, quæ Reuerendiſſimus Dominus ſuæ Beatitudinis nuncius Apoſtolicus nuper, cum pro ſubſidijs Hungarorum regno decernendis, perorando propoſuit, ſimulque ex his, quæ per Sereniſſimi Hungarorum regis & illius regni legatos lamentabiliter expoſita & declarata ſunt, quas ſcilicet calamitates, iniurias, & ad extremum vſque exitium Hungarorum regnum ab impijs hoſtibus tulerit, indieſque maiora timere habeat abunde intellecta ſunt.

Quare Sereniſſimus Princeps ſacræ Cæſareæ Maieſtatis Locumtenens, cæterique Principes, Electores & ordines, ſummo ſtudio ex animo orant, vt ſua ſanctitas, in hoc ſancto propoſito, ea qua cœpit diligentia, vt pius pater & verus paſtor incumbentis officij ſui debito pergat, nihilque intentatum relinquat, quo Chriſtianorum Principum diſſidentes animos ad pacem reducat, vel ſi in totum fieri non poſſit, ſaltem ad tempus, in tanta temporum & rerum neceſſitate inducias facere laboret, quo inſtantibus Chriſtianæ Reip. periculis & Turcæ perfidiſſimi conatibus, Dei auxilio communibus Chriſtianorū copijs, et cōmodius faciliuſq. obſiſti: et Chriſtianus populus ab illius tyrānide liberari poſſit, pro quo Sereniſs. Princeps Locumtenens, alijque Principes Germani, vna cum cęteris Potentatibus omni ope & opera fideliter ſunt laboraturi.

Deinde ſuæ Beatitudinis literæ, ſimul inſtructio per ſuæ Beatitudinis nuncium Apoſtolicum corā ordinibus Imperij oblata, continebāt

ſuam

Sal. Ann. 1522. *ſuam Beatitudinem maximo dolore affligit, ex proſperatione ſectæ Lutheranæ, ob id potiſſimum, quod innumerabiles animæ Chriſti ſanguine redemptæ, ac ſuæ Beatitudinis curæ commiſſæ, illius occaſione, à vera religione auertantur, atque in perditionem errant, ob id ſuam Beatitudinem vehementiſſime deſiderare, vt huic peſti celerius occurratur, ne deteriora inde contingant, cum explicatione quarundam neceſſariarum rationum, quod principes Germanos ad hæc quam celerius conandum, maxime mouere poſſint, ac debeant, in primiſque adhortando; vt ſententiam per Sedē Apoſtolicam in Lutherum legitime latam, & poſt ſacræ Cæſareæ et Catholicæ Maieſtatis edictum, ſuper eiuſdem ſententiæ executione, in proximis comitijs Vvormatiæ habitis decretū, debitæ demandentur executioni.*

Ad hæc ſacræ Cæſareæ Maieſtatis Locumtenens, & principes, alijque ordines dicunt, ſe non minus, quam Beatitudinem Pontificis ex animo dolere, de impietatibus, animarum periculis & incōmodis, quę in Chriſtiana religione, ex Lutherana ſecta, alijſue prouenerint. Quicquid enim auxilij & conſilij pro extirpandis erroribus & animarum periculis amouēdis ſua moderatione præſtare vnquam poterint, ſunt pro ſumma ſua in Chriſti religionem deuotione & pietate paratiſſimi, ingenueque agnoſcunt, ſe, & Beatitudini Pontificis, & ſacræ Cæſareæ Maieſtati, vt Chriſtianos decet principes, ad omnem obedientiam eſſe obnoxios.

Sed quod Sedis Apoſtolicæ ſentētia in Lutherum lata, ſimulque ſacræ Cæſareæ Maieſtatis edictum, non ſit debitæ executioni demandatum non ſine maximis vrgentiſſimiſque rationibus, vtputa, ne peiora inde cauſarentur, &c. hactenus prætermiſſum eſſe.

Maiori namq. populi parte iam pridem perſuaſum eſt, et modo Lutheranis libris ac dogmatibus populorum opinio ſic informata, vt iam pro comperto habeant, nationi Germanicæ à curia Romana per certos abuſus, multa & magna grauamina & incommoda illata eſſe, ob id, ſi pro executione Apoſtolicæ ſentētiæ, vel imperatorię Maieſtatis edicti, quidpiam acerbius attētatum eſſet, mox popularis multitudo ſibi hanc ſuſpicionem animo concepiſſet, ac ſi talia fierent pro euertenda Euangelica veritate, & ſuſtinendis, manutenendiſque malis abuſibus, impietatibuſque. Vnde indubie aliud nihil, quam grauiſſimi tumultus populares, inteſtinaque bella ſperanda eſſent. Quemadmodum ex multis ac varijs rerum argumentis principes, alijque ordines iam plane didicere, & cognouere. Opportunioribus itaque remedijs his malis, in hac potiſſimum temporum difficultate, ſuccurendum eſſe exiſtimant. Sal. Ann. 1522.

Nam quemadmodum & Reuerendiſſimus Dominus nuncius Apoſtolicus, nomine Beatiſs. Pontificis, in ſua inſtructione inter alia pie, Chriſtiane, & vere fatetur & agnoſcit, quod Deus hanc Eccleſiæ ſuæ perſecutionem inferri permittit, propter peccata hominum, polliceturque Beatitud. Pontificis omnem adhibituram operam, vt primum Romana curia, vnde forte omne hoc malum proceſſit, reformetur, vt ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eadem ſanitas & reformatio omnium emaneat.

Ad hæc Beatiſſimus Pontifex pio ac paterno amore teſtatur, ſibi etiam dum in minoribus eſſet plurimum diſplicuiſſe, quotiens concordatis principum per curiam Roman. derogaretur, ſuæque Beatitudini hanc certiſſimam eſſe ſententiam, etiam ſi Principes nunquam requirerent, ſui Pontificatus tempore penitus abſtinere, vnicuique, & maxime nationi Germanicæ: ius ſuum conſeruare: illique nationi peculiares fauores impendere. Quis itaque ex his omnibus non videt, Sanctiſſimum Pontificem nihil penitus illorum omittere, quæ vel pius pater & verus paſtor ouibus ſuis vnquam vel præſtare poſſet, vel debeat: Quis etiam per hæc ad veram pietatem filialem amorem: & erratorum ſuorum emendationem non moueretur, maxime, cum ſua ſanctitas hæc tam pia, ſanctaque inſtituta opere ipſo vti cœpit, præſtiterit.

Quemadmodum Sereniſ. Dominus Locumtenens, cæterique Principes, & omnium huius Imperij ordinum proceres indubie ſperant: idq. pro ſumma immortalis Dei gloria, animarum ſalute, ac publica pacē & tranquillitate ſeruanda fieri ex animo efflagitant: orantque. Nam niſi iſtiuſmodi abuſus & grauamina, ſimulque certi articuli, quos ſeculares Principes iuxta hæc ſpecialiter deſignatos, ſcriptis, exhibebunt, fideliter reformentur, vera pax & concordia inter Eccleſiaſticos, ſeculareſque ordines, huiuſque tumultus & errorum extirpatio per Germaniam

Sal Ann. 1522. maniam minime ſperanda eſt. Nam ex longis & varijs bellorum tumultibus, quibus Germania noſtra multis annis interturbata: Item ob alia grauamina & incommoda, quæ huic nationi hactenus incubuerunt: hæc natio pecunijs ac diuitijs adeo eſt extenuata & exhauſta, vt etiam iam pro neceſſaria iuſtitiæ ac pacis conſeruatione in his deficiat. Multo maiori itaque incommodo & difficultate Hungarorum regno & Croatis petita auxilia contra Turcam præſtare poterit. Cum autem ordines ſacri Romani Imperij nihil dubitant, beatitudinem Pontificis pro comperto habere, Principes Germaniæ in ſolutionem Annatorum ad aliquot annos Sedi Apoſtolicæ ſoluendorum, ea lege ac conditione conſenſiſſe, vt illa in oppugnationem perfidiſſimi Turcæ, & defenſionem fidei Catholicæ conuertentur. Ex quo autem numerus annorum, intra quos annata illa ſolui debeant, nunc longo interuallo tranſactus ſit: neque annata illa à Beatitudinis ſuæ prædeceßoribus Pontificibus Romanis in hunc vſum, in quem decreta ſunt conuerſa: Ob id, ſi modo neceſſitate exigente, communia auxilia in oppugnationem Turcæ per Germaniam eßent decernenda & colligenda, cauſatur inde populus Germanicus, quare Annata prius tam multis in hunc vſum reſeruata, ad hoc opus non applicentur, auerſaturque alia in ſe ob hanc cauſſam grauamina recipere. Ex quo prælati Eccleſiaſtici pro annatis Sedi Apoſtolicæ ſoluendis, vt plurimum ſuis ſubditis ſuper indicta, & collectas imponere, & talia ab eiſdem recuperare cauſauerunt. Quare Illuſtriſſim. Princeps Dominus Locumtenens, alijque Principes, & Imperij Romani ordines vehementer orant, vt Beatitudo Pontificis velit hæc & alia paterno affectu conſiderare, & illa Annata, quæ poſt obitum Epiſcoporum, aliorumque prælatorum, ſeu Eccleſiaſticorum, ad curiam Romanam ſoluenda fuerint, in futurum non exigere, ſed illa fiſco Sacri Romani Imperij applicanda relinquere, vt eo commodius iuſtitia, pax & tranquillitas nationi Germanicæ conſeruari, & Reſpubl. eo melius per hæc ordinari, poſſitque per Germanicam nationem alijs Chriſtianis Potentatibus contra Turcam communem hoſtem auxilia & præſidia præſtari, quod alias & abſque eo, minime ſperandum erit.

Item cum Beatitudo Pontificis inter alia deſiderat informari, quibus medijs huic Lutherano errori commodius obuiare poſſit, vt ea, quæ per ſuam Beatitudinem prouidenda fuerint, celerius curari poſſint. Ad hæc Illuſtriſſim. Princeps Dominus Locumtenens, alijque Principes & ordines dicunt, quicquid hac in re pro pietate & Chriſtianæ religionis deuotione vtilitatis & auxilij præſtare poterint, ſunt, eruntque ſemper ex animo paratiſſimi. Ex quo autem hoc ſeculum in omni ſtatu, tam Eccleſiaſtico, quam ſeculari corruptiſſimos habeat mores, ſintque non tantum ex parte Lutheranæ ſectæ, ſed ex alijs cauſis multi errores, abuſus & corruptelæ, qua ita noluerunt, vt iſtis opportunis remedijs prouideri ſummopere neceßarium ſit, ob id ſimulque propter immenſam tyrannidem crudeliſſimi Turcæ, quam multis iam annis Chriſtianitati multa incommoda & calamitates varias intulit, hodieque maiora inferre molitur. Nullum itaque commodius, efficacius & opportunius remedium Illuſtriſ. Dominus Princeps Locumtenens, cæterique Principes & ordines cogitare poſſunt, quam quod Beatitudo Pontificis, accedente ad hæc ſacræ Cæſareæ Maieſtatis conſenſu, liberum Chriſtianum Concilium, ad locum conuenientem in natione Germanica, quanto otius & celerius quoad fieri poſſit: videlicet vel in Argentoratum, vel Moguntiam, Coloniam, Agrippinam, vel ad ciuitatem Metenſem vel alium conuenientem locum in Germania indicere, nec vltra vnius anni ſpacium (ſi poſſibile foret) hæc Concilij conuocatio & deſignatio differenter, & quod in tali concilio, cuius qui intereſſe deberet, Eccleſiaſtici, vel laicalis ordinis, non obſtantibus quibuſcumque iuramentis & obligationibus, libere liceret loqui & conſulere pro gloria ſummi Dei, & ſalute animarum, proque Republica Chriſtiana, abſque aliquo impedimento, quinimo quilibet ad hæc debeat eße obnoxius, vt non dulcia, ſed vera & meliora conſulat, ſumma cura & diligentia per ſalutem animæ ſuæ, & abſque aliqua adulatione doli vel fraudis ſuſpicione. Sal. Ann. 1522.

Verum quibus modis & rationibus interim & medio tempore iſti tumultus & populi errores poterint pacari, interteneri, & compeſci, maxima cura & diligentia Illuſtriſ. & Sereniſſimus Dominus Locumtenens, & alij Principes conſuluerunt, cum non minima pars iſtius negotij ex hac medij temporis intercapedine pendeat.

Itaque

Sal. Ann. 1522. *Itaque deliberauerunt in primis, ex quo Lutherus, & aliqui illius ſectatores in ditione ac territorio Illuſtriſſimi Ducis Friderici Saxoniæ Principis Electoris &c. agant. Ob id Illuſtriſs. Princeps Locumtenens, & alij ordines Imperij, apud prædictum Principem Saxoniæ ſumma diligentia curare volunt, & per eundem Principem efficere ſperant, ne Lutherus & ſui ſectatores aliquid amplius ſcribat, edat, & typis excudi faciat: indubieque ſibi perſuadent, quod prædictus Illuſtriſſimus Princeps Saxoniæ, pro ſua in religionem Chriſtianam pietate, & in Sacrum Romanum Imperium obſeruantia & obedientia, vt virtute præditum deceat Principem Electorem, omnem operam in hac ſit adhibiturus. Curabuntque ſimul Illuſtriſſimus Dominus Locumtenens, Principes, & Imperij ordines, vt per omnem Germaniam cum diuini verbi concionatoribus, ſiue prædicatoribus diligenter agatur, ne in populum Chriſtianum ſpargant, vel dicant ea, per quæ poſſit popularis multitudo ad tumultum vel rebellionem moueri, aut in aliquem errorem induci, ſed quod nihil præter verum, purum, ſincerum, & ſanctum Euangelium, & approbatam Scripturam pie, manſuete & Chriſtiane, iuxta doctrinam & expoſitionem approbatæ, & ab Eccleſia Chriſtiana receptæ Scripturæ doceant & prædicent omniaque illa omittant, quæ à populo doctius & ſanctius ignorantur, quam ſciantur, quæ ne ſubtilius indagare, & ad imum vſque exigere, minime expedit, nihilque in populo per concionem diſputationum moueant, ſed quicquid controuerſiæ fuerit vſque ad determinationem futuri concilij reſeruent. Ordinabunt præterea Archiepiſcopi & Epiſcopi, ac alij prælati, per ſuas diœceſes viros doctos, & probos, & ſacris literis peritos, qui prædicantibus fideliter & diligenter intendere debebunt. Et ſi quid ab illis vel erratum, vel minus idoneè dictum eſſe offenderint, pie, manſuete, ac modeſte eos corrigent, & informabunt, in hunc modum, ne quiſpiam ſuſpicari poſſit, vt veritas Euangelica per hoc impediri quæretur. Qui prædicatores ſi tales monitores audire nollent, nec à ſuis ineptijs abſtinere debebunt per locorum ordinarios congruis pœnis coerceri & puniri. Prætcrea in omnibus Bibliothecis, & apud Typographos diligentiſſime, quantum poſſibile erit, prouidebunt ne in futurum aliquid noui typis excudatur, maxime, ne libelli famoſi, neque publice, neque ſecrete vendantur. Et ordinabuntur apud omnes poteſtates, vt ſi quiſpiam aliquid noui edere, vendere, vel typis excudere voluerit, vt prius per aliquos viros probos, doctos, & litterarum peritos iſta reuideantur & recognoſcantur, & niſi per eoſdem admiſſum, vel approbatum fuerit, minime vendatur, excudatur, vel publicetur. Et per hæc media ſperant, quod hoc tempore poterit iſtis tumultibus, erroribus, & offendiculis commodius mederi, maxime, vbi Beatitudo Pontificis in iſtis grauaminibus congruam & debitam faciet reformationem, & profuſionem, atque liberum & Chriſtianum deſignabit Concilium. Per hæc enim maxime ſatisfieret populari, & nunc fluctuanti multitudini. Et ſi hic tumultus tam illico in totum forſam per iſta ſedari non poſſet, nihil tamen dubitant, quod maior pars iſtius per hũc modum ad tranquillitatem & pacem moueretur. Indubie enim multi probi & boni viri Chriſtiani futurum & proxime indicendum Concilium magno deſiderio eſſent expectaturi.* Sal. Ann. 1522.

Poſtremo de presbyteris, qui matrimonium contrahunt, & de religioſis, qui relictis monaſterijs, ad ſeculum redeunt, de quibus Reuerendiſſimus Dominus nuncius Apoſtolicus, tam inter cætera meminit, conſiderant Principes, & Imperij ordines, ex quo in legibus ciuilibus nulla pœna ſpecialiter ſuper his ſit ſtatuta, ob id congruum & iuſtum ipſi viſum eſt, vt tales per eorum ordinarios debita pœna ſacri canonum conſtitutionibus ſuper hoc expreſſa, vtputa amiſſione beneficiorum, & priuilegiorum, & alijs condignis pœnis puniantur, & coerceantur, & quod ordinarij illi aptantibus ſecularibus in iſta animaduerſione & punitione minime impediantur. Sed quod pro tuitione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ eis auxilium & fauorem impendant, & ſuper his omnibus publica mandata & edicta faciant, ne quiſpiam ordinarios in punitione & coertione talium impediat: ſed quando alijs illi vota tranſgreſſores in ditione & territorio alicuius Principis vel Poteſtatis ſecularis delinquerent, quod ex tunc debitis & congruis pœnis puniantur & coerceantur.

Poſtremo ſuper his omnibus Illuſtriſſimus & Sereniſſimus Princeps Dominus Locumtenens, alijque Principes & ordines vehementer, & ex animo iterum atque iterum orant, vt Beatitudo Pon-

Sal. Ann. 1522. *do Pontificis, ſimulque Reuerendus Dominus orator, iſta omnia non aliter accipere & intelligere velint, quam à bono, pio, ſincero, & Chriſtiano animo profecta, cogitata & edicta eſſe. Nihil enim eſt, quod omnes iſti Principes & ordines tam ex animo velint, atque cupiant, quam ſtatum Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ, Beatitudiniſque Pontificis fœlicem, incolumem, & ſaluum, ad cuius vota, deſideria, & obedientiam, vt fideles filij, ſe paratiſſimos offerunt, atque commedant.*

Replicatio Pontificij Oratoris.

Sereniſſime Cæſareæ Locumtenens, Reuerendiſſimi Patres, Illuſtriſſimi Principes, & totius ſacri Cæſarei Senatus ordines ampliſſimi, cum pridie mihi longo tempore expectanti, datum fuerit tandem à vobis reſponſum, in re Lutherana, volui Illuſtriſſimis Dominationibus veſtris non ſolum verbo, ſed & litteris indicare, quam parum mihi illud ſatisfaciat, & per ſubſequens Pontifici Maximo, ac vniuerſæ Chriſtianitati ſit minus ſatisfacturum. Et omiſſis multis, quæ de pietate, fide, & obſeruantia veſtra erga Sanctiſſimum Dominum noſtrum & ſanctam Sedem Apoſtolicam in prohemio veſtri reſponſi habentur, de quibus tamen nomine ſuæ ſanctæ Sanctitatis veſtris Illuſtriſſimis Dominationibus gratias ego, veniam tandem ad ea, quæ ſuppletione, correctione & declaratione indigere videntur, reliqua prout ſtant, quatenus placeant Sanctiſſimo Domino Noſtro acceptanda.

Et primo, quantum pertinet ad id, quod Illuſtriſſimæ Dominationes Veſtræ dicunt, & ſe excuſando aſſerunt, quod attento, quod populis Germaniæ ſit perſuaſum, quod ipſis multa grauamina à Curia Romana ſit illata & ab ipſa multa ſcandala & incommoda indies patiantur, non fuiſſe viſum, ſibi expedire vt ſententia Apoſtolicæ Sedis, & Imperiale decretum, debitæ executioni mandetur, ne inde contingat peiora & acerbiora mala prouenire. Ad hoc replicatur, quod nec Sanctiſſimus Dominus Noſter, nec Cæſarea Maieſtas, nec vllus Chriſtianorum Principum expectauit vnquam tale à vobis reſponſum in hac re dari. Nam ſi Lutherus ante ſententiam Apoſtolicam, tot clariſſimorum virorum ac vniuerſitatum iudicijs fundatam, & denique ante Cæſareum decretum, ipſiuſque edictum errauerat in vno, poſt eandem ſententiam & decretum errauit in longe pluribus, & nihil reliquum fecit, quo minus toto orthodoxa religio à fundamentis euerſa ſit. Quapropter cum pœnæ debeant de iure commenſurari delicto, attento, quod indies magis cum ſuis ſequacibus errauit, & errat, vt notorium debent pœnæ ipſæ augeri, atque grauari, & non diminui, prout ex præſenti veſtro decreto fit. Et quantum ad reſponſum ipſum, ex eo in primis offenditur diuina Maieſtas, cuius cauſa tam ſegniter curanda proponitur. Offenditur Pontificis & Apoſtolicæ Sedis dignitas, offenditur poſtremo Imperialis culminis celſitudo, quorum decreta & ordinationes tam impune ſuſpenduntur, abrogantur, deprimunturque, offenditur & pariter communis honor veſter, cum omnes vnanimes interfueritis eidem Imperiali decreto decernendo, & veſtram auctoritatem præſtando. Nec ſatisfacit illa ratio, quod propter ſcandala euitanda, dicta Apoſtolica ſententia, & Imperiale edictum, exequi non debeant. Nam non ſunt toleranda mala, vt proueniant bona, & magis ſunt curanda ea, quæ pertinent ad animæ, quam ad corporis ſalutem. Neque videntur excuſandi, qui Lutherum ſectari velint, quod propter ſibi inflicta ſcandala & grauamina à curia Romana (etiamſi verum illud eſſet) deberent ad vnitatem Catholicæ fidei propterea reſilire, & in profundum malorum ſe præcipitare.

Nam omnia potius mala deberent æquo animo & patienter ſuſtinere, quàm ſe & animam ſuam, cum animæ periculo in præcipitium dare. Et ſi illud in omni tempore præſtare debuiſſent, quanto magis deberent reſipiſcere, cum intelligant, Deum optimum maximumque dediſſe Eccleſiæ ſuæ ſanctæ paſtorem optimum, paſtorem inquam Sanctiſſimum, eundemque Germanum, qui non ſolum vniuerſam Eccleſiam ſit curaturus & inſtauraturus, ſed etiam Germaniam ſuam ad priſtinam pietatem reſtituturus, ac pluribus & inſignibus donis, in his quæ honeſte poterit, illuſtraturus. Quare Principes Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi, vos tantis affectibus rogo, & vehementer obteſtor, vt his rationibus veriſſimis adducti, velitis, antequam huiuſmodi celeberrimus veſter conuentus diſſoluatur, omnino ſtatuere, et firmiter deliberare, quod eadem Apoſtolica ſententia, ac Imperiale

edictum

Sal. Ann. 1522.

edictum exequatur, & executioni mandetur ſine aliqua diminutione, cum ex hac magna pars, quinimo tota Germaniæ ſalus dependeat. Et ſi in aliquibus Germani populi vt aſſeritur, ſunt à curia Romana grauati, illud declarent. Nam ſemper Apoſtolica Sedes, quæ eſt mater pijſſima omnium oppreſſorum, parata erit, illos ſubleuare, & pro viribus iuuare, & tueri.

Quo ad ſeditiones & diſcordias, qui ſunt inter Eccleſiaſticos, & ſeculares Principes Germaniæ pacandas, ac ad articulos dandos eoſdem moderandos, reſpondetur, quod Sanctiſſimus D. N. vbi eas ſeditiones, diſcordias intellexerit, pro officio humeris ſuis incumbenti, curabit, vt omnino componantur, & extinguantur, cum non minus habeat in filios ſuos & Eccleſiæ temporales Principes, ac habeant eoſdem Eccleſiaſticos. Pariformiter moderabitur omnia inter eos, vt vnuſquiſque habeat quod ſuum eſt, & neutri iniurietur.

Quo ad Annatas non perſoluendas Romæ, ſed in Germania retinendas, pro ſuſtentatione Imperialis gubernij, habita ea declaratione, quæ facta eſt verbo difficultate, quæ fieri poſſit, ad eam concedendam, reſeruatur reſponſio ipſi Pontifici, quæ dabitur, vel Imperiali regimini vel futuro Principum conuentui, prout magis expedire ſuæ ſanctitati videbitur.

Quod ad Concilium, quod datur per Illuſtriſsimas dominationes veſtras, quod attentis legitimis cauſis, quas adducunt Sanctiſſimus Dominus Noſter debeat conuocare œcumenicum generale concilium, replicatur, quod illud ſperatur non debere diſplicere ſuæ ſanctitati, ob omnes præcipue illas cauſas, tamen petitur, vt illud concilium alijs verbis magis idoneis reformetur, et quod tollantur ea, quæ poßent aliquam vmbram facere ſuæ ſanctitati prout eſt, quod ſua ſanctitas debeat conuocare Concilium de conſenſu Cæſareæ Maieſtatis, quod ſit liberum, & quod relaxentur iuramenta, item quod ponatur magis in vna ciuitate quam in alia, & ſimilia, &c. Quia niſi tolerentur iſta, videretur ſanctitati ſuæ ligari manus per Illuſtriſſimas D. veſtras, prout in voce declaratum eſt.

Quo ad prædicatores, qui in poſterum fidelibus habebunt prędicare verbum Dei; replicatur, quod ſeruari debeat illud, quod Sanctiſſimus Dominus Noſter nuper pie, & ſancte ſtatuit, & ordinauit, de venerabilium fratrum ſuorum conſilio & aſſenſu. Quod eſt, vt ſtante iſta pernitioſa ſecta in Germania, nullus deinceps poſſit prædicare verbum Dei per ciuitatem vel dieceſim alicuius, niſi ille talis prius fuerit examinatus per epiſcopum, vel officialem ſuum de doctrina & ſufficientia ſua, & eadem fuerit ab eo approbata, vel propria & Chriſtiana reputata. Et pariformiter, niſi ille talis fuerit ad munus prædicandi per eundem epiſcopum, vel ſuũ Officialem inſtitutus, quod habeat etiam illum amouere & caſtigare, quin à recta via ceciderit. In cæteris placet, quantum de dictis prædicatoribus per Illuſtriſs. D. V. reſpondetur, id eſt: quod prædicent Euangelium cum interpretatione Scripturæ, quæ ſit per Eccleſiam approbata. Sal. Ann. 1522.

Quo ad impreßores & venditores, ſeu alios diuulgatores Lutheranorum librorum, & aliorum, qui ſectam ſuam ſuſtinent & fouent, replicatur quod nullo pacto placet data reſponſio: quod curabunt Illuſtriſſimæ Dominationes Veſtræ prouidere, quantum poſſibile erit; ne tales libri imprimantur, vel vendantur &c. Sed dico in hoc, prout in alijs totaliter deberi exequi, Sedis Apoſtolicæ & Imperialis celſitudinis ſententia, ideſt, quod libri impreſſi & imprimendi comburantur, imprimentes vero & vendentes, ſeu alios inuulgantes dictos libros, iuxta eaſdem ſententias puniantur. Et in hoc maxime peto, deberi aduerti, nam in hoc ſtat tota vis, pro iſta pernitioſa ſecta comprimenda, ne tales libri amplius inueniantur. Nam ex illorum lectione omnia hæc mala profecta ſunt. Et quantum pertinet ad id quod nullus poſſit in poſterum libros nouos imprimere, niſi illi tales libri prius videantur & examinentur per aliquem virum doctum, dico, in hoc non debere recedi à conſtitutione moderni Concilij Lateranen. quæ iam eſt in vſu, vt nullus ſub pœnis in ea contentis, poſſit aliquos libros imprimere, niſi per ordinarium Epiſcopum loci, vel eius officialem tales libri lecti & examinati ac pro Chriſtianis reputati & habiti ſint.

Quo ad clericos, qui vxorem ducunt, replicatur, quod illa, quæ pro reſponſione ſcripta ſunt, non diſplicere videntur, qui in cauda aculeum non habeant. Propter quod petuntur illa verba declarari, quæ ſunt in fine capituli dicti reſponſi ſub eiſdem verbis. Sed quin alios illi votorum tranſgreſſores in ditione & territorio alicuius Principis, vel Poteſtatis ſecularis delinquerent,

quod

Sal. Ann. 1522. quod ex tunc debitis & congruis pœnis puniantur, & coerceant, &c. dico, quod ſi talia verba intelligi debent ſecundum prædicta, id eſt quod tales puniantur à ſuis iudicibus Eccleſiaſticis, bene ſtant, ſed ſi referantur, quod ſeculares Principes vel potentes illos punire debeant, in hoc dico: & inſtantiſſime peto tale reſponſum, vtpote, contra libertatem & ius Eccleſiæ omnino corrigi debere, & reduci ad verum ſenſum. Nam ſi Principes ſeculares auderent tales iudicare, & in eos iuriſdictionem exercere, eſſet ponere falcem in meſſem alienam, & tangere eos, qui ſunt peculialiter Chriſto reſeruati, nec ob tranſgreſſionem voti, ſeu ob apoſtaſiam præſumant credere Principes tales ad ſuam poteſtatem, vel iuriſdictionem deuolutos eſſe, ſi delinquent in ſuis dominijs, vel territorijs: cum propter talem tranſgreſſionem, vel abuſum ordinis ſui non deſinant propterea eſſe de iuriſdictione Eccleſiæ. Quia cũ remaneat illis character & ordo, ſemper ſunt in eiuſdem Eccleſiæ poteſtate. Vnde in tali caſu, quod in dominijs Principum delinquant: ipſi Principes denuncient illos ſuis epiſcopis, vel alijs ſuperioribus, qui eos caſtigant, corrigant, & ſi opus fuerit, pro viribus ſuis dictos Epiſcopos ſeu ſuperiores brachio ſuo iuuent, & alijs præſto ſint. Sal. Ann. 1522.

Super quibus omnibus & ſingulis petitur per me nuncium Apoſtolicum, habita matura deliberatione, ab Illuſtriſſimis dominationib. veſtris, melius, clarius, ſanius et conſultius reſponderis.

Quamuis Principes, & reliqui ordines Germanicæ nationis iterum pro verbis verba dare potuiſſent, quum tamen alijs magis neceſſarijs occupati eſſent negotijs, Pontificium oratorem priori reſponſione contentum eſſe iuſſerunt, donec grauamina nationis Germanicæ ſummo Pontifici tranſmiſſa forent, ac inde manifeſtum fieret, num verba eius tam blanda facta, etiam debita, ſequutura eſſent.

CENTVM GRAVAMINA, QVAE PONTIFICIO LEGATO in comitijs Norenbergenſibus exhibita fuere nomine nationis Germanicæ. Ann. 1522.

C. *Poſtquam relatio per Oratorem Sanctitatis Pontificiæ Comitijs prædictis, coram Maieſtatis Cæſareæ Locumtenente, Electoribus cæteriſque Principibus, ac Imperij Statibus, ibidem congregatis, habita, ac Breue, quod vocant, Apoſtolicum, eiuſdem Romani Pontificis, in conſultationem forent deducta, deſuperque reſponſio conſulta & concluſa, ac eidem Oratori & Legato Pontificio, in ſcriptis, nomine totius Romani Imperij tradita, factaque eſſet, fortè inter alia, mentio non infrequens, grauaminum atque onerum Romani Imperij Procerum, quibus iniquius, quàm par ſit, ab Romanæ Eccleſiæ Clero premerentur: placuit Principibus, ac cæteris Imperij ordinibus, hæc ipſa, quæ contra Eccleſiæ Romanæ Primores, ſe in medium adducturos polliciti erant, grauamina, paulo altius à Principibus, ſigillatim per claſſes, & quã potuit maximum per ordinem digeſta, repetere, recenſereque, ac ita deſcripta fuſius Legato Romano, ferenda ſecum trans Alpes, dare, rogareque hunc, vt apud Sedem Apoſtolicam curare velit, quatenus onera hæc, non ferenda Germanis, è medio tollere, emendareque Sanctitas ſua non dedignetur. Quemadmodum prædicta hæc in reſponſione ſupra memorata, omnia latius continentur. Itaque per compendium, vt ſequitur, Germanicæ nationis onera hæc iuſto grauiora, digeſta, ac oratori Pontificio, qui ſe nomine Sanctiſſimi Rom. Præſulis, ita ſyncerè ac Chriſtianè obtulerat, tradita ſunt; quo ſæpe dictus orator ac Legatus Pontificius, hæc inde Sanctitati leganti referre, ac apud eundem pro Germanis Principibus & Proceribus, totius Imperij Romani ordinibus, interpellare poſſit. Sunt autem grauamina ſuprà memorata, quæ per capita nunc ſequuntur.*

Grauamina Sedis Apoſtolicæ, non ferenda Germanis. CI. CAP. I.

De Diſpenſationibus ære redemptis.

1. *Inter reliqua onera, vel illud minimè poſtremo loco eſt collocandum, quòd conſtitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo diuino præcepto, vel interdicta ſunt, vel imperata. Quod genus ſunt: Matrimoniorum tam innumera excogitata obſtacula, ex affinitatis, publicæ honeſtatis cognatione, ſpirituali, legalique, & conſanguinitatis, tam multis gradibus originem trahentia. Ciborum item vſus interdictus, quos Deus tamen ad hominis neceſſitatem creauit, ac cum gratiarum actione promiſcuè ſumendos Apoſtolus docuit. Hæc nimirum, atque ijs ſimiles complures humanæ conſtitutiones, eouſque ligant homines,* donec

donec pecunia ſibi harum legum gratiam à ſtatuentibus impetrent: vt ita pecunia faciat diuitibus licitum, quod tenuibus gratis ſit prohibitũ. Illicitiſque his legum ac conſtitutionum humanarum retijaculis, non modò magna nummorum copia à Germanis eſt expiſcata, è Germania & trans Alpes lata: ſed & maxima inter æquè Chriſtianos orta iniquitas, plura offendicula, ſimultates, dum tenues hiſce laqueis vident ſe illaqueari, non ob aliud, niſi quòd ſpinas Euangelicas (ita enim Chriſtus diuitias non ſemel appellat) non poſſideant.

CAP. II. De tempore interdicto.

CII. 2. *Pari modo agitur etiam cum celebrandis nuptiarum ſolemnibus, à Dominica Septuageſima, qua cantatur in Eccleſia,* Circundederunt me, *&c. ſub Quadrageſimæ vſq; initium, quo tempore ab Eccleſiæ Romanæ primoribus, vndiq; nuptias celebrari interdictum eſt. Quum tamen interim & ab Eccleſiaſticis & à ſecularibus paſſim ſine diſcrimine publicè Genialiter viuatur. Sed ita demum interdictum illud procedit, ſi gratis hoc facere quis intendat. Quòd ſi nummi ſpes refulſerit, iam quod primùm erat prohibitũ, impunè ac libere facere licet. Eſt enim & hoc graue Germanorum crumenis retijaculum, quo extrahuntur nummi. Nec minus interim grauamen, quòd pauperis diuitiſq; longè diuerſa, in relaxandis his conſtitutionibus, ſit conditio.*

De oneribus Papalibus indulgentiarum.

CAP. III. CIII. 3. *Illud importabile iam olim increbuit Romanarum indulgentiarum onus, quando ſub perſona pietatis, quum aut Baſilicas Romanas conſtruere, aut profectionem in Turcas parare polliciti ſunt Romani Pontifices, omnem ſimplicibus, nimiumq; credulis Germanis exuxerunt pecuniarum medullam. Et quod longè maioris eſt faciendum, per has impoſturas, ac earũ conductitios præcones & prædicatores, profligata eſt Germana Chriſtianorum pietas; dum qui extrudere volebãt venales ſuas BVLLAS, laudes ſuis mercibus occinebant, miras & inauditas condonari per emptitias has condonationes, nedũ noxas præteritas, aut futuras viuentium; ſed & functorũ vita exiſtentium in Purgatorio (quod vocant cantores illi indulgentiarum) ignis: modò numeraretur aliquid, modò tinniat dextra. Atq; his merciũ nũdinationibus, ſimul & ſpoliata eſt ære Germania, & Chriſti pietas extincta; quãdo quilibet pro precij, quod in has merces expẽderat, modo, peccandi impunitatem ſibi pollicebatur. Hinc ſtupra, inceſtus, adulteria, periuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna ſemel originem ſibi traxerunt. Quod enim malorũ amplius iam horrebunt mortales, quando ſibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, ſed & poſt obitum, ære, licet immodico, comparari poſſe à nundinatoribus illis indulgentiarijs, ſemel perſuaſũ habent? maximè Germani, quibus per hos veræ pietatis fucos, ſub religionis perſona, nihil nõ perſuaderi difficile eſt? vt ingenio planè ad pietatẽ credulo eſt Germania.*

4. *Et licet indulgentiæ hæ non ſemel in hoc ad Germanos miſſæ ſint, quaſi ex corraſa earum venditione pecunia, fideles contra barbaros eſſent tutandi, ac defendendi: Euentu tamen cõpertum habent Germani, pecuniam hanc, non in rem fidei, aut alioqui reipublicæ Chriſtianæ neceſſariam, ſed in propinquorum luxum, ac ſubleuandam familiam ipſorum eſſe verſam. quo vno, bina hæc nata ſunt perquam maxima incommoda, quòd & offendicula orta ſunt ſimplicibus; & quòd nunc Germani toties ſentientes luſam fidem, quum verè iam res poſtulat, vt contra Turcas inſtituatur expeditio bellica, nullis rationibus perſuaderi ſe patiuntur, vt credant, quod res ipſa ferè notorium facit; Ita ſcilicet inſtare ceruicibus noſtris crudeles Turcas: ſuſpicantes ſemper, prioribus ſimile quippiam agi. Quæ vna ratio eſt, vt tam ægrè manus contra Turcas iungant. Quantorum ergo malorum & in rebus temporalibus, ac Chriſti fidelium conſcientijs, cauſæ fuerint Romanæ Indulgentiæ, ſanctitas Apoſtolica, pro ſublimitate captus ſui, exigua opera, vel inde, ſi non ex re vlla alia, coniectura conſequi poterit.*

5. *Præterea Papalis Sanctitas, cæteriq; Epiſcopi, ac Eccleſiæ Romanæ columnæ, caſus aliquot ſuæ tantùm abſolutioni reliquos fecerunt; quorum ſi vnum, aut alterum commiſeris, iam aut numerandum, aut abſolutione tibi carendum eſt: nempe quòd in hoc reſeruati ſint, vt vel inde numorum aliquid eis accreſcat. Quod ex eo conijcere licet, quod in caſibus etiam quantumvis pro tempore honeſtis, aut neceſſarijs, nunquam tamen, niſi numeretur aliquid, diſpenſant. At ſi nihil attuleris, numeraueriſve, indiſpenſatus perpetuò maneas oportet.*

6. *Verùm, ſi quis, vnde numeret, habeat, iam nedum præſentes indulgentur harum conſtitu-*

Sal. Ann. 1522. *tionum tranſgreſſiones; ſed et in futurum impunè, vt eas ipſas tranſgredi liceat, indulto permittitur. Quo fit, vt anſam inde accipiant ij, cum quibus ita diſpenſatum eſt, peierandi, homicidia, adulteria, & ſimilia flagitia perpetrādi: quando quilibet ex ſacerdotum vulgo, abſolutionem emptitiam virtute indulti his impartiri poteſt. Quæ malorū ſeges tota ex habendi libidine, auriq. ſacra fame, qua nunc Eccleſiaſticorū nonnulli miſerè excruciantur, originem ducit.*

CAP. IV.
De prædicatoribus indulgentiarum Stationarijs.

CIV. 7. *Eſt et aliud Indulgentijs vendendis addictum hominum genus, quos Stationarios vulgò vocant, hi ruſticorum plerunque abutuntur ſimplicitate, dū omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniaque peragrant caſtella & oppidula, prædicantes Sancti cuiuſpiam, Valentini putà, Huperti, Cornelij, Anaſtasijue ſanctimoniam, ac quantum ad rem familiarem addat, ſi quotannis hunc vel illum munuſculo aliquo, quod eis Stationarijs ſcilicet incommodum cedat, demulceas: Inſcribenteſque dehinc ſimplices, ſub Sancti alicuius numen ac tutelam, promittenteſque, vt hoc aut altero morborum genere vacaturus ſit, qui eis annuum cenſum penderit. Quæ omnia in hoc excogitata ſunt, vt ſimplices illi ad viuum vſque exugantur. Nam primùm hoc negotium à ſancto Antonio cœptum, in innumera morborum genera dehinc ſueuit diduci: ita vt vix ſuperſit morbus nunc aliquis, cui Stationarij non et peculiarem Sanctum, tanquam tabernę vel negotiationi præpoſuerint. Proceſſitque eo vſq. eius mali ſerpigo, vt pauperum ac ſimplicium illorum, Quæſtuarij ac Stationarij prædicatores, ſanguinem vorent et medullam: dumque illi vnà cum liberis ſuis, neceſſarijs ſpoliantur, in delicijs & luxu plus quàm Sybaritico degunt Stationarij. Quæ res & in primis præſentem ſibi Sanctitatis Apoſtolicæ medicinam poſtulare videtur, quo interdiceretur Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiæ Primatibus, ac eorum Vicarijs, ne pro legationis ſeu functionis huius admiſſione quidpiam poſthac acciperent precij: neue eas omnino tolerarent ampliùs, aut quantum per eos ſtaret, paterentur.*

8. *Nec minùs & in hoc à religioſis grauantur prophani, maximè pauperes, quibus res eſt anguſta domi: Nempe quòd mendicitas ordinum Mendicantium nihil in rure, neque in vrbe ſinit non peragratum, dum à terminis, quos peruagantur, Terminarij dicuntur. Quas quidem peruagationes contra ordinis eorum ſtatuta, neque etiam ad neceſſitatem, per auaritiam inſatiabilem adinuenerunt. Ita enim fit, vt quum in oppidulo, aliquando non admodum celebri, ſed perexiguo, duo, tria, aut eo ampliùs illorum ſint conuenticula, in quæ omne, quicquid eleemoſynæ vndique diſquiri poteſt, confertur, dum tamen interim morbo aut ſenio confecti ciues vel incolæ, qui per ætatem ex laboribus & ſudoribus ſuis, vnà cum vxoribus & liberis honeſtè vixerant, egeant, fame & inedia pereundum neceſſe habeant. Itaque rogant Sanctitatem Apoſtolicam Imperij Principes, cæterique Status, quatenus Sanctitas ſua, paterno animi affectu offendicula & grauamina hæc Indulgentiarum, diſpenſationum, Stationariorum, Terminariorumque è medio tollere, atque ita negotium temperare velit, ne libertas Chriſtiana, ſeruitute humanarum conſtitutionum penitus extinguatur, illaqueenturque conſcientiæ Chriſti fidelium mandatis hominum, quibus nullum eſt peccatum maius, quàm nummis carere. Non vltrà enim quicquam prohibent, quàm ſi gratis contrauenire quis velit; & diſpenſant illico quod prohibuerant, numerata ſcilicet pecunia ampliore. Verùm quòd ſinceriùs cum fidelibus Chriſti, tanquam cum ſuis ouibus agatur, inſtruanturque potius ad pietatem & charitatem mutuam, ex iuſſione Chriſti, quàm ad obſeruationem cuiuſuis traditionis humanæ, formidine pœnæ. Ac ſi errare eas aliquando labique contigerit, moneantur, & ſubleuentur potiùs fraternè; quàm ita ſeruiliter, ac dure tractentur. Quo omnibus paulo notius fiat, paſtorem cupere potiùs & quærere ſalutem ouium, quàm priuata compendia, ac earum lanam.*

Quàm inique cauſæ prophanæ in prima inſtantia ad Romanum tribunal iudiciarium trahantur. CAP. V.

9. *Quum nedum iuris ratio, ſed & rei ipſa ſeries poſtulet, vt diſtincti ſint iuriſdictionum limites, & vt quilibet Ordinarius ſuis ſit finibus contentus, alterumque in exercenda iuriſdictione non diſturbet: minimè tamen Pontifices Romani pro tempore exiſtentes, æquitatem hanc communem conſiderarunt, ſed neglecta hac, ad petitionem perſonarum Eccleſiaſticarum, laicos non rarò in cauſſis etiam prophanis, putà hæreditatum, aut pignorum, & in prima quidem inſtantia,* CV.

Sal. Ann. 1522. *ſtantia, coram ſe Romam citari ac in ius vocari fecerunt. Quæ res nedum ita, vt prædictum eſt, in ius vocatis, ſed et totius Rom. Imp. Ordinibus, cedit in iacturam, perniciem, contemptum, ac iuriſdictionis dehoneſtationem, diminutionemq.*

10. *Item cùm Romæ quiſpiam, etiam laicus, interpoſito iuramento aſſerit, ſe non ſperare iuſtitiam apud iudicem competentem in Germania aſſequi poſſe; protinus ad tale iuramentum admittitur, ac citatio ei contra partem aduerſam decernitur. Sicque proceſſus à iudice Ordinario ex Germania Romam, nec iudice interpellato, nec parte aduerſa monita, protrahitur: inde iuramenti prætextu, nec fori declinatio, nec vlla admittitur probatio, etiamſi planè doceri poſſet, auctorem illum peieraſſe. Quæ res ſi altiùs radices ageret, nec principijs reſiſteretur, omnes tandem cauſæ ad Romanæ Curiæ tribunal deuoluerentur, ordinarijque vniuerſi ſua priuarentur iuriſdictione. Quòd non ſolùm contra omnem iuſtitiam, ſed etiam intolerabile foret. Ea propter ſacri Romani Imperij Status Sanctitatem Apoſtolicam rogitant, vt prædictum onus in Rom. Curia poſthac non tolerare velit; ſed curare, vt dehinc nemo vel Eccleſiaſticus, vel Secularis, ob cauſam prophanam, in prima inſtantia, Romam in ius vocetur, ſed perſonæ & cauſæ hæ ordinario iudici, cui immediatè ſubiacent, relinquantur, vltraque hoc, ampliùs contra æquitatem non grauentur.*

CAP. VI. De conſeruatoribus, ac Cæteris Papalibus iudicibus.

CVI. 11. *Item eſt et aliud iudicium Papalium, per quos æquè ordinaria attenuatur iuriſdictio, genus, quos Conſeruatores vulgò vocant: eos Epiſcopi, cæterique Eccleſiæ Principes, ex Primatibus, vel Abbatibus ſuæ Diœceſis, à Sede Apoſtolica in hoc impetrare ſolent, vt coram his, omnes illorum cauſæ, & lites, quas iam olim inſtituere cogitant, dirimantur, euocenturque per hos in ius perſonæ ſeculares, nobiles & plebei, in cauſis omnino prophanis; licet actoribus iuſtitia per ordinarium tribunal nunquã fuerit denegata. Quòd ſi vocati in ius ire recuſauerint, ij contra ius ac phas excommunicatione, licet nulla, feriuntur: cuius rei innumera adduci poſſint exẽpla. Ac ſi, vt cœpit negotium, procederet, breui eò rerũ veniremus, vt omnes cauſæ prophanæ, ad Conſeruatores hos, cæteroſq. iudices Eccleſiaſticos, laicis nedum ſuſpectos, ſed & alioqui incommodos, pertraherẽtur. Quod ut eſt intolerabile Germanis Principibus, ita & aperta fronte, cum ſacri Romani Imperij pugnat conſtitutionibus ordinatis, quæ clarè & expreſſim volunt ac exprimunt, quòd nemo alium ex ordinario ad incompetens tribunal in ius pertrahere debeat. Quapropter Imperij Principes, Proceres, ac Status, Sedi Apoſtolicæ ſupplicant, vt grauamina atq. onera hęc radicitus, funditusque tollantur & abrogentur.* Sal. Ann. 1522.

De Papalibus delegatis, ac commiſſarijs. CAP. VII.

CVII. 12. *Item Sanctitas Pontificia ad Eccleſiaſticarum perſonarum petitionem, iudices delegatos & commiſſarios, tanquam Eccleſiaſticos iudices, per Germaniam concedere ſolet, vt impetrantes dehinc laicos, cuiuſcunque etiam dignitatis, vel præeminentiæ, coram ita delegatis, in cauſis prophanis, iudicio conuenire poſſint. Quod vt de facto ſæpenumero præſumunt, ita excommunicationis pœna mandatam ſibi inter partes iuriſdictionem defendere conantur. Quæ omnia & in perniciem perſonarum ſecularium, & in iuriſdictionis Germanicæ ac ordinariæ iacturam vergunt, & attenuationem.*

Quo pacto Eccleſiæ prælati per Sedem Apoſtolicam, ex Epiſcoporum ordinaria iuriſdictione ac cæterorum ſuorum defenſorum tutela eximantur. CAP. VIII.

CVIII. 13. *Inſuper & hoc moliuntur ſummi Pontifices, monaſteria aliquot eximendo, vt ab Epiſcoporum, eorum ſcilicet ordinariorum, ac defenſorum, protectorumque aliorum, iuriſdictione ita exempti, reddantur immunes, immediateque ſubiaceant Sedi Apoſtolicæ: quæ res non tantùm prædictis ipſorum ordinarijs ac defenſoribus, ſed & toti Romano Imperio cedit in iacturam; tum quando collatio pecuniaria, pro Imperij neceſſitate, viritim Imperij Statibus indicitur. Ita enim fit, vt ipſi per ſe ab oneribus publicis exempti, immunitate ſua gaudeant. Dehinc etiam auxiliares manus Epiſcopis ac defenſoribus ſuis (quod antehac facere neceſſum habebant) non porrigant: per quam technam Rom. Imp. attenuantur nerui, ac decreſcunt plus iuſto vires. Quapropter et hic Imperij proceres ac Status rogant, præfata onera exemptionum abroganda, tollenda, emendandaque, ac monaſteria hæc Epiſcoporum & defenſorum ordinariæ iuriſdictioni relinquenda. Vt vel inde Imperium Romanum, per Sedem Apoſtolicam ita eneruatum, vires priſtinas eo celeriùs recuperare queat.*

Sal. Ann. 1522. CAP. IX. De attenuatione iuris, quod vocant, patronatus.

CIX. 14. Item, quum per mortes poſſeſſorum pro tempore beneficia vacare incipiunt, quorum ius patronatus ad laicos ſpectat, ſeu Eccleſiaſticos, tum conantur & Papalis Sanctitas, & eius oratores vel legati, iuri huic derogare, hoc modo: vt conferant beneficia ita vacantia, Curtiſanis, aut alijs quibuſcunque libuerit, ita, vt patronis ipſis ius ſuum preſentandi per hoc adimatur, auferaturque, ac inter hoc prætexitur à Sede Apoſtolica, quaſi præuentioni hac in re ſit locus, ut qui prior beneficium illud contulerit, quòd hæc teneat collatio; licet patroni tempus quoddam habeant, intra cuius metas, beneficia ſua liberè, & à nemine præuenti, conferre poſſint. Eam ob rem patronis laicis et Eccleſiaſticis ex fictitia hac præuentione multa oritur iactura. Quapropter ſacri Rom. Imp. Status ſanctitatem Apoſtolicam rogitant, vt talia grauamina atque onera aboleãtur, & poſthac beneficia vacatura, ſuo quæque patrono relinquantur, nec permittendum Curtiſanis, vt dehinc uel per iudiciorum ordinem, vel ſuopte ingenio, ad talia beneficia ſe ingerant: ſed ſtatuto irreuocabili ſanciendum, ſi quid à quoquam contra patronos beneficiorum ordinarios, prætextu imaginarij iſtius iuris, præuentionis, ut præmittitur, fuerit attentatum, quòd omne id nullius ſit momenti, viribus careat, ſitq. ipſo iure nullum, caßum, & inualidum.

CAP. X. De Eccleſiaſticis, qui Romæ, vel inter eundum Romam, mortem oppetunt.

CX. 15. Item, & tum Curtiſanis, cæteriſque, vt prædictum eſt, inhabilibus perſonis, per Sedem Apoſtolicam vacantia, collata ſunt, officia ac beneficia, cùm familiares ſanct. ſuæ, aut qui Curiæ ſeruirent, vel in anno (quod uocant) Iubileo, inter eundum Romam, aut etiam Romæ agentes, mortem oppetijſſent: tamquam ſi beneficia hæc Sedi Apoſtolicæ eſſent commiſſa, rectè atque feudorum collatio committitur. Nec conſideratur à Pontificia ſanctitate, talia beneficia vel officia de iure patronatus ſint necne: per quod Eccleſiaſtici & laici patroni feudatarij denuo etiam iure ſuo patronatus ordinario, priuati ſunt & ſpoliati.

16. Quin etiam aliquando, quum ij qui bonis, aut multis præditi ſunt beneficijs, Romam veniunt, à Curialibus Cardinalium, tanquam officij gratia ad menſam inuitantur Dominorum ſuorum, inde clam adhibentur teſtes & notarius, quorum interuentu conficiuntur inſtrumenta: quibus cùm ſuo tempore probari poſſit, tales fuiſſe Curiales Cardinalium, ac ideò beneficia eorum eſſe in perpetuum affecta, quàm doli ac fraudis res hæc ſit plena, vnuſquiſque bonus facilè perpendere poteſt. Sal. Ann. 1522.

Quo pacto ſub prætextu familiaritatis Papalis, curiæ multorum Beneficiorum per Curtiſanos impugnetur collatio, etiamſi poſſeſſores illorum longè antehac talibus fuerint beneficijs inueſtiti. CAP. XI.

17. Nec minùs & illud ſuetum hucuſque fuit, ut vltra prædicta omnia quorũdam magni penſi Beneficiorum, ſub nomine officialium vel familiarium Papæ & curiæ Papalis, per idiotas & alioqui inhabiles perſonas ſit impugnata collatio, ac per illos conatum, tentatumque, ſi quo modo fieri poſſet, vt beneficia hæc in Commendas ſeu Prouiſiones (ita enim ipſi vocant) vertere, ac cenſibus annuis obnoxia reddere queant: hinc prætendentes, regreſſus, reſeruationes, penſiones, & plura alia incompatibilia, ſibi in his competere. Quibus technis ac dolis malis, beneficia illa penitus exuguntur, eneruantur, attenuanturque; cùm perpetuò Romanæ curiæ penſionibus annuis ſeruiunt: fitque, vt Germanorum vtcunque habilium, nemo vnquam ad hæc aſpirare poſſit. CXI.

18. Item, obuiam veniunt & tum Germanis non ferenda à Curtiſanis onera. Ita enim per Germaniam ſubtili ingenio beneficia venantur, ut conentur viris Presbyteris ætate & integritate vitæ ſpectabilibus, qui beneficia ſua, abſque omni controuerſia, iuſto titulo, & bona fide, multos iã annos quiete poßederãt, in lõgæua poſſeſſione negotiũ facere, poſſeſſionẽ interturbare, ad Romanã curiam, perſonaliter vt compareãt, in ius vocare, ac mille alijs artibus ita eos adigere, vt trãſactiones quantumuis iniquas, inire neceſſum habeant, modò ſupremos hos annos quiete agere velint. Coguntur enim hoc, quo dictum eſt modo, à Curtiſanis ad penſiones annuas, reſeruata, & id genus alias præſtationes. Atque hoc agunt Curtiſani nebulones, non propria, vt ferunt, auctoritate; ſed Romanorum ſuorum ſtatutorum, ac regularum, quas vocant, Cancellariæ. Quæ conſtitutiones omnes quotidie pro libidine Curtiſanorum figuntur, ac refiguntur, cùm derogatur prioribus non admodum, vt videbatur,

Sal. Ann. 1522. *debatur, æquis, & feruntur iniquiores. Quare nedum ſenio confectis beneficiorum poſſeſſoribus, harum decipularum atque fraudum rudibus; ſed & beneficiorum collatoribus imponunt mille inſtructi dolis Curtiſani. Nam etſi poſſidens Beneficiorum Presbyter, cum Curtiſano litigatore fictitio, non tranſigat: tamen ita ſibi litem facit præſtigiator ille Curtiſanus, vt ſi pendente efficta hac controuerſia, moriatur, beneficij, vt prædictum eſt, litigioſi poſſeſſor, quòd dehinc continuò litem faciens, neglecto Collatoris ordinario iure, in poſſeſſionem eius beneficij mittatur. Eapropter denuò atque iterum S. Rom. Imp. Status iuſtas ſanctitati Apoſtolicę fundunt preces, velit enumerata omnia Curtiſanorum importabilia onera emendare, ac penitus abrogare: Neue illis poſthac permittere, vt beneficia Germanorum libera, per machinationes præfatas, oppugnare impunè audeant.*

CAP. XII. Quomodo prouiſiones Eccleſiaſticarum dignitatum Romam pertrahantur.

CXII. 19. *Item, quæcunq. dignitates, ſeu beneficia pinguia, vtputa, Præpoſituræ, Decanatus, Cantoratus, ac cætera officia, Canonicatus, Eccleſiæ Curatæ, et beneficia ſimplicia, quæ ſub menſe ordinario, extra Romana mœnia vacare incipiũt, quorum antehac ad ius ordinarium patronatus Eccleſiaſticorum et laicorum ſpectabat collatio, et electio, tum excogitatur à Romana ſede, iuris patronatus ab ordinarijs collatorib. ab alienatio: maximè, ſi poſſeſſores priſtini beneficiorum aut officiorum dignitatũve talium, familiares vel officiales Papæ aut Cardinalium fuerunt. Ideò rogant Rom. Imp. Status, prædictum etiam onus è medio tollendum, ac patronos collatores ordinarios apud collationem, electionem, præſentationem, et nominationem talium dignitatum ac beneficiorum (iura ſcilicet ordinaria) defendendos, ac defenſos manutenendos. Nec curandum, vtrum familiares, vel officiales Romanæ curiæ fuerint, qui beneficia hæc poſſederint, regreſſum acceſſumve, aut aliud quoddã ius imaginariũ ad ea habuerint: ita quòd tale ius prætentũ ordinario patrono ac Collatori, nunc & poſthac nullum faciat prẹiudicium, nullamq. generet iacturam, ſed per omnia iura ordinaria ſinãtur illęſa.*

CAP. XIII. De Regulis Cancellarię Papalis, nouis technis & reſeruatis ſuper caſibus futuris.

CXIII. 20. *Adhæc Cancellariæ Romanę regulę, quas ad ſua compendia ſubinde excogitare ſolet Curtiſani, ac toties ferre ac reuocare; nec non & aliæ* Sal. Ann. 1522. *ſubinde nouæ artes excogitari cœperunt, quibus beneficia Eccleſiaſtica ex Germania Romam eò faciliùs pertraherentur, adgrauarenturque: ita, vti ſi Germanorum quiſpiam beneficiorum aliquod ambiat, id quod non aliunde, quàm ex Curtiſanorum manu, magna numerata pecunia, aut penſione annua reſeruata, aſſequi poſſit. Neq. in hoc Curtiſanorum inexplebilis auri ſitis contenta quieſcit, quin nouas quotidie artes excogitet, qualis eſt & illa: cùm ſuper beneficio aliquo vocaturo, duo aut tria millia aureorũ ad futuros caſus reſeruãtur collatoribus ordinarijs, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, eorumque iuri ordinario, ac ipſis denique Eccleſiaſticis beneficijs in prægrande exitium, perniciem, attenuationem & detrimentum. Nam quum caſus aliquis futurarum reſeruationum exiſtit, adſequiturque, is beneficium, cui priùs tot reſeruata erant ſuper hoc millia, tum ad ſupremam opem (technas profectò inauditas) confingunt, permutationum ſcilicet reſeruationem, ſurrogationem, reſeruantes ſibi ingreſſum, regreſſum, acceſſum, atque alias id genus decipulas, quibus ius ordinariorum collatorum ita exhauritur & attenuatur, vt aut nunquam, aut vix tandem poſt multorum annorum curricula, patroni ac collatores ordinarij ad ius ſuũ patronatus peruenire poſſint.*

De Eccleſiaſticis beneficijs, Curatis, & non Curatis, in genere. CAP. XIV.

21. *Nec minùs & illud in Romana curia hucuſque obſeruatum eſt, vt gratiæ et reſeruationes pectorales, mentales, generales et ſpeciales regreſſus, acceſſus, incorporationes, vniones, & concordata, quod ſuis vocant excogitatis nominibus, ob pecuniæ et priuati lucri amorem, ſuper beneficijs ac prælaturis, præſertim per Germaniam, Curtiſanis à ſede Romana concederentur. Neq. hoc contentus fuit habendi ſceleratus amor, quin & ea ipſa beneficia ac Prælaturæ prædictæ, ſocietatibus mercatorum potentum ære, cum onere cenſus mediocris, ſed ita, vt dehinc latiùs venderentur, conceduntur. Qua ſubtili practica atq. techna factum eſt, quòd plurima, aut certè pinguium beneficiorum, magna, ſi non maxima portio ex Germanorum manu Romã eſt traslata; quæ beneficia hinc idiotis, inidoneis, ac inhoneſtis etiam perſonis, non raró ſunt collata: & quidem nec Germanis, ſed barbaris, qui Germanam linguam neque loquantur, nec intelligant;* CXIV.

Sal. Ann. 1522.

gant; vt inauditum dictu hoc inde ſit ſecutum, quòd ouibus Chriſti præfecti ſunt paſtores, quorum etſi oues vocem fortè audierint, non intelligant. Verùm grauius etiam inde oritur Germanis onus, quòd quum beneficia hæc & Parochiales Eccleſias ipſi propria perſona neque poſſidere, neque gubernare poſſunt (quod tamen paſtoris officium in primis ſibi poſtulabat) nimirum vt ſubditis parochialibus, & integritate ac innocentia morum, egregium de ſe præberent exemplum, vt oues ſuas, tanquam oues Chriſti, doctrina ſolida, ſyncera, ac expuris Euangelij fontibus hauſta, quantum ad ſalutem animarum ouium pertineret, ipſi paſtoreſmet paſcerent. Eorum verò neutrum per paſtores illos ſubdititios curatur. Primùm enim ipſi, qui beneficia hæc Eccleſiaſtica à mercatoribus, quo prædictum eſt, aſſequuntur modo, quia propria perſona poſſidere ea ſunt minùs idonei; Ideo hæc eadem alijs æquè, aut longè etiam quàm ſint, ad onus hoc inhabilioribus, pro annuo cenſu locant; non ſecus, atque cenſus ac redditus annui ex agris locantur & emuntur, vt is demum habeatur emptor idoneus, qui pluris mercem licitauerit. Ita planè pro precij quantitate elocantur nunc per Curtiſanos Eccleſiaſtica beneficia. Dehinc quum ferè fiat, vt maius precium annuum offerat, qui ad Eccleſiæ munus quàm minimum ſit idoneus; euenit, vt conductitij illi paſtores (an prædones rectiùs quis eos dixerit, dubium eſt) ſimplici Chriſti plebeculæ pro Euangelij limpidiſſimo fōte, turbidas, protritas, ac ruderibus oppletas, propinent lacunas, dum legendas (quas vocant) Sanctorum, nec ab Eccleſia receptas, & gentilibus fabulis, quàm Chriſtianæ & Euangelicæ doctrinæ ſimilioribus, ad populum Chriſti publicè in concione docent. Quid enim aliud docerent indoctè docti, ac idiotæ illi, qui lanam magis, quàm ſalutem ouium, vt curarent, munus hoc Eccleſiaſticum pecunia etiam non modica conduxerunt? ac mercenarij ſunt, non (quod Euangelium abominatur) paſtores. Ita enim fit, vt Chriſti ſimplex plebecula, per ſuppoſititios hos paſtores, à germana Chriſti fide, ac in Deum fiducia, in quibus ſola requieſcit animæ ſalus, ad hominum ſuperſtitioſa ſomnia ac commenta, per quæ res familiaris mercenariorum conductitiorum, quàm Chriſti gloria augeatur potiùs, ducatur, trahaturq. ac multiplicibus etiam exactionibus interim grauetur plebs Chriſti: quando hoc ſolum curant conductores, vt vltra penſionē locatori pendendam, res ipſa eorum quoque reddatur lautior; expilaturque interea ſuis nummis ab exteris nationibus, vnde nulla nec mutua beneuolentia, aut gratiarum actio ſperanda ei eſt, Germania: quanquam beneficia hæc non ad exteros, ſed ſuos, hoc eſt Germanos, vt pertinerent, primùm fundauerit. Quapropter S. Romani Imperij Status obnixè quoque rogant, vt præfata onera ac grauamina, per quæ tam immenſo pecuniarum cumulo ſpoliatur Germania, quæ hinc per Curtiſanos malè prodigitur, radicitus ac penitus tollantur & auferantur, ita vt beneficia per Germaniam nemini, quàm natis Germanis, qui perſonaliter ea poſſideant (id quod & æquitas & honeſtas ipſa ſibi poſtulant) poſthac conferantur, ac concedantur.

Sal. Ann. 1522.

Quibus nexibus Archiepiſcopi ac Epiſcopi à ſuis Capitulis ob collationem beneficiorum ſint aſtricti. CAP. XV.

22. Nec tantùm beneficia ac parochiales Eccleſiæ Romæ, ob pecuniæ fauoris, aut familiaris conſuetudinis amorem, indoctis, turpibus, ridiculis, ac offendiculorum plenis conferuntur perſonis: Sed & ſimile quiddam ab Archiepiſcopis et Epiſcopis committitur, qui per eorum Capitulares congregationes ita obligantur, vt omnia præpinguia beneficia, Curata ac non Curata (quæ proculdubio à fundatoribus primū, vt ad doctos ac integros pertinerēt viros, ſunt fundata) Capitularibus Canonicis, vtcunq. ad hoc idoneis, conferre neceſſum habeāt: qui dehinc talia beneficia ſimplicia ac Curata, indoctis, ac ludicris perſonis, modò quàm maximum pendeāt cenſum annuum, elocant, æquè atq. ſuprà de mercatorum ſocietatibus dictum eſt: ita quòd poſſeſſores illi conductitij, maiorem partem ex illicitis exactionibus viuere, atq. ob id ſubditos eò ampliùs onerare coguntur. Similiter & cum cæteris Cathedralibus Collegiatiſque Eccleſijs, ac earum Capitulis agitur. Item & per Præpoſitos, reliquoſque in dignitate conſtitutos agitur idem, interim dū ſua conferunt beneficia Eccleſiaſtica. CXV.

23. Præterea, qui pinguiora, ita ut prædictum eſt, habent beneficia, ac Eccleſias Parochiales, vtcunque annuas penſiones ampliſſimas, ex locationis titulo, à cōductoribus percipiant, quibus redditibus à laicis fundatoribus beneficia hæc ampliter ſunt dotata, tamen committunt locatores, vt domus beneficiariæ, præ neglecta ædifi-

Sal. Ann. 1522. *ciorum cura, penitus collabantur. Nihil enim aliud curant beneficiorum perſonati iſti poſſeſſores, aut locatores, quàm vt pecuniæ æquo maiorem ſummam quotannis à conductoribus recipiant, ac eandem hinc in varios, ſed in inhoneſtos, illicitos, ac offendiculorum, peccatorumque plenos vſus conuertant: de ſalute & cura animarum, vel ſubditorum, vel etiam eorum, quorum ex marſupio viuunt, hoc eſt fundatorum, prorſus apud hos nulla mentio, reſpectus (velut Megarenſium olim) planè nullus. Ea propter ſacri Rom. Imperij Status, ac Principes & Proceres laici, hic quoque, ſupplicant, Sanctitas Põtificia velit eam offendiculorum ſyluam, turbatum rerum ordinem, ac onera hæc iuſto grauiora, tollere, emendareque; ac Archiepiſcopos, Epiſcopoſque, ab obligatione, qua ex promiſſionis prædictæ nexu tenentur, liberare, ſolutoſque reddere, ac edicto cauere, ne poſthac Archiepiſcopi & Epiſcopi, talibus adſtringantur vinculis; ſed vt dehinc nulli beneficium Eccleſiaſticum, curam habens animarum, conferatur, qui non ſit doctrina, ætateque & moribus ad hoc idoneus, qui & honeſtam, ac Presbytero dignam viuat vitam, & qui ipſe propria illud poſſideat perſona: nec plura quidem, ſed vnum tantùm beneficium Curatum, ſeu Parochialem Eccleſiam, Chriſtianè, hoc eſt ſine offendiculis vllis, ſed multo, cum doctrinæ, tum vitæ integritatis fructu adminiſtret.*

CAP. XVI. De Prælaturarum commendis, vt vocant, & Incorporationibus.

CXVI. 24. *Item, & illud hucuſque notoriè obſeruatum fuit, vt Abbatiæ multæ, Cœnobia item plura, ac reliquæ id genus domus, ſeu Eccleſiaſticarum perſonarum congregationes, fundationes ſcilicet Imperatoriæ ac Principales, Cardinalibus, Epiſcopis, ac cæteris Prælatis, in tutelam commendarentur incorporarenturque. Quare factum eſt, vt per Cardinales, Epiſcopos ac prælatos illos, quibus ita, vt dictum eſt, commendatæ erant Abbatiæ ac Monaſteria, ita ſint attenuata, exhauſtaque, quòd cùm antehac in vno illorum monaſteriorum quadraginta, quinquaginta, aut vltra hoc etiam perſonæ ſatis commodè potuerunt foueri; vt nunc ægrè quinque, ſex, aut decem neceſſarijs prouideri poſſit alimentis. Quæ res omnis in priuata compendia ac commoda Cardinalium eſt excogitata. Vnde nedum plura oriuntur offendicula, ſed & grauamina oneraque ardua, ac non ferenda Germanis. Ideoque & hic ſupplicatur, Abbatias prædictas, Monaſteria, ac religioſas cæteras domus, denuo in integrum ius eorum, priſtinumque rerum ſtatum reſtituendas, cauendumq. poſthac, ne cuiquam tales Commendæ, vt vocant, ſeu incorporationes concedantur.* Sal. Ann. 1522.

De Collegiatis Eccleſijs, quæ ſuper Nobilibus tantùm fundatæ ſunt. CAP. XVII.

25. *Inſuper, licet quædam ſint Collegiatæ Eccleſiæ per Germaniam, quæ à Nobilibus, & in hoc, vt Nobiles tantùm ſummæ atque mediæ ſortis ad eas reciperentur, primùm ſunt fundatæ, in quibus perdiutinæ obſeruatæ ac præſcriptæ conſuetudinis priuilegium eſt, vt tantùm Principes, Comites, Barones, aut alioqui Nobiles acceptari poſſint, & debeant: Attamen laudabiles hæ conſuetudines, iura non ſcripta, priuilegia Papalia, nequaquam curantur, manutenenturue; ſed è regione agitur per Curtiſanos, ad liberæ electionis Epiſcoporum, Præpoſitorum, ac Decanorum, & Canonicorum præueditionem, vt Coadiutores aliqui, contra Capitularium voluntatem ac conſenſum, efficiantur. Nec raro Curtiſanis, licet indoctis et ignobilibus, parantur ad Canonicatus huiuſcemodi acceſſus, non obſtantibus ſtatutis & conſuetudinibus, & priuilegijs præſcriptis: ita quòd nobilibus Germanis beneficia ſubtrahantur, & hæc eadem ignobilibus, vel ob pecuniam, vel familiarem conſuetudinem hoc pacto conferuntur: vt, licet impetrantes ignobiles ad ea non admittantur, obſtante ſibi conſuetudine; tamen ſi quis Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumue hæc eadem à Curtiſanis impetrare velit, cum colore quodam excogitati oneris, ab eiſdem vel emere, vel annuo cenſu redimere cogatur: quamquam ſubinde alia huic negotio prætexantur vocabula; quæ res ipſa quoque Nobilibus Germaniæ, ſupremæ atque mediæ conditionis, in magnum cedit onerum ac grauaminum cumulum.* CXVII.

Inueterata Priuilegia manutenenda. CAP. XVIII.

26. *Ad hęc, quamuis omnia Eccleſiaſticis ac laicis ſtatibus priuilegia ac immunitates ſint cõceſſæ, Præpoſituras, aliaque beneficia & officia per ſe conferendi atque eligendi: attamen per Sedem Romanam nouæ ſubinde excogitatæ ſunt technæ ac practicæ, per quas priuilegijs prædictis derogatur multifariam; imò ea penitus tolluntur, ac turbantur. Ea propter rogant ſacri Rom.* CXVIII.

Imperij

Imperij Status, hoc emendandum, & in poſterum cauendum, ac vnumquemque cum ſuis iuribus & priuilegijs defendendum, manutenendūq; Id quod rei æquitas ipſa per ſe ſibi poſtulat.

Sal. Ann. 1522.

CAP. XIX.

De Annatis.

CXIX. 27. *Quantum ad Annatas, ut uocāt, attinet, quas Eccleſiaſtici Prælati, Romano Pontifici quotannis pendunt, quaſque ante aliquot annos Germani Principes Sedi Rom. ſub certis vſque annorum metis, eo tamen modo, vt perſoluerentur, conſenſerunt, quo pecunia hęc ad nihil aliud, quàm contra Turcas parandam defenſionem, Romæ tanquam depoſita, fideliter adſeruaretur. Verùm, cùm anni, in quos præfato modo conſenſum erat per Germanos, iam olim effluxerint, ac annatas depenſas, non contra Turcas, ſed aliò experientia Germani Principes didicerint, verſas: Ea propter per omnes Imperij ordines illud ipſum pro onere non mediocri huc allegatur, ſupplicaturque: id quod in reſponſione generali oratori Pontificio data, ac in primis ex Cæſareæ Maieſtatis literis, ad Sanctitatem Pontificiam eam ob rem ſcriptis, liquidò magis reperitur, quam ob cauſam laici Status Rom. Imp. vela complicanda cenſuerunt.*

CAP. XX.

De contributione Eccleſiaſticorum, ac religioſarum domum, contra Turcas; ac pro defenſione iuris & tranquillitatis publicę.

CXX. 28. *Item, poſtquam laicorum Imperij Statuū maiores Eccleſias, Monaſteria, cæteraſq. religioſas domus per Germaniam, ad laudem omnipotentis, ita ampliter atq. hoc pacto dotarunt diuitijs auxeruntque, quòd iam laici ipſi vix tertiā aut quartam partes in bonis temporalibus poſſident; atq. ob eam cauſam, neceſſitati, tam Eccleſiaſticorum quàm laicorum ſubleuandæ, propugnandæque, ac manu defendendæ paci ac iuri publicis; nec non & in Turcas, cæteroſq. Eccleſiæ Catholicæ, ac S Rom. Imp. hoſtes parandæ expeditioni, præ rerum inopia vires minùs ſuppetunt: Ideo negotij ipſius exigit neceſſitas, æquitaſque, quòd ſanctitas Pontificia ita æquè ac paternè rem temperet, vt Eccleſiaſtici etiam, tanquam qui ampliores poſſident diuitias, nedum contra Turcas ad ferendum opem teneantur auxiliares porrigere manus: ſed ad tuendum ius publicum, ac tranquillum Reip. Chriſtianæ ſtatum, quotannis pecuniæ quippiam contribuendum: ita quòd Archiepiſcopi & Epiſcopi, Eccleſiaſticis Prælatis ac perſonis ſuæ ditioni ſubiectis, ipſi ſoli ad ferendum hanc opem, contributionem prędictam indicere, ius ac poteſtatem habeant.* Sal. Ann. 1522.

29. *Atque illud eo moderamine agatur, vt Electores, cęteriq. Principes et Magiſtratus laici, ab Eccleſiaſticis Proceribus, in eorum Principatibus, Comitatibus, oppidis, ac territorijs, in exercenda iuriſdictione non perturbentur, aut præpediantur. Nempe hac re fiet, quòd laici inter Eccleſiaſtico ius, ac trāquillitatem publicam tueri; et Eccleſiaſtici ſub laicis degentes, eò facilius ac commodiùs etiam ius quemq. ſuum defendere, ac manutenere poterunt, cùm Eccleſiaſtici paria onera vnà cum laicis Magiſtratibus ac Gubernatoribus prouinciarū ferre, et contribuere iubebuntur, quemadmodū ad idipſum ex Chriſtiana et Germana charitate, ac ob æquitatem, paritatemq. ſeruandā, alioqui tenentur, obligatiq. ſunt.*

30. *Et quandoquidem omnes Eccleſiaſtici, in primis ac præcipuè, meritò pro viribus contra Turcas, tanquam hoſtes Chriſtianæ fidei, ad ferendam opem, parandam defenſionem, recuperandumque manu, quas olim crudelis ille ferro ſubiugarat Chriſtianorum prouincias, teneantur: Eam ob rem, pro licito, bono, ac pariter Chriſtianæ Reip. vtili & neceſſario, viſum placitūque eſt, vt ſi quando exigere id neceſſitas videbitur, quòd mundus et precioſior ſupellex Eccleſiarum cathedralium, monaſteriorum, cæterarumq. Eccleſiarum ac religioſarum domorum, auri, argenti, vnionum, aliorumque precioſorum lapillorum, deniq. & campanarum pars non neceſſaria, pro communi Chriſtianæ Reip. vtilitate in medium conferatur: ne theſaurus ille Eccleſiæ Turcis potiùs, quàm nobis cuſtodiatur, adſeruetur ue, id quod & per Græciæ regnum iam olim vſuueniſſe experientia ipſa docuit. Quæ res Turcis magno ceſſit lucro, præſidioque; quando reperto hoc Eccleſiæ mundo, ſeu theſauro, militibus ſuis comparare potuerunt vberiorem commeatum; vt eò inſtructiores hinc cæteras Chriſtianorum vrbes oppugnarent ac prouincias.*

Vt perſonæ Eccleſiaſticæ ob perpetrata maleficia commeritam nullam luant pœnam. CAP. XXI.

31. *Item, quicunque Eccleſiaſticos recipit ordines, maiores ſeu minores per hoc omnium pœnarum magiſtratuum ſecularium, vtcunq. magna perpetret maleficia, immunis eſſe contendit.* CXXI. *Neque hoc ita ordinati temerè præſumunt: quòd ab Eccleſiaſticis ſummæ conditionis ſtatibus in*

peccandi

Sal. Ann. 1522. *peccandi hac licentia manuteneantur. Sæpenumerò enim compertum eſt, vt quum ita conſecratis, præſertim Sacerdotibus, per iura canonica legitimæ vxores ſint interdictæ; quòd dehinc pudicitiam matronarum, virginum, laicorum ſcilicet vxorum, filiarum, ſororumque attentãt, ac noctu interdiuque ſollicitant. Efficiunt quoq; per aſſiduum ac indefeſſũ laborem, partim muneribus, donis ac blanditijs, vt complures honeſtæ alioqui virgines, & matronæ, partim etiã in ſecretis, quas vocant, Confeſſionibus (id quod euentu ipſo compertum eſt) diuturna opera labefactentur, ad peccata, offendiculaq; commoueantur. Nec raro etiam euenit, vt ij, vxores ac filias, maritis patribuſq; detineant, & remorentur; minantes interim, gladio, aqua, ignive, vlturos repetitas vxores: atque tantorum malorum ſegetem ex libidine inſana contrahunt; mirum quid latrocinijs, homicidijs, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falſo cudendo numiſmate, ac mille ſcelerum formis, interim cõtra diuina humanaq; iura omnia, non ſine magno etiam aliorum offendiculo, liberrimè ac impunè quotidie committant. Nempe immunitate ac peccandi ſua licentia, quam ex priuilegijs canonum ſibi vſurparunt, in hoc freti. Cùm enim & ſemel compertum habent, licere eis impunè quidquid libuerit; tum nedum magiſtratibus ciuilibus, ſed & ſuis Epiſcopis ac ſuperioribus medium oſtendunt vnguẽ, quodcunq; illi vel iubeant, vel vetent. Et tandem vt in peccatis maleficijſq; perpetrandis magis adhuc foueantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus interdictum eſt Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ne malefactores hos publicè criminali iudicio reos agere poſſint, niſi priùs degradatos: id quod tantis ſumptibus, tantaq; pompa celebrari oportet, vt propterea perquam rariſſimum vncti illi malefactores merita plectãtur pœna. Adhæc adſtringuntur, obliganturq; Epiſcopi per ſua Capitula, vt perſonas in ſacris ordinibus, quod dicitur, conſtitutas, ſecundum Canonica etiam iura, pœnis vtcunq; leuibus, punire, affligereq; non audeant. Quæ res tota eò ſpectat, vt ex diſparitate hac, inter laicos ac Eccleſiaſticos ſimultates, diſſidia, atq; odia plus quàm Vatiniana oriantur.*

32. *Illud quoque non mediocriter timendum eſt, vt ſi perſonæ Eccleſiaſticæ, iam dicti oneris, aliorumque maleficiorum cauſa, quæ quotidie perpetrare pergunt, non æqua iura, iudices æquos, pareſque pœnas habeant; quòd eorum vita offendiculoſa apud laicorum vulgus tumultum quempiam, ſeditionemque pergrandem, nedum contra ipſos, Eccleſiaſticos ſcilicet, ſed & contra magiſtratus, ac ſuperiores omnes, quòd impunita ſinant maleficia tam notoria, commotura, excitaturaque ſint.* Sal. Ann. 1522.

33. *Quapropter neceſſitas, æquitaſque ipſa ſibi poſtulant, vt Eccleſiaſticarum perſonarum prædicta præſumpta priuilegia abrogentur, aboleantur, è medio tollanturque, ac illarum gratia finaliter ſanciatur, caueatur, ac ſtatuatur, quòd ordinati in maioribus vel minoribus conſtituti, vnà cum perſonis laicis, æqua habeant iura, æquos iudices, pareſque pœnas: ita quòd Eccleſiaſtici vltra laicos, in paribus delictis, nullam prætendere poſſint prærogatiuam, immunitatemve, ſed vt quiſque delinquentium Eccleſiaſticorum, ſub quo deliquit iudice, ob commiſſum ſuũ maleficium, ſecundùm delicti qualitatem ac menſuram, non ſecus atque alij malefactores, pœna à iure communi Imperij impoſita delicto commenſurataque, plecti, puniri, & affici poſſit atque debeat. Id quòd verè Eccleſiaſticis, hoc eſt probis & eruditis viris, dubio procul, impendio magis arridebit: tantum abeſt, vt per hoc lædi ius eorum putent. Hac re namque fiet, vt titulo tantùm Eccleſiaſtici, alioqui improbi nebulones, ad obedientiam maioribus debitam, ac ad bene honeſteque viuendum compellantur; adhæc ſeditiones, ſimultateſque inter eos atque laicos præcaueantur, euitenturque. Denique & hoc ipſo laici ad obſeruandum, colendumque integræ vitæ Eccleſiaſticos eò magis inuitabuntur, promouebunturque.*

De onere Banni, ſeu Excommunicationis. CAP. XXII. CXXII.

34. *Item, Romæ cæteriſq; in locis per Archiepiſcopos ac Epiſcopos, aut certè eorum Eccleſiaſticos iudices, multi Chriſtianorum ob cauſas prophanas, ob pecuniæ denique, ac turpis quæſtus amorem excommunicantur; multorumque, ſed eorum in fide infirmorum, conſcientiæ per hoc aggrauantur, & in deſperationem pertrahuntur; ac denique ob pecuniæ, lucrive tantulum, aut alioqui res minimi precij, ad internecionem vſque animæ, corporis, honoris, atque rei familiaris, contra diuina humanaq; iura perducuntur. Quando nemo, niſi ob conuictum hæreſeos crimen, excõmunicationis gladio feriendus, aut pro ſecluſo à Chriſtiana Catholicaque Eccleſia,*

Sal. Ann. 1522. ſacris literis teſtantibus, reputandus eſt. Ea propter ſacri Romani Imperij Principes, Proceres ac Status laici rogant, vt Pontificia Sanct. tanquam fidus, Chriſtianus, ac pius pater, velit præfatum onus Banni, ſeu Excõmunicationis, apud ſedem Romanam penitus abolere, ac apud cæteros Archiepiſcopos, Epiſcopos, & eorum iudices Eccleſiaſticos ablegare, tollere, & denique ita ſancire, cauereque, vt nemo vllam ob cauſam, quàm manifeſtum ac conuictum hæreſeos crimen, & quantum ad Sacroſanctam Chriſti fidem attineret, excommunicationis fulmine feriatur, aut pro ſecluſo à Chriſtiana ac Catholica Eccleſia habeatur. Per iniquum ſiquidem eſt, fideles Chriſti ob temporalium bonorum, lucriue, aut denique vllam aliam humanarum conſtitutionum tranſgreſſionem, excepta hæreſis perfidia, à Deo Opt. Maximo, ſuaq; Eccleſia Catholica excludi, ſeiungi, ſepararique.

CAP. XXIII. Quo pacto multi cohabitatores oppidorum excommunicati, & ipſi vtcunq; innocentes excommunicantur.

CXXIII. 35. *Item & illud in pleriſque ſæpiuſculè euenit, quòd vicinorum excommunicati decem, & eo ampliùs, quos tamen cauſa nihil omnino contingit, cum ipſo principali excommunicationis pœna aggrauantur: & non ob aliud, quàm vt officiales, Eccleſiaſtici ſcilicet iudices, faciliùs, citiuſque pro libidine ſua miſeram plebeculam depeculentur, ac pro ſuo libitu, eorum abutantur ſimplicitate, ipſoſque principales ad quaſcunque etiam iniquas acceptandas trãſactiones per hoc compellant, adigantque. Nam etiamſi excommunicatus ipſe, vnà cum vxore, liberiſque ſuis, per intolerabile hoc & iniquiſſimum Banni onus in exilium ire cogatur, quòd hac in re nullus ſit Officialibus modus, neq; finis, neq; vlla facultatũ ratio: Tamen nullus eſt hominibus illis reſpectus, num induſtria, datave ad hoc opera, & per contemptum; an neceſſitate ita impellente, vel caſu potiùs, vicini cohabitatores, cum excommunicato ipſo participarint, commerciumve habuerint; aut ſufficiensne hæc fuerit conciuibus cauſa, quare excommunicatum meritò ſolum vertere iuſſiſſe debuerant, horum penſi habetur nullum. Sed vnum curatur hoc per Officiales, vt, quouſque principalis ipſe excommunicatus, ſoluendo non eſt, conciues ac vicini ſui, vtvt culpa vacent, ad ſolutionem tamen quod ſupereſt debiti, cogantur. Quod ſi aliquando Officialibus in os obtrudatur, contra domeſtica, nempe canonica ſua, eos hoc moliri iura, quæ pecuniæ cauſa quempiam excommunicari, aut interdictum edici vetent: Nihilominus tamen idipſum conantur, cauſſantes interim, non ob pecuniam, ſed contumaciam, quæ tantò ſit maior, quantò, vnde ſibi originem ducit, minorem habeat cauſam, tales excommunicari; atq; hac decipula, auaritiã ſuam Officiales, nugando contegere nituntur.*

Item & de illicitis interdictis. CAP. XXIV. CXXIV.

36. *Præterea, cùm Sacerdos, aut alioqui Eccleſiaſtica perſona, caſu occiditur; tum nedũ occiſor excõmunicatur, ſed & totum oppidum, aut totus pagus, iniquiſſimè interdicitur: quod interdictum eouſq; durat, tã diuq; interrupta pendent publica Chriſtianorũ officia, quouſq; vel occiſor, vel tota incolarum eius loci cõmunitas fecerint homicidij compenſationem, homicidiumq; expiarint: non conſiderato eo, dederitne occaſionẽ, vt ſe geſſerit probè, vel nequiter verſatus fuerit occiſus ſacerdos, vel aliàs Eccleſiaſtico ordini aſcriptus; licet iura canonica ipſa in quibuſdam caſibus, modum negotio præſcribant. Prægrauãturq; itaque ex delicto vnius, centũ alij nihil tale commeriti, nedum contra cõmunem æquitatẽ, ſed & contra omnia diuina & humana iura.*

De abrogatione feriatarum aliquot dierum. CAP. XXV. CXXV.

37. *Inſuper & feriarum feſtorumque dierũ tanta copia laicorum vulgus nõ mediocriter vrgetur. Nimirum, cùm tot ſint religioſi facti dies, vt vix ægrè tempus agricolis ſuppetat, quo fructus agri, tot ſudoribus è terra pellectos, aliquando aqua pluuia, immodicove æſtu, non rarò etiã grandine, aliave tempeſtate periclitantes, in horrea conferant: quos tamen fructus, ſi non feriarum ſolemnibus præpediti forent, commodè, ac citra iacturam ex agro legere, domumque ferre potuiſſent. Adde, quòd feriatis quoque diebus (qui dubio procul bono conſilio, ac in Dei Opt. Max. honorem, primùm bene ſunt feriati) innumera perpetrantur delicta, peccataq; & ſcelera potiùs, quàm his omnipotens colatur, venereturve. Id quod res ipſa notorium facit: tantum abeſt, vt teſtibus hoc egeat. Eamq; ob cauſã ſacri Rom. Imp. Status laici conſultius putant, ac reipub. Chriſtianæ conducibilius, ſi effrenis feriarũ (quæ animis, quàm externo cultu Chriſtianis, hoc eſt his, quibus à peccatis ſemper feriandum eſt, rectiùs celebrantur) feſtorumq; dierũ numerus paulò coërceatur in arctum, minuaturque.*

De

Sal. Ann. 1522. CAP. XXVI. De domibus ordinum militarium, ac Baliuijs, vt vocant, per Apuliam Siciliamq; ordini militari Teutonicorum vi, doloq; Germanorum ditioni ereptis.

CXXVI. 38. *Item licet Dominis ordinis diuæ Mariæ Virginis, quos vulgò Fratrum Teutonicorum vocant, ex liberalitate Romanorum Imperatorum celeberrimæ memoriæ, item & Principum, Comitum & Baronum, in eos collata, cæterorumq; Nobilium contributa auctione, certa bona temporalia, ac redditus & cenſus annui, per Apuliam, Siciliam, reliquamque Italiam, empti ſint atq; adaucti, non ob aliud, quàm vt contra hoſtes Chriſtianæ religionis, ad pugnam inſtructiores forent, haberentq; Germani Nobiles pariter & fidei Catholicæ propugnatores, vnde commodiùs & honeſtiùs vitam militiæ ſemper paratam viuere poſſent: ea ex bonorum aſſe Præfecturæ eius ordinis aliquot; quas vulgò Baliuias, ac à commeatu ordini parando, Commeaturas vocant, diſtinctæ ſunt, & diſterminatæ per claſſes, quas & quietè ſine cuiuſpiam turbatione, per multa ſecula poſſederunt, vſurparuntque: Attamen per præcedentes Romanos Pontifices ordini prædicto bona talia erepta, ac Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopiſq; illiſq; nec Germanis, nec præfati Ordinis militaris exſiſtentibus, collata traditaq; ſunt. Quemadmodum & in hunc vſq; diem militaris Germanorum Ordo his ipſis, ſpoliatus, carere cogitur. Inſuper priores Romani Pontifices domus ordinis ſupradicti locatas, nato Italo, nempe Hieronymo Veneto tradiderunt, ac conceſſerunt: Eumq; ordinis ſæpedicti inſignibus decorarunt; contra Romanorum licet Pontificum ac Imperatorum ſtatuta & Priuilegia, toties antehac per eorum prædeceſſores roborata, quibus ad Germanos tantùm Ordinis milites, vt hæc omnia pertinerent, cautum, ſancitumq; eſt.*

Deinde & Romanenſes Curtiſani, ordinis ſupramemorati domos per Italiam, Bononiæ putà, Papalibus Bullis ac prouiſionibus attentare conati ſunt: quo facto, ordinem ad litigandum ſecum Romæ coëgerunt. Id quod non ad mediocrem perniciem & ipſius ordinis, & totius Germanicæ vergit nationis. Demum Germanis Stablore quoque, diui Benedicti Monaſterium, contra fundationis quanquam iura, ſuperioribus paucis equidem annis ereptum eſt, ac in cõmendam, vt aiunt, Cardinali Columnæ collatum: quæ omnia in perniciem tendunt, ac irrecuperabile Germanicæ nationis detrimentum; attentatumq; eſt, quicquid id eſt, contra ius & phas, ac æquitatem omnem. Eapropter imperij Status hìc quoq; rogant, Sanctitas Pontificia velit Militari Teutonicorum ordini, bona erepta, cenſuſque & redditus ablatos, abſque vlteriore mora redhibere, reddere, ac reſtituere; aut idipſum, vt quantocyus fiat, mandare, curareve: queãdmodũ iuris, boniq; & æqui ratio hoc ſibi poſtulat.

Sal. Ann. 1522. CAP. XXVII. De oneribus ſacri Romani Imperij ſtatuum laicorum, contra Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſq; prælatos Eccleſiaſticos. eorum quoq; Capitula, ac ſuffectos iudices, quos vocant, Eccleſiaſticos.

CXXVII. 39. *Præter onera ſuprà memorata, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, quòd hi, vt prædictum eſt, à ſede Romana conſeruatores delegatos, atq; id genus alios pleroſq; Eccleſiaſticos impetrant iudices, per quos laici non ferendis aggrauantur modis; quòd non omnino infrequenter euenit, vt laici in periculum ac perniciem animæ, æſtimationis, corporis atque bonorum perducantur, ac quantum per hos ſtat iudices, pertrahantur etiam. Sed hìc nondum finis. Sunt enim complura adhuc alia grauamina, prout ſigillatim ea per capita nunc recenſebũtur.*

CAP. XXVIII. Primum, quibus modis laicorum bona immobilia ad Eccleſiaſticorum manus; & non contrà, ab Eccleſiaſticis ad laicos perueniant.

CXXVIII. 40. *Item, quum à ſede Romana conſtitutionibus ſit cautũ ac prouiſum, ne bona Eccleſiaſtica, præſertim immobilia, regulariter perſonis laicis, vnquam diſtrahi aut vendi poſſint; & tamen Eccleſiaſtici, nulla cogente neceſſitate, ſed tãtùm, vt eorum res familiaris reddatur lautior, creſcantq; cenſus, nunquam non ceſſant, laicorum prædia emptionibus, innumeriſq; alijs modis ad ſe pellicere, ſi qua tandẽ ſit poſſibile via. Quod ipſũ quoq; Statibus laicis graue, damnoſũ, ac intolerabile eſt. Quamobrem ſacri Romani Imperij Status laici, reipub. Germanorũ vtile, neceſſariũq; putauerũt, ſi omnia bona immobilia, ſoli ſcil. quæ poſthac aliquo, quocunque tandẽ titulo, à laicis ad Eccleſiaſticos peruenirent, poſſent à laicis ſuperioribus, quorũ ditioni prædia hæc ſubiecta forẽt, tandẽ ab Eccleſiaſticis redimi, lui, atq; iuſto precio vendicari: non conſiderato, quicquid contra hoc priuilegiorũ prætenderẽt Eccleſiaſtici.*

Sal. Ann. 1522.

CAP. XXIX. Quomodo Epiſcopi bona hæreditaria Eccleſiaſticorum ad ſe trahere conentur.

CXXIX. 41. *Nec rarò & illud facto contingit, quòd quum perſonæ Eccleſiaſticæ bona hæreditario titulo, à maioribus ſuis, vnà cum cæteris cohæredibus, iure hæreditario ſibi fortè vſurparent; ac ſi dehinc inteſtati deceſſiſſent Eccleſiaſtici, tum per Epiſcoporum nonnullos ſibijpſis bona illa hæreditaria laicorum vendicari cœperunt: non in mediocrem proximorum, venientium ab inteſtato cognatorum, perniciem ac iacturam. Quæ res ipſa quoq; laicis non ferenda, imò, omnimodo oneroſa, intolerabiliſque eſt.*

CAP. XXX. Quo ingenio, bona quædam laica, quæ Eccleſijs, aut alijs religioſis domibus certis pactionibus vendita ſunt, vel hypotheca-ta, ditioni Eccleſiaſticæ ſubiugari conētur.

CXXX. 42. *Adhæc, ſi quando caſu ita contingit, quòd bona laica temporali iuriſdictioni ſubiecta; fructibus, redditibus, cenſibuſve annuis Eccleſijs, ac cæteris religioſis domibus legentur, vendantur, hypothecentur, aut quovis alio titulo tradantur, vel à laicis erga Eccleſias ac monaſteria annuo cenſu tributaria efficiantur; moliuntur Eccleſiaſtici, talia prædia laica, ex ciuili poteſtate ac ditione in Eccleſiaſticam transferre, atq; huic vtcunq; iniquo illicitòve conatui, Epiſcopi, Eccleſiaſticiq; patrocinantur prælati, tuenturq; rem longè iniquiſſimam; tantum abeſt, vt in hoc quemquam reuereantur Eccleſiaſtici.*

CAP. XXXI. De collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum iamprimùm fundatorum.

CXXXI. 43. *Item, quum beneficium aliquod Eccleſiaſticum à laicis ſummæ vel mediæ conditionis primùm fundatur, dotaturq;, tūc quidam Epiſcoporum primam eius beneficij collationem ſibi vſurpare nituntur; ac beneficij ipſius dotationem, fundationemve priùs confirmare recuſant, quàm eorum intentioni acquieuerint, qui beneficia ex ſuis cenſibus dotarunt, hoc eſt, fundatores & patroni ſecundùm iura etiam Canonica Collatores ordinarij.*

CAP. XXXII. De confirmationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum non neceſſarijs, atq; alijs id genus grauaminibus.

CXXXII. 44. *Præterea ſi quis nouam fundationem beneficij Eccleſiaſtici fraternitatiſve erigere, atque eandem confirmandam petere velit, quamquam confirmationis huiuſce, de iure ac æquitate minimè indigeat: Nihilominus tamen fundatores beneficiorum præter modum, pecuniarum exactionibus, ad viuum vſq; adgrauantur, exugūturq;, ac per Romanorum ſtatuta, technas ac ſubtiles practicas, cò adiguntur, vt fundationes hæ omnes, quamvis minimi ſint precij, neceſſariò confirmentur. Quod ipſum non mediocre Germanorum laicorum eſt onus.*

Sal. Ann. 1522.

CAP. XXXIII. De ſubſidijs, & alijs oneribus, quæ imponuntur Eccleſiaſticis, qui collatores habent laicos.

CXXXIII. 45. *Deinceps, ſi quando contingit, Eccleſiaſticam perſonam à laico beneficio aliquo dotari, & Epiſcopo pro inueſtura accipienda præſentari; tum Epiſcoporum in ſpiritualibus, vt vocant, Vicarij, pro inueſtitura tantū erogant æris, præſentatis illis, quantum collatum beneficium in annuo habet prouentu; nonnunquam etiam, quantum bimo. Ita enim altera portio exigitur Epiſcopo, & reliqua interim Archidiacono, aut Archipresbytero pro inueſtitura, vel poſſeſſionis traditione.*

46. *Inſuper nimiumque pro viribus, illicitis exactionibus grauant Epiſcopi beneficia, ſubſidijs nimirum; nullæ licet ſubſint vrgentes, aut illud ſibi admodum poſtulantes cauſæ, hoc eſt, quod iura vocant, manifeſtæ & rationabiles: vltra etiam modum quem iura communia in caſibus euidentibus & neceſſarijs præſcribunt. Illis nempe caſibus, quibus ſolis iura ſubſidium ab Eccleſiaſticis erogari permittunt; fitque eius rei immodico vſu, vt Presbyteris vitæ neceſſaria, vix aut certè ne illa quidem relinquantur. Demum & in totius populi caput hoc redundat onus, quando ita premuntur Sacerdotes, vt reſpirare eis non liceat; ni viciſſim ſubditam plebeculam arrodant. Ita ex onere ſeritur onus, eouſq;, vt nullum gratis, niſi numeretur ſemper aliquid, miniſtrent ſacramentum, Eccleſiæque Chriſtianæ donum, ad quod tamen præcipuum gratis vt facerent, darentque ea gratis, quæ nullo ære redimi poſſunt, atq; ipſi gratis accepiſſent, ſacroſancti Euangelij atteſtantibus literis, tenebantur. At illud res ipſa fecit notorium.*

CAP. XXXIV. Quo pacto ſæpius, & quidem plures vnà indocti atq; inidonei ordinentur ſacerdotes.

CXXXIV. 47. *Item Archiepiſcopi, Epiſcopi, & eorum ſuffecti, quos Suffraganeos vocant, ſæpenumerò plures indoctos, idiotas, inhabiles, vileſq; ac lu-*

Sal. Ann. 1522. *ludicras perſonas, ad ſacerdotij functionem ordinant: qui cum ex miniſterio Eccleſiæ, ad quod minùs ſunt idonei, viuere non poſſint, tamen neque aliunde vel ex beneficijs, vel proprijs hæreditarijs bonis, vnde vitam Presbytero dignam ducere queant, habent; ſed tantùm imaginarios & fictitios, aliquando neq; illos quidem, ſecum ferunt titulos: fitque dehinc, aut ex innata malitia, morumve leuitate, aut qua premuntur egeſtate (ſicut res eſt maleſuada fames) vt inhoneſta exerceant commercia, ac munia ſacerdotibus obeant indigna. Quæ res anſam ſub inde miniſtrat, verè Eccleſiaſticos, ac Chriſto ſacros Presbyteros floccipendendi, nihiliq; faciendi; quòd illorum vita coram vniuerſo populo offendiculis ſit quam refertiſſima. Interim à quibuſdam Epiſcopis, ſex corruptis teſtibus ad hoc adhibitis, dignus ne ſit ſacerdotij munere, vel minùs, ordinandus, fides adhibetur; qui paſſim quoſq; indigniſſimos ſimulatis ſuis vocibus teſtantur dignos, adque hoc miniſterium aptos ferunt, & accommodos: licet non rarò nullus perſonatorum illorum teſtium, ordinandum, vel de facie, albus an ater ſit, nouerit; conanturq; ita Chriſtianis ſanctionibus, ſub perſona, fuco, atq; fictitio tantùm prætextu ſatisfacere.*

CAP. XXXV. De impenſis immodicis, quæ in Eccleſiarum conſecratione inſumuntur.

CXXXV. 48. *Inſuper quum Eccleſias ac templa, prætenua quidem, Deo dicant, ſacrantq; nonnulli Suffraganeorum, ſubditos vtcunq; per ſe egeſtate laborantes, ſuperfluis, minimèq; neceſſarijs ſumptibus onerant: neque hoc contenti, quin munera quoque, & illa quidem immodica, à miſera plebecula exigant.*

49. *Item quum laici Eccleſijs altaris donant ornamenta quædam, nec non caſulas, & ſimilia, ac in Dei honorem pecunias ſuas expendunt; nihilominus tamen Suffraganei exigunt, vt talia, priuſquam ad altaris conuertantur vſum, conſecrentur, pro qua demum conſecratione munera ac dona petuntur innumera. Quapropter æquũ eſt, vt tales abuſus deleantur. Et ſi Suffraganei fruſtra laborare nolint, vt vnicuiq; prælato aut plebano talia faciendi permittatur poteſtas.*

CAP. XXXVI. Quemadmodum cœmiteria nonnunquam ſuperfluà, ac minimè neceſſariò conſecrentur.

CXXXVI. 50. *Demum, ſi fortè ſine armis, pugnis tantùm & capillis in cœmiterio, duo, pluresve manus conſerant, aut rixam habeant, ad ſanguinis vſq; quantumvis modici effuſionem; tum ad interdictorum ſeueritatem recurrunt Eccleſiaſtici, nec priùs publica Chriſtianorum redintegrant officia, quàm ciuium vniuerſitas cœmiterium denuo magna pompa, grauibuſque nec profectò minoribus impenſis conſecrari curauerit, quàm primùm, vt prædictum eſt, ex prophano redditus ſit ſepulturæ is locus ſacer. Quæ omnia in caput tandem redundant laicorum.* Sal. Ann. 1522.

51. *Item, Suffraganei excogitauerunt, vt ſolùm ipſi, & nullus alius Sacerdos, laicis campanas baptizent: credunt deinde ſimpliciores, ita affirmantibus Suffraganeis, tales campanas baptizatas, dæmones & tempeſtates pellere. Quapropter innumeri plerunque adhibentur cõpatres: præcipuè verò, qui fortuna pollet, exorantur, qui baptizationis tẽpore funẽ, quo cãpana religata eſt, tangunt, ac Suffraganeo præcinente, (quemadmodum in paruulorũ baptizatione fieri ſolet) omnes pariter reſpondent, ac cãpanæ nomen ingeminãt, veſteq; noua, quemadmodũ & Chriſtianis fieri ſolet, cãpana induitur. Inde ad ſumptuoſa properatur cõuiuia, quibus præcipuè cõpatres, vt eò largiùs munera offerãt, adhibẽtur; nec non Suffraganei & eorum Capellani, cũ multis alijs miniſtris regaliter paſcuntur. Nec hoc ſatis eſt, ſed & Suffraganeo mercedẽ perſoluere neceſſe eſt; quam illi munuſculum vocare ſolent. inde euenit, vt aliquãdo etiã in paruis villis centum floreni in tali abſumãtur & expẽdantur baptizatione: quæ res non ſolùm ſuperſtitioſa, ſed etiã Chriſtianæ religioni contraria, ac ſimpliciorũ ſeductio, & mera eſt exactio. Verũtamen Epiſcopi, vt Suffraganeos vel viliſſima obærare poſſint mercede, talia & adhuc abſurdiora tolerãt. Res igitur tã nephanda & illicita meritò aboleri debet. Cæterùm ſi cõducere videtur, vt cãpanæ conſecrẽtur (ita enim Suffraganei baptizationẽ appellãt, quoties à prudẽtioribus de hac re interpellãtur) cõueniens erit, vt talis cõſecratio per vnũquemque fiat ſacerdotẽ: quemadmodum cũ aqua benedicta, ſale, herbis, & ſimilibus fieri ſolet: idque abſque precio & expenſis laicorum; ne populus ſimplex ita ſeducatur, & damno afficiatur, nec nõ auaritiæ deteſtandæ præſumptio euitetur.*

Quemadmodum de noua ſancti cuiuſpiam celebritate partem petant oblationis. CAP. XXXVII.

52. *Deinceps, ſi fortè per diœceſin Epiſcopi alicuius noua effertur Sancti celebritas, ad quẽ* CXXXVII.

paſſim

Sal. Ann. 1522.

paſſim concurſus fit; tum Epiſcopi aut Prælati eo loci, oblationum omnium tertiam, aut certè quartam partem ſibi vendicare præſumũt. Quod tamen domeſtica eorum, nempe canonica iura, eis non permittunt: quin oblata illa pecunia, potiùs ac meritò, pro totius Chriſtianæ reipub. neceſſitate, ad contrahendam militum manum, parandumque expeditioni bellicæ commeatum contra Turcas vſurparetur; aut certè in proximi verteretur in neceſſarios vſus.

CAP. XXXVII. Quo pacto illicitam à Prępoſitis monaſteriorum Deo dicatarum virginum petant pecuniam.

CXXXVII. 53. *Item, quum monaſteria aliqua Deo dicatarum virginum, per Præpoſitos, ſeu Præfectos gubernentur, qui tamen ad libitum officio hoc moueri poſſunt (neq; enim perpetua eſt hæc Præpoſitura) attamen Epiſcopi, acceptationi aut miſſioni Præpoſitorum, priùs conſenſum ſuum adhibere recuſant, quàm à monaſteriorum Deo deuotarum, ſimpliciumque puellarum, pecuniæ aliquid numeratum fuerit.*

54. *Item, quum Abbas quiſpiam, aut Abbatiſſa eligitur, coguntur iterum per Suffraganeos conſecrari; licet antea vt monachi & moniales ſatis ſuperque ſint conſecrati: Suffraganeumque cum ſuis regie excipere & paſcere, ac inſuper tanquam muneris loco, magnam perſoluere pecuniam. Quæ res non in paruum damnum cedit monaſteriorum; ſed etiam illorum, quibus monaſteria illa ſunt ſubiecta.*

Inſuper Pontifices Summi multa ac varia in curia Romana excogitarunt officia, quæ ipſi immani vendunt precio: quod quidem illi perſoluere coguntur, qui (ita iubente Pontifice) opera talium indigẽt officialium, ſeu ſcriptorum. Hinc euenit, vt natio Germanica, præcipuè verò Epiſcopi, quoties Pallium redimunt, aut confirmationem à Romano petunt Pontifice, ac multi alij oppidò aggrauentur, ac longè plùs, quàm elapſis annis, pecunias ſuas dilapidare compellantur. Hinc facilè conijcere licet, quot Romæ, quantique laquei pro emungendis nummis tendantur. Quapropter talia officia meritò deleri debent.

CAP. XXXVIII. De Archipresbyterorum officialibus, & alijs iudicibus Eccleſiaſticis.

CXXXVIII 55. *Archipresbyterorum quoque officiales, vt plurimùm ſunt indocti, inhabiles; inſuper & ſcurrilibus moribus, nihil penſi habentes, nihil auentes, quam pecuniam. Et quàm notoriè in publicis degant peccatis ac facinoribus, quotidiano diſcitur vſu: per quod laici, quos ob admiſſa debito modo corripere, ac in pietate Chriſtiana eruditiores & meliores reddere debebant, nedum ad meliorem frugem non perducuntur, ſed offendiculis onerantur potiùs. Adhæc per leues ac viles has officialium perſonas, in quorum conſcientijs, nulla Chriſtianæ pietatis viget ratio, ſed tãtùm ſceleratus habendi amor, laici miſerè ad viuum vſque in bonis ſuis ſpoliantur, ac deprædantur. Id quod Archiepiſcopi & Epiſcopi, ſi quidem reuera, quod dicuntur, eſſent, hoc eſt Chriſti paſtores, dubio procul, diutiùs non tolerarent, oueſque Chriſti talibus offendiculoſis paſtoribus curandas, minimè commendarent, paſcendaſve committerent.*

Quàm iniquè laici ad vetitum trahantur Eccleſiaſticorum tribunal. CAP. XXXIX.

56. *Ferè & hoc quoq; accidit, vt laici ad Eccleſiaſticorum, licet periniquè trahantur iudicium.* CXXXIX. *Nam etſi actor ſit Eccleſiaſticus, qui laicum reum iudicio conuenire intendit; attamen nihilo magis ordinariæ iuriſdictioni reorum deferunt, quin paſſim Eccleſiaſtici tales reos, laicos ſcilicet quaſcunque etiam ob cauſas ciuiles ac planè prophanas, ad Eccleſiaſticum tribunal, refragantibus omnibus etiam iuribus, pertrahere adnituntur: quum tamen maximè conueniat, ac iure non ignoto ſit, quàm expreſſim cautum, actorem rei forum ſequi debere.*

Quo pacto magiſtratuum ciuilium ſubditi, propter debitam pecuniam, ad iudicia Eccleſiaſtica pertrahantur. CAP. XL.

57. *Præterea Eccleſiaſtici ſæpiuſculè laicorum* CXL. *ſubditos, ob debita pecuniaria, coram Eccleſiaſtico iudice in ius vocant, ac prægraui eorum iudiciorum ordine eoſdẽ inibi vexant atq; excutiunt; licet à ciuili magiſtratu, adeoq; iudice reorum, ordinaria iuſtitia, iuriſque debita executio eis nunquam fuerit vel denegata, vel diutius, quàm par ſit, procraſtinata: fitque ita per actorum, vt dictum eſt, petulantiam, quia conuenti iudicio Eccleſiaſtico laici, varios ob caſus ius ſuum non ita examuſſim, vel deducere per imprudentiam, vel non probare per ſimplicitatem, nouerunt, neque edocti ſunt: vt in prætentam pronuncientur excommunicationem, ac irreparabile rerum ſuarum perducantur detrimentum, perniciem & iacturam.*

Quàm

Sal. Ann. 1522.

CAP. XLII. Quàm iniquè laicis iudicibus præbeatur occaſio, ab Eccleſiaſticis ſubditorum ſuorum petendi remiſſionem.

CXLII. 58. *Inſuper & alias ob plures cauſas illicitas, à iudicibus Eccleſiaſticis contra perſonas laicas emittuntur citationes ac monitoria: quãquam tales iudices, publica etiam teſtante fama, indubitanter perſpectum habeant, vocatos ita in ius additionis ſuæ terminos minimè pertinere, illoſq; ad ordinarium ius remittendos fore. Quod ipſum quoque laicorum ſubiectis, non ferendis modis, graue oneroſumq; eſt. Nam & ſi cauſæ, perſonæque tales, ad inſtantiam magiſtratuum ciuilium, ac laicorum ſuperiorum petitionem, tandem ad ius dicentis laici ordinariũ remittantur tribunal: nihilominus tamen ita immeritò in ius vocati, grauibus onerantur impendijs, damnis, & expenſis; eò quòd ſuperiores ſuos laicos, quos non rarò vltra centeſimum lapidem peregrè abeſſe contingit, primùm requirere, dehinc literas miſſionum ab his impetrare, ac tãdem eas ipſas iudicibus Eccleſiaſticis mittere cogantur: interim nuncijs ad hoc conductis erogãda eſt pecunia, ceſſandum à quotidianis operibus, ferendæ impenſæ itinerum atque Aduocatorum. Quòd ſi fortè ſuperiores ſuos in ius vocati non continuò implorauerint, miſſionum literas impetrarint, eaſque iudicibus prædictis tranſmiſerint ac ad monitionem vſque proceſſum interea ſit: iam Eccleſiaſtici iudices vel requiſiti hinc à vocatorum ſuperioribus, quæcunque tandem in ius vocati ſit cauſa, remittere tamen ita vocatos atque admonitos ad ordinarium iudicem laicum, recuſant.*

CAP. XLIII. Quòd iudices Eccleſiaſtici cauſas aliquot ſpeciales, licet laicas, ita ſuæ aſſerant ditioni, vt omnino eas remittere nolint.

CXLIII. 59. *Quum apud Eccleſiaſticum iudicem, ob decerptum virginitatis florem: item ob illegitimè natorum, hoc eſt, naturalium liberorum ſtatum, aut ſeruientium mercedem, viduarumve, quæcunq; etiam iudicio ventilantur cauſæ, contra laicos reos; tum vel interpellati à litigantium laicorum ſuperioribus, iudices Eccleſiaſtici, terminum tamen ſiſtendi iure, nec circumducere, aut ad ſe in ius vocatos, ordinariæ iuriſdictioni vt remittant, precibus induci poſſunt.*

Sal. Ann. 1522.

CAP. XLIV. De alijs illicitis & inutilibus expenſis cauſarum prophanarum, quæ ad Eccleſiaſticos iudices trahuntur, ac denuo remittuntur.

CXLIV. 60. *Adhæc, quum laicus coram iudice Eccleſiaſtico, vt ſuprà dictum eſt, iniquè in ius vocatur, demumq; ad petitionem iudicis ordinarij remittitur: tunc temere agentis procurator, qui tam malè in ius vocari fecerat laicum reũ, mercedem ſuam, à conuento, qui tamen temerè ad vetitum tractus fuit iudicium, petit; cogiturq; dehinc excommunicationis pœna innocens ille vltra expenſas, quas ob malam in ius vocationẽ in itinera, procuratores, proque impetrandis & redimendis miſſionum literis, neceſſariò expenderat. Adde & neglectorum operum æſtimationem, iam tandem nulliter & inique emiſſos iudiciarios perſoluere, atque ære non immodico; coactus licet, penſare. Namque id ſi fortè recuſet, anathematis præſtò eſt gladius: hoc ei minantur iudices Eccleſiaſtici fulmen, ni perſolutis vocationum literis, habendi libidinem ipſorũ ſatiauerint. Ita afflicto additur afflictio. Neque iuris ratio, quæ temerè in ius vocato, refundendas dictat expenſas, à iudicibus his curatur quicquam: imò iudiciarius hic eorum ordo, ex diametro, quod aiunt, cum iuris bonique & æqui ordine pugnat. Eum tamen iudiciorum ordinem, non ob aliud (quantum coniectura aſſequi licet) hactenus ita religioſè obſeruarunt, quàm vt plurima actorum turba per hoc ad eorum alliceretur tribunal. Ita ſemper iniquum, ex re, quæ meritò debebat eſſe æquiſſima, ſtudent facere lucrum.*

CAP. XLV. Quomodo nouæ per violentiam inſtituantur decimarum præſtationes.

CXLV. 61. *Item, etſi laici per multa annorum curricula de certis eorum prædijs, neque maiores, neque exiguas, vt vocant, præſtiterint decimas: tamen per Eccleſiaſticos iudices, apud quos iniquis litigant conditionibus, auctoritate iudiciaria, ita eis fit negotium, vt aut petitas iudicio decimas, ſiue quidpiam aliud eſt, quod ab eis exigitur, præſtare, perſoluereque, aut excommunicationis pœnam ferre, neceſſum habeant. Neque hoc temerè. Nam etiamſi à ſententia, quantumvis iniqua, Romam appellauerint, non eos fugit, quàm oneroſus atque diſpar ſit & illic litium euentus.*

Quo

Sal. Ann. 1522.

CAP. XLVI. Quo pacto Eccleſiaſticorum officiales, ac ſuffecti, & ipſi laicos ad Eccleſiaſticorum tribunal in ius trahere conentur.

CXLVI. 62. *Ad hæc omnia perſonæ Eccleſiaſticæ, nedum ipſæ per ſe laicos, quibus dictum eſt, ac ſimilibus caſibus, ad Eccleſiaſticos trahunt iudices; verùm etiam Eccleſiaſticorum officiales, ſuffecti, procuratores, domeſtici famuli, famulæque, ac denique ipſorum etiam ſubditi, conantur, adnituntur que idem iuris, quod eorum habent ſuperiores, ſibi ipſis quoque aſſerere, vſurpareque.*

CAP. XLVII. De cauſis iniuriarum, quæ coram Eccleſiaſtico ventilantur iudicio.

CXLVII. 63. *Tandem, ſi quando ex facto euenit, vt Eccleſiaſticus contra laicum iniuriarum agere, illatas forte verbo iniurias, intendat: conatur Eccleſiaſticus iudex eas ipſas quoque ſuæ iuriſdictioni vendicare cauſas quo denuo reus iudicio conuentus, ordinario iuri: ſuæque eripitur atque eximitur iuriſdictioni.*

CAP. XLVIII. Quemadmodum cauſæ prophanæ, ob interpoſita iuramenta, Eccleſiaſtico tribunali aſſerantur.

CXLVIII. 64. *Inſuper & id præſumunt officiales, ſi quãdo in cauſis prophanis, ac inter perſonas Eccleſiæ minimè ſacratas, dicataſve, ſed omnino laicas, data fide, ſeu præſtito iuramento, verbo, vel in ſcriptis, pacta, obligationes, contractus, vel promiſſiones factæ ſint, vel celebratæ: quòd eam ob rem, atque huius prætextus ratione, tales prophanæ laicæq; cauſæ coram ipſis potiùs, quàm ordinario iudice agitari debeant: quæ noua Eccleſiaſticorum techna vſu ſi increſceret, ac diutius toleraretur, iam actum foret de ciuili cauſarum auditorio; quòd omnes prophanæ ciuileſq; cauſæ, contractuum atq; tranſactionum, hac via neceſſariò ad Eccleſiaſticos pertraherentur. Quis enim contractus, quæ tranſactio, quæ denique inter paciſcentes conuentio, quæ non ſit ſolemni ita ſtipulatione, aut promiſſione vallata? Illuc nimirum rerum veniremus, vt in totum ciuilia eluderentur iudicia. Quod nedum contra æquitatem ipſam, contra omnia iura ſcripta, ſed & ciuili magiſtratui intolerabile foret. Nam vt demus hoc interim Eccleſiaſticis iudicibus, de periurio commiſſo, notionem vt habeant: nihilo magis per id cauſæ ipſius principalis, contractus putà, aut tranſactionis, quamobrem ille peierauit, iudices competentes erunt; quin periuros illos ob religionis tranſgreſſionem manifeſtariam tantùm iudicio conuenire poſſent, ac Canonicam huic indicere mulctam; reſeruata tamen ciuili magiſtratui, qui periuros pœnali iudicio ſecundùm ciuiles ſanctiones plectere ius habet, commiſſa ſibi ob id pœna.*

CAP. XLIX. Quonam modo reformationes ſuorum iudiciorum, nec obſeruent, neque manu, hoc eſt, executione debita tueantur.

CXLIX. 65. *Præterea, nedum rationi conſona iura cõmunia, ſed & Eccleſiarum aliquot cathedralium propriæ Reformationes notoriæ, in quam plurimis caſibus negliguntur, irritaq; fiunt, dum contrarius ex eiſdem ducitur ſenſus. Exequuntur enim hæ contra hos tantùm, quorum poteſtatem ipſi non reuerentur. At ſi res potentiores, aut eos, quibus manu pares eſſe non poſſumus, contingat, tum ex iuris ſui rigore remittunt quippiam. Nam etſi maximè Epiſcopi locorum ordinarij, aut eorum officiarij à vim paſſis, aut his, quibus contra ius iniuriæ illatæ ſunt, pro debita iuſtitiæ executione, ac talium grauaminum onerumve abrogatione interpellentur. Sepe numero tamen euenit, vt querela hæc, vel Præpoſitum contingat, vel Decanum, vel certè Capitulum, ac Eccleſiæ canonicos Capitulares, hoc eſt eos, contra quos loci huius ordinarius Epiſcopus vtcunque æquitati fauens, remorante eum hac via, in electione præſtita, ac promiſſa fide, meritam tranſgreſſionis emendationem atque mulctam præſumere, eiſque infligere non audeat.*

66. *Ad hæc Epiſcoporum ac Prælatorum nõnulli, pro tempore Eccleſiaſticorum iudiciorum Synodorumq;, ad ſuum libitum, ſpeciales quaſdam & prætentas ferunt reformationes, ordinationes, leges, atq; ſtatuta, quæ ipſa multifariã à iure communi diſſident, ac ſeorſim toti ciuili magiſtratui, & iuriſdictioni, eorumq; ſubditis derogant, atq; perniciem adferunt. Neq; vllam præ ſe ferentia æquitatem, quòd ad Eccleſiaſticorũ priuata compendia, inq; laicorum necẽ ſint excogitata atq; efficta. Eamq; ob rem laici ea acceptare, aut his parere minimè tenentur. Nã neq; ipſi Eccleſiaſtici domeſticas has ſuas conſtitutiones ſecundùm rationabilem, ſynceriorem, ac germanũ æquitatis intellectum, obſeruant. Etenim tametſi reformationes huiuſcemodi, vt plurimũ ſtatuant, coram officialibus, eorumq; Eccleſiaſticis cõſiſtorijs, manifeſta ac notoria tantùm, minimeque occulta delicta, debere agitari atq; ventilari,*

Sal. Ann. 1522. *tilari, conſiderarique in primis ſalutem animarum, & honorem Ieſu Chriſto debitum, potiùs quàm pecuniarum lucrum: Attamen eius rei oppoſitum, atq; ex profeſſo contrarium, negotium ipſum, innumeræq; aliæ coniecturæ ac circumſtantiæ plus liquido manifeſtum reddunt: id quod partim ex ſuprà enumeratis, partim ex recenſendis ſequentibus articulis, vtcunque ſuccinctis, cuique æſtimare facile eſt.*

CAP. L. Quemadmodum plus pecuniæ, quàm pœnitentiæ peccatoribus imponant.

CL. *67. Patrum canonibus ſancitum eſt, ſpiritualibus ac manifeſtis peccatis, ſpiritualem pœnitentiam ſeu ſatisfactionem imponendam eſſe; vt ſic non pecuniæ lucrum, ſed potiùs animarum ſalus quæri intelligatur. Id quod ſupra etiã memoratum eſt. At Eccleſiaſtici iudices & officiales, perperam animaduerſis canonibus, dictam ſpiritualem pœnitentiam in tantum exaſperant, aggrauant & augent, vt laici, priuſquã eam ſatisfactionem acceptare velint, pecunia magis ſibi ab ipſis immunitatẽ comparent: quare laici multum premuntur, Eccleſiaſtici contrà multum ditantur, vtputa, qui in ſuum priuatum commodum, & partis agunt munus, & iudicis; quod tamen omnibus iuribus diſſonum eſt.*

CAP. LI. Quem in modum honeſti viri & mulieres ex falſo rumore ſæpenumero grauentur.

CLI. *68. Accidit etiam nonnunquam, quòd viri & mulieres corã Officiali, ſeu Eccleſiaſtico tribunali, vt delictorum ac ſcelerum ſontes, ſiniſtro rumore deferuntur, ac non priùs per ſententiam innocentes declarantur, quàm vbi ſe iureiurãdo purgauerint: qua purgatione facta, in priſtinum æſtimationis ſtatum reſtituuntur. Et quamvis tam ſiniſtrè denuntiatis incõmoda, damna, impenſæ, eam ob rem perpeſſæ, meritò refundi deberent: nihilominus tamen innocentes ipſi in dictæ reſtitutionis fidem Officiali, Eccleſiaſticove iudici, duos aureos, cum aurei quarta parte, pro abſolutorijs literis, nequaquã neceſſarijs, numerare coguntur. Et hoc eſt, cur Officiales, Eccleſiaſticique iudices, tam iniquas & illicitas, rumoris falſi, atq; delationis cauſas, ita adſectentur, ad ſe euocent, ſoliſque ſibi vendicent. Id tamen ipſum non ſine magna ſingulari, ac graui iactura mortalium cõmittunt. Nam ſæpius euenit, quòd altercantes mulieres, ira, inuidia, ſeu alio quopiam adfectu commotæ, inuicem ſe maledictis impetant, conuicijs proſcindant, in tantumque demẽtentur, quòd altera alterã vel adulterij, vel magicæ artis reã inſimulet. Quod vbi corã Officiali deducitur, tũ illa, quæ per iracundiã alterã probris ac cõtumelijs adfecerat, iuriſiurandi ſacramento ſeſe excuſare, ac purgare cogitur: ſcilicet, quicquid iniuriarũ in alteram profuderit, id omne nõ ex certo animi propoſito, ſed ira, inuidiaque profectũ eſſe: pariq; modo altera, quæ adulterij, necromantiæve inſimulata eſt, ſuam innocẽtiam, quodq; prædictorũ nequaquam ſibi conſcia ſit facinorum, iuramento detegere iubetur. Interim verò quilibet apud ſe facilè conijcere poteſt, in talibus cauſis, mulieribus, ſiue memoratorum ſcelerũ vacuæ ſint, ſiue iiſdẽ criminibus obnoxiæ, iurandũ tamen eſſe, dũmodo famam, honorem, ac vitalem ſpiritum retinere velint. Qua ex re non ſolùm illicitũ pecuniarum lucrum quæritur: ſed & deliberatæ peierationes extorquentur, ſecularesque iuriſdictiones, & iudices in eorum mulctandi officio impediũtur. Et ſic cõtra rationẽ, impunita remanere delicta neceſſarium eſt.*

Quomodo Eccleſiaſtici iudices illicitũ ex iactatis matrimoniorũ cauſis petãt intereſſe. CAP. LII.

69. Deinceps, quum inter virum atq; fœminam, de pangendis matrimonialibus ſacris illis fęderibus, negotium, quod inter eos fortè agebatur, eouſq; proceſſit, quòd ab alterutra partiũ matrimonij contractus, ex pactionibus illis, ratus, perfectuſq; prætendatur; at inficietur altera: datumque eſt, ab altera alteri perſonæ veſtium, aut alioqui mundi muliebris quidpiam, tanquã arrabonis loco, adſeruandum ac cuſtodiendum: accidatq; deinde, vt aſſerti contractus, matrimonij ſcil. contemplatione, contrahentes, ad Eccleſiaſticum perueniant tribunal, ac ibidem per ſententiam, in diuerſum ire iubeantur, ſeparenturq;: Tum iudex ille Eccleſiaſticus iniquè hoc ſibi in hac cauſa prætendit intereſſe: nimirum, vt omnẽ, quicquid hinc inde arrabonis vice traditum ſit, vt hoc ſibi cedat tanquam commiſſum. Id quod nedum contra omnia iura, ſed & æquitatem atq; honeſtatem ipſam proculdubio eſt. CLII.

Quibus artibus iudices Eccleſiaſtici cauſas promiſcuas, quæ coram ciuili etiam magiſtratu in iudicium deduci poſſunt, ſibi ſolis vendicare conentur. CAP. LIII.

70. Item, licet complures ſint cauſæ ita promiſcuæ iuriſdictionis, vt ſecundùm iura communia, apud Eccleſiaſticos atque ciuiles iudices agitari & puniri poſſint: ſæpiuſculè tamen CLIII.

Sal. Ann. 1522. *euenit, vt quum ciuiles iudices, conceſſam ſibi hac in re prouinciam & iuriſdictionem adminiſtrare atq; exercere velint; quòd id ipſum ne faciant, per iudices Eccleſiaſticos, ſub excommunicationis pœna eis interdicitur, prohibeturq; Quod ſi diutius perſtare deberet, breui Eccleſiaſtici iudices à ciuili magiſtratu, eiuſq; iuriſdictione, quaſcunque etiam cauſas eximerēt, ſuæque aſſererent ditioni. Id quod Cæſareæ Maieſt. cæteriſq; Imperij Romani membris graue eſt, & intolerabile. Et quanquam ſecundùm iura communia, manifeſta periuria atq; adulteria, maleficiorumq; præſtigia, ac conſimiles aliæ cauſæ, per Eccleſiaſticos ac ciuiles iudices, promiſcuum, vter occuparit, ciuiliter pro tempore plecti poſſint, habeatq; ita præuentio hac in re locum: Attamen Eccleſiaſtici iudices contra omnia iura, cauſas huiuſcemodi, ſolis ſibi, ſuæque iuriſdictioni vſurpare conantur. Quod ipſum iuriſdictioni ciuili non ferendum eſt onus ac grauamen.*

CAP. LIV. Quemadmodum cauſæ prophanæ, ſub prætextu denegatæ executionis, ad Eccleſiaſticorum conſiſtoria trahuntur.

CLIV. 71. *Item, ſi quando perſonæ laicæ in cauſis etiam omnino prophanis, à iudicibus Eccleſiaſticis citationes impetrare conentur, prætendantque magiſtratum ciuilem, debitam ſibi iuris executionem facere neglexiſſe; antequam ſummariè ſaltem per euidens aliquod docuerint inſtrumentum, iuſtitiam, vt queruntur, ſibi denegatam: citationes tamen, atque alij iudiciarij proceſſus à iudicibus Eccleſiaſticis, ad ſolam petentium querelam his decernuntur. Quod ſi deinceps ad petitionem, vel ciuilis iudicis, aut partis in ius vocatæ, cauſæ huiuſcemodi ad ordinarium tribunal remittantur, præfigitur ciuili iudici per breue quatuor hebdomadarum, putà tēpus fatale; intra quod, actoris intētionis & querimoniæ ex integro, atq; ex aſſe executionis ordine ſatisfaciat. Ac ſi in arctiſſimo ita præſtituto termino, ſententia diffinitiua, aut non fertur, vel executioni lata non mandatur; libertatem dehinc iudex Eccleſiaſticus dat actori laico, coram ſuo tribunali, vlteriùs procedendum: fitque non rarò, (mirum hoc auditu) vt cauſa, quæ intra menſis ſpacium coram ciuili conſiſtorio agitari, peragique debebat, quòd hæc eadem apud Eccleſiaſticum iudicem triennio, aut eo amplius, pendeat hinc indeciſa.*

72. *Aiunt præterea iudices Eccleſiaſtici, in talibus caſibus, prophanas ad ſe cauſas pertrahere ſibi licere; ſi magiſtratus ciuilis in adminiſtranda iuſtitiæ executione negligens inueniatur: è regione tamen ferre minimè poſſunt, vt in pari caſu idem iuris cum eis ſeruetur; nimirum vt in cauſis Eccleſiaſticis quiſpiam, de neglecto cultu iuſtitiæ ab Eccleſiaſticis apud laicos, aut ciuiles magiſtratus conqueri, ac iuſtitiam ſibi per ciuiles magiſtratus adminiſtrari poſtulare poſſit: quanquam iura communia in genere diffiniant, ſtatuantque quo pacto canonica ciuilibus, & è regione canonicis ciuilia iura opem ſuppetiaſque ferre debeant.*

Quo pacto Eccleſiaſtici iudices, ſeculares cauſas, prætenſæ præſcriptionis prætextu, in ſe transferre conentur. CAP. LV.

73. *Neque hoc pleriſque longa experientia rerum ac eruditione doctis probatur, quòd iudices Eccleſiaſtici quibuſdam in locis diuturni vſus, quaſi poſſeſſionis, adimpletæq; præſcriptionis prætextu, laicorū controuerſias corā ſe dirimendas hactenus præsūpſerunt. Nam ea ex re Cæſarea Maieſt. Romanumq; Imperium haud parū detrimenti patitur: vtputa, quòd nō minimus Imperij honor, tēporalis ſcilicet iuriſdictio, memoratæ præſcriptionis velamine minuitur, attenuatur, & penitus ab Imperio ad Eccleſiaſticos transfertur. Quod contra recepta, apertaq; iura, nemo eſt qui neſciat: quibus ſtatuitur et cauetur, vt nulli præſcriptioni, quantūuis lōgæ, aduerſus præeminētē, tū Papæ, tū Cæſar. poteſtatē ſit locus.* CLXV.

Quàm iniquè homicidæ, alijque peccatores, ab Eccleſiaſticis iudicibus duplici afficiantur pœna. CAP. LVI.

74. *Quum diuina humanaq; iura vetent, vt nemo duabus cædi debeat virgis: meritò pleriq; quibus cerebrū eſt, nōnullarū Cathedraliū Eccleſiarum odioſa ſtatuta, peruerſoſq; mores, quibus vtriuſq; ſexus homicidas, reliquoſq; maiorum, minorumve criminū reos hucuſq; vexarunt, deteſtātur. Nam hactenus ſeruata eſt conſuetudo, quòd homicidij, ſimiliumq; facinorum, quos caſus Epiſcopis reſeruatos vocant, rei, peracta in aurem confeſſione, publicam pęnitentiā, in totius populi conſpectu, cum magno ſuorum ipſorū dedecore, ignominia, infamia, ſubire coguntur. Quæ quidē pœnitentiæ formā nō vſquequaq; improbanda foret; vtpote, quæ ad primitiuæ Eccleſiæ inſtituta quàm proximè accederet: ſi hac cōtenti, non etiam ampliorem iuſto, peccantibus e-* CLVI.

gregij

Sal. Ann. 1522. *gregij iſti, maleque officioſi Officiales extorquerent pecuniæ ſummam, duplicique delinquentes punirent pœna. Qua re, mirum quàm multi offendántur. Quòd quàm iniquum, quamque longè à Christi inſtituto ſit alienum, cuique ſanæ mentis coniectura aſſequendum relinquitur.*

CAP. LVIII. Quomodo funeſtæ pecuniæ intuitu Eccleſiaſtici iudices & officiales illegitimas cohabitationes & vſuras tolerent.

CLVII. 75. *Præterea Officiales, auri ſacra pellecti fame, vſuras ac pecuniæ fœnus illicitum, nedũ non interdicunt; ſed & paſſim permittunt, fouent, ac tutantur. Inſuper etiam Clericos, Religioſoſque & ſeculares, accepto ab eiſdem annuo cenſu, publicè cum ſuis concubinis, pellicibus, & alijs id genus meretricibus, illegitimè cohabitare, liberoſque procreare ſinunt. Quæ res ambæ quantum ſcandali, periculi, detrimenti, fortunis, animabus & corporibus pariant, non eſt quod recenſeatur; quum nemo id, niſi talpa cæcutiat magis, non videat.*

76. *Præterea contingit aliquando, quòd alter coniugum, belli, votorum, ſeu alia quapiam cauſa peregrè proficiſcatur; qui ſi aliquanto diutiùs, quàm alterius conferat libidini, abſit: tum Officialis alteri (pacta tamen numerataque priùs mercede ſatis magna) cum alia victitare perſona ac cohabitare indulget, non præhabita priùs diligenti veſtigatione, ſuperſteſne ſit abiens coniunx, an naturæ conceſſerit. Et ne hoc eorum factum à quoquam calumniari poſſet; tolerantiæ nomen ei, non ſine magno mortalium offendiculo, ſanctiq; matrimonij cõtẽptu indiderũt.*

CAP. LVIII Vt officialium delegati, ſeu Synodales iudices, illicitos è domibus cenſus exigant.

CLVIII. 77. *Et hoc Germanis poſthac non ferendum onus eſt, quòd Synodales iudices quarundam regionum oppidula & vicos oſtiatim peragrant, cenſuſq; è domibus annuos exigunt: quos vbi tenuis plebecula perſoluere nequit, protinus cum excommunicationis iaculis petitur; ad eorum quoq; cenſuũ ſolutionẽ cũ ſumma rei familiaris attritione, atq; attenuatione compellitur. Quod ſi penitus amoueri non poteſt grauamen, aliquo ſaltem fine ad æqui bonique regulam coërceatur.*

CAP. LIX. Quo pacto hebdomadaria pecunia à mechanicis exigatur.

CLIX. 78. *Pari modo proximè memorati iudices, quibuſdam in locis à ſtabularijs, piſtoribus, lanijs, propolis, molitoribus, eiuſdemque generis mechanicarum artium profeſſoribus, qualibet ſeptimana pecuniam poſtulant: qua fortè per inopiam non ſoluta, Eccleſiaſtico ad id fulmine adiguntur.* Sal. Ann. 1522.

De iniquis Eccleſiaſticorum areſtis, vt vocant, & impedimentis. CAP. LX.

79. *Non mediocrem item ſuperioritatis & iuriſdictionis tẽporalis iacturam Cæſarea Maieſt. Romanumque Imperium patitur, ex malè obſeruata hactenus, pluribus in locis, diuturna conſuetudine: videlicet, quòd Eccleſiaſtici iudices, vbi inter duos laicos ciuilis orta eſt controuerſia, ad alterius partis petitionem literas inhibitorias emittunt, quibus alteri partium mandant, ne inceptam coram ſeculari, ſeu ſuo iudice, litem proſequatur; ſed in Eccleſiaſtico coram ſeſe iudicio compareat. Cui mandato vbi pars vocata obtemperat, & ſe ſuamque cauſam ad ſuum ordinarium iudicem remitti in iudicio petit: tum primùm libellus, articuli, exceptiones, replicæ, duplicæ, & cæteræ id genus ſcripturæ, vtrinque producuntur; quibus, reliquiſque actis & agitatis, perlectis, numeratiſq; potiùs, quàm ponderatis, tandem interloquuntur, controuerſiam coram ſe ventilandam eſſe. Cui ſententiæ propterea, velint, nolint, parere coguntur: etiamſi maximè ea grauentur: quòd appellationem ad curiam Romanam interpoſitam, ob immenſos, tum labores, tum impenſas proſequi nequeant. Neque enim cuiuis commodum eſt, adire Romam. An verò talibus, ſimilibuſque ſententijs ſe ſuſpectos reddant, necne; cuilibet bono viro conijciendum relinquitur. Vnum hoc certum eſt, quòd ex iam enumeratis caſibus, copioſa ciuilium cauſarum ſylua, iuriſdictioni temporali, ac ciuili magiſtratui, indies ſubtrahitur atque eripitur. Quòd non ſolùm iuribus & æquitati, ſed etiam rationi contrarium eſſe dignoſcitur.* CLX.

Vt pleriq; inopia rerum laborantes, iudicialium expenſarum, variorumq; laborum & expenſarum formidine, ad iniquas tranſactiones compellantur. CAP. LX.

80. *Neque hoc ſilentio præteriri poteſt, quòd Eccleſiaſtici iudices & officiales, miſeros, ac ſimplices laicos, multoties ad illicitas, iniquas, ſibiq; penitus nociuas tranſactiones adigunt. Nã ſi quando eos in ius vocant, magna patronorũ, tabularum forenſium, ſcribarum, cæterorumque,* CLXI.

Fff 2 quo-

Sal. Ann. 1522.

quorum opera in iudiciario ſtrepitu vti neceſſum habent, caterua, nullo ære conducta, ſed gratuito conquiſita, ſtipati aſtant, ac pauperibus illis prophanis, egeſtate preſſis, id hominum genus, non niſi magno conducendum eſt. Quod vbi fortunæ, reiq; familiaris tenuitas denegat, ni penitus cauſſa, etiam iuſtiſſima, decidere velint; tranſactionem ſeu compoſitionem vtcunq; iniquam inire coguntur. Qua re quantum grauentur tenues, nemo eſt qui non facilè id deprehendat.

CAP. LXII

In multis Eccleſiaſticorum conſiſtorijs, externi cauſarum patroni & procuratores, quàm non admittantur.

CLXII. 81. Et hoc hactenus Germanis multum adtulit moleſtiarum, quòd per Eccleſiaſticos iudices, nulli coram ſe litigantium partium, alijs vti aduocatis & procuratoribus licet, quàm ijs, quos ſibi ſuiſq; tribunalibus, iuriſiurandi ſacramento obnoxios reddiderunt. Ne tamen nihilominus externi patroni à litigatoribus conſulantur; adeò breues præfigunt terminos, vt adiri nequaquam poſſint. Et ne hoc eorum factum tanquam æquitati contrarium, improbari poſſit, ſe id in cõtrouerſiæ commodum facere adfirmant; quò celeriorem per conſiſtorij iuratos procuratores ſortiantur exitum. At interim meridiana luce clariùs apparet, qua ſinceritate, quave dexteritate id agatur. Nempe compertum habent officiales, ſe ſuoſq; ſuperiores, à conſiſtorij aduocatis, & procuratoribus timeri. Et ſic miſeri clientes patronorum verecundia, dum quod cõtra Eccleſiaſticum iudicem, eiuſve ſuperiores, quacunque in parte facere poſſent, in iudicio proponere non audent, vltrà quàm par ſit, negliguntur. Quam rem Eccleſiaſtici Prælati, ijq; quorum in territorio tale exercetur conſiſtorium, quum prohibere, penituſq; eradicare deberent, tutantur, ac defendunt. Et id potiſſimùm eam ob cauſã; vt ſi quãdo ipſis, ſubditiſve ipſorum in Eccleſiaſtico iudicio experiundum ſit, dicti aduocati, & procuratores contra ipſos, exteris ſuis cliẽtulis, ea quæ cauſæ ſibi poſtulat neceſſitas, conſulere, in iudicioq; proponere vereantur: ne, ſi diuerſum facerent, Prælatos ſibi infenſos, iudiceſq; ſibi malè propitios redderent: talemq; aduocatorum, & procuratorũ metum ac formidinẽ, nemo eſt, cui vel cerebrum ſit, cui læua in parte mammillæ cor ſaliat, qui inficias ire vel poſſit, vel audeat; cum id quotidiana experiẽtia adeò eluceat, vt nemini non, niſi fortè ijs, qui nondum ære lauantur, ſit exploratiſſimum. Quotus enim quiſq; eſt aduocatorum, vel procuratorum qui non amore, ſpe, timore, inuidia, fauore, muneribus, ſimilibusve adfectibus, animo non aliquando, rectoq; conſilio deijciatur: quũ nihilominus vacui etiã prædictorũ adfectuum, vix tandem precibus, pretioue inducũtur, vt nihil diligẽtiæ, laborũ nihil, nihil itẽ clientuli iuriũ prætermittatur. Enumeratis verò grauaminibus, nulla præſentior adhiberi poſſet medicina, quàm ſi litigãtibus à certo vſque limite, & aduocatos, & procuratores vel cõſulere, vel ad conſiſtoriũ ſecum adducere liceret.

Sal. Ann. 1522.

Quam leuibus ex cauſis, pauperibus Sacramenta denegentur.

CAP. LXIII.

82. Et hoc facinus Chriſti diſciplinam profitentibus penitus abominandum eſt: quòd ijs, quibus eſt res anguſta domi, vbi parochis & Eccleſijs ad diem ſolutioni deſtinatum, per inopiã ſatisfacere nequeunt, corpus & ſanguis Chriſti, ſacroſancta, quæ nobis ſacramenta in remiſſionẽ peccatorũ reliquit, denegãtur: immò quaſi pignus præcluduntur; non attenta vlterioris dilationis, & quidem modicæ, petitione. Quanquam tales ſimileſq; cauſſæ, pro conditione ſua, coram ſecularibus iudicibus, meritò finem ſortiri deberent. CLXIII.

83. Item, quum agricolæ Autumni tempore vindemiare cupiunt, quemadmodum vnicuique ad ſui vtilitatem facere licet: nihilominus tamen, ſi vindemia illa diſplicet ſpiritualibus (vt vocant) qui eo loci decimas poſſident, miſeris inhibent agricolis: ſub excommunicationis, nec nõ pecuniarum pœna, ne vuas colligant priùs quàm ipſi id permittant: vnde euenit, vt ſæpe pauperculi illi non paruo afficiantur damno; cùm vuas ſuas, quas maximis expenſis, & laboribus per integrum coluerunt annum, vindemiare non audeant. Etiamſi illi interim vel frigore pereant, vel etiam marceſcere incipiant; tantummodo ob decimarum lucrum iniquum, ſæpius etiam ob inuidiam deteſtandam. Quæ ambo contra iura ſunt diuina, fas, & omnem pietatem, ac ideo meritò aboleri debent.

Vt Eccleſiaſtici Synodis abutantur.

CAP. LXIV

84. Nec minùs moleſtum, graue, & Germanorum vulgo intolerabile eſt: quòd Synodales iudices pluribus in locis quotannis id, quod non niſi poſt annorum intercapedinem vt fieret, iuribus permiſſum eſt, obequitant, ac mirum, quid fictitiæ iuriſdictionis, aut ſuperioritatis exer- CLXIV.

ceant:

Sal. Ann. 1522. *ceant: hoc interim conſtat, ſimplici popello hac via, neceſſaria ſubtrahi alimenta: neq; talis peragratio eo fine & ordinatione, qua ſummis Pontificibus inſtituta eſt, obſeruatur. Nam pro pœnis & correctionibus, quibus facinoroſos & criminum ſontes à vitijs deterrere deberent, pecuniam præſentem & numeratam, & quicquid denique eis in lucellum cedere poteſt, exigunt. Id quod in ſuperioribus etiã partim memoratũ eſt.*

CAP. LXV. De Canonicis Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum, parochis, reliquiſque religioſis perſonis: & primùm, Quòd iniquis nexibus Epiſcopi & Prælati à ſuis adſtringantur Capitulis.

CLXV. 85. *Illicitum eſt & hoc, planèq; iniquum, quod Canonici Eccleſiarumq; Cathedraliũ præeminentiores, quorum in manu potior Eccleſiaſticorũ iudiciorum, Synodorum, ac cenſurarum pars ſita eſt; reliquique Collegiatarum Eccleſiarum canonici, quibus eligendi ſuperiorem poteſtas eſt, nullum in Epiſcopum, ſeu Prælatum eligunt: niſi ſe prius iureiurando aſtrinxerit, planeq; deuouerit; literis quoque interdum, inſtrumentiſq; ſigillo probè munitis cauerit, ipſis ipſorumq; ordinatis iudicibus ac officialibus in nullo, vtcunq; graui, vel inhoneſto, intolerabilique propoſito, ſe contrarium fore. Ac ſi quando eos delinquere contigerit, impunè eis per ipſum, vt hoc ſibi liceat.*

CAP. LXVI. De non ferendis vltrà oneribus, quibus miſera plebs pro Sacramentorum adminiſtratione grauatur.

CLXVI. 86. *Pleræq; item parochiales Eccleſiæ, Monaſterijs, Prælatis, alijſque Eccleſiarum duratarũ Rectoribus, incorporationis, vt vocant, ſeu alio quopiam iure ſubditæ ſunt: quas & ſi ipſi iuxta canonum conſtitutiones, per ſeſe prouidere teneãtur, vbi alijs elocant gubernandas, beneficiorum dotem, ac decimas, plerunque ſibi ipſis reſeruãt: & præterea tam enormibus abſentiarum penſionibus grauant, atque onerant, vt conductitij iſti Parochi eorumque Vicarij, Viceplebani, Sacellani, Coadiutores, cæteriq; conductarum Eccleſiarum adminiſtratores, competentem ſuſtentationem, decentiaq; alimenta inde habere nequeãt. Quo fit, (nam vnde conductitij iſti paſtores & mercenarij viuant, habeant oportet) vt illicitis exactionibus, locatas ſibi ouiculas, miſerè deprædent, dilanient, omnemq; ſubſtantiam tantum non abſumant. Poſtquam enim altaris, baptiſmique ſacramenta adminiſtranda ſunt; Primus, Septimus, Triceſimus, Anniuerſariuſq; dies peragẽdus, auricularis confeſſio audienda, mortui ſepeliendi: & quicquid deniq; reliquum eſt, quod ad vita functorum ceremonias obſeruandas operæ precium arbitrantur, id gratuitò faciunt nequaquam, ſed tantum exigunt, extorquent, exugunt, quantum miſera plebecula vel cum ſummo ſuo diſpẽdio præſtare difficulter poteſt: taleſq; exactiones vſque ad ſũmum indies augent atque accumulãt; nõnunquã quoque excõmunicationis fulmine ad ſoluendũ adigunt: pleroſque etiam, quibus per inopiã nõ licet, ad celebranda vita functis obſequia anniuerſarios, & alias eius farinæ ceremonias, compellere conantur.*

CAP. LXVII. Vt ob miſſas cantandas & legendas, pecuniam exigant.

CLXVII. 87. *Neque hoc præteriri poteſt, quum non minimum ſit, quo Germani premantur, quòd Sacerdotes, vnius diei miſſas, ad quas aliàs fundationis, ſeu annuæ recordationis iure, celebrandas obligantur, non ſemel, ſed quater, quinquies, pluriesve venundant: vnaque miſſa, duobus, tribus, aut pluribus Eccleſiaſticis beneficijs ſatis facere præſumunt.*

CAP. LXVIII. Quo pacto Parochi, à ſuis parochialibus ſubditis, vbi domicilium mutare voluerint, pecunias emulgeant.

CLXVIII. 88. *Item, ſicubi curatæ Eccleſiæ ſubditus domicilium matrimonij, ſeu alterius cuiuſpiam negotij cauſſa, in aliam transferre parochiam, animo ſecum volutat; non prius migrandi licentiam à Parocho impetrat, quàm vbi pro teſtimonialibus literis aureum numerauerit nummum: quem ſi ſoluere vel nolit, vel egeſtate preſſus non poſſit, ſacramentorum interdicto, donec ſatisfecerit, mulctatur. Ex hoc itaque, ac cæteris ſuprà tactis oneribus & grauaminibus facilè deprehenditur, mirumq; in modum emicat, quod omnia Rom. Eccleſiæ ſacramenta ijs, qui opibus abundant, auro venalia ſunt: reliquis verò, quibus minimum ſuppetit nummorum, & iniquus eſt Plutus (ille diuitiarum Deus) non impartiuntur, ſed penitus denegantur.*

CAP. LXIX. Quemadmodum ſepulturæ ius quibuſdam mortuorum cadaueribus, magno ſit ære redimendum.

CLXIX. 89. *Papalibus ſtatutum eſt canonibus, vt ijs dumtaxat publici iuris Eccleſiaſtica denegetur*

ſe-

Sal. Ann. 1522. *ſepultura, quos manifeſtis & planè notorijs, mortalibus, vt vocant, peccatis, ex communi hac mortalium ſorte, abſque dominici corporis ſanguinisve participatione migraſſe compertum ſit. Verùm Eccleſiaſtici, non animaduerſis talibus Pontificum decretis, forte fortuna, aqua ſuffocatos, gladio, ruina, vel incendio occiſos, iugulatos, atque vita caſu functos, etiamſi non pateat, peccatis mortalibus obnoxij deceſſerint, nec ne, in Eccleſiaſticam tumulare ſepulturam, non permittunt; quovſque tam iniquo fato demortuorum vxores, liberi, amicive, ab ipſis cœmiterium non modico ære comparauerint.*

CAP. LXX. Vt plerique Eccleſiaſtici, vitam laicam, planeque rixoſam agant.

CLXX. 90. *Nec minùs etiam Germanis moleſtum eſt, quòd potior Parochorum, Sacerdotum, monachorum, aliorumque Eccleſiaſticorum pars, in diuerſorijs, ſtabulis ac choreis, populorum turbis ſe immiſcent; in plateis item habitu minùs decenti, vtputà gladijs, veſtibuſq; ludicris: prætereà rixis, iurgijs, litibus, altercationibus laicos ad iram, & conſequenter ad arma prouocant, vulnerant, nonnunquam etiam confodiunt. Dein excommunicationis fulmine miſeros illos laicos, vel quos læſerunt, eouſq; diuexant, quouſq; ad libitum ſuum laici ſe cum his compoſuerint.*

91. *Item in locis pleriſque Epiſcopi & eorum Officiales, non ſolùm Sacerdotum tolerant concubinatum, dummodo certa perſoluatur pecunia: ſed & Sacerdotes continentes, & qui abſq; concubinis degunt, concubinatus cenſum perſoluere cogunt; aſſerentes, Epiſcopum pecuniæ indigum eſſe, qua ſoluta, licere ſacerdotibus, vt vel cœlibes permaneant, vel concubinas alant. Quàm res hæc ſit nephanda, nemo non intelligit.*

CAP. LXXI. Quo pacto nonnulli Eccleſiaſtici, publicas exerceant tabernas, & illicita corrodant lucra.

CLXXI. 92. *Eccleſiaſtici item, potiſſimùm in his locis, vbi iuriſdictionem habent, in templorum dedicationibus, publicas exercent tabernas, ſuiſq; Sacellanis & Sacerdotibus, taxillos, chartulas luſorias, & quicquid ad ludum pertinet, conuiuis adminiſtrare, ac omni ſepoſito pudore, illicitum inde percipere lucrum ſtudent: idq; ſuperioritatis quodam iure ſibi licere adſerunt. Quanquam Pontificum canones, Imperatorum leges, omneſque omnium prouinciarum magiſtratus vetent, ne Eccleſiaſtici ita à decoro & honeſto deuient; vt ijs ſe inuoluant negotijs, circa quæ vix laicos occupatos eſſe decet.* Sal. Ann. 1522.

CAP. LXXII. Quomodo Eccleſiaſtici moribundis, vt ſuos & legitimos hæredes defraudent, perſuadeant.

93. *Inter cætera etiam hoc obticendum eſt nequaquam, quum non minimum ſit onus, quo Germani grauantur; quòd regionum peruagatores, quos vulgò Terminarios ac Stationarios vocant, monachi & ſacerdotes, infirmos, animamque iamiam agentes; ac præſertim eos, quibus æs eſſe in ciſta norunt, temporalibuſve bonis abundare compertum habent, blandiloquentia, adulatione, verbiſq; venuſtulis (vt ad peſſima quæque hoc genus hominum ſemper plus æquo inſtructum eſt, atq; paratum) adoriuntur, circumveniunt, perſuaſionibuſq; fictitijs eò tandem adducunt, quòd ſibi potiorem, & pecuniarum & bonorum partem in teſtamentis legant. Quare liberi, agnati, ac cognati, reliquiq; ſui & legitimi hæredes, quibus potiùs tota hæreditas illæſa relinquenda erat, contra omnem æquitatem, mirum quàm iactura adficiantur: interdumq; ad miſeriam vſq; adigantur.* CLXXII.

CAP. LXXIII. Quibus medijs innumeram pecuniæ ſummam, Mendicantium ordines Romam importent, Virginumque veſtalium monaſteria moleſtent.

94. *Quum nemini dubium ſit, ijs qui iure experiri volunt, pecunia, eaque non modica opus eſſe; & plerique Mendicantium ordinum regulis addicti, multas cauſas atq; lites in iudicialem controuerſiam, non ſine magno ordinariorũ, parochorum, atque laicorum detrimento, contra phas, nephaſque; immo nulla omnino neceſſitate exigente, Romam pertrahant: Tribus inſuper eorum generalibus, quos vocant, Cardinalitij galeri dignitatem, innumera, vt fertur, pecunia comparauerint: Non parum timendum eſt, ne non præfati Mendicantium ordinibus ſubiugati, multa ſacrarum virginum; & præſertim ea, vbi ſe ſolos dominari norunt, monaſteria, in quibus Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, ac Ciuium liberi frequenter vitam viuunt, pecunijs expilent, ac depeculentur, & eis dehinc quibuſcunq; alijs modis, interitus, perniciei, moleſtiarum, variorumq; incommodorum radix atque origo ſint; Interimq; miſerè, captiuas moniales, ſub perpetui pœna carceris adigant, ne cuiquam alij, quo ſecum pacto agant, manifeſtent:* CLXXIII.

Sal. Ann. 1522. *ſtent: id quod quibuſdam in locis plus nimio, proh dolor, compertum eſt. Quibus verò pharmacis huic morbo mederi poſſit, cogitandum relinquitur: Num præſtaret, quòd virginum monaſterijs, ac Mendicantium ordinibus, in meri ac mixti imperij iuriſdictionibus ſitis, quibus hactenus per iuriſdictionum magiſtratus, ac poteſtates, nulli præfecti eſſent curatores, ſeu diſpenſatores, duo, ætate, moribus, ac probitate perſpicua præſtantes viri, vnicuiq; tali monaſterio ſeorſim præficerentur, qui omnibus eorum communibus computationibus, acceptatorum videlicet & expenſorum, intereſſent; quibuſq; curæ eſſet, ne in poſterum prædicta virginalia cœnobia, à Mendicantibus monachis, eorum non neceſſaria præſentia, vel quocunque alio modo grauarentur. Qua vna re procul dubio efficeretur, quòd dictorum monaſteriorum annui fructus, cenſus, redditus, indies augerentur: monialium perſonæ in magnum vſq; excreſcerent numerum: & ſic multo meliùs, vberiùs, vtiliùs, quàm ſi ipſarum pecunia, vel Romam, vel in alium quempiam locum indecentem, conferatur, ſuſtentari poſſēt.*

CAP. LXXIV. De Romanorum Pontificum legatis & oratoribus nec non Comitibus, quos vocant, Palatinis.

CLXXIV. 95. *Accidit etiam aliquando, quòd legati & oratores Romani, cum Papalibus, vt vocant, facultatibus, in Germaniam mittantur; qui taliū facultatum vigore & prætextu, liberos vulgò cōceptos, naturales, Baſtardos, ſpurios, damnato ex coitu prognatos, alioſque, qui contra Chriſti inſtituta, legumq; ſanctiones in mundum editi atque expoſiti ſunt, legitimos efficere, & ad quoſcunque actus legitimos, idoneos reddere; ad ſucceſſiones item cum legitimis & naturalibus liberis habiles facere & admittere; omnium deniqueſtatuum ac dignitatum capacitatem tribuere conantur. Cuius tamen rei, in Romani Imperij territorio, nullam omnino habent poteſtatem. Nec parum inde litium, iurgiorum, errorū, controuerſiarum, offendiculorumque, in ſacroſancto Romano Imperio oritur; quòd ex non conceſſo coitu concepti, cum legitimè editis ad parem admitti debent ſucceſſionem. Quam rem, vt nimiùm Germanis moleſtam, Imperij ordines, tolli, amoueri, penituſq; aboleri, ſūmopere petunt.*

96. *Pari præterea modo à Romana ſede iam dictis Legatis, Vicecomites Palatini ſufficiūtur, ſimili poteſtate legitimandi, ad ſucceſſionem admittendi, & omnia ad inſtar legatorum, quorum iam ante mentio facta eſt, efficiendi, nec non notarios creandi. Qui tamen Vicecomites adeò ſūt inidonei, adeò inhabiles, adeò literarum ignari, adeò denique rerum inexpertes; vt minimum etiam, quod ad notariatus artem pertineat, ignorent. Vnde non immeritò ſubſequitur, quòd multo ineptiores, quàm ipſi ſint, creent notarios: vt ſemper dignum, quod in prouerbio eſt, contingit patellæ cooperculum. Quod ipſum Imperij Status, abrogari efflictim rogitant. Præfati item Apoſtolicæ ſedis Nuncij & Legati à iureiurandis, pactis, obligationibus, abſoluere: & ſic abſolutos ad agendum de nouo reſtituere moliuntur. Qua vna re æquitati, fideiq; humanæ nihil eſt aduerſum magis.* Sal. Ann. 1522.

97. *Conantur inſuper beneficia, quæ patronatus iuri ſubſunt, conferre: & ſic patronis tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus in iuribus ſuis derogare, penituſque eos priuare: quod etiam meritò aboletur.*

Vtriuſque ſexus religioſi, in ſuorum monaſteriorum, clauſarum, fundationum, aliorumque conuentuum commodum, ſuccedunt ſecularibus; quum ipſi viciſſim ab illis ad hæreditates, neque vocentur, neque admittantur. CAP. LXXV.

98. *Neque hoc Germanicorum grauaminum poſtremum eſt, quamvis vltimum hic ſortiatur locum. Mos non ampliùs ferendus, hactenus inoleuit, pauloq; altiùs, quàm par ſit, radices egit: videlicet, quòd Monachi, Moniales, Beguttæ, Beghardæ, Nolhardi, Conuentus, & quicunque tandem ſunt, qui ſe religioſos, & à popularibus ſegregatos profitentur, parentibus, conſanguineis, agnatis, ac cæteris amicis, in hæreditarijs bonis, aliquando in partem, nonnunquam in totū ſuccedunt: At viciſſim eorum cognati, ſeu neceſſarij laici, à prætactis religioſis, ad ipſorum hæreditates adeundas, non ſolùm non vocantur, ſed nec admittuntur quidem. Quod Germanis & graue, & moleſtum; iniuſtum etiam, ac non diutius tolerandū onus eſt. Ea propter neceſſariò, ac ſumma prudentia curandū eſt, vt deinceps, nemo ſe memoratorū religioſorū votis vel adſtringat, vel addijciat, niſi priùs ea de re ciuiles magiſtratus certiores fecerit: quorū præſentia, auctoritate & conſilio religionē ingredi volentibus, à parentibus & amicis, iuxta cuiuſq; fortunā ac facultates, mediocriter prouideri debet, vt habeant, vnde cōmo-* CLXXV

Sal. Ann. 1522. modò in monaſterijs viuere poſſint. Ea tamen lege, eo pacto & conditione; vt omnibus hæreditatibus, omnibusq; parentum, fratrum, ſororũ, cognatorũ, cohæredũ, ac quorumcunq; aliorum ſucceſſionibus renuncient: in animumq; nequaquam inducant ſuum, ſe in poſterum hæreditario iure quicquam ne dum ſperare, rantum abeſt, vt cõſequi ſe poſſe putare queant. Idemque cum his, qui iam olim religioſorum regulis ſeſe ſubiecerunt, fieri à ſacri Rom. Imperij Statibus, & petitur, & cenſetur.

CAP. LXXVI. Quòd & in proximè habitis VVormaciæ comitijs, de hactenus memoratis grauaminibus, tractatum ſit.

CLXXVI. 99. *Potior item pars, hactenus enumeratorum articulorum, Romanam Sedem, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, Officiales, Eccleſiaſtica cõſiſtoria, cæteraſq; Eccleſiaſticas perſonas concernentium, Cæſareæ Maieſtati in proximo Principum ac Procerum VVormaciæ celebrato conuẽtu, à laicis Imperij columnis & Statibus, in ſcriptis, non ſine ſupplicibus oblata eſt precibus: quò prædicta grauamina, æquitate, neceſſitateq; ita poſtulantibus, aboleat, atq; è medio penitus tollat. Quod ipſum non clam Archiepiſcopis, Epiſcopis, reliquiſq; Eccleſiaſticorum Statibus, in prædictis Comitijs factum eſt. At hucuſq; nihil vel immutare, vel emendare cœperunt. Eam ob rem ſeculares Imperij ordines, neceſſariò, vrgentibuſque ex cauſis adacti ſunt, Papali Sanctitati ſuprà memorata, ac nõ ampliùs ferẽda onera, prout ſua Sãctitas, clementi, Chriſtiano, planeque paterno animi adfectu fieri petijt, indicare, atq; ſuppliciter rogare, quo prędicta grauamina ſua Sanctitas emendet, atq; è medio tollat.*

CAP. LXXVII. Plura adhuc grauamina ob oculos verſantur, indicatu maximè neceſſaria: quæ tamen breuitatis gratia obmittuntur.

CLXXVII. 100. *Quamuis ſeculares ſacroſancti Romani Imperij ordines, longè grauiora, multoq; plura adhuc haberent onera, quæ, æquitate interpellante, indicanda forent: At ne iuſtæ breuitatis modum excedere videantur, iam recenſitis hoc tempore, reſeruatis alijs in magis cõmodum tempus, contenti eſſe volunt: Ea ſpe freti, ea fiducia nixi, vbi hactenus enumerata abolita fuerint grauamina, quòd et reliqua vnà corruitura ſint.*

Peroratio, ac finalis petitio.

Super hæc omnia, omnium ſacri Romani Imperij ſupremæ atq; inferioris conditionis Statuũ, ſupplex eſt adhortatio, humiliſq; precatio atque petitio, qua Sanctitati Pontificiæ ſupplicant: quatenus ſanctitas ſua, omnia prædicta onera ac grauamina, ſedis Romanæ, ac ſæpedictorum cæterorum Statuum Eccleſiaſticorum & perſonarum Eccleſiaſticarum (id quod non ſemel in præcedentibus quoque iuſtis precibus poſtulatum eſt) clementer tollere, emendare, abrogareque, & è medio auferre dignetur; ac Archiepiſcopos & Epiſcopos, ſi qua in re per eorum Capitula, grauamina hæc, quò minùs emendare, abrogareque auderent, obligati forent, à promiſſione, obligationeque tali, mandatis abſolutorijs, ſeueritatem quandã, ſed eam quidem neceſſariã præ ſe ferentibus, abſoluere, liberareq; velit: inq; omnibus & ſingulis his, ita paternè ac gratioſè ſe gerere & exhibere, quòd talia onera atq; grauamina in genere, ſeorſimque, quantocyùs ex radice fũditus, ac penitus tollantur, amoueantur, & emendentur. Quod ipſum, & quidem breui, futurum, curatumq; iri, Sacri Romani Imperij Status laici, vel ob Opt. Maximi laudem præcipuam, & honorem; hinc rei quoque ipſius neceſſitatem atque æquitatem maximè, quum, vt prædictum eſt, Sanctitas Pontificia per oratorem & Legatum ſuum, ita magnificè, ampliter, ac Chriſtianè ſe obtulerit, indubiam, certiſſimamq; ſpem animo conceperunt. E regione, ſe Sanctitati Pontificiæ, tanquam obſequentes, morigeroſque filios, cæteris quoque Statibus Eccleſiaſticis, vt in Chriſto fratres, & commembra capitis vnius, nimirum Chriſti, ſe deuouentes, obliganteſque. Sal. Ann. 1522.

Quòd ſi enumerata onera atque grauamina in præſtituto tempore, non etiam ocyùs ex oculis mortalium ſublata, atque abolita, & abrogata fuerint (id quod Imperij Romani Status laici futurum minimè ſuſpicantur, auguranturve) tum Sãctitatem Pontificiam latere nolunt, prædicta vrgentiſſima, atque intolerabilia, penituſq; non ferenda onera, diutiùs eos, neq; perferre velle, neq; tolerare poſſe: Sed rei ipſius iniquitate & neceſſitate, huc eos adigi, cogi, atque compelli, pro eorum captu ac induſtria, de alijs commodioribus fortè vijs & medijs cogitandi, veſtigandi, ac conſultandi, quibus tandem modis, qua arte, qua deniq; ſolertia, onerũ atq; grauaminum ſuprà memoratorum, ab Eccleſiaſticis exonerari, liberari, ac tandem in priſtinam immunitatem & libertatem aſſeri, atque vendicari poſſint.

Quemadmodum omnia hæc, priuſquam

San-

Sal. Ann. 1522. Sanctitatis Pontificiæ orator & Legatus à Normberga ſoluiſſet, eidem per modum reſponſi hinc legantis Sanctitati referenda, ad longum ſunt expoſita, atque enumerata: eſſentque ita in compendium, & quodammodo per catalogum redacta & recenſita, memorato nuncio atque oratori Pontificio ferenda ſecum Romam tradita; ſi non præter omnium expectationem, ambitionem ſuam hinc tantopere maturaſſet, ac inopinatò ita diſceſſiſſet. Verùm ne ob ideò magis Germanorum Principum, Procerum, atque Romani Imperij Statuum conſultatio & concluſio Sanctitatem Pontificiam fugere, vel latere poſſent: tandem placuit, onera ac grauamina, quorum non infrequens tum coram agente adhuc Legato facta fuit mentio, per capita, ac ſigillatim ita ſcripta, Sanctitati Pontificiæ tranſmittere, eandemque quàm humillimè ac ſuppliciter, pro abrogandis hiſce oneribus, rogare, obſecrareque; ne deteriora contingant. Sal. Ann. 1522.

Hiſce comitijs *Carolus* non interfuit, abſens ad ſedandos Hiſpanorum motus. Certior porrò factus eorum, quæ in comitijs acta fuerant, illud excerpſit quod præter fidei cauſam, à Pontifice ſidebat poſſe impetrari, & fuit de *Annatis non ſoluendis*, ita ſcribens. CLXXVIII

CAROLVS V. IMPER. AVG. HADRIANO VI. PONTIF. M.

CLXXIX. *Beatiſſime Pater, Domine Reuerendiſs. Etſi ea eſt Sanctitatis Veſtræ erga nos benignitas, amorque parernus, ſitque contrà noſtra erga S. Veſtram ea obſeruantia & veneratio, vt maiora eſſe non poſſint: illa tamen omnes & noſtræ maxime ditionis populi longè maiora, tantaque exiſtimant, vt & nos nihil à Beatitudine Veſtra fruſtra poſſe petere, & S. Veſtram nobis non omnia libenter non conceſſuram eſſe arbitrentur. Quæ res nos ea, quæ alioqui non niſi verecundè petere auderemus, liberè, confidēter à B. V. poſtulare facit, et maximè, ſi talia fuerint, quæ publicæ ſalutis cauſa à nobis efflagitata videantur.*

2. Cum itaque ſuperioribus menſibus in ciuitate noſtra Imperiali Nurmbergenſi omnes ordines S. Rom. Imperij pro tutela defenſioneq. Regni Hungariæ conueniſſent, & Electores cæterique Principes ac aliorum ordinum Status ſeculares inter cætera animaduerterent, Germaniam ad eam egeſtatem rerum inopiam redactam eſſe, vt non modò ipſi quidquam contra Chriſti fidei hoſtes truciſſimos Turcas dignè gerere poſſint: Sed nec tantulas ſupereſſe S. Rom. Imperij opes & facultates, vnde iuſtitiam & pacem tueri & conſeruare, ac nephariorum hominum ſcelera et in inferenda iniuria audaciā poſſint cohibere, niſi etiam S. V. liberalitate & paterno fauore atque auxilio adiuti fuerint.

3. Itaque inter cætera cùm meminiſſent annatas, quas noui antiſtites Rom. Pontifici ſoluere conſueuerunt, ab origine ea maximè ratione cōceſſas eſſe, vt huiuſmodi pecunijs Chriſti fidei hoſtes arcerentur: Nunc autem ipſi Turcæ magna parte inferioris Pannoniæ occupata, Germaniæ inhient: æquum eſſe, vt huiuſmodi annatæ in Germania retineri, et illic in hunc vſum conuerti debeant. Præterea cum inter mortales nihil ſit ſanctius, Deo nihil gratius, quā iuſtitiæ & æquitatis cultus; Qua de re etiam cenſuerunt, neque Deo ingratum, neque vlla ratione imperium dici poſſe, & ſi ea quæ ſolùm Diuinæ Maieſt. cultui dedicata conſecrataq. exiſtimantur, ad iuſtitiæ paciſq. conſtituendæ vſum in parte conuertantur: Propterea cuperent, noſtraque interceſſione à S. V. obtinere poſſe ſperant, inprimis vt penſiones, quæ ex ſacerdotijs Germanicis curiæ S. V. et Romanæ vrbis hominibus perſoluuntur, poſthac in Germania detineātur. Adhęc cuiuslibet Eccleſię maioris ſiue minoris Collegium quotannis decimam prouentuum ſuorum contribueret, vel ſaltē proximè vacaturæ præbendæ prouentus, vti mortuæ & aſſiduè vacantis conſeruarentur, nec non cùm Germania ditiſſimorum monaſteriorū plena ſit, vt illis quoq. tributum imponeretur: Atque etiam vt reliquorum ſacerdotum ordines quiſque pro facultate & fortunis ſuis aliquid penderet: Præterea Mendicantium ordinum monaſteriū quodlibet florenos quinque quotannis conferret. Quodque huiuſmodi prouentus omnes ad Turcarum impetus reprimendos, ac pro iuſtitia et pace in Germania ac S. Rom. Imp. ſtabilienda, & in nullum prorſus alium vſum conuerterentur: vſq. S. V. ſuprà memorata omnia ad quadriennium concedere & clementer admittere dignaretur.

4. Nobis verò diligenter conſiderantibus, perpetuos Reip. Chriſtianæ hoſtes Turcas, Hungarorum munitioribus locis & quodammodo propugnaculis captis, iam ſoli Germaniæ maximè imminere. Præterea S. Imperij prouentus & vectigalia tum indulgentia, tum prædeceſſorum noſtro-

Sal. Ann. 1522. *noſtrorum liberalitate, Eccleſiaſtico ordine locupletando, adeò eſſe extenuata atque diſtracta, vt non modo Turcis reſiſti, ſed nec pax aut iuſtitia in Germania diutius confirmari poſſit, ni his atque alijs tributis, quæ Imperij ordines ſibi præter hæc vltro impoſituri ſunt: ea Beatitudinis V. & munificentia & mitiſſimo animo ſubleuentur.*

5. Adhortatur nos & nephariam illam Lutheranam ſectam, quam vt tolleremus nullum officium prætermiſimus, ita multorum Germanorum animis vti peſtiferum virus paulatim obrepſiſſe, obſediſſeque, vt inde quoq. incendium Reip. Chriſtianæ extimeamus, niſi prædictis tributis iuſtitia ita roboretur fulciaturque vt aliquando in virulentæ illius doctrinæ ſectatores diſtricto gladio poſſit animaduerti. Ad quam rem etiam multorum Germanorum animos, & horũ præſertim, qui honeſtiſſimi ſunt ordinis, pro vniuerſalis Rom. Eccleſię trãquillitate et auctoritate conſeruãda erectos incenſoſq. cognoſcimus.

6. Quapropter B. V. ſummopere rogamus, vt diuina illa ſua mente & mitiſſimis oculis, quibus Chriſtianum orbem irradiaſſe vident, hæc omnia clementiùs intueatur, ponatque ante oculos Turcarum infeſta ſigna acieſque iam penè inuictas, pernicioſi Lutherani dogmatis incendium, quod peſſimi cuiuſque mentem obſedit. Præterea noſtram à Germania abſentiam: Quodque tãtorum malorum imminentes flammæ nullo alio, quàm B. V. æterno illo benignitatis & munificentiæ fonte reſtingui poterunt: & hæc nobis, deinde S. Romano Imp. & nationi Germanicæ, alioqui de ſancta Apoſtolica Sede optimè meritæ, pro tot tantiſque malis coercendis clementer ad quadriennium concedere et indulgere dignetur. Quod ſi S. V. fecerit, vti ſperamus, feret genti bello inuictæ ad furorem Turcarum refrenandum dignas atque optatas ſuppetias in ampliſſimo Chriſtiani orbis populo, & regno alioqui inquieto iuſtitiæ cultum & pacem conſtituet: vnico beneficio ſibi innumeros & clariſſimos Principes conciliabit, Germanis autem reliquis, qui nunc ab iſta Sancta Sede, Lutherana hæreſi circumducti, nonnihil alieni animi eſſe videntur, vberem occaſionem præbebit, hoc munificentiſſimo & paterno S. V. beneficio illectis, vt quicquid ſtudio, labore, obſeruantia, quicquid fide, diligentia & ingenio, quicquid viribus atque opibus poſſunt, hoc totum pro B. V. & ſacroſanctæ iſtius Sedis Apoſtolicæ dignitate atque auctoritate tuenda deferant & polliceantur. Quemadmodum hæc omnia S. V. ex Oratore noſtro, & Dn. Iohanne Emanuele Duce Seſe extenſiùs intelliget: & S. V. valere, ac ſanctæ Romanæ vniuerſalique Eccleſiæ diu fæliciter præeſſe cupimus. Sal. Ann. 1522.

Datum in oppido noſtro Valliſſoleti, vltim. Octobr. Anno MDXXII. Regnorum noſtrorum, Rom. quarto, &c. Carolus.

Diuina fauente clementia electus Rom. Imperator ſemper Auguſtus.

Nullum ferè eſt reſcriptum, in quo ad occultanda arcana Imperij, Turcici belli mentio non recurrat. Cum tamen graſſante tyrãno in viſceribus Chriſtianorum, Principes noſtri poſtpoſita fidei cauſa, ſe alternis cõfoderent gladijs. *Carolus* hic immunitatem à ſoluendis rogat annatis, vt arma gerere poſſit in Turcas, quid egerit? attende.

RHODVS A' TVRCIS CAPTA.

CLXXX. ORbe pene toto *Caroli*, & *Franciſci* inuoluto diſſidijs; Occaſionem nactus *Solimanus* Turcarum Imperator, Principes Chriſtianos inuidia, vltionis cupiditate accẽſos priuata comoda publicis ante laturos verè auguratus, *Rhodum* inſulam oppugnare decreuit. Duas *Solymano* vrbium oppugnationes ſuſcipiendas *Selymus* pater teſtamento reliquerat, *Rhodi*, ac *Belgradi* (Taurunum dicit antiquitas) hãc *Selymus* ipſe ſuſceperat, ſed eius copias peſtis diſſiparat: vt & *Selymũ* lentus morbus, mors inde ſubſequuta reuocauit. *Belgradum Solymanus* poſt bimeſtrem obſidionem ob commeatus, cæterarumque rerum penuriam deditum quarto Id. Sept. Anno 1521. cæperat. Miſerrimam Chriſtianorum cladẽ paucis deſcribit *Sambucus*, quæ ad noſtram ignominiam præterire non debeo, vel poſſum. Vide *Monetam pag.* 421. CLXXXI. *Belgradũ capit.*

Victus, poſt cladem patri ſuo illatam, & ipſe à Parthis *Solymanus*, vt amiſſo 100000. exercitu, vix cum octuaginta ſaluus euaſerit, CLXXXII. vt tyrones ſuos ad grauiora confirmaret, reliquos veteranos in officio pollicitis retineret: Myſiam & Pannoniã ſe ſcilicet occupaturũ, eiſque diuiſurum dixit: nec obfuturum

conſilio

Sal. Ann. 1522. conſilio ſuo Hungaros, iam diuiſos, theatriſque deditos, negligi Regem, multos ſceptri æmulos, paucos Duces: Chriſtianos inteſtinis ardere diſſidijs, ac ciuilibus armis longè à Pannonicis finibus detineri. Hunc iam pri-
C LXXXIII. dem *Ludouicus II.* filius *Vladislai II.* eius animum exploratum habebat, nec ſemel à præfectis *Albenſi* & alijs de periculo fuerat admonitus. Rex officio non defuit, ſed *Bis* Sal. Ann. 1522.
Anno M. DXXI. ad Pontificem Adrianum (ita Sambucus) *vt Carolum* Gallo conciliaret, & labant; Hungariæ ſuccurreret, ſupplex miſerat, ſed in caſſum. *Vladislai*, & *Ludouici* ſymbola hic habes. In *Genio* alato (Angelus enim non eſt) cupiditas *Vladislai* annuitur, quæ regni parandi, & amplifican-



di cauſa, omnia tentat; vel in Cœlum, ſi ſcanſile eſſet, aſcenderet. In *ſpeculo in theca illeſo* animi corporiſque ſignificatur integritas *Ludouici*.

C LXXXIV. Belgrado capto, Rhodum applicuit *Solimanus*, nobiliſſimam inſulam, à militibus *Hoſpitalarijs*, nunc *Melitenſibus*, tunc *Rhodijs* à loco dictis, fortiſſime defenſam, quæ ſexto obſidionis menſe (December erat) Mahumetanis ceſſit, æterno Chriſtianorum Principum opprobrio, qui diſcordijs diſtracti, commune religionis neglexerint propugnaculum. *Hadrianus* Pontifex vanum ſine opibus moliebatur auxilium, & hoc quod parauerat, trium onerariarum ventus tenuit cum barbaris colligatus. Rex Anglus tam procul à calamitate, quàm à voluntate aberat ſubueniendi. In *Carolo* & *Franciſco* ſpes erat, à quorum diſcordia *Solimanus* mutuatus audaciã, ter in expugnatione Rhodi milites ſuos profligatos à deſperatione ad ſpem reuocauit, ſed incaſſum; iamque diſceſſurus erat *Solimanus*, niſi *Andreas Amaralus* Cancellarius *Liladami*, occultus ob præreptos ſibi præfecturæ honores æmulus, ideoque proditor, per literas ſagitta miſſas, propu-

Sal. Ann. 1522. gnatorum ex imminuto numero ſignificaſ-ſet. Qui tamen cum ſeruo, quondàm Iudęo, proditionis deprehenſus, illo quidem exitu ſublatus eſt, vt ſeruus in Chriſtiana, *Amaralus* in Maumethica religione diſceſſerit, digno videlicet perfidiæ pretio. Extremo itaque coactus *Liladamus* cedere diſcrimini,
C LXXXV. Rhodum certis legibus *Solimano* tradidit. Inuitatus *Mahumetum* ſequi, & in aula Turcica honores occupare præcipuos. *Liladamus* gratias egit, *quod ſe hominem alienigenam, & in Dei cultu diſſentientem non ſolum humanitate, ſed & præmijs prouocaret: vinci fortunæ eſſe, & à tanto principe vinci ſibi honorificum potiùs, quàm ignominioſum; à ſuſcepta ſemel religione diſcedere, impietatis, leuitatis, ignauiæ eſſe, quæ nullam excuſationem mereatur*. Huc facit nummus, in quo ſculptus eſt *Sol*, ſub lemmate *vbique ſimilis*, quòd virum fortem Solis inſtar ſemper ſibi similẽ eſſe: non extolli rebus ſecundis, non deprimi aduerſis; *Vide eum ſupra pag.* 421. ita Kal. Ian. ſuorum reliquias in Cretam tranſtulit. Eo die, quo Rhodus tradita eſt, prodigioſo caſu epiſtylium portæ ſacelli in Vaticano, cum Pontifex ad ſacrificandum ſubiturus, vix altero abeſſet paſſu, duobus prætorianis oppreſſis concidit, vt tantæ cladis omen. Accedentem ad ſe *Liladamum* Pontifex *Hadrianus* cum lacrymis amplexus, *magnum fidei Catholicæ propugnatorem* appellauit. Exinde Magiſter Ordinis in ſymbolo ad armatum, quod gerebat brachium, pugnum quoque cum exerto gladio, manipuloque ſacerdotali adiecit cum hac inſcriprione: *Prò fide*. Nihil inde ad pacem laboris omiſit Pontifex, vt pertinacem *Caroli*, ac *Franciſci* animum bellicoſum infringeret, atque vtriſque Regibus probroſa arma in barbaros auerteret. Romam miſit vterque legatos, ſed in caſſum. Vnde ſpe pacis deturbatus Pon-
C LXXXVI. tifex, ſiue veteri in *Carolum* beneuolentia ductus, ſiue recenti in Gallum indignatione, quia comperiſſet proditorijs Cardinalis *Soderini* literis, quo familiariter inter ſuos *Hadrianus* vtebatur, ad Siciliæ occupationem Gallum inuitari, iamque fama venientium armorum facinus comprobaret, queſtus in ſacro Purpuratorum ſenatu, *Franciſcum eſſe, qui Turcarum arma Europæ metuenda faceret, & Siciliam Pontificiæ clientelæ petendam deſignaſſet. Proinde muneris ſui prouidere ſedulò, ne quid aut communis Eccleſiæ, aut Italiæ ſalus detrimenti accipiat. Pacis remedium ab armis petendum videri, vt Franciſcus qui ſuaderi non poſſet, cogeretur*. Nec mora, fœderi ſe adiunxit, quod inter Cæſarem, Regem Angliæ, *Ferdinandum* Archiducem Auſtriæ, *Franciſcum Sfortiam* Inſubriæ Ducem, *Iulium Mediceum*, Florentia, Genua, Mantua, Sena, Lucàque conſpirantibus, conſtitutum erat, *vt anno etiam poſt mortem valitura ſocietate, alter alteri hoſtiliter petito, opibus aut armis ſpeciatim pactis adiuuaret*. Curauit etiam Venetos fœderi adiungere, vt eorum *Franciſcum* deſtitutum ſubſidijs, Italica ſpe deturbaret. Videbantur inclinare Veneti Turcarum timore, putantes ſi Cæſari ad Neapolitani regni defenſionem iungerentur, C LXXXVII.
ex eo in Epirum, aliaſque Ottomanici imperij prouincias facilis acceſſio pateret. Plerique tamen à Galli ſocietate diſcedendum non putabant, *cui receptæ nuper Brixiæ, Veronæque gratiam deberent; haud adiuuandum Carolum, qui poſt Inſubriæ, Siciliæque poſſeſſionem, Italiæ potens immineret, tot præſertim in ea Ducum, ſummique Pontificis fauore ſubnixus. Rempublicam ſi impotentioris Galli conatibus accedat, eam eſſe poſſe, quæ immodicam vtriuſque Regis cupiditatem libret, iiſque cohibeat terminis, quibus & ſe inuicem formidare, & Venetorum incolumitatem ferre cogantur*. Alij *Franciſci* negligentia pleraque omiſſa aduertentes, quę facile victoriam promittebant, nec ipſum ad Inſubres acceſſurum, nec exercitum per legatos miſſurum iudicabant: quam ſententiã *Ioannis Baduarij* Veneti apud *Franciſcum* legati literæ confirmabant: *Franciſcum ita mulieribus illecebris, venationibuſque addictum eſſe, vt omnia penè vectigalia in eas prodigeret: Raro, niſi forte inter epulas de bello cogitet, aut diſceptet: ſi exercitus cogetur, regnum nouis & inauditis indictionibus exhauriri, neceſſe eſſe. De Caroli Borbonij indignatione ſuo excluſi patrimonio, rumor ferebat, Regi eſſe ſuſpectum, & cum Cæſare occultè ſocietatem coiiſſe*. Re itaque in Senatu multum diſceptata, Patres cum nil conſtituere vellent, donec quanti *Franciſco* in bellum apparatus eſſent,

Sal. Ann. 1522.
Fœdus Papæ cum Carolo & Anglo.
Venetorũ ſocietatem ambiunt Carolus & Franciſcus.

Sal. Ann. 1522. eſſent, cognoſcerent: Baiocenſiſque Pontifex recens à *Franciſco* Venetias miſſus, vt in proximum menſem deliberatio differretur, rogaret: intra quem, maiorem, quàm quis memoria noſtra viderit exercitum in Italiam tranſiturum pollicebatur. Horum certiores facti, *Caroli*, atque *Anglorum* legati niſi intra triduum ſuæ conſultationi finem Senatus imponeret, ſe inde migraturos denuntiarunt: quo, & Baduarij literis Senatus commotus, in hæc capita cum Cæſare ſocietatem iniuit. Inter Cæſarem, Ferdinandum eius fratrem, Franciſcum Sfortiam Mediolanenſem, ac Senatum Venetum perpetua ſocietas eſto. *Senatus ſexcentos grauis, totidem leuis armaturæ equites, ſex peditum millia, quoties opus erit, in Ducatus Mediolanenſis propugnationem mittito. Eundem copiarum numerum in regni quoque Neapolitani defenſionem, ſi à Chriſtianis inuadatur, impleto:* quam conditionem, ne *Solymanum* Turcam irritaret, Senatus addidit. *Quicquid in continente Veneti poſſident, Cæſar* aduersùs quoſuis cum eodem copiarum numero tuetor: Ferdinando Auſtriaco vel proptet antiquas controuerſias, vel propter Vormatienſe pactum ducenta nummum aureorum millia intra octo annos Senatus pendito.

Vbi ita conuenerunt: *Franciſcum Mariam Vrbinatem* regulum, dimiſſo *Theodoro Triuultio*, ſuarum copiarum ducem Veneti declararunt. Itali obliterato *Franciſco*, qui ſocijs Venetis Mediolanenſem principatum conſeruare non potuiſſet, in ſocietatem venere.

Nihil tamen hæc omnia valuere ad Gallorum conſtantiam minuendam, aut infringenda belli conſilia. Per Alpes ingentibus ſe ſe copijs iam tunc in Italiam transfundebāt, quas alio propediē Rex ipſe *Franciſcus* con-

C. LXXXVIII *Borbonij defectio ad Cæſarem.* ſecuturus erat, niſi intempeſtiua Gallicis conatibus *Caroli* Ducis Borbonij ad Cæſarem defectio obſtitiſſet. Cauſam mutatę fidei, in regiæ matris immoderatum amorem referunt. *Ludouica* hæc erat Sabaudiana *Franciſci* mater: quæ adoleſcentem omnium Franciæ procerum formæ, corporiſque dignitate præſtantem nuptijs ſibi deuincire ſtuduerat, magnis iccirco in aula honoribus præfectum: ſed cum is effætæ, ſterilíſque fœminæ thalamum faſtidiret, *Suſanna* Borbonij Duce præhabita, dignitate atque aula propemodum excidit. *Suſanna* verò nuper extincta, eadem facilitate rurſum amantis Reginæ procuratione omnia redemit; ſed obfirmato ad omnes mulieris blanditias *Carolo*, verſis in odia amoribus (quæ & amantem, & fœminam, & reginam inflamabant) de Borboniorum Ducatu litem intendit, ac filij Regis freta patrocinio, nihil minus opinantem deturbauit, opera *Prati* Cancellarij, C. LXXXIX.
qui falſo iure *Suſannæ* hæreditatem ad *Ludouicam* Sabaudicam, *Franciſci* matrem, aut ad *Franciſcum* ipſum commentitijs de cauſis reuocabat iniuria *Caroli Borbonij*, qui mortua *Suſanna*, à *Ludouica* in ius vocatus, dolo *Prati* ſuccubuit. Tantam cladem vt vindicaret *Borbonius*. Cæſaris militiæ nomen dedit, *Eleonoræ* nuptijs ſororis in præmium defectionis ab Imperatore propoſitis. Elapſus in Italiam, cum Reginæ imperio per inſidias quereretur ad vincula, cum duodecim peditum, ære Cæſareo Anglicoque collectorum millibus, Burgundiam aliaque Franciæ loca petiturus erat; quòd ex inſigni, qua apud Gallos pollebat, gratia victoriarum metiretur ſucceſſum. *Borbonij* defectio *Franciſcum*, ne ad Inſubres tranſiret, detinuit. *Borbonio* cum magnæ eſſent cognationes, nam Vindocinenſes, ac Mompenſeriani reguli ex eadem familia *Borbonia* erant: *Antonius* Lotharingiæ regulus Borbonij, *Claudius Guiſanus* frater *Antonij* ſororem Vindocinenſis in matrimonio habebat, *Frāciſcus Alenconium, Renatumque* Sabaudum nothum ſibi charos, *Vindocinenſem, & Palicianum* Mareſchallum ſuſpectos cum centenarijs ſuis cataphractorum equitum alis ſecum retinuit, & pedem è Gallia haud mouere ſtatuit, ne quis grauior tumultus ſuboriretur: præſertim quòd ab Anglo in Belgica, à Germanis, qui ad duodecim millia *Gulielmo Fuſtembergo*, ac *Felice* comitibus à Burgundiæ, ac Campaniæ finibus non longè aberant, bellum ſibi imminere ſuſpicabatur.

C. LXXXX *Fœdus Angli cũ Cæſare.* Inter hæc Cæſar præterito anno ſe in Hiſpaniam receperat in ſeditioſos. Ex itinere in Angliam deflexerat, Regemque *Henricum* auro in ſuas partes reuocauit. Centum triginta aureorum millia Gallus quot annis Anglo

Sal. Ann. 1523. glo pendebat, hoc quoque venalem Regis militiam conduxit pretio *Carolus*, ſimulque *Mariam* filiam *Henrici*, vbi ætas pateretur, ſe thalamo accepturum promiſit, aut mutatam fidem XL. aureorum millibus luiturũ. Nec mora, *Henricus* conſcripto milite; tredecim millium exercitum cum inſigni tormentorum apparatu tranſmiſit in Belgium. Vniuerſam Picardiam populati, terrore omnia Pariſios vſque impleuerunt. Hæc *Carolus* cum ſibi in Anglia paraſſet auxilia, Aſturam, Hiſpaniæ oram felici appulit curſu. CXCI. *Cæſar Hiſpaniā repetit.* Vbi non minori cultu, quàm gaudio à proceribus exceptus ob nuntium victoriæ in Catalauniæ finibus contra Gallos obtentæ. Hinc Valliſoletum digreſſus, Tondeſillam ad matrem venit. *Sal. Ann. 1523.* Poſtea ſeditioſis gratia delicti facta, præter ſeditionis authores, inter quos *Pimentellus Maldonatus*, quos ferro caſtigauit, vt alios metu, alios amore caſtigatos haberet. *Maiorica* Balearium princeps exemplum rebellionis ſecuta, attroci auctorum exitu audaciam luit· exiſtimante *Carolo*, puniendum nonnumquàm in capite, quòd membra reliqua deliquiſſent. Cęterum adhæc moderati Principis argumenta, fortiſſimi addidit: cum Valliſoleti inter Hiſpanos proceres in ludicro equeſtri, ſub ignoto pugnantis habitu, fortiſſimos omnes eluderet, & vinceret. CXCII. *Fortitudo Cæſaris.*

CAPTIVITAS FRANCISCI GALLORVM REGIS.

CXCIII. *Boniuetus belli ignarus.* Potentiſſimum exercitum cum in Inſubriam miſiſſet Gallus Duce *Boniueto Amyralio*, homine rerũ bellicarũ rudi, & qui nõ ſuo ſed merito Reginę matris ad eũ gradũ aſcenderat, initio proſpero ſucceſſu aliquantum vſus, tanta arrogantia elatus eſt, vt res Gallicas non multò poſt partim imprudentia, partim bellorum inſcitia ſubuerterit. Igitur Nouariæ appropinquanti, quæ nec præſidio, nec aggere munita erat, *Sfortia* aſſentiente, deditionem fecit: arx tamen à Regulo ſtetit. *Nouaria dedita.* Vigeuenum quoque, omniſque intra Ticinum ager in Gallorum poteſtatem redactus eſt. *Proſper Columna* hoc anno *Frãciſcum* bellum in Inſubribus moturum, *Venetis* hoſtibus declaratis, *Borbonij* conſpiratione patefacta, finita iam æſtate, minime credebat; iccirco nec exercitum, nec propugnacula, aggereſque collapſos reparauerat, longa alioqui valetudine afflictus: nunc hoſtili imminente exercitu, equitatum, peditatumque vnà coire iubebat, & ſe hoſtes Ticini tranſitu prohibiturum confidebat: eorum quæ ſibi ad Abduam aduersùs *Lautrecium* accidiſſent, immemor. Itaque lectica vectus, ad alteram Ticini ripam cum quatuor Hiſpanorum peditum, totidem Germanorum millibus, ac toto Cæſariano, fœderatorumque equitatu, venientibus hoſtibus ſe opponere ſtatuit. *Boniueti ignauia.* Sed fluuio ob longam ſicitatem vadoſo, cum Galli vnà cum tormentis in alteram ripam euaſiſſent, *Columna* grauiora primùm tormenta Mediolanum remiſit, ipſe mox nullo milite ob *Boniueti* imprudentiam amiſſo, ſubſequutus. *Proſpero* Mediolanum reuerſo, tanta conſternatio non ſolum ciues, ſed & fœderatorum exercitum corripuit, vt in portibus ciuitates quaſi iam victores Galli apparerent. Cunctante Boniueto, *Antonium Leuam* cum centum cataphractis equitibus, tribus peditum millibus, Ticinum *Columna* miſit. Quò *Boniuetus* pergens, triduò ignauus conſedit, ſuos qui nondùm coierant, expectans; cum tertia ſuorum parte omnem fœderatorum exercitum Mediolano pellere, ac ſuperare potuiſſet. Dum itaque ad minoris momenti oppida vires impendit, Cremona ac Mediolanum, inſtauratis aggeribus, acrem vrbis propugnationem pararunt. Interim *Hadrianus* Pontifex poſtridie Id. Sept. vita functus eſt, cuius morte res fœderatorum turbatæ laborare cæperunt. CXCIV. *Hadriani Pontif. mors.* Rara Neapoli, nulla Roma in militum ſtipendium pecunia Mediolanum mittebatur. Roberiam, Rhegiumque interim (dum Cardinales ambitioſè de ſucceſſore diſceptant) *Ferrarienſis*, Carpos *Pij* receperunt. Mutinam ſeruarunt *Frãciſcus Guicciardinus*, & *Bartholomæus Cattinarius*. Cogitauerat *Columna* de ea *Ferrarienſi* reſtituenda, pretio triginta nummum aureorum milliũ, quod *Sueßanus* regulus reprobauit, quia Ferrarienſis Gallici nominis ſtudioſiſſimus eſſet, vrbſque bello opportuna. Modoetiam *Boniuetus* cæperat, vbi firmo præſidio collocato, ne commeatus Mediola-

diola-

Sal. Ann. 1523. diolanum importaretur prohibebat. Parte inde exercitus inter Modoetiam & Mediolanum conſtituta, vndique ſibi perſuadebat, poſſe Mediolanenſibus occludere auxilia. *Proſper* verò Gallos armis pelli nõ poſſe agnoſcens, eodem vicciſſim commeatu intercepto repellere ſtatuit. *Mantuano* itaque mandauit, vt cum Pontificio equitatu Ticinum iniret. *Boniuetus* ne *Mantuanus*, atque *Leua* pontem, quem Ticino fluuio è regione Vigleueni impoſuerat, deijecerent, veritus alterum ad Torglium extrui, & *Baiardum*, *Rentiumque Ceritem*, Modoetia relicta Vigleuenum petere iuſſit; quo factum vt è Brianteis montibus, totoque ſuperiore agro ingens tritici vinique copia Mediolanum importata ſit, & Gallis Mediolani potiundi ſpes ſublata. Leues interim velitationes comittebantur, quæ vt plurimũ Gallis male cedebant: vnde raro è caſtris, niſi magno numero ad recipiendum commeatum exibant. Ignauiam, vel deſperationem, prudentiæ nomine celabat *Boniuetus*, qui nihil armis proficere videns, dolo hoſtes tentauit. Cum *Murgante Parmenſi* in legione *Ioannis Medicæi* primipilo clam egit, vt ponte ſublicio, quo extra vrbis aggeres iter erat, Gallos intromitteret. Coniuratione detecta, ex diſciplina militari haſtis confecti ſunt proditores. *Boniuetus* non dolo quàm armis felicior, obſidionem ſoluit. *Columnæ obitus.* *Proſper* verò *Columna* octauum iam menſem cum morbo conflictatus, III. Kal. Ian. è vita exceſſit.

Mediolani obſidione ſoluta, Cardinales *CXCV. Clemens Papa.* qui dies quinquaginta de creando Pontifice inſumpſerant, in *Iulium Cardinalem Medicæum* nomine *Clementis* conſenſerunt; Is ante electionem ſtudioſus Cæſaris, vbi Pontificatum accepit, noluit omnium pater, male audire, quòd amorem ex æquo non partiretur in filios. Metuebat vltro, ne per Italiam metuenda excreſceret Ceſaris potentia. Mentem ſuam quamuis ſolitis in *Carolum* tegeret obſequijs, fluctuare cœpit, cum *Franciſci* vidit nimis inclinare fortunam. Galli varijs in Italia attriti cladibus, non tantùm Mediolanenſi exciderant imperio, ſed etiam Cæſareos victores in patria expectabant: Quam non minus armis, quàm beneuolentia expugnaturus fidebat *Borbonius*. *Sal. Ann. 1523.* Annuebat Cæſar, malens hoſtes peregrè quærere, quàm domi expectare. *Columnæ* iam vita functo, *Ferdinandum Daualum* Marchionem Piſcarium, *CXCVI. Ferdinãd. Daualus Mar. Piſcariæ.* Italicis præfecerat copijs, claſſi *Hugonem de Moncada*. ProRex verò Neapolitanus *Carolus Lanoius* rerum Italicarum curam gerebat. Rex Anglus, & Cæſar ex diuerſis ſeſe locis Galliam inuaſuros receperant, vt tribus exercitibus circumſeſſus *Franciſcus*, non tam de recuperanda Italia, quàm de conſeruanda Gallia cogitarent. Superatis itaque Alpibus *Borbonius*, ad Aquas Sextias *Borbonius in Prouinciã ducit.* delatus, magna ciuium gratulatione acceptus eſt, cuius exemplo vicina oppida ſe vltro dederunt. Lugdunum pergere, ibique ſedem belli figere cogitabat, (quod tum non admodum munitum erat) eoque occupato per ſuas ditiones, vnde non paruas equitum, peditumque copias contraxiſſet, vſque ad Biturigum metropolim (quod Gallici regni meditullium eſt) facile perueniſſet. *CXCVII. Maſſiliã obſidet.* In Lugdunenſi namque Gallia Bellyocenſes, Aruerni, Boios, Marchiani, & in Pictonibus Caſtelleradenſes omnes contigui populi erant, qui *Borbonium* bello ſtrenuũ Ducem, vita integrum, mitem, facilemq. Dominum vnicè diligebant: *Franciſcum* in ſcorta, venationeſque prodigum, nouis quotidie exactionibus plebem oderãt excoriantẽ. *Franciſci Regis vitia.* Reliqui tamen Ceſariani rerum Gallicarum non ſatis gnari, vt ad Maſſiliam oppugnandam ſe *Borbonius* conuerteret, perpulerunt: magnã enim ſpem in claſſe ponebant, cum qua *Mõcada* non longe nauigabat. Sed ad ipſos Prouinciæ fines cum ſe ſe *Andreas Doria* Regiæ claſſis Præfectus, maiori triremium, militũque copia obieciſſet; *Moncadam* littus, vbi ſuis adiungeretur, trium nauium detrimento, coegit reſpicere. Quin & *Philibertum* Orãgiæ principem, ex Hiſpania ab Imperatore ſubmiſſum, improuiſa ignotaq. Gallorum in mari claſſis fefellit, cum ad hanc, velut amicam delatus, pro hoſpitio carcerem habuit. Cepta Maſſilienſi oppugnatione, nauiter incubuere milites Cæſariani, ſed inutili labore ſpem conſumpſere. Ducenti cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis, ac ter mille pedites maturè preſidio impoſiti *Brione* prefecto;

Sal. Ann. 1523. fecto; Ciues Gallico ſceptro addictiſſimi, Hiſpaniſque, quòd *Alphonſus* Neapoli in Hiſpaniam claſſe rediens, eam vrbem inopinato intercepiſſet, antiquo ac inueterato odio infeſtiſſimi. Præfectus, cognito *Borbonij* itinere, accerſitis ruſticis, aggeres inſtaurarat, & quæ ad reſiſtendum opportuna erant, prouiderat.

Interea *Franciſcus* Auenionem ſuppetijs præmiſſis, vanam *Dauali*, Hiſpanorumque Ducum conſilia irridebat, qui eam vrbem neglexerant. *Soluitur obſidio.* Tum *Borbonius* & exercitum ſuum longa obſidione attritum, & ſtipendiũ iam iam militi defuturum, & vniuerſas Galliæ vires ſibi imminere præuidens, obſidionẽ ſoluit. Ita præpoſtero *Dauali* conſilio nullum is exercitus operę pretium fecit, magnũ, ſi *Borbonio* fides adhibita eſſet, facturus. *Franciſcus* natura iactantior ſibi nimis multa pol-
198. licebatur; quòd *Clemens* Papa occultè cum eo conſpiraret: Cæſari pecunia deeſſet: fœderati *Borbonio* ſuppetias non miſiſſent: Anglorum mora Galliam inuadendi, *Franciſco* ſpem faciebant Mediolanum recuperandi. Bellum itaque per ſe, non per legatos gerere decernens, ne quis diſſuaderet, quanquàm ingruẽte hyeme, matris conſpectum, quæ ad illum diſſuaſura pergebat, vitauit. Tam inſperatum Regis facinus Cæſarianis minimè præuiſum, omnium animos, atque arma ad Italiæ defenſionem à Maſſilia conuertit. Quocirca non intermiſſo trium, ac viginti dierum itinere per abrupta, deuiaque locorum Papiam eo tempore peruenerunt, quo *Franciſcus* per Alpes Peninas, haud Mediolano procul, ad Ticinum flumem conſtitit. *Franciſcus Rex Galliæ in Italiam deſcendit.* Vbi occupatis ille, quę in nauibus re perit Hiſpanorum tormentis, fecialem miſit in vrbem, qui ſe dedentibus pacem, recuſantibus arma offerret.
199. *Franciſcus Sfortia* filius *Maximiliani*, vltimus ex Sfortianis, qui Ducatum teneret Mediolanenſem (quorum imperium à *Franciſco* inceptum, in *Franciſco* finem habuit, poſt annos quinque ſupra centennos) vbi deſtitutam vrbem milite vim Gallorũ minimè diù laturam videret, fuga præſenti ſe ſe periculo ſubduxit: *Sfortia Mediolanum deſerit.* nec multò poſt *Lanoius* cum *Piſcario* nonnulliſque copijs ingreſſi, poſtquàm exigua vaſtæ vrbis & à militari annona, & ab incolis pręſidia comperiſſent, iamque ad mœnia Galli maximum admouiſſent exercitum, *Sal. Ann. 1523.* vrbe exceſsère: nihilque ad ſalutem ciuibus deditione certius, præſidiarijs fuga tutius viſum eſt. Quare eodem, quo *Franciſcus* tem- CC. pore, porta Vercellenſi exceptus eſt, Cæſariani Romana abiere, *Galli Mediolanum capiunt.* tanta omnia trepidatione, vt neglectis armis, ordine, duce nec conſilia, nec imperium admitterent, totieſque victores fortiſſimorum hoſtium, nunc ſine hoſte propemodum vincerentur. *Franciſci* incuria Cæſarianos ſeruauit, quos timidè palantes cum opprimere negligit, victoriam corrupit. Victoris clementia opportuna vrbi fuit, quam ſæuiſſimus peſtilentiæ furor, quinquaginta millium funeribus deformauerat. Rex ante illam cum caſtris ſubſtitit, tanquàm dignus videri nollet, quem Metropolis acciperet, cum cætera regni membra nondum ad obſequium inflexiſſet. *Piſcarius* ad Papiam (olim Ticinum) muniendam conuerſus, *Antonio Leuæ*, experti roboris, CCI. atque conſtantiæ viro, cum Hiſpanis quingentis, & quinis Germanorum millibus tradidit propugnandam. Interritus *Franciſcus* vbi plurimùm valere hoſtem ſenſit, iſtuc vires omnes impenſurus, obſidione Papiam Nouembri ineunte cinxit. *Piſcarius* reliquum militẽ Laudi Pompeę colligebat, ad hoſtium conatus obſeruandos. Interea cũ ex Gallia, & Anglia nulla ſubmitterẽtur auxilia, in Germaniam ad Auſtriacos *Borbonius* magna ſe contulit celeritate, vt *Ferdinandum* fratrem Cæſaris ad ſubſidiorum gratiam inflecteret, cum à fęderatis nil ſperarent obſeſſi. *Papa & Veneti ad Gallũ deficiunt.* Pontificis namque, Venetorum, cæterorumque Principum animi ad fortunæ motũ fluctuantes, à Cæſare ad Gallum ſpectare cœperunt, incertum metu? an ſpe? an vtroquè? Metuere videbantur Regem, & Cæſarem: illum ſecundo fortunæ curſu felicem: hunc affectatæ Inſubriæ ſuſpicione grauatum, vt eluſo denique *Sfortia*, rerum per Italiam potiretur. Nec timoris deerat argumentum. Cum *Maximilianus* olim *Carolo* Mediolanũ deſtinaſſet: et deluſis Italorũ legationibus poſſeſſionis diploma Cęſar *Sfortiæ* nũquã dediſſet. Augebat metum recens Cæſaris in Gallos expeditio, quæ ſola imperij innixa erat libidini. Cęſar vbi ſocietatis cũ Rege, occultę quidẽ antea contractę, ſed tũ primũ vulgatæ literas

à *Corſo*

Sal. Ann. 1253.

CCII. *Cæſaris queſtus in Papam.*


à *Corſo* oratore accepiſſet, animi indignationem tanto acerbius prodidit, quanto acriora ſunt odia amicorum, quàm hoſtium. *Non ambitione* (aiebat Cæſar) *nec alia cupiditate inflammatus, ſed Iulij Medicæi, nunc Pontificis, apud Leonem omnia moderantis conſilio hoc bellum ſuſcepiſſe, quo amotis ab Inſubria Gallis, Italiæ quietem defenderet. Ipſum Pontificem, cum Cardinalem auctorem, & promotorem fuiße fœderis, Vnde moleſtior ei Clementis eßet inconſtantia, quòd damnatam primùm amplecteretur ſententiam, ſola ingratitudine ductus aduerſus eum, cuius ope Romanum occupauerat Pontificatum. Nullo tamen pauore concußus, contra Clementis inclementes inſidias, regnorum ac etiam vitæ diſcrimine, velle cæptis inſiſtere.* His tamen per legatum Papa repoſuit: *ſui officij eße, vt pacem toto Chriſtiano orbe, quoad fieri poteſt conſtituat: idcirco ſe Chriſtianorum principum bellis ſe immiſcere, vt maiore cum authoritate eandem procuret: quam & tum diligentiſſime procurabat: ſtatim enim poſt captum Mediolanum, Capuanum Pontificem ad Cæſarem legauerat, de pace, aut inducijs acturum; cui Ludouica Regis mater Lugduni per Narbonenſem Galliam in Hiſpaniam tranſire permiſerat.* Adiungebat & queſtus, ne iniuria videretur à Cæſare *Clemens* defeciſſe; Opponebat Pontifex, *quàm iniquè Alphonſo Ferrariæ Duci, Regij, Lepidi, Ruberiæque per interregnum Pontificium inuaſori Lanoius fauerit, atque etiam per contumeliam, adijciendam illi, tanquàm in prẹmiũ factorum, Mutinã dictitarit.*

Porrò Veneti, pari cum Pontifice Gallis obligati fœdere, tanquàm ſpectatores fabulæ aderant, in euentum intenti, quo ſua conſilia moderarentur. Hos ſi Pontifex audiſſet armatus, pacem quum ſuadebat, imperare potuiſſet. Idem ſe Veneti facturos acceperãt, modò ſocium conſiliorum haberent. *Clementis* diſſimulatio anxios tenebat Cẹſareos, an Siciliam vel Inſubriam defenderent? Ad hanc tuendam, diuiſo licet Gallorũ exercitu, impares erant. Ad eam ſi abirent, metuendũ, ne breui poſt ſe victorẽ totũ exercitũ traherent, & Neapolitani antiquo Gallorum odio occupati, fortunæ impetum ſequerentur. *Lanoio* itaq. Pro Regi Napolis curã committere dum cogitant; *Piſcarius*, qui ad infracti animi robur, diſciplinẹ militaris calliditatem adiunxerat, *Stuardi* Albaniæ reguli (quem *Franciſcus* legatum declarauerat) exercitum (conſtabat is ex ſexcentis cataphractis equitibus, & peditum decem millibus) non his eſſe contendebat viribus, quibus regno Neapolitano facile potiretur: multas ibi eſſe munitas vrbes, quæ non niſi longo diuturnoque bello capiantur: at bello Mediolanenſi intra paucos menſes finem imponi poſſe. Si hic Cæſari res feliciter ſuccedant, de Neapolitano, quamuis turrim duntaxat vnicam Cæſar retineat, nullo modo timendum: ſin Neapolim Cæſarianus reducatur exercitus, toto Mediolanenſi principatu *facile potiturũ Frãciſcum, quis dubitat? Inde ad fortunæ ſonitum & Neapolitanos nouandarum rerum cupidos, victoris fortunam ſequuturos? cedẽdo enim, victoriam hoſti damus. Summam igitur belli hic ponendam, vbi qui vicerit, vtraq. ſimul potiatur victoria.* Præualuit *Piſcarij* ſententia: Et curã tuendæ Neapolis *Honoratus Caietanus*, & *Aſcanius Columna* acceperunt. Rex Angliæ iam ſuppetias miſerat. *Borbonius* cum quindecim Germanorum millibus media hyeme, menſe Ianuario, Alpium iuga

Sal. Ann. 1523.

CCIII. *Piſcarij ſententia de defendẽdo Mediol. principatu.*

CCIV. *Cæſarianorum auxilia ab Anglis*



Sal. Ann. 1524. niuibus, glacieque impedita penetrauit, atque eodem abiens, rediensque veſtigio, *Franciſcum* ante Papiam reperit, ſed parum felici ſucceſſu poſt tertium obſidionis menſem, *Antonio Leua* ad omnem ictum, fraudemque intercipiendam intento. *Sfortiæ* diligentia, extra pecuniam, cæterarum rerum in vrbe penuria leuata eſt: Æris inopiam liberalitas Ducum vtcunque minuit; cum vaſa ſuppllexque argentea in monetam, vſumque militum recuſa, hoc titulo vulgaretur: *Cæſariani Papiæ obſeſſi MDXXIV.* *Moneta à Cæſarianis Papiæ cuſa.* Monetam hanc vt & *Franciſci* Regis ſuſpice. *pag.* 421. Tentauerat *Franciſcus* armorum, machinarumq. conatu in vrbem irrumpere, ſed tanta ſtrages primo impetu Gallorum facta eſt, vt per hæc deinde ad vrbem incedere

CCV. *Ticinũ ab urbe auertit Rex.* immane nimium videretur *Franciſco*. Arte magis premendum ratus, aliò Ticinum auertere cœpit, vt vrbem aquarum nudaret præſidio. Nec vanus erat Gallorum labor, quum Cœlo felici obſeſſos tempeſtate propugnante, tanta vndarum colluuie Ticinum excreuit, vt terrarum laxatis repagulis, Gallorum operam facile eluſerit: adeo prò Cæſare non homines modo, ſed & elementa pugnabant. Claudicabat etiam obſidio ob Neapolitanam expeditionem, quam ſolo *Boniucto* auctore ſuſceperat. Acceſſit & aliud infortunium: bis mille pedites Itali, quos Sauona *Franciſcus* accerſiuerat, Alexandrinum agrum ingreſſi ad *Burmiam* fluuium, de via feſſi ſubſtiterant. Hos nihil tale cogi-

CCVI. *Gaſpar Maynus.* tantes *Gaſpar Maynus* Mediolanenſis, Alexandriæ præfectus cum mille ſeptingentis peditibus facilè fudit, & fugientes Caſtellatium vſque perſequutus ſimul cum illis oppidum introiuit, armiſque ſpoliatos, præter duos centuriones dimiſit. *Ioannes* item *Iacobus Mediquinus* Mediolanenſis, qui poſtea *Iacobus Mediquinus.* Marchio Melegnanenſis dictus eſt, ob *Hectoris* Vicecomitis necem quadam relegationis ſpetie ad arcem Muſſiam, vt illi præeſſet à *Sfortia* miſſus erat; ſeu quemadmodum alij tradunt, vt per honoris delati ſpetiem popularibus odijs immolaret. Dux namque *Sfortia* conſpiratæ necis periculo apud populum laborabat. Sed *Iacobum* omni fraude ſolerter imbutum, conſilium hoc non fefellit. Haud enim ignorabat flagitio parta, flagitio compenſari. Principum ſcelera non rarò ſubditorum pęnis caſtigari, vt propriam labem ſanguine luant alieno. *Sal. Ann. 1524.* Seta igitur equina ſolutis à cera literis, vbi ad cædem arcis Præfecto tradi comperiſſet: nouam alio epiſtolam concipit argumento, quam eadem conſignatam cera Præfecto obtulit: adeoque præclarè fraudem vltus fraude ſit: vt illo cedente locum, atque arcem occupauerit. Non multò poſt *Gaufferius* magnis in Italiam copijs per Alpes illapſus, denique *Franciſcus* ipſe fruſtra perſuadere ſunt conati, vt ſibi ad vindictam hoſtium, & ſpem premij adhæreret; quòd amiſſæ fidei damnum infra vitæ periculum non æſtimaret, malletque cum diſcrimine fidelis, quàm cum ſecuritate perfidus haberi. Spem tamen hoc vltimo præſertim bello Gallis, Rhætiſq. Gallorum confederatis fecerat; ſed vafre illorum, cum promiſſa expectarent, deluſis conatibus, fraudem prò virtute habuit; vt cum hoſti fidem falleret, ſuis probaret. Nec volenti occaſio defuit. Erat in Rhetorum finibus *Clauenna* oppidum Alpium radicibus, in reducta valle, accumbens, gemina ex proximis rupibus arce defenſum: quarum altera ſupra vim omnem repentinam collocata, adiri, niſi anguſto per rupes inciſo aditu, non poterat; altera oppido, humiliori loco interiecta, vltro citroque commeantium viam intercipiebat, cæterum habitatore vacua, ac ſuis propemodum ruinis ſepulta. Huc *Riccium* animoſum iuuenem, eiuſque loci accolam cum nouendecim ſocijs *Mediquinus* deſtinat, qui experirentur an caſu aliquo arcem ſolius Præfecti cuſtodia defenſam extorquere poſſint. Noctu adfuit *Riccius*, Meramque arci vicinum amnem, penè glacie rigentem vado tranſgreſſus, inter deſertæ arcis rudera ſubſtitit, vſque dum exacto diluculo, Præfectus arcis, ex ſolemnis diei (qui aderat) conſuetudine, oppidum, filio ac paucis ſatellitibus ſtipatus peteret. Hunc vbi tranſeuntem occupaſſent, ad portam arcis adduxerunt, & niſi aperiretur, ſtrictis gladijs mortem minati ſunt, quam Præfecti vxor viro timens aperiri iuſſit; *Mediquinus* cum trecentis peditibus ſubſequutus arce ſimul, & oppido potitus eſt. Hinc

Rheti

Sal. Ann. 1524.

CCVII. *Rheti Franciſcum deſeruunt.*

Rheti maiores inſidias aduersùm ſe ſtrui rati, non ſolùm in armis fuerunt, ſed & ſex ſuorum millia, qui in Gallorum exercitu erant, reuocarunt. Quum ad primum nuncium non redirent, altero ſe rebelles bonis mulctaturos indicarunt: quapropter quinto die ante prælium (quo captus eſt Rex) quin abirent, nullis nec precibus, nec promiſſis retineri potuerunt. Sunt ex Gallis, qui *Thecanum* Rhetorum præfectum promiſſis ſex nummorum aureorum millibus, vt à Rege deficeret, conueniſſe, atque vt defectio neceſſitatis ſpetie tegeretur, *Me diquinum* Clauennæ arcis præfectum intercepiſſe ſcribunt. *Franciſco* hæc tria futuræ pugnæ mala omina acciderunt; at quod peſſimum, nullum ipſe munus ducis obibat: cum *Anna Mommorencio*, ac *Birone* militiæ imperitis tempus inaniter terebat; cura totius exercitus ad vnum *Boniuetum* translata, & à ſe velut relegata.

Hac defectione miles Cæſarianus erectus, pugnam cogitabat. Iamque exercitus tam ſibi propinqui erant, vt prælio decernere, aut alterum breui diſſolui neceſſe erat: tanta enim Cæſarianis pecuniæ penuria erat, vt Germani in duodecim dies nummum duntaxat aureum, quo vix panem emere poterant;

CCVIII. *Nouam monetam Papiæ cuſam vide ſupra nu. 204.*

Hiſpani nil acciperent, & è caſtris abire, vt victui neceſſaria pararent, cogerentur. *Antonius Leua* pecuniam, quantam poterat à Canonicis Templi Maioris corraſerat: faſces, inſignia, vel argenteos baculos in nummos, qui Ticinenſis ſcholæ Rectori ad Comitia, vel eunti aliò præferri conſueuerant, conflarat. Quæ rurſus cum non ſufficerent, & iam tertium ſtipendia peterent Germani, *Antonius* quod geſtabat aureum monile conflauit, ſuoque ſignauit nomine *A.L.*

Laonius itaque ac reliqui duces non minùs gloriæ cupiditate, quàm neceſſitate coacti, aleam tentare ſuſcipiunt.

Piſcarij oratio.

Piſcarius, cui præmium gloria & ad poſteros fama erat, vndique copias contrahit, magnis promiſſis, variaque oratione, omnium animos implet. *Gallorum Regem antea minacem, modo trimeſtri obſidione fatigatum, & penè deſpectum pingit. Eo victo, bello deuicto, cum quo pugnarent, non ſupereſſe. Galliam ipſam victori in prædam cedere. Animos itaque ſumerent, & hoſtem ſua conciſum ignauia, Italia pellerent. Cæſarem cogitarent, prò cuius nomine Fortuna ipſa pugnaret.* His inflammati milites, cum pugnam depoſcerent, *Piſcarius* quæ in promptu non erant ſtipendia, rapere ſtatuit, & quidquid miles flagitaret, hoſti extorquere. Vniuerſum exercitum in duo equitum, quatuor peditum agmina diſtinxerat. Primum ex *Hiſpanis, Germanis, Italiſque*. Secundum è ſolis *Hiſpanis*. Tertium, quartumque è *Germanis* conflatum erat. Ipſe *Piſcarius* ne vlli deeſſet, voluit penè ſine imperio eſſe, & *Alphonſum Vaſtium* patruelem, loco ſuo, Ducem conſtituit peditatus.

CCIX. *Caſtrum S. Angeli Hiſpani capiunt.*

Ne quem verò à tergo hoſtem, ad commeatum intercipiendum deſereret, *Caſtrum S. Angeli* (cui *Phyrrus Gonzaga* Gallicæ partis præerat defenſor) opulenta annonæ merciumque inſtructum copia adortus, eò cum *Vaſtio*, quem ad difficillima quæque adhibebat ſocium, progreditur. Noctis beneficio arcanum hoſtes latuit, dum adhibitis ad auroram tormentis, turris muro incumbens ingenti hiatu, mox inuaſuro militi, diſcederet. *Piſcarium* audaci facinore primum per ruinas in oppidum, coniectum tanto irruentium impetu milites conſecuti ſunt, vt penè oppreſſerint. *Pyrrhiani* repentino metu conſternati, aut in fuga, aut in cæde diſiecti. Dux ipſe arcis præſidio receptus, cũ vim expectare nollet, vitam deditione redemit. Arx militi in prædam ceſſit. Mille aureis (quos in Pyrrhi loculis inuenit) *Caſadæ* murum occupantis virtutem *Piſcarius* eſt muneratus.

CCX. *Piſcarius liberalis in milites.*

Ei ſola ad gloriam rectè factorum ſuperabundauit fama. Moriens tot vrbium, hoſtiumque triumphator *Vaſtio* patrueli non vltro paternam reliquit hæreditatem, & ære alieno grauatam. Vbi caſtra dux repetijſſet, in Cæſarianos *Ioannes Medices, Gallicæ militiæ Achilles*, permixta equitum, peditumq. ala inuectus, vim tãtam armorum intulit; vt Germani decretoria pugna certandum rati, veteris militiæ conſuetudine, collectum manu puluerem ſpargerent, caputq. ac vitam prò Cæſare deuouerent.

Mos vetus dum pugna initur.

Sed Rex ſuis in caſtra receptis, Cæſarianis locum *Circo* (Parcum Itali vocant) vicinum ad ignobilem Pratæ vicum ceſſit, quẽ non longe à Gallorũ munitionibus diſſitũ hoſtilia tormẽta infeſtabãt. Prælij aleã nõ temerè ſubi-

Sal. Ann. 1524 ſubiturus videbatur *Franciſcus*, qui copias ſuas nouo Ticino extra Ticinum extructo, aduersùs Cœli inclementiam milites collegerat, nulla ſtipendiorum exigentia exacerbatum. *Piſcarius* verò vt Gallis bellandi neceſſitatem imponeret, diu noctuque velitationibus, iuſtis quandoque prælijs laceſſebat: factumq. vt dum vmbratili per tenebras irruptione caſtra diuerſis partibus laceraſſet, ipſe inopinato euentu, vicinis extra caſtra ſtationibus expugnatis, intra valla erumperet, tormentaque capto Præfecto, occuparit; debellaſset etiam, ſi tantam Gallorum præuidere potuiſſet iniuriam, imparatus enim ad tantam molem acceſſerat.

Piſcarij ſolertia.

CCXI. Neque *Franciſcus* pugnam defugiebat, quam ſibi non minori fiducia felicem promittebat. *Salaſſum* itaque Principem, deuicto, interceptoque *Hugone Moncada*, non infeliciter contra Genuenſes pugnantem, Sauona accerſit. *Tramulium* Mediolano cum magna præſidiarij militis parte adeſſe iubet: *Mommorantium* aduocat. *Salaſſus* verò intercepto aditu, cæſiſque quatuor millium copijs, parem cum *Moncada* ſortem inter vincula adijt victor, & victus. Collecto itaque Ticinum milite, intra caſtrorum ſepta Rex ſubſtitit, quæ foſsis, valliſque præaltis exurgebant. Plerique tamen Gallorum, qui bellicis fulgebant artibus *Franciſcum* à pugna reuocabant. *Galeacius, Triuultius*, & *Palicia* ſtultum putabant *regium caput, vniuerſæque ſimul Galliæ fortunam vnius certaminis obijcere periculo, Cum ſola mora hoſtis profligari poßet. Maxime cum aduerſarios ſola deſperatio ad pugnam impelleret. Quid quærimus* (dicebant ipſi) *vincere? vincimus, ſi non pugnamus. Neque enim à Cęſarianis Ducibus ſtipendia, neque à nobis prædam milites expectare poßunt, ſi pugnam detrectemus. Cedamus Rex, vt cedere ac vinci mox hoſtes cogantur*. Ita diſſeruit *Palicia* homo ferox, bellandi cupidus, vnde admirationem, & obſequium ſibi conciliare debuiſſet. Eadem *Clemens* per legatum, ac *Renatus Sabaudienſis* auunculus *Franciſci* ſuadebant. Vnus ex regijs ducibus *Boniuetus*, qui animum occupauerat Regis, nimis arroganter, & alienæ inertiæ accuſatione veritatem oppugnabat. *Senes iam, & annorum pondere feßos* inſimulabat, *qui Gallico nomini iniuriam fuga quærerent. Latere eos, Regis præſentiam ad victoriam ſufficere. Quod ſi aliter ſentirent, quid intererat, tanta impenſarum, temporiſque iactura fatigare Ticinum, vt inde more fugientium victrix abiret Gallia, & ab vrbe ad deſperationem cederet inclinata? His caſtris abire non poßumus, quin tota abeamus Inſubria, ſine pugna etiam vicimus, quia ſtetimus. Si abeamus, abit victoria*. Franciſcus, qui vni *Boniueto* fidem adhibebat, & vanitate noua veterem augens, turpe ſibi eſſe ducebat, ſi venienti hoſti, quaſi metu perculſus cederet: ſæpius enim vt omnino vanus erat tota Italia ſe nunquàm inde niſi victorem diſceſſurum, aut morte victoriam redempturum iactitarat, cum periculo certare, quàm cum dedecore cedere maluit. Porrò *Piſcarius* cum hoſtilia caſtrorum propugnacula abſque ingenti ſuorum clade penetrare non poſſet, decreuit, effracto Circi muro, Marabellum palatium expugnandum eſſe: quod venationibus, & aucupijs in medio Circi eductum, partem vnam caſtrorum muniebat. Circiter duas ante lucem horas appulſi, ſexaginta muri vlnas nemine è Gallis id deprehendente, proſtrarunt. Septum ingreſſi, recata Mirabellum contenderunt, tunicas albas ſuper arma induti, vt ſe à Gallis diſcernerent. Inexpectata hæc Cæſarianorum audacia Romam vſque aduolauit. Vbi *Paſquinus*, cum adueniente Gallo Hiſpani ſe ſe murorum abdidiſſent receptaculis, in eos per ludibrium iocatus fuiſſet: *Num quis Hiſpanum in Italia vidiſſet exercitum? amiſſum vbique quæri, repertori ſuo manere præmia*. Modo ſuis in caſtris Gallum circumuallatum laceſſere non modo, ſed & inuadere auderent. Idem nuperrimæ quæſtioni Romanũ reſpondit Idolum: *Repertum modo Hiſpanum militem, euigilaſſe de ſtrato, & mane ſuo amictum induſio, viſum adire in caſtris Regem, Galliæque proceres, vt ſalutatis locum indicaret carceris præparatum*.

Franciſcus pugnæ auidus.

Sal. Ann. 1524.

CCXII. *Paſquini nugæ mordaces.*

Cæſariano itaque milite in Circum ſe ſe effundente, & Gallos ad pugnam prouocante: *Franciſcus* illa minimè aduerſariorum audacia territus, exercitum & ipſe vallis, educens, recta ad Mirabellum pergentibus obiecit. Modum certaminis ita *Iouius* refert.

Erant

Sal. Ann. 1524. *Erant in poſtremo Cæſarianorum agmine Italicæ cohortes ſeptem, cum tribus Hiſpanicis, cuſtodiæ quinque tormentorum muralium præpoſitæ: eæ cùm vix ingreſſæ Parcum reliqua antecedentium agmina ægre ſequerentur quod aquoſo loco deuoratis rotis tormenta ſubſidiſſent; factũ eſt, vt qui nouiſſimi erant, primi omnium Galliæ hoſtibus occurrerent. Eas namque* Franciſcus *longè à reliquis copijs diſiunctas conſpicatus, eò confeſtim mittit* Philippum Brionium *&* Fridericum Bozolum *cum valida cataphractorum equitum manu, expeditiſque aliquot tormentis, aggregantibus etiam ſe extraordinarijs peditum manipulis. Ij celeriter parent, & hoſtes ſubleuandis tormentis occupatos adoriuntur. Fit prælium atrox: ſex cohortes quanquam ſingulari promptitudine dimicarẽt, neque tormentorum procellam, neque vim equitatus ſuſtinentes, in proximam ſiluam ſe recipiunt; vt obiectis arboribus inſultantium equitum impetum euitarent. Ita Galli ſuccisis iumentorum cruribus tormentis potiuntur, eodemque impetu peruadunt in ſiluam: ibi inuſitati certaminis iniquitate oppreſſus Sebaſtianus Squarcia vir eximiæ virtutis cadit, & cum eo ſtrenui aliquot centuriones, atque ſigniferi, & cohortes quatuor integræ conciduntur. Ea res in oculis omnium proſperè geſta ſicuti Regis & Gallorum animos vehementer extulit: ita Piſcarium, qui opem ad ferre nequiuerat incredibili dolore affecit.*

Sed contrà vir pugnæ auidus, conſpecto regio exercitu quem, nequaquam in aciem è caſtris proditurum ſperabat, veluti concepta victoria maximè eſt lætatus. Nec mora, Falcium notum equitem ad Lanoium mittit, qui admoneat in itinere ſubſiſtendum, rebuſque omnibus poſtpoſitis & verſis in hoſtem ſignis protinus eſſe confligendum: hoc item Borbonio & Nicolao Salmæ ſignificat, ſeſeque ad accerſendum Vaſtium citato equo proripuit: ſed etiam ille extemplo conſpectis hoſtibus, relicto Mirabello ad Vernaculam regreſſus, denſatis copijs in hoſtes ſigna conuerterat, cùm in eo temporis momento, nequaquam prioribus mandatis parendum, ſed nouo conſilio, quod caſus offerret maturè vtendum eſſe iudicaſſet. Itaque Piſcarius, rectè, inquit, frater, quod volebam effeciſti: idcirco ab læua ad hoſtes plenis paſſibus contende, & enitere audacter, vt abs tuo maximè cornu victoria feliciter oriatur. His dictis ad legiones Germanorum conuolauit, in quarum virtute ac robore Sal. Ann. 1524. *ſummæ rei gerendæ & totius victoriæ momentum conſtare preuidebat. Interim Cæſarianorum leuis armaturæ equitum manus audacter ad nigram vſque legionem prouecta à Germanis facilè ſubmouetur, & in ſubiectam Vernaculæ vallem fœda perturbatione detruditur: tormentaque item Gallica, citatis equis, admirabili ſolertia & celeritate in omnes partes opportunè raptata, ita hoſtes petebant; vt Hiſpani demiſſis etiam humi pectoribus vix depreſſioris loci beneficio pilas euitarent, & Lanoius & Alarco pauentes alas ruſticanæ caſæ, quæ obiectu ipſo fortè protegebat applicare cogerentur.*

Tum verò Franciſcus his veluti non dubiæ fortunæ initijs ſuopte ingenio & ſuorum hortatu vehementer incitatus, quin dato ſigno procurreret, minimè dubitauit. Idem cęteri faciunt et ante alios Palicia primi agminis ductor à dextero cornu Cæſarianos equites impigrè adoritur. Is Gallorum impetus ſicuti Lanoio grauis, atque terribilis fuit, ita poſtea multorum opinione viſus eſt victoriam è manibus Regis haud dubiè rapuiſſe: nam præcipiti eo diceſſu, non modo Heluetij nigrique Germani, nequaquam pari paſſu ſubſequentes, equitum præſidio ſunt nudati; verum etiam tormentorum vſu magna ex parte ſublatus; cùm libratores ceſſare cogerentur, ne Regij agminis effuſe prætervecti ictibus terga ſimul & latera verberarent. Cæterùm ætate noſtra ab equitatu nuſquam alacrius atq. validius eſt concurſum; cùm veterani vtrimque duces, & equites, flagrantibus animis, non de gloria modò, quæ vna maximè veræ virtutis aciem exacuit; ſed de Italiæ imperio dimicarent. Galli vindictæ auidi, vnum ante alios Borbonium, vti Regis & gentis, cum ignominia perfidiæ, deſertorem, omnibus pugnæ locis requirebant; cum ille ad tutiorem promptitudinem, Pomperano familiari traditis inſignibus, tunicati & priuati equitis habitu depugnaret.

At Rex ipſe argentea in trabea, criſtis, & ſua maximè proceritate conſpicuus, cohortantis ducis & ſtrenui bellatoris munus implere, hoſtilem aciem concitato equo perrumpere, aggredi obuios, & purpura auroque præcipue inſignes. In eo tumultu Ferdinandus Caſtriotus, qui originem à Macedoniæ Regibus ducebat, dux illuſtris, regia manu confoſſus cadit: ſternitur

& Vgo

Sal. Ann. 1524. & Vgo Cardonius alæ Piſcarianæ legatus: Vexilla duo diſcerpuntur, & Noricus equitatus, quem Ferdinandus Cæſaris Frater auxilio miſerat, dum impigrè pugnam ſubit, & conſtantiſſimè repugnat, graui accepta clade profligatur. Ita, vt iam penè Lanonij atque Borbonij ſigna & agmina nutarent. Nam vel ea re Gallus numero & viribus ſuperabat, quòd Cæſariani cataphracti leuis armaturæ militum ſubſidijs carebant: ſiquidem ex tribus agminibus primi cum Vaſtio ad Mirabellum proceſſerant: ſecunda ala (vt diximus) à nigris Germanis fœdè pulſa refugerat, tertia autem relicta extra Parcum, Duce Guidone Guaino, totius exercitus impedimenta tuebatur. Ala quoque illa mirifica nobilium Italorum et Hiſpanorum ipſi Proregi peculiaris, vt quæ prælio non interfuit, nulli erat adiumento, nam Lanoius Vererium Belgam adoleſcentem conſanguineum ſuum eius alæ Præfectum extra Parci murum ſubſidere, nec ſe vllo modo commouere præceperat, donec ab ipſo per certos nuncios conſurgendi & pugnandi ſignum acciperet. Sed commiſſa ſtatim exardente pugna cum Laonius, in re præſenti atque terribili, cunctis ſenſibus atque memoria vehementer occupatus neminem, qui accerſeret omnino mitteret, adoleſcens patrui ducis iuſſis & diſciplinæ præceptis omnino parendum exiſtimans, vſque ad pugnæ exitum immotus conſtitit. Nec vlla equitum obteſtatione, vel increpatione potuit adduci, vt in aciem prodiret. His de cauſis laboranti Lanoio & vix Regij agminis impetum ſuſtinenti.

Piſcarius, qui admirabili præſentique prudentia, ac intentis maximè oculis cuncta luſtrando, huc & illuc ſingulis difficultatibus occurrebat, Hiſpanos ſclopetarios circiter octingentos ſubſidio mittit, qui repentè circumfuſi à tergo & à lateribus, edita terribili pilarum procella, ingentem equorum atque hominum numerum proſternunt. His etiam appropinquat haſtatorum grauis armatura, atque ita, certo præſidio tuti, audacius plumbeis glandibus inceſſante rem gerunt. Quo accepto incommodo Regij, dum conſiſtere conferti nequeunt, & expanſis alis, minore cum periculo, repugnare, ſe poſſe exiſtimant, diſſoluta acie diſſipantur. Sed dum huic conſilio fortuna infeſtior occurrit, ira & pudore conglobati rurſus in ſclopetarios deferuntur.

At Hiſpani natura agiles, & leuibus protecti armis, retro ſeſe celeriter explicant, eorumque impetum tortuoſis diſcurſibus eludunt, auctique numero, vt erant, cùm longo vſu, tum nouis Piſcarij præceptis edocti, manipulatim in toto campo ſine ordine diffunduntur. Erat id pugnæ genus per ſe nouum & inuſitatum, ſed in primis ſæuum & miſerabile, quod magna rerum iniquitate præoccupantibus ſclopetarijs, præclaræ virtutis vſu? in equite penitùs interiret: nec vllæ, vel fortiſſimæ dextræ, diu proficerent, quin conferti à raris & paucis plures, & clariſſimi ſæpe duces, & equites, inulta cæde, paſſim ab ignobili & gregario milite ſternerentur. Sal. Ann. 1524.

Ab alia quoque parte, iam Vaſtius promotis à dextro cornu cohortibus, & inducta ala equitum cum Anneo Mommorantio proſperè conflixerat, profligatoque per ſclopetarios eius equitatu ipſe ante alios interfectis libratoribus, tormentis hoſtium fuerat potitus. Accidit autem in eo concurſu (quod non videtur prætermittendum) vt Vaſtius & Mommorantius; qui poſteà ſummi duces euaſerunt, ſicuti ab vtroque accepimus, peracri ſingularique certamine aliquandiù dimicarint: eo quidem euentu, vt non multò poſt Mommorantij equus Caſtelij manu vulneratus concideret, atque ipſe demum ab Errera Centurione caperetur. CCXIII.

Eo rerum ſuceſſu Vaſtius factus alacrior, minorem Heluetiorum aciem, tormentorum amiſſione & fuga equitum abſterritam, & ob id hæſitantibus animis pugnam capeſſentem adoritur. Tum verò, incredibile dictu, videre licuit gentem, paulò antè ab excellenti probataque virtute campeſtri preſertim in acie formidandam, cùm decoris & diſciplinæ, tùm innatæ ferociæ penitus oblitam, inclinatis haſtis, pugnam detrectare, & metu mortis egregiæ, ab infami fuga turpiſſimum interitum, prealto in flumine, quæritare, fruſtra eos retentare confirmareque magnis obteſtationibus conante Florantio Sedanio, qui genti familiaris, & dignitate equitum Mareſchalchus cum peculiari ala cataphractorum, dimiſſis omnium equis, in prima acie ſe pugnaturum profitebatur; adeò, vt priſtinum illum immanium corporum ac animorum vigorem cœleſte aliquod infeſtum numen, aut certè fatalis is Regi dies eripere videretur. Nec minori deformitate eundem fugæ exitum tulit altera Heluetiorum acies: quæ, vti

vti

Sal. Ann. 1524. *vti numero cohortium plenior aliquandiu immota conſtiterat; ſed cùm circumfuſis vndique ſclopetarijs perpetuo quodam pilarum imbre eminus obrueretur, & promptiſſimi Centurionum, vt plerumque accidit, in ipſo primo ordine cecidiſſent, conſpecta demum ſtrage regij equitatus, abiectis haſtis, terga vertit.*

Ferunt Ioannem Dieſpachium, qui ſummam inter Heluetios Duces auctoritatem obtinebat, cùm cohortes ne tentato quidem certamine turpiter fugientes intueretur, & obuerſus, ac iratus ſigniferos increpando cædendoque ſiſtere nequiret, grauiſſimo compulſum dolore tantæ acceptæ cladi ac ignominiæ ſupereſſe noluiſſe, in eoque præſentis animi decreto, peruadentem in confertos hoſtes, honeſtiſſimè cecidiße. Hanc tamen cladem Heluetij, qui ſuperfuere Alanconio Regis ſororio, acceptam referebant, quod ille, vbi parum ſtrenuus & diù inclinantis prælij ſpectator, dum ardente adhuc pugna, cum integro totius poſtremi agminis equitatu in fugam ſeſe proriperet, Heluetiam aciem egregiè denſatis ordinibus prælium ſubeuntem, tranſuerſa & præcipiti impulſione perrupißet.

Cæterum à dextero Gallorum cornu vni omnium peditum Nigri Germani, vt in ipſa ſalutis atque Victoriæ deſperatione, cum Germanis accerrimè & conſtantiſſimè depugnarunt: eoque maioribus prope odijs, quàm viribus, quæ ſummæ erant, ſunt congreſſi, quo efferatis diuturna diſſenſione animis, neutris, qui paulùlum loco pulſi pedem referrent, vlla omnino ſpes veniæ aut militaris miſericordiæ relinqui videretur. Indignabantur Cæſariani, quod Nigri contempta & irriſa Cæſaris Maieſtate, ſpretaque auctoritate Germanici nominis, pro Gallo vetere hoſte mercenarijs armis, fratres conſanguineos obſeſſum atque oppugnatum veniſſent. Ex aduerſo Nigri maximè decorum exiſtimabant pro eo Rege, qui multis annis ipſos liberalibus ſtipendijs aluiſſet, fortiſſimam operam præſtare, tueri ſacramento fidem, & nihil omnino admittere, quod veteranis militibus indignum foret. Nec hercle ex his quiſquam erat, in eo haud dubiè ſupremo vitæ actu, conatuque bellici operis, qui inſultantis fortunæ iniuriam inuſitata virtute & decora morte vindicandam non duceret. Cùm appropinquarent acies & miro ſilentio gradus inferretur, procedebat ſolus ante nigrorum aciem Longamantes ab Auguſta Vindelica nobiliſſimus Dux. Georgium Franiſpergum & Marcum Sithium elata manu, & clara voce ad ſingulare certamen prouocans. Sal. Ann. 1524. *Sed is atroci murmure refutatus, & multorum ſimul petitus telis citò concidit, abſciſſamque eius cùm armillis & annulis manum ouanti ſimilis gregarius miles oſtendit. Tum vero ſublato clamore à Cæſarianis alacriter eſt procurſum.*

Erat in medio campo dum vtræque acies coirent, ipſe Piſcarius in equo ſublimis, ſed pedeſtribus armis protectus ſæpe orans Franiſpergum, vt gradum intenderet, eumque commemoratis ſuperioribus prælijs, in quibus eius viri virtus enituiſſet, ad parandam omnium maximè opimam & memorabilem victoriam accendebat. Itaque concurrente vtraque acie, dùm in aduerſos equum adigit cuſpide per apertam galeam recepta in facie vulneratur, confoſſoque demum equo ſiniſtrum ei crus alabarda traijcitur. In eo terribili armorum fragore haud du- CCXIV. *biè ſuorum pariter atque hoſtium armis fuiſſet oppreſſus, niſi ægre eluctantem familiaris primò eques, & demum centuriones & ſigniferi propiores magno conatu ereptum ſeruaßent.*

Interea Franiſpergus & Sithius admirabili peritia, ad includendos hoſtes exporrecta vtrinque acie, legionem in medium ſinum exceptam duobus ſtatim expanſis et recuruatis cornibus præcingunt, eamque pertinaciſſime reſiſtentem in medio totam contrucidāt: ita ut una tantùm tribus legionibus oppoſita, & ob id infelici virtute repugnante, nemo penè Nigrorum euaſerit. Periere ibi, præter Longamantem, ante primos ordines Richardus Suffolchius Regulus, cui Albæ-roſæ cognomen fuit, ad quem plerique, & præſertim Galli, Britannici regni iura pertinere prædicabant: & ab alijs propter regij nominis dignitatem & bellicarum rerum peritiam; Nigræ legioni fuerat præpoſitus. Franciſcus item Antonij Lotharingiæ Principis Frater, eximiæ indolis adoleſcens, qui in primo ordine, ante alios armis & criſtis conſpicuus, locum popoſcerat: duoque item Germani Reguli Hortembergius atque Loffenius militia illuſtres: & Teodoricus Scombergius Nicolai Antiſtitis Campani frater equeſtri dignitate, et propter induſtriam excellentis ingenij, legationum etiam honore inſignis.

In hunc modum diuerſa in parte dum fugantur

Sal. Ann. 1524.

gantur Heluetij, & Germani concidunt: eodem ferme tempore regia acies à Sclopetarijs ſimul, & ab equitatu, haſtatis etiam ſuccedentibus, perrumpitur. Tum vero quiſque dux inſignis & illuſtris eques, ad protegendum eripiendumque Regem concurrit: plerique deſiderio nauandæ in oculis Regis ſupremæ operæ, loca atque agmina ſua relinquunt. Palicia dum ſuffoſſo equo, annis ac armis grauantibus, ad Heluetios ægrè ſe recipit, ab equitibus intercipitur. Sed eum iam ſuperuenienti Caſtalio traditum Vaſurtes Hiſpanus, quaſi tanti captiui pretium & laudem equitibus inuideret, appoſito ad thoracem craſſiore Sclopeto crudeliter interficit: traijcitur duplici vulnere & ipſe Tramulius, multarum palmarum vetus Imperator. Galeacius item Sanſeuerinus, dum ſingulari peritia huc et illuc adacto equo hoſtes ſubmouet, & præclarè decertat, in conſpectu Regis cadendo, quod regiæ gratiæ & famæ inclyti nominis debebat, honeſto vitæ exitu perſoluit, cùm procumbente equo laberetur, proximum ſibi Gulielmum Langeum illuſtrem equitem, in ſupremo caſu opem ferre cupientem, appellans; ſine me, inquit, Fili, fato meo fungi & quàm celerrime potes, hinc ad protegendum Regem recurre, nominiſque mei & honeſti exitus memoriam, ſi euades pie amiceque colito. Erat pugna omnium maxime funeſta & magnopere iniqua Gallis equitibus nam à circumfuſis & expeditis Hiſpanis, in omnem partem ad lethales ictus, pilæ plumbeæ ſpargebantur: quæ non iam tenuioribus (vti paulò antè erat ſolitum) ſed grauioribus ſclopetarijs, quos vocant arcabuſios, emiſſæ, non cataphracturam modo ſed duos ſæpe milites, & binos equos transuerberabant; ſicut miſerabili nobilium equitum ſtrage, & morientium equorum cumulis conſtrati campi, & alarum virtuti ſimul officerent, ſi denſato ordine irrumpere conarentur; & paſſim veluti obiectis aggeribus, ſi cui decore vita potior foret, minimè expeditum ad fugam iter præberent. In tanta rerum iniquitate Vilermus Boniuetus Amiras aliquandiu diſcurrendo & cohortando Heluetios, & equites in fugam inclinatos confirmare conatus, cùm haud dubie aduerſam eius prælij fortunam agnoſceret; nec tantæ cladi, cuius ipſe præcipuus fuiſſe auctor diceretur, ad pœnam vel ignominiam ſuperſtes eſſe vellet, graui & obſtinato pudore in medios hoſtes incurrit, atque ibi quòd aperta galea diſcurrentium & imperantium ducum more vteretur, iugulum mucronibus obiectans, eſt interfectus. At Franciſcum, nudatum omni ferè præſidio alarum, & cuſtodia corporis, tot circum interfectis, & cæteris circumquaque palantibus ſeſe eripientem, mixti ex varijs turmis aliquot equites, vti habitu inſignem perſequuntur.

Sal. Ann. 1524.

Nec Rex impigre ſeipſum deſerit, quanquam CCXV.
ab equo & à fortuna deſerebatur: paſſim inflexo equo cum inſultantibus gladio rem gerit, illatiſque aliquot, & acceptis vulneribus, ſtrenue repugnat, ſed dum ad proximum riui pontem contendit, confoſſo & corruente equo, ſternitur. Primi omnium Didacus Abila, & Ioannes Vrbieta Cantaber ſuper grauante equo iacētem circumſiſtunt: nec adhuc planè cognitum intentatis gladijs vt ſe dedat, ni perire malit, cohortantur. Interim ſuperuentu Mottæ Anoierij Galli, qui erat Borbonij equitum Præfectus, de facie noſcitur: quanquam erat ex vulnere totum os manante ſanguine fœdatus, ſed dum Motta, vt ſe Borbonio dederet, qui non procul abeſſet, hortaretur, Rex ad proditoris nomen indignabundus, ac imperanti ſimilis, accerſitote, inquit, Lanoium: iſque dum Motta ad Borbonium peruolaret, vndique voce & diſcurſu militum quæſitus, opportunè ſuperuenit, ſummotaque incumbentium turba ſubtractum equo, exporrecta dextra ſubleuauit, præoccupanti Abilæ Chirotheca ferrea traditur: proximi paludamentum infruſta diſcerptum abripiunt, alij balteo & calcaribus potiuntur, quùm quiſque aliquid ex Regijs exuuijs rapere properaret, quod mox ad decus, petendaque præmia, non obſcura fide poſſet oſtentari. Capto Rege, vndique à Cæſarianis victoria conclamatur Gallis animus concidit: fit fœda fuga in omnes partes: Heluetij pecorum modo pauentes dum cæduntur, Ticino flumini ſe committunt, natandique prorſus imperiti fœda & miſerabili colluuione connexi impeditique agminatim gurgitibus rapiuntur: alij ſupplices proiectis ad terram armis ſalutem petunt. Rex armatus, vti erat, in humili aſturcone cùm à Lanoio in caſtra duceretur, Alphonſo Vaſtio fit obuius. Iſtum forte à perſequendis Heluetijs redibat, vt de Piſcario, quem falſo cecidiſſe ferebant, certius agnoſceret.

Nec

Sal. Ann. 1525. *Nec mora, Vaſtius ab equo propere deſilijt, & regiam dexteram apprehendens, cuſtodientium & aggregantium ſeſe vltro militum coronam latè ſummouet, ita vt his pudorem inijceret, qui nullo propè reſpectu Maieſtatis, adeo arctè iam captum Regem cuſtodirent. Tum verò* Franciſcus *haud parùm eius conſpectu recreatus, ſilentium exſoluit. Eum enim, cùm iuuentæ flore & ſpecie corporis, tum virtutis & omnis militaris elegantiæ laude inſignem, vti præclarus vel in hoſte excelſæ virtutis æſtimator, vehementer adamabat. Conſolanti Vaſtio magnitudinemque animi & humanitatem in* Carolo *Cæſare plurimùm attollenti:* Statueram, *Rex inquit,* non indecoro caſu inter armatos concidendo, animum ab hac tãtarũ rerum mearum acerbitate vẽdicare, ne tot clariſſimorũ meorum Ducum funeribus ſupereſſem, ſed fortuna iam pridem nomini noſtro iniquè & peracerbè infenſa, vt vitam inuito ad illudentis fortunæ ſpectaculum reſeruaret, honeſtiſſimam mihi mortem inuidit: hoc vno tamen memet in tantæ cladis memoria conſolabor, quod nulla mihi in poſterum fortunę vis erit pertimeſcenda: quandoquidem illa ſæuiſſimè ſemper furens, nec tot cumulatis cladibus vnquam abunde ſaturata, nunc tandem reliquas ſupremi odij faces in publico totius Galliæ luctu, & ſumma mea ex tanti infortunij caſu iactura reſtinxerit. *His verbis, non modo ipſis victoribus ſingulari affectis lætitia lacrimas propemodum exciuit; ſed circumfuſorum etiam omnis generis militum animos tantæ victoriæ reputatione vſque adeo confudit, vt facile à cædibus & ab ipſa etiam præda, ad tanti Regis capti ſpectaculum vndique verterentur.*

Ductus eſt in Gallica caſtra ipſo imperante, ne à Ticinenſibus, quos ſummis affecerat detrimentis, & à ferociente præſidario milite, tanquã diuturnis obſidionis incommodis vehementer afflicto, ad ludibrium in ea fortuna conſpiceretur. Ibi ea vulnera, quæ in auerſa parte femoris, & in dextera ſummaque gena acceperat, facile curauit: aliquot etiam pilarum ictus duplici thorace ita egregie ſuſtinuerat; vt cùm Chriſti Crucis fruſtulum aurea concluſum bulla ferret; quòd plane ſeruatus in miraculum à CCXVI. *pijs hominibus diceretur.* Huc vſque *Iouius.*

Victoriæ nuncio Mediolanum perlato, *Sal. Ann. 1525.* *Theodorus Triuultius*, ac *Chandius* rerum capitalium præfectus ex vrbe exceſſerunt, Galliam repetentes: omniſq. adeo Mediolanenſis principatus ſtatim in Cæſaris poteſtatem cõceſſit. Poſtridie huius pugnæ *Franciſcũ* clã militibus in arcẽ Piſleonenſẽ deducendũ curauit. Rector Hiſpanus duæ res Cæſarianos ſollicitos tenebãt: primùm vti Regem eo loci collocarent, vbi de aſſeruando non multũ laborarent: tũ vt militibus ſtipẽdiũ exoluerent, Regem vel Neapolim, vel in Hiſpaniam deducere decreuerant: verum claſſe præſtabant Galli, vt mari nec in illam, nec in hãc tuto nauigare poſſent. Terra peti Hiſpania haud poterat, Neapolis poterat; ſed militibus non ſoluto ſtipendio committere non audebãt. Propterea cum *Clemente* fœdus inire cupiebant. Fama verò diuulgata victoriæ, omnes Italiæ Principes potentiam horrebant Cæſaris, & ſibi ſeruitutem imminère exiſtimabant, Gallis attritis, Heluetijs iactura priſtinæ gloriæ ignauè recenti bello defunctis, qui Romano Pontifici præſto eſſe ſolebant. *Veneti* attoniti, quòd à poſtrema ſub *Hadriano* inita ſocietate, nulla cauſa receſſerint, trepidabant. *Clemẽs* eodẽ metu tenebatur: in cuius ditionibus raræ munitę vrbes, populi *Guelforũ*, ac *Gibellinorũ* factionibus diuiſi, Pecuniæ inopia. Florentiæ etiam timebat. Florentini enim poſt à *Carolo VIII.* expulſos *Mediceos*, libertati aſſueti Mediceorũ reditum non æquis animis ferebant. Ipſe iam Cardinalis ad augendam Cæſaris potentiam conſtantiſſimus, Pontifex creatus, Cæſaris hoſtis Gallis pecuniam ſubminiſtrarat, fœduſq. percuſſerat, vt literis in Regis tentorio poſt victoriam repertis patefactum erat. Accedebat quod tormentarium puluerem, pilaſq. Ferraria ad Gallorũ exercitũ per agrum Parmenſem, & Placentinũ conuehi, & Albanię regulum in regnum Neapol. contendentem, vbique excipi tanquam amicum permiſiſſet. Hæc *Clementem* ſecum reputantem *Veneti* adeunt legati, vt ſocietate inita, decem Heluetiorum millia in Italiam arceſſeret, hiſq. Italos pedites, equiteſq. adiungat, perſuadere conantur. Germanos, qui Ticini erant præſidio etiam poſt victoriam ſeditionem agentes, tormenta occupaſſe, vrbem in poteſtate habere, non meliora ſperari,

Veneti Clementẽ ad ſocietatem ſollicitant.

Sal. Ann. 1523. rari, quum præfati vnde ſoluant, non habeant. Occaſionem non deſerat, arma paret; Cæſariani namque ad Regis cuſtodiam non mediocrem alere cogentur exercitum. *Ludouicam* Regis matrem ad filij libertatem redimendam nec ſumptui parcere nec militi. Quod ſi Cæſarianis tempus indulgeat, totâ ſit eis Italiam cedere coacta. Addebant Ferrarienſem Gallis antea addictum, à ſocietate non alienum. Inclinabat ad ſocietatem *Clemens*, & *Hieronymum Guinucium* equis curſoribus miſerat, vt Anglos aduerſus nimiam Cæſaris potentiam excitaret: quùm Capuanus Pontifex à *Lanoio* miſſus, certam ſpem cum Ceſare conueniendi faciens, Pontificis animum ita irretiuit, vt *Guinucium* antequam in Angliam tranſmitteret *Clemens*, reuocaret. Tum Veneti, *ne incertam Ducum fidem, pacemque parum honeſta mercede emeret Papa, qua ſimul Italiæ libertatem, opeſque egeno rapacique militi venderet*, conabantur ſuadere. *Poſſe ÿſdem, quibus Cæſari ſe ſe ambiguo euentu conciliet pecunijs, expeditum ad arma militem comparari, Franciſcum in libertatem vindicari: Cæſarem Italiæ ceruicibus incumbentem amoueri.* Mitiora tamen pacis *Clemens* amplexatus conſilia, ne attrociori iniuria Cæſarem prouocaret, cum *Carolo Lanoio* æris ad militares ſeditiones compeſcendas auidiſſimo, centum & triginta aureorum nummum millibus, pacis fœdera pactus eſt, Venetis dubiam pacem recuſantibus. Quod cautius, nam Cæſar non multò poſt *Lanoÿ* pactionibus improbatis, sũma poteſtate omnia reſcidit. Ita auro ſuo, atque expectatione Põtifex fraudatus, ſe deluſum ſerius aduertit. Miles etiam Ceſareus inopia ſua, atque aliena prouocatus iniuria, in Placentinum, atquè Parmenſem agrum per æſtiua infuſus, rapuit quod ſupererat muneri.

Papa cum Cæſare paciſcitur.

CCXVII. *Caroli modeſtia in victoria.* Victoriæ primum nuncium cum litteris *Franciſci* Regis manu exaratis, ſexto Id. Mar. Cæſar accepiſſet, ſtatim ad ędem ſacram Deo Opt. Max. gratias acturus ſe contulit. Triduo inter ſupplicationes exacto; nec ignes accendi, nec triumphalem admiſit apparatum. Hæc de victorijs aduersùs infideles edenda præfatus, admirandamque animi modeſtiam verbis, & geſtu præſeferens.

Sal Ann. 1525. Porro *Franciſcus* captiuitatis faſtidio ductus, magis expeditas coram Cæſare libertatis leges ſibi pollicitus, inexpectato amicis iuxta hoſtibuſque conſilio, cum *Lanoio* Pro-Rege occultè de ſua in Hiſpaniam traductione conuenit. Verum quia Galli claſſe præſtabant, miſſus eſt ad *Ludouicam* Regis Matrem *Mommorentius*, vt ſex triremes *Lanoio* mutuo daret, Hiſpanico milite inſtructæ, quæ *Franciſco* in Hiſpaniam appulſo redderentur. Hæ ſexdecim Cæſareis iunctæ, VI. Id. Iun. ſoluentes, poſtridie in Hiſpaniam appulerunt, cum Neapolim traducendum ſimulaſſet; tanto non modo Italorum, Gallorumque procerum ſed & Cæſareorum, *Borbonÿ* imprimis atque *Piſcarÿ* ira, & dolore, vt *Lanoium* ſummi imperij iura arrogantem, omnibus palam conuitijs contumelioſè proſcinderent. Imo *Piſcarius* acerbis ad Cæſarem literis, grauiſſimæ hominem iniuriæ reum poſtulare non ſit veritus: pannici timoris præcipuè accuſabat, quem ſi (abſente *Borbonio*, & ad deducendos *Ferdinandi Auſtriaci* milites occupato, quum *Franciſcus* Ticino imminebat) reliqui eſſent imitati, Mediolanenſi amiſſo principatu, triumphum ageret, non ageretur *Franciſcus*. Nunc autem de aliena victoria triumpharet *Lanoius*, cuius amittendæ potius, quàm conſequendæ author fuerat: in ipſo prælij feruore, fœminarum more clamando *Perimus, perimus*, ad fugam militem non bis prouocaſſet. Quæ ſi inficiari conetur *Lanoius*, ſingulari certamine *Piſcarium*, quod objicit, confirmaturum. *Piſcarÿ* indignationem auxit *Carporum* comitatus à Cæſare denegatus, cuius poſſeſſionem ſtatim poſt victoriam bona erga ſe Cæſaris voluntate fretus adiri iuſſit: at eundem Comitatum biennio ante *Proſpero Columnæ* Cæſar dederat: quod in ſuam contumeliam factum *Piſcarius* quondàm acer *Proſperi* inimicus iudicans, Cæſarem vbique accuſabant ingratum. Cæſar verò vbi *Franciſci* in Hiſpaniam deducti nuncium accepit, in arce *Sciatinenſi* non procul à Valentia iuſſit aſſeruari, vbi Tarraconenſes Reges magni nominis proceres olim in cuſtodiam tradere conſueuere. Id inhumanum, & aduerſum Regi in Italia promiſ-

Franciſcus in Hiſpaniam transfertur.

Indignatio Piſcarÿ in Lanoium.

Franciſcus vbi ſeruatus.

Sal. Ann. 1525. promiſſis, *Lanoius* agnoſcens, in amœno loco Regem ſubſiſtere, donec Cæſar aliter ſtatuiſſet, impetrauit: & ad Cæſarem cum *Mommorencio* profectus, vt cum Rege conueniret, nullam cum Italis fidam ſocietatem iniri poſſe confirmans, ſuaſit. Rex in arcem Madritiam à mari, Galliæque finibus longè diſtantem deductus, vnde quoties vellet, mulæ inſidens, & cum iuſto præſidio exire poſſet: neque enim colloquium Cæſar, niſi prius cum ipſo conueniſſet, admittere volebat. Redijt in Galliam *Mommorencius*, vt *Margarita* Regis ſorore *Alenconij* vidua arceſſita fœdus cum maiore auctoritate ſanciretur: ac ne quæ nouæ difficultates interuenirent, in Decembris finem pactæ induciæ fuerunt. Aliquot poſtea miſit triremes ad arceſſendum *Borbonium*, ſine quo Cæſar nunquam ſe cum Rege conuenturum dicebat. Et vt ſe ad pa-

CCXXIII. *Cæſar ad pacem inclinat.* cem promptum oſtenderet, *Clementem* vt *Saluiatum* Cardinalem legatum ſuum accelerare iuberet, monuit: ad quem etiam *Lopidem Vtardum*, Iulio cadente, miſit, vt matrimonium ſuum cum *Iſabella Emmanuelis* Luſitaniæ Regis, & *Eleonoræ* ſororis ſuæ filia, ſua authoritate comprobaret. Diploma poſtea *Sfortiæ* in Mediolanenſis principatus fidem ea conditione ſubſcripſit, vt *Sfortia* centum nummum aureorum millia ſtatim, mox quingenta certis penſionibus penderet. *Piſcarium* ſui exercitus Imperatorem declarauit; Hiſpanos pedites in Salaſſo agro ſtatiua habere, cæteris miſſionem dari, ſexcentos cataphractos equites in regnum Neapolitanum redire, cæteros ad Mediolanenſis principatus tutelam relinqui, pecuniam, quam ad armandas quatuor maiores naues miſerat, in eiuſdem exercitus ſtipendium conuerti iubebat, quòd profectionem ſuam Italicam in aliud tempus diſtuliſſet. *Carraciolum* Venetias ad fœdus renouandum miſit, vt ſe pacis vbique inter Chriſtianos conciliandæ ſtudio flagrare omnibus palam faceret.

CCXIX. *Indignatio Italorũ in Cæſarẽ.* Hęc porrò Cæſaris conſilia, ad abolendam Monarchiæ ſuſpicionem minimè valuere. *Sfortia* immitia Germanorum, & ſuperba Hiſpanorum cũ abhorrèret imperia, medio *Hieronymo Morono* reconditæ aſtutiæ viro, aulæque principe, aliò conſilia vertens, *Piſcarium* non leui offenſione à Cæſare alienum, *Sal. Ann. 1525.* remotis arbitris ad Italiæ libertatem propugnandam inſigni facundia inflectere conatus eſt, Cæſaris ingratitudinem exprobrando, gloriam Italicæ libertatis vindicandæ proponendo; & regni Neapolitani coronam à *Piſcarius proditionis tentatur à Sfortia.* Pontifice in tam præclari vindicis caput transferendam promittendo, quòd ſummo hoc regnum iure ſedem reſpiceret Apoſtolicam, nec Cæſari legitima ſucceſſione debitum, ſed per vim fraudemque ab auo eius *Ferdinando* occupatum eſſet. Prima hac vice *Moronio* aſſenſiſſe *Piſcarium*, vt ambitioſiſſimus erat, plerique exiſtimarunt: deinde vires ſuas metientem, & Gallos de fœdere agentes cum Cæſare animaduertentem (iam enim vt *Margarita* Regis ſoror in Hiſpaniam proficiſceretur, decretũ erat) indeque *Ludouicæ* inania promiſſa, & ne ea muliebri mollitie conſpirationem per filiam Cæſari indicaret, metuentem ſe ſe reuocaſſe, conſpirationis ſocios *Piſcarium* prodidiſſe, remq. omnẽ ad Cæſarem, ſed tardius detuliſſe produnt: ante enim *Antonius Leua*, ac *Ferdinandus Marinus* exercitus quæſtor Cæſari indicarant, vt de tam diuturno *Piſcarij* ſilentio pleriq. mirarentur. *Ioannem* tandẽ *Baptiſtam Caſtaldum* domeſticum ad Cæſarem miſit, quid Itali molirentur, ſignificans, (vt nemo ex conſpiratoribus inficiari poſſet) proditionem proditione velle rependere, dũmodo poſtulatis annueret ſimulando. Cum *Sfortia* itaque fictè communicatis conſilijs: cum *Morono* egit, vt *Dominicum Saulium* cum diplomate (*Breue* vocant) *Clemens* ad eum mitteret. Inde ipſe *Antonio Leua* trucidato, ad Neapolitanum regnum pergeret inuadendum. Vno ſe ſcrupulo retineri ſimulabat *Piſcarius*, an *proditæ* violatæque fidei teneretur, ſi aduersùs Cæſarem, cui ſe ſacramento obligarat, arma ſumeret? Quæſtio in hoc vertebatur, *an potius Cæſari vtili Domino* (vt I. Cti. loquuntur) *hoc eſt re uera poſſeſſori an potius Clementi primario patrono Piſcarius regni Neapolitani cliens parere deberet?* Clementis enim iuſſu arma capere videri volebat. Hæc quæſtio in genere nullo interpoſito perſonarum

Sal. Ann. 1525. nomine, & Romæ *Clementis*, & Mediolani *Sfortiæ* iuſſu inter viros eruditiſſimos diu, multuque diſputata eſt. *Piſcarius* verò vt fidem ſuam Cæſari aliquo experimento probaret, euocatum ad ſe Nouariam *Moronum*, nihil inſidiarum ob datam fidem metuentem, cuſtodiæ tradidit. *Sfortia* Mediolani obſtinato morbo vexatus, ſeſe conſiliorum negans participem, magnaque innocentiæ fiducia, imperij ſui propugnacula, præter Mediolani, Cremonæque arces *Piſcario* permittit, quas ne indicta cauſa Inſubria deijceretur, reſeruandas ſibi aſſerit. Sed *Piſcarius* quod ad eneruandas conſpirantium vires ijs ſibi arcibus vtendum intelligeret, ſine cunctatione vtramque circumſedit, vt ad obſidionis pericula parum inſtructas rerum neceſſariarum inopia premeret. Inter tot curas, atque labores extenuatum longis vigilijs corpus moriendo defecit, ineunte Decembri, ancipiti fama immenſas eius laudes, ſimul & inſignem nominis contumeliam perſonante. Fuit is ex *Aualorum* familia ex Hiſpania oriunda, cuius maiores cum *Alphonſo ſeniore* Neapolim traiecerant, ibiq. habitarant. Adoleſcens pugna Rauennate captus eſt, deinde omnibus in Italia bellis interfuit, vt peditum tribunus: ingenio acer ac callidus, ætate iuuenis (nondum enim ſextum & triceſimum annum impleuerat) experientia ſenex erat. Vafrum ingenium deteſtabantur Itali. Hiſpanicæ arrogantiæ, fallacis ingenij, maligni ex omnibus fraudibus concreti, perfidięque inſimulant Galli. Incorruptæ in Cæſarem fidei Germani, Hiſpanique laudant. Sic humanus ludit affectus.

CCXX. *Obitus Piſcarij.*

Vita Piſcarij.

CCXXI. *Conſilium Cæſaris de Franciſci libertate.* Inter hæc Cæſar, incertis ſuorum ſtudijs ad pacem cum *Franciſco* ineundam diſtractus, viros ſuæ aulæ primarios in conſilium vocauit, & vt liberè conſulerent, impoſuit. Tum *Doſimeus* Pontifex, qui Cæſari à confeſſionibus erat, ita loquutus fertur.

Doſimei Epiſcopi oratio pro Franciſci libertate. *Ad Conſilium vocatus, non ad obſequium, Clementiſſime Cæſar, libeat audire, dum mihi liceat ſentire quæ volo, & dicere quæ ſentio. Viciſti, vt aduerſus Chriſtianos infidelis exurgat, & de Chriſti fide Turca triumphet, ni clementer vtaris victoria, & Regis manumiſſione tibi Principes concilies vniuerſos. Plurimos ante pugnam habebas ſpectatores, omnes modo ſunt inimici, trepidantes, ne totum Chriſtianum orbem exigas in triumphum. Tuis ita Franciſcum in manibus poſſides, vt vel perpetua illum captiuitate ſtringere, vel gratuita libertate dimittere, vel pretio libertatem vendere liceat. Vt tyranni primum, ita ſecundum Regis eſt. Hac vna lege tibi Romani Aquilas pararunt, Parcere ſubiectis, poſt debellatos ſuperbos. Libertatem ſi pretio vendas, neceſſe eſt & bellum emere, quod tanto magis eſt oneroſum, quanto ſuperfluum. Gratuita libertas ſola eſt, quæ tibi Franciſcum deuincire poteſt, vt armis victus, & officio vincatur. Rex ille Regum, qui ſua prouidentia cuncta gubernat, Regem tibi in vinculis miſit, ne vlla tibi ſuperſit defenſio de hoſte cōmuni neglecto, ſi in filiorum viſcera gladium ſtringas. Ecquando Carole tot centenna Chriſtianorum millia in captiuitatem abducta, tot vrbes, tot regna, tot affines Maieſtatis tuæ à barbara vindicabimus ſeruitute? Si barbaros nunc Hungaris imminentes præteris, & fidei ardor frigeſcit, nec cognati Regis, ſororis tuæ viri amor non vrget, quem Turcæ patrimonio ſpoliare nituntur, qualem de te ſpem concipere dabimus? Cæſar time Deum, time hominem. Italia vſq. adhuc tecum pugnauit, quamuis in numero hoſtium eſſet, nam fœderatis præter verba nil miſit. Impoſterum cogita non minus timeri, quàm timere. Diuiſum expotant imperium, quòd eorum non conſtet libertas, ſi ab vno regatur. Terminum cupiditati conſtitue, ne dum aliena petis, propria amittas. Arma ſumpſiſſe ad pacem, non ad bellum oſtende, & cum tibi exuberent regna, ne protrahas; Imperium namque veluti aqua diſperditur, cum diffunditur. Regnantis cum ſit primum officium, ſibi imperare: hoſte deuicto, teipſum vince: ſic hæreticos in ſeruitute, Turcas in timore, omnes in obſequio continebis.*

Magna Cæſaris attentione, dicentis ſententia excepta eſt, quam tamen nec ſuo probare iudicio, neque reijcere, vllo argumento cognitum fuit: ſed vbi tacita cogitatione aliquantum defixus hæſiſſet, cæteris, vt ſententias quoque dicerent, innuit. Tum *Fridericus* Toletanus Albæ regulus, magnæ inter ſuos auctoritatis vir, aduerſam ſic opinionem expoſuit.

Viciſti Cæſar, vel Deus Cæſari centuriatus, prò

Sal. Ann. 1525.

prò Cæſare vicit. Inter opima ſpolia Rex Gallorum eſt, vt hoſtibus caput deeſſet. Victoria ſi benes vſus fueris, integra erit, ſin minùs corruperis, ſtatim cum rumore effluet. Qui victoria vti neſcit, tanto grauius delinquit, quanto maiori tenetur ignominia quòd fortunam inſimulare non poteſt, ſed ſeipſum, cui fortuna non deficit, ſed prudentia. Victoriam hanc ad Europæ ſalutem vertendam eſſe nemo negat ad Turcas debellandos, hæreſes infringendas, oppoſitis tamen artibus, quibus alij operantur, & rationibus abſtrahor. Minuendæ inimicorum ſunt vires, augendæ noſtræ. Burgundia, Mediolanum, quidquid Aquilæ debetur Imperiali, ad nos redeat; nec ſine litro concedatur libertas. Si Franciſcus Rex accepti beneficij memor tecum in perpetua amicitia victurus, ſi Clemens & cæteri Italiæ principes, cum Anglo poſitis ſuſpicionibus ſemper in ſocietate perſeueraturi forent, primæ arriderem ſententiæ. Quod verò ſumma beneficia ſumma plerumque ingrati animi ſignificatione penſentur, Regibus familiare eſt. Qui cum nemini ſe patiantur obſtrictos, beneficia non agnoſcunt, vel breui dierum præſcribunt curriculo. Plus ira, atque indignatio, quàm rectum officium; plus inuidia, quàm affinitas, vel recta conſcientia valebunt. Ea eſt conſuetudo mortalium, beneficium imminuere, & neceſſitati adſcribere, quod eſt liberalitatis. An verò futurum exiſtimas, vt Franciſcus beneuolentia te potius, quàm metu ductum bellorum, id conſilij cæpiſſe arbitretur? Regis pende arrogantiam, qui in ipſa etiam cuſtodia noſtram accuſat tyrannidem; plura execratur, quàm deprecetur. Videas, ne nimia clementia pecces, & dum virtutem, gloriamque ſectaris, amittas. Superos conſule, an Regem tibi tradiderint, vt ſubitò reddas? Fortuna ſe contemptam, indignata ad hoſtes fortaſſe deficiet. Priuſquam hoſtem manumittas, cura vt re perinde, ac nomine ſis Imperator, vt tibi Chriſtiani omnes pareant, teque vnum Cæſarem agnoſcant, ac Dominum. Sic & Turcas repellere, & Lutheranos in viam reducere poteris: aliter non poteris. Qui enim Chriſtianos Reges viribus propemodum pares in vnum conſentire, & res tantas exequi ſperat, is fruſtra ſperat, vt iam bella in Turcas docuere ſuſcepta. Terribilis Turcarum potentia, aduerſarium non patitur, ſolumodo quia tyrannus ſocium non habet imperij: hactenus ſe Franciſcus tibi parem, aut fortaßè ſuperiorem viribus exiſtimauit: quod regnum vbique compilans, pecunia magis abundabat: Dum in tua poteſtate eſt, debilita, vt te Imperatorem agnoſcat ac Dominum. Sic M. Alexander, ſic Iulius Cæſar, ſic Romani Regibus illis pepercerunt, quibus poteſtas non ſupereßet, quã timerent. Aemulis verò paribus, vel ſuperioribus non peperciſſe, Carthaginenſium, Darij, Pompeij monumenta teſtantur lugubria. Videndũ itaq. quibus pactionibus dimittas, quē ſemel dimißum reuocare nõ poteris: cuſtodiæ traditum, ſemper licebit dimittere: eiuſque libertate quamcumque coeant Principes ſocietatē diſſoluere: Interim arma tua victricia ſeruas, & ne hoſtes coeant, in manibus habes. Priuſquã ergo ſubiectis parcas, contere ſuperbos.

CCXXII. *Conditiones pacis à Franciſco repudiatæ.*

Applauſit *Albano* Senatus. Neque cunctãter aſſentiente Imperatore, miſſus eſt *Buranus* Comes ad Regem cum tabulis paciſcendi. Leges erant, vt *præter prouinciam in Gallia Borbonio reſtituendam, regnique Gallici in Italicas regiones iura; etiam Nauarræ, Burgundiæque abdicationem ſubſcriberet*. Quæ adeògraues *Franciſco* viſæ ſunt, *vt ſe potius in carcere moriturum, quàm liberis ſuis regnum vlla ex parte imminutum relicturum* reſpondit: *quod ſi etiam aſſentiretur, idem tamen vt præſtaret, in ſua poteſtate non eſſe ſine totius regni conſenſu. Peterent quæ in regia poteſtate, aut regni lex, aut fortuna bellorum collocaſſet, nullam earum recuſaturum.* Conditiones viciſſim haſce obtulit? *ſe Cæſaris ſororem Eleonoram vxorem ducturum: Burgundiam maiorem quaſi dotis nomine poßeſſurum liberis ex hoc matrimonio naſcituris hæreditariam: Margaritam ſororem Aleneonij Lugduni paulo ante vita functi viduam Borbonio collocaturum: eidem quidquid ablatum ſit, reſtiturum, & nonnihil præterea additurum; Anglo pecuniam ſatisfacturum, libertatem ſuam magno auri pondere redempturum: ſi quando Cæſar Romam ad coronam accipiendam proficiſceretur, claßem, terreſtremque exercitum auxiliarem mißurum.*

LVTHE-

Sal. Ann. 1525. *LVTHERANAE HAERESIS INCREMENTVM.* Anno 1525. Sal. Ann. 1525.

CCXXIII. ABſente *Carolo*, & noua furente hæreſi, conuentum Noribergam reuocauerat *Ferdinandus* anno exeunte XXII. Adfuere *Campegius* legatus Pontificis, *Hannares* Cęſaris, enixè vrgentes Vvormatienſis edicti obſeruantiam. Sed iam ad Saxonem, *Lutherumque* inclinatis animis, *Fridericus*, & *Ludouicus* Palatini, *Caſimirus*, & *Albertus* Brandeburgici, ad vitanda ſeditionis diſcrimina, mitiori incedendum via perſuaſerũt. Prodijt tandem XVIII. Aprilis, Anno ſeculi XXV. decretum, quo *typographis interdicebatur libellorum famoſorum, ac imaginum contumelioſarum editio: Concilium in Germania liberũ indicendum ad deciſionem controuerſiæ, decretum erat: Interea ad XI. Nouembris alter Spiræ conuentus cogeretur, vt prudentum conſilio decerneretur quid interim credendum, quid agẽdum foret, donec Generali concilio lis definiatur. Denique quilibet Principum, Ordinumque ſua in ditione Vvormatienſis decreti rationem haberet.*

Lutheri libros dãnat Ferdinandus.

Campegius viſis in ſcriptis Decreti articulis, ſcripto iiſdem repoſuit. *Probari ſibi ſuſceptum de edicto Vvormatienſi promouendo conſilium. Synodum Oecumenicum, niſi conciliatis Regibus cogi non poſſe: in Pontifice nullam fore moram. At Spiræ antiquiſſimam Eccleſiæ Doctrinam tot ſæculis, concilijs, Doctoribus firmatam, in diſputationem à nouellis Doctoribus, & Eccleſiaſticarum rerum fortè imperitis, non niſi temerè poſſe. Quis inter diſceptantes futurus iudex? Plebs? an ex ea viri ſelecti? quemcumque excludas, irritam iniuſtam clamabunt ſententiam. Et quis perſuadeat Hiſpanos, Gallos, Italos, admiſſuros, quod paucis Germanis viſum fuerit, in cœtu præſertim non Pontificis, non Cæſaris auctoritate conflato?* Repugnante itaque, atque contradicente Legato vulgatum decretum, à quo Pontifex certior factus indignatus Germanos ſibi priuatum religionis conſtituere tribunal, deliberatione cum Cardinalibus inſtituta, queſtus immiſcuit non modò apud Cæſarem, ſed & Angliæ, Luſitaniæque Reges, qui vltra exhortatoriam legationem, fidei cauſam negligentes, ſe immiſcere noluerunt. Cæteris verò poſtulatis Legatus tanquàm ſuopte ingenio reſpondere iuſſus, *Pontificem* (dixit) *multo magis eccleſiaſticam iuriſdictionem varijs grauatam nominibus, cupere per Concilium inſtaurari. Onera Germanorum à Lateranenſi Concilio videri ſublata, cuius obſeruantiam ab electione ſua Papa præceperat obſeruari; nec defuturum ex æquo, ſi quid reſtet minuendum.* Monebatque ingerendum eſſe, *inualeſcentem hæreſin ad ſacram auctoritatem, tanquàm magis inermem, principio, deinde ad profanam ſubuertendam niti.*

Quæritur legatus in Germanos faciẽtes ſibi priuatum religionis tribunal.

Campegius ne otioſus videretur in Germania degere, cum Orthodoxis de ratione ſeruandæ, & inſtaurandæ religionis per Germaniam Ratisbonæ congreſſus, ex Epiſcopis non habuit niſi ternos, & nouenorum legatos; ex Principibus præter *Ferdinandum* & *Boios* fratres neminem reperit, quem alloqueretur. Re itaque maturiùs deliberata, percuſſo inter ſe fœdere, decretum ediderunt in hanc fere ſententiam. *Vvormatienſi edicto omnes obtemperent. Euangelium iuxta Patrum ſententias doceant. In miſſa, & ſacramentis contra maiorum inſtituta nil innouetur. Puniantur Sacerdotes, moniales apoſtatæ, & ſacri ordinis deſertores, qui contra vota illicitum contraxere coniugium. Typographi nil cudant abſque licentia. Subditorum filij, qui Vvitembergæ ſtudiorum cauſa verſantur, intra trimeſtre, Domum redeant ſub pœna confiſcationis. Qui deinceps ibi literis operam dabunt, Gymnaſijs ad docendum non admittantur catholicis.* CCXXVI

Conuentus Ratisbonæ.

Boij in religione cõſtantes.

BELLVM RVSTICVM. Anno Sal. 1525.

CCXXVII. ARdebant interea Germaniæ prouinciæ agreſtium furoribus, quibus *Thomas Muntzerus* ſacerdos apoſtata, factionis Lutheranæ ſatelles non vltimus, dux erat, & anteſignanus. Is ſanctarum literarum abuſus auctoritate, raptus, & diuina cum Deo Patre ſimulans colloquia, à ſolo Deo (quod Enthuſiaſticæ huic ſectæ propinum) abdita religionis arcana vulgabat haurienda. Nec deerant, qui Prophetis hiſce, quantumuis ab humana ratione delirantibus, aures darent. Suus erat impietati color, *ad ſeuerio-*

Muntzerus.

rem

Sal. Ann. 1525.

rem ſcilicet vitæ diſciplinam, corruptos licentia homines reuocare. Reos primùm agebant principes, quorum tyrannide oppreſſi ruſticani, more boum non ſibi, ſed alijs aratra ferrent. Reuocanda propterea in orbem antiqua Chriſtianorum tempora, quando opibus ad communem vſum collatis, neque quiſquam ad luxum abundabat, neque vili egeſtate fatigabat. Hæc ad ruſticorum plauſum in Thuringia *Muntzerus*; alijque ex *Lutheri* ſchola, in Sueuia, Franconia ac Lotharingia cum paſſim ſuis ruſtici ſedibus exuti, ad excutienda Dominorum imperia, conſilia atque arma conferrent.

Sueuorũ poſtulata.

Sueui omnium primi ſuſtulère vexilla, vim minantes, ni à Magiſtratu *libertatem ab Euãgelio Chriſtianis indultam, & onera ſeruitutis mitiganda conſequerentur. Decimas frumentarias nonniſi in pauperes, & ſacerdotes erogari poſcebant. Siluas, feras, piſces, flumina non priuatorum libidini, ſed publico vſui ſeruire cupiebant. Legum multitudinem coercendam; ne leges, vt plerumque fit, ſine lege adminiſtrentur. Miniſtrorum Eccleſiæ delectus vulgo detur ne auctoritas indignis pateat; denique nullo teneantur vinculo, quod ſcripturis ſanctis reperiatur aduerſum.* Lutherus ad cuius auctoritatem prouocauerant ruſtici, aculeum

Lutherus ruſticos, et Principes reprehendit.

reprehenſionis conuertit in Principes, præſertim Eccleſiaſticos quòd *ſua inclementia* (aiebat ipſe) *plebis indignationem conciuerint. Manum Dei eſſe, quæ ob neglectum Euangelium (quod ipſe prædicauerat) vindex ruſticos ſuſcitauerat; qui licet quædam, parum æqua, quædam tamen diuino humanoque iudicio conſentanea poſtulent.* Deinde ruſticos oratione conuerſa, *inconſultam damnat temeritatem, quòd ſe dominorum ſuorum iudices conſtituerent*. Iubet itaque vtroſque, tyrannidem illos, hos arma ponere: ne Deus nebulones nebulonibus caſtigaret; & in omnium capita fulmen detorqueret.

Nec aberrauit *Lutherus*: ſi quidem ad lacum Conſtantienſem, & Danubium, Francones, Sueuiquè, ad Rhenum, Moſamque Lotharingi, per Thuringiam Saxones, tanta multitudine, ferociaque collecti ſunt, vt inaudita crudelitate, præſertim in ſacerdotes furerent. Monaſteria, arceſque nobilium per ſolam Franconiam ſupra ducenta, inſanam hanc rabiem paſſa, vita, bonis ſuſtinuere: tacitè plaudente *Luthero* cum gregalibus ſuis, vſquè dum in totam nobilitatem ſæuiri cæptum. Tum *Lutherus* verſo ſtylo in ruſticanam plebem, tanquàm *diſcipulos ſathanæ*, conſpirantium principum ferro immolandos, & numquàm gratiori ſuperis, inferiſque victima litandos clamans, nuper ruſticos, nunc principes ad cruenta inflamauit conſilia.

Sal. Ann. 1525.

CCXXVII Ruſtici domiti.


Primus, qui in amentes colonos arma tulerit, fuit *Georgius TrucKſeſſius Vualpurgius*, & res iam propemodum vltima deſperatione collapſas virtute ſua erexit. Eum *Antonius* Dux Lotharingiæ imitatus, *Ludouicus Palatinus* Septemuir, *Erneſtus Badenſis*, rebelles ſuæ prouinciæ populos tam luctuoſa ſtrage percuſſerunt, vt capto *Munzero* (quem vltimo dederunt ſupplicio) victi, cæſi, vincti perduelles ad centum quinquaginta millia fuerint. Fama eſt, potuiſſe *Munzerum*, non magno negotio, ſibi magnam Europæ adijcere partem, ſi pedetentim, conſilioque rem magis, quàm impetu aggreſſus eſſet. Plebem aduersùs nobilitatem ſeruitutis, & vectigalium immunitate propoſita ſibi conciliauerat; & S. Bibliorum auctoritate non egeſtate minùs, quàm opulentia, grauiſſimis ad flagitia incitamentis proſcripta, omnes dignitate æquales, conditione liberos promulgauerat. *Lutherus* cum rerum ſacrarum confuſione, & pietatis neglectu Germaniam deturpaſſet; *Munzerus* libero ieiuniorum vſu, & orationis frequentia quaſi incorruptæ vitæ reſtaurator, nouo dæmonis artificio populum captabat, vt alios vtilitatis lenocinio teneret, alios imagine virtutis deluderet.

Anabaptiſtarum ſublato capite, cum hæreſis crederetur extincta, nouis capitibus veluti hydra pullulare cœpit. Colonia Agrippina, hactenus religionis cultu inuiolata, fluctuabat. Menſe integro armati ciues, dum conſilia miſcent de opprimendo eccleſiaſtico ordine, & anceps inter pietatem & impietatem luctatur, tandem martyrum ſuffragantibus meritis, quorum ſanguine rubeſcit vrbs nobiliſſima, triumphauit pia, & fidelis quieuit. In tam lamentabili Germaniæ propemodum occumbentis funere, auxit pereuntium numerum *Fridericus* Ele-

ctor

Sal.Ann. 1525. CCXXIX. *Friderici Electoris Saxoniæ mors.* ctor Saxoniæ morbo oppreſſus, primuſque gentis ſuæ, Vitebergæ in templo arcis ad altare ſummum conditus eſt. Succeſſorem habuit *Ioannem* fratrem Lutheranæ hæreſis, atque electoratus hæredem. Minùs tamen huius auctoritatem reueritus *Lutherus*, caſtitatis voto abire conſtituit. *Caroloſtadius* primus illicitis nuptijs chorum, thorumque *Sal.Ann. 1525. Lutheri nuptiæ.*






fœdauit, tanto apoſtatarum plauſu, vt in locum abrogatæ Miſſæ, nuptialem ſubrogarent, cuius erat introitus: *Dixit Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi; adhærebit homo vxori, &c.* Inde in oratione *Beatum* dixerunt Vvitembergenſes, ſed paulò poſt aratro ſeruientem deriſerunt. Sic *Lutherus* ob *Friderici* mortem, metu ſolutus monialem *Catharinam de Borre* infami ſibi copulauit thalamo, & aduersùs continentiam clauſtrales ſuo prouocauit exemplo. CCXXX. *Alberti Brandeburg. Magiſtri ordinis Teuthonici hæreſis.* *Albertum* Marchionem Brãdeburgicum Teuthonici ordinis in Pruſſia magiſtrum ſuas habuit in partes. Nuptiarum voluptate infectus, cum *Sigiſmundo* Poloniæ rege (quocum illi atrox bellum interceſſerat, quia præter Cæſarem, nullum ſupremum profiteretur agnoſcere) mutata voluntate, *Sigiſmundum* iurata ſibi fidelitate Dominum, defenſoremque adiungit, nec multo poſt depoſito *Magiſtri* nomine, ac *Ducis* aſſumpto titulo, *Dorothæam* filiam *Friderici* regis Daniæ, admittit in thalamum. Ordinis verò proceres tanta excitati perfidia, *Vvalterum* ei *Croneburgum* ſubſtituerunt; Cæſar verò Spirenſis iudicij ſententia veluti perduellem proſcripſit. Vrgebat *Carolus*, ſed irritis ſemper mandatis executionem Vvormatienſis decreti, & datis hoc anno literis, iuſſit ad Auguſtana comitia principes conuenire, vt poſitis diſſidijs, de publica pace, Turcaq. communibus opibus auertendo decernerent. Hæc *Ferdinandus* menſe Nouembri indixerat; ſed nondũ compoſitis agricolarũ turbis, pauci acceſsère. Cõſtitutum tamẽ, *ex præſcripto SS.PP. Doctorũq. ab Eccleſia Chriſtiana receptorũ, Dei verbũ populo exponẽdũ, procul omni ſeditioſæ orationis genere* Vſq. dũ haberẽtur

SPIRÆ COMITIA. Anno 1526.

CCXXXI. AD Cal. Maij conuenère Principes magna frequentia ſed ferali religionis exitu. Præter Cæſaris legatos frater *Ferdinandus*, Elector Saxoniæ *Ioannes*, Haſſorum Princeps *Philippus Caſimirus* Brandeburgicus, *Philippus* Badenſis, *Guilielmus* Bauarus, *Ericus* Brunſuicenſis, cum multis alijs proceribus. Acatholici iam parati, nouæ religionis dogmata tulerant, & à comitijs adprobari curabant. Cæſaris verò legati negantes ſe de religione immutanda, vel diſcutienda facultatem habere, literas *Caroli* Hiſpali datas protulere. *Se Italiam* (aiebat) *quamprimùm coronæ ſuſcipiendæ cauſa aditurum; acturum illic*

Sal. Ann. 1526. *illic cum Pontifice de conuocando concilio. Interea nihil innouandum, niſi ex formula VVormatienſis decreti conſtituendum.* Reſponderunt Vrbium legati, *ſe obſecuturos Cæſari, quantum æquitas pateretur Religionis controuerſias in dies creſcere. Abuſus haud tolerandos, nec in eos VVormatienſe præualere decretum. Spem Concilij inanem eſſe ob recentes Regum inimicitias. Orare igitur, vt de rebus Germaniæ perditis ſeriò non ſerò conſulat. Aduerſus enim Turcas nil adfore præſentis auxilij, quamdiu Germani inteſtina laborent diſcordia.*

CCXXXII. *Hæreticorum queſtus.* Pleraq; inde corrigenda contulere Acatholici *Mendicantium* primò *monachorum inualeſcere ordines ad Reipublicæ detrimentum: cum ſæpè ad eos hæreditates integræ deriuarent, ſpecioſaque legata, quibus pauperes, & tenuioris fortunæ ciues poſſent ſubleuari. Salutari proinde remedio obſtandum, ne ad poſteros ſodalitia propagarent, nec morientibus viuos ſufficerent. Liceret viuis ad aliud vitæ genus tranſire, non omni tamen fraudatos ſtipendio; quæ ſupereſſent bona, & redditus, in alimoniam pauperum tranſirent. II. Minus æquum eſſe vt vectigalibus omnino Eccleſiaſtici non tenerentur. Regum liberalitate hoc factum eſſe, quum neque numero, neque re familiari magna eſſent; nunc opibus in immenſum auctis, priuilegio derogandum, ne in odium concedentis retorqueretur; & poſſeſſiones à vulgo tranſeant, onera relinquerentur. Eo ſequerentur incomoda, quos eſt comoda. III. Feriarum perfrequentem vſum perſtringendum. Feſtorum namq; nimia frequentia, ludos, ocium, epulas, luxum excitari, quibus non tam opes, quàm hominum periclitaretur ſalus. IV. Ridiculum videri ciborum delectum; cum eum nec pauperes, nec diuites rectè ſequantur. Hi ſæpè exemptionum prærogatiua, vel ciborum abundantia; hi neceſſitate liberi.* Ita vulgaribus argumentis, comitiorum animos prenſabant aduersùs Eccleſiaſticos, nec ſine plauſu, quòd pietati vtilitas videretur coniuncta. Catholici ex aduerſo & Cæſaris interdicto prohibiti, & poſtulatorum difficultate alieni, religionis negotium auerſabantur. Ita abſente Cæſare, Catholicis principibus frigidè religionem propugnantibus, *Ioannes Saxoniæ*, & *Philippus Haſſiæ* Dominus, conciliatis ſibi diuerſarum vrbium legatis, fundamenta iecère fęderis in catholicos, quod haud protinùs percuſſum, quia Legati nullo ad hanc rẽ mandato inſtructi veniſſent. Sal. Ann. 1526.

CAESARIS NVPTIAE. FRANCISCI LIBERTAS.

CCXXXIII. DVm ijs Germania fluctibus agitatur, *Carolus* in Hiſpania poſt varia olim *Claudiæ*, ac *Renatæ* poſtea *Ludouici XII.* Gallorum Regis filiarum; deinde *Mariæ Henrici VII.*, atque alterius poſt *Mariæ Henrici VIII.* Angliæ Regum natarum, quin etiam *Ludouicæ* quondam, *Franciſci* Gallorum Regis filiæ exarata, ac pacta ſed non completa ſponſalia, tandem *Iſabellam* filiam natu maximam *Emmanuelis* Portugaliæ Regis ſibi matrimonio iunxit; ſpe illius regni Hiſpaniæ adiungendi. Inter ve-

CCXXXIV *Frãciſcus libertate donatur.* rò nuptiarum ſolemnia, nouum emerſit gaudium, quòd *Franciſcus* ſeu captiuitatis faſtidio, ſeu violandi fęderis concepta ſententia, ad omnia pronus, libertatem ſequentibus aſſequutus eſt legibus. *Carolum* voluiſſe decipi, eſt qui dicat *Franciſci* contentum humilitate. *Caroli* vide ſymbolum *Tom. VII.* n. 229. in quo *Aquila Baſiliſcos, & angues hoſtes ſuos* (Gallum præcipue intellige) *bello proſternit. Conuentum itaq; inter Cæſarem ac Regem perpetua ſocietas eſto, qua pro ſuis ditionibus tuendis alter alteri quingentos cataphractos equites, decem peditum millia mittere teneatur. Eleonora Cæſaris ſoror Franciſco deſpondetur, ea in dotem ducenta nũmum aureorum millia duabus penſionibus perſoluenda recipito cum mundo muliebri, qui Cæſaris ſororem deceat. Delphinus, hoc eſt, Franciſci Regis maior natu filius Emmanuelis Luſitaniæ Regis, atque Eleonoræ filiam, quum ad legitimam ætatem peruenerit, vxorem ducito. Vt Henricus Alebretus regno Nauarræ Cæſari cedat, Franciſcus procurato: ſin is recuſabit, auxilio ne iuuato: vt Sicambriæ ſiue Gueldriæ, Zulfiique regulo vita functo earum ditionum primariæ vrbes Cæſari ſe dedant,*

Sal. Am. 1526. *Franciſcus quoq; procurato. Vittembergenſem regulum, Robertumque Marchianum auxilio ne iuuato: Cæſari in Italiam profecturo duodecim triremium, quatuor maiorum nauium, quatuor myoparonum omnibus rebus præter milites inſtructorum claſſem, quam poſt tertium menſem à die cœptæ nauigationis numerandum recipiat, Franciſcus mutuo dato. Loco terreſtris exercitus, quem Franciſcus obtulit, ducenta nummum aureorum millia numerato. Addunt promiſſos præterea quingentos cataphractos equites cum aliquot tormentis, ſtipendium item in ſex peditum millia; idque in ſex menſes, quum Cæſar Romam ad capiendam coronam Imperatoriam pergeret. Anglo debitas penſiones quæ ad quingenta nummum aureorum millia peruenerant, Franciſcus pendito, aut Cæſari, qui ſe has perſoluturum receperat, repræſentato. Vterque (Cæſar inquam atque Rex) à Clemente, vt vniuerſi Chriſtianiſmi Concilium indicat, contendito: vt pace inter Chriſtianos bene conſtituta aduerſus Chriſtianæ perſuaſionis hoſteis arma transferantur: quo nomine cruce ſignatorum priuilegia, & quas vocant, indulgentias Clemens indicat. Borbonium Franciſcus intra duos & quadraginta dies in integrum reſtituito: omnem ſupellectilem omneis fructus ex Borbonij patrimonio perceptos reddito: ne eundem in regnum Gallicum reuocato, aut vt ibidem maneat, cogito: Borbonio prouinciam Phocenſem apud iudices Regi, ſibique non ſuſpectos repetere fas eſto: quotquot Borbonium ſequuti ſunt, in integrum non ſecus atque herus reſtituuntur: capti bello milites intra quindecim dies vtrobique liberantur: quæ ante bellum Margarita Flandrica Cæſaris amita poſſederat, deintegro poſſideto. Arauſius princeps è cuſtodia educitor; eidem Arauſius principatus, cæterumque patrimoniumque quod Cæſaris partes ſequutus eſſet, ereptum, Salaſſus item ager Michaeli Antonio Marchioni reſtituitor. Franciſcus cum primùm in aliquam Galliarum vrbem admiſſus erit liberi, & ſui iuris omnia huius fœderis capita rata habeto: vt Delphinus annos quatuordecim natus eadem rata habeat, curato.*

Multi in hoc fœdere de communi conſenſu appellati fuere, inter quos Heluetij: ex Italis nemo præter *Clementem*, ſed in ſpeciem potiùs, quàm vt reipſa promiſſa præſtaret. His Rex ea ſe cautione adſtrinxit, vt quacumq; demum ex cauſa fidem non exolueret, vltro ad captiuitatem redire teneretur. Attilios tamen regulos, & ſpecioſa veterum Romanorum exempla ridère Gallici profitentur ſcriptores.

Sal. Am. 1526.

Vbi porrò intellectum eſt Regem, ante perſolutam fidem, datis obſidibus, cuſtodia liberandum vix quiſquam fuit, qui Regem ſuæ libertati reſtitutum maiore Burgundia ceſſurum exiſtimaret. Quod vſque adeò *Gattinarius* cancellarius indubitatum eſſe perſenſerat, vt nulla nec irati Cæſaris auctoritate adduci poſſet ad pactionis tabulas ex officio ſubſcribendas: cum diceret, ſibi tributa facultate, in perniciosis Reip. rebus minime vtendum: cuius damnata pertinacia, Cæſar ipſe ſubſcripſit, & Madritum ad confirmandam affinitatem, ineundamque cum Rege amicitiam ſe contulit. Magna erant redintegratæ amicitiæ indicia: priuatim ſæpe, diuque de communi negotio conferebant, ſæpe ſimul eadem concordia ſe publicè oſtentabant: poſtremo in eodem curru ad arcem non longè diſtantem, vbi *Eleonora* Cæſaris ſoror erat, vecti ſunt, & ſponſalia celebrarunt: & tamen inter tot amicitiæ argumenta, eadem circa Regem cuſtodia manebat, nec maior vlla libertas permittebatur. Honorabatur vt frater, tenebatur vt captiuus, quæ diuturnam inter ipſos concordiam haud fore deſignabant. Tranſactis in hac officiorum ſimulatione diebus compluribus, poſt acceptum à matre nuntium de altero potiùs filiorum cum Delphino, quàm duodecim Galliæ proceribus (quod liberum ex pacto manſerat) obſidum loco Cæſari tradendis, Rex Fontarabiam vicinam Oceano, in Cantabriæ finibus, à ProRege *Lanoio*, & *Alarcone*, cuſtodiæ præfecto, deductus eſt. Inde Bidaſſum (flumen eſt inter Galliam, & Hiſpaniam) offendit in medio amnis nauem anchoris, ſine vllo hominum præſidio, hærentem; ex oppoſita ripa *Foxius Lautrecus* cum obſidibus, totidemq; armigeris, nauem mediam

CCXXXV. *Gattinarius renuit adprobare.*

CCXXXVI *Carolus, & Franciſcus amicitiam ſimulant.*

ſu-

Sal. Ann. 1526.

ſubeunt, ac momento permutatis cum rege obſidibus, hic in ſcapham, atque ex illa in equum Turcicum, tanta feſtinatione, & celeritate receptus eſt, vt hoſtem fugere, non deſerere ſibi chariſſimos liberos putares. Eodem die Baionam attigit, vbi incredibili matris, totiuſq; aulæ lætitia exceptus eſt: & protinus literas ad Anglum ſua manu exaratas miſit, redemptam libertatem illi magna ex parte ferens acceptam. Baionam *Franciſcum* appulſum legati Cæſaris conuenerunt, & vt Madritianum fœdus ſubſcriberet, poſtularunt. Ille pleraque fœderis capita non tantum ad ſe, ſed ad Burgundiæ, ac cęterarum prouinciarum proceres pertinere cauſatus, ſe cum eis communicaturum reſpondit, & ex eorumdem conſilio Cæſari ſatisfacturum. Paucis diebus poſt, *Clementis*, *Venetiq;* legati ad Regem acceſſerunt, quos ille benignè excepit, & protinus apud eos de Cæſaris inhumanitate quæſtus, *qui humanæ* (aiebat) *conditionis oblitus, quæ tot fortunæ iniurijs obnoxia eſt, ipſum in arcta cuſtodia habuerit, nec niſi duriſſimis conditionibus liberarit. Duos dumtaxat Gallorum Reges bello captos fuiſſe Ioannem huius nominis Primum, ſe quoque ſui nominis Primum Galliarum Regem ex eadem, ex qua Ioannes, Valeſia familia oriundum: illum ab Eduardo Tertio huius nominis Angliæ Rege benignè exceptum, magnis ſemper honoribus affectum, in libera cuſtodia relictum, ad eandem menſam ſæpius vocatum, ea demum cum Eduardo familiaritate coniunctum fuiſſe, vt frequenter vnà venationibus, aucupijſque operam darent. nec minus æquas inde Eduardum pacis conditiones retuliſſe: quin potius capti Regis amicitiam ita ſibi confirmaſſe, vt Ioannes in Galliam reuerſus, & ſui planè iuris in Angliam ad inuiſendum hoſpitem redierit, & grati animi inſigne documentum dederit. Se verò longè aliter habitum, à Cæſare nunquam niſi moribundum inuiſum dum ſortem ſuam iniquiſſimam execratus diutius ſuperſtes eſſe nollet. quod Cæſaris officium (ſi tamen officium appellandum eſt quod non ab ingenua & liberali charitate, ſed ab inſigni auaritia emanauit, ne Cæſar ſcilicet ſperati quæſtus iacturam faceret) ſeruile potius, ac mercenarium obſequium vocari debet: perpetuos carceres facinoroſis hominibus eſſe deſtinatos; bello captos, & fortunam minus propitiam expertos ijſdem detineri Chriſtianorum leges non permittunt. Se dum Rhemis ſacris Regijs inauguraretur, ne quid de Gallico ſceptro imminueret, ſacramento diriſſimis execrationibus obligato obſtrinxiſſe; idque in Piſleonenſi arce, & Madritij ſæpius teſtatum fuiſſe: ſe nihilominus maiore Burgundia primaria ſceptri Gallici prouincia cedere, & nouo ſacramento vetus abiurare compulſum: quis hæc promiſſa ab homine, qui ſui iuris non eſt, vi extorta facienda iudicabit? Cæſarem ita ſibi omnem Chriſtianiſmum addicere decreuiſſe, vt ſolus regnet, cæteros in ſeruitutem redigat. Quapropter vt hanc inſolentiam compeſcat, ſedulo operam daturum, & Anglo, qui in eadem ſententia eſt, cæteriſque adeo, qui libertatem ſuam tueri volent, non defuturum. Clementis, ac Venetorum, quorum præſertim ditionibus Cæſar imminet, officium eſſe, vt tam bonam occaſionem non omittant: quin potius vt maturè ſe tam ambitioſis Cæſaris conatibus opponant. Franciſcum de Mediolanenſi Ducatu recipiendo iam non laborare, liberos dumtaxat ſuos, Italiæ libertatem modo Itali ipſi ſibi non deſint, conſeruare. Solidam cum Clemente, Venetis, cæteriſque quos eadem fortuna, idemque metus coniungere debet, ſocietatem coire cupere: eadem Ludouica Regis mater, eadem omnes, qui Regi à conſilio erant, vel ſentiebant, vel ſentire præ ſe ferebant. Franciſcus enim caput de reſtituenda Burgundia non obſeruare ſtatuerat, eius vice octingenties ſeſtertium vt liberos reciperet, offerebat: eam conditionem ſi Cæſar acciperet, cum illo conuenire, ſin recuſaret, cum Italis ſocietatem aduerſus Cæſarem coire decreuerat.*

CCXXXVII. *Franciſcus pactis ſtare recuſat.*

CCXXXVIII. *Franciſci queſtus in Carolum.*

Sal. Ann. 1526.

Interim Cæſar propter dilatam fœderis confirmationem, & ſermones cum legatis Baionæ habitos, in ſuſpicionem adductus, vt exploratiùs *Franciſci* mentem cognoſceret *Lanoium* ad Regem miſit, qui Burgundiæ reſtitutionem ex legibus Madritanis vrgeret. Hunc licet magno honore venientem *Franciſcus* exciperet, negauit tamen *ſuæ poteſtatis eſſe Burgundia cedere, ſuiſque Franciam membris truncare, & iuramenti re-*

Sal. Ann. 1522. *ligione, & Pace rei voluntate obſtantibus: cætera fœderis capita ritè obſeruaturum: quòd tamen Cæſaris & amicitiam, & affinitatem ſemper optarit, Burgundiæ loco octingenties ſeſtertium æquo animo numeraturum*; His cognitis vrgebat Cæſar, *vt ſi minus ex regni placitis, (quæ tamen aliarum poſſeſſionum reſtitutionem prohibere non poßent) Burgundia abire liceret, ipſe ad captiuitatem rediret, quod & poſſet; & iureiurando ſe facturum recepiſſet*. Sed vbi verba ſibi tantùm à Rege dari intelligeret, mirum eſt, quanta indignatione lubricã *Franciſci* fidem ſit deteſtatus. Seipſum incuſabat, quòd fide ſuorum poſthabita, inanibus hoſtis pollicitationibus illectus, furenti inimico arma ſubminiſtraſſet. CCXXXIX *Borbonius Mediolano Præfectus.* *Borbonio* itaq; Mediolanenſis imperij adminiſtratione commiſſa, *Lanoium* ad defenſionem regni Neapolitani mittit: Barcelonæ claſſem iubet inſtrui: *Hugonem Moncadam* maris præfectum ad Regem, poſtea ad Pontificem ablegat. Sed cum CCIX. *Fœdus Franciſci cũ Papa, & Venetis.* *Veneti*, ac *Pontifex* in *Carolum* conſpiraſsẽt, vnius *Franciſci* ambigua cunctatione ſuſpẽſi, properè fœdus ſancitum eſt, poſtquàm Rex *Carolum* ad arma potiùs, quàm ad irritandas pactionis leges prouocatum cerneret; His porrò legibus eſt inita ſocietas. *Vt Inſubria Sfortiæ reſtitueretur; regij liberi communibus armis extorquerentur Cæſari: Neapolitanis Pontifex Imperialibus regionibus Gallus, Mediolanenſibus Veneti, armis tamen Pontificijs, Franciſciq; adiuti bellum inferrent.* Henricum Angliæ Regẽ, ſocietatis conſeruatorem fœderati delegerũt, & magnis promiſſis allijcierũt. *Sal. Ann. 1522.*

Pontifex itaq; datis ad Cæſarem literis, armorum neceſſitatem excuſat, manifeſtas recenſet iniurias. *Hactenus ſe omnia voluiſſe prò Cæſare aduerſus Gallos. Centum aureorũ millia Cæſariano militi profudiße, capto iam Rege, ſed fruſtra. Nam hoſtium loco habitum, ſæpè pro Sfortia oraſse, ſed ſemper reiectum. Per Hiſpaniam, prò nihilo pendi leges Eccleſiaſticas. His malis occurrendum fuiſse, vt ſua Italiæ conſtaret tranquillitas, & iure ſuo quiſque frueretur. Cuius gratia non ad aliena vſurpanda, arma ſumeret.* Nulla tamen hic inerat cauſa, quæ arma meritò perſuaderet. Alta hoc erat mente repoſtum, Cæſaris metuenda potentia. Reſpondit verò ex Hiſpania *Carolus*. CXLI. *Papa ſe excuſat cũ Cæſare.* CCXLII. *Cæſaris queſtus in Papam.*

SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI CLEMENTI VII.

Carolus D. G. Electus Roman. Imper. S. D.

BEATISSIME Pater, Domine reuerendiſſime: Eramus profecto in magna mentis noſtræ anxietate, communem totius populi Chriſtiani calamitatem nobiſcum tacite deplorabamus, ob ea quæ à Sanctitate veſtra contra nos, ſtatumque noſtrum, & ſacri Romani Imperij dignitatem moliri audiebamus. Verum hanc noſtram anxietatem mirum in modum auxerunt veſtræ Sanctitatis literæ, quas vigeſimo die elapſi menſis Auguſti, eiuſdem Sanctitatis Nuncius XXIII. Iunij expeditas, legendas nobis tradidit: Quum nihil de his perſpicere liceat, quam iuſtitiæ ſuæ (vt inquit) laudem, noſtræ vero ac noſtrorũ cauſæ acerrimam damnationem: arma, bella, minas, cædes, pecuniæ, auaritiæ, & ambitionis ſtudium, regnandi, dominandique cupidinem nobis impingi. Quæ profecto nec verum paſtorem decent, nec noſtræ in Apoſtolicam Sedem, veſtramque Sanctitatẽ, ac illius dignitatem, deuotioni, pietati, ac filiali obſeruantiæ conuenire videntur. Quinimo ab eo affectu & ſtudio (quo Chriſtianam Rempubl. ab ipſis ineuntis Principatus noſtri annis ſemper complexi fuimus, quo illius pacem, quietem ac incrementum omni conatu concupiuimus, ac pro viribus curauimus) prorſus aliena cenſeantur, ac nos talibus afficiant ſpiculis, quod ni honori proprio tacendo detrahere, immaculatamque famam noſtram, tacita obiectorum approbatione, lædere velimus, cogimur emißa in nos iacula refellere, noſtramque innocentiam purgare, ac ab his calumnijs immunem oſtendere.

2. *Nos enim, Pater beatiſſime, nobis ipſi conſcij noſtræque etiam conſcientiæ arcanis perluſtratis, nullam obiectorum culpam fateri, nullamque horum nobis calumniam aſcribere poſſumus. Teſtamur enim Deum, nos nihil antiquius vnquam habuiße, quam V. Sanctitatem poſt illius ad ſacri Apoſtolatus apicem felicem aſſumptionem, velut Chriſti in terris Vicarium, & innata nobis filiali obſeruantia colere, & venerari. Quem etiam, dum in minoribus ageret, ſingulari amicitia, & beneuolentia continuo cõplexi ſumus, prout & Leonis & Adriani tempo-*

po-

Sal. Ann. 1522. poribus Sanctitas V. ſatis experta fuit, vniuerſoque orbi notum extitit: nullo modo exiſtimantes gradus ac dignitatis augmentum (poſt Deū, noſtrorum etiam aſſiſtentia quæſitum) id poſſe efficere, vt quicquam ab eadem Sanctitate procederet, quod à priſtinis ſuis moribus atq; inſtitutis alienum videretur. Et ſi multa in nos moliti audiuerimus, vt dignitati, æſtimationi ac auctoritati noſtræ detraheretur: vt felicitas, poteſtas, & magnitudo regnorum ac Principatuū nobis à Deo Opt. Maxim. collatorum minueretur, & ſi fas eſſet penitus ſuppr imeretur: hæc tamen nunquam Sanctitati V. aſcribenda cenſuimus: nec etiam contrarium affirmantibus fidem dedimus, nec ideo minus æquo animo pacis vocem ſemper audiuimus, veſtramq; Sanct. ad illam proponendam & amplectendam, velut rectum Paſtorem monuimus, & incitauimus.

3. Semper enim in quacunq; fortuna pacis ac quietis cupidi eſſe ſtuduimus, ad quæ noſter animus ſuapte natura inclinatur. Nec vnquam inter Chriſtianos (niſi prouocati coactiue) bellum geſſimus, neque tentauimus.

4. Quum enim claſſem in hoſtes diſpoſitam haberemus, Menice inſula ad deditionem coacta: maiora pro fide Catholica tentaturi, Gallorum arte, & copijs vndique cincti, ad propria tuenda reducimur. Veſtræque etiam Sanctitatis opera & miniſterio, cum Leone X. fœdus percuſſimus, ac pro Apoſtolicæ Sedis, ſacrique Imperij iuribus, ac dignitatibus tuendis, ipſius Paſtoris auctoritate & impulſu, in Inſubria ac Liguria arma mouimus, noſtrumque exercitum Pontificio (cui tunc V. Sanctitas in minoribus agens, munereque legationis fungens, præfectus erat) adiunximus. Quam prouinciam profecto, non niſi recta & iuſta intētione, pro ipſius Chriſtianæ Reipubl. quiete, proq; Italiæ liberatione non ex cupiditate, ſuſcepimus. Teſtis eſt noſtrorum operum Deus, verus ſcrutator cordium, qui intima perſpiciens à longe cognoſcit, & qui noſtram ob id iuſtam cauſam ſemper tutatus eſt: totq; inſignibus victorijs comprobauit ac iuſtificauit: teſtis erit Sanctitas Veſt. ſi præteritorum rationem ac memoriam habeat, veraq; in lucem promere libeat. Teſtes ſunt eiuſdem Sanctitatis V. miniſtri, ſæpius ad pacis ac induciarum media proponenda tranſmiſſi, qui aperte experti ſunt, nos ſemper, rebus etiam noſtris ſecundiſſimis, quaſcunque honeſtas pacis aut induciarū conditiones ſuſcipere paratos, quibus & honoris noſtri & fœderatorum iuſta, æqua, ac ſecura nō haberetur. Teſtātur etiam hæc multiplicia mandata noſtra, tum Adriani, tum Sanctitatis veſtræ temporibus per nos ad Vrbem miſſa, variæq; legationes ad id pro tempore diſpoſitæ ac deſtinatæ, vt nihil à nobis de his quæ ad pacem attinent, vllo vnquam tempore prætermiſſum arbitremur. Qui non minus æquæ ac honeſtæ pacis ſtudioſi ac zelatores fuimus ſumuſque, quàm iniuriarum alacres ac prompti propulſatores, ac etiam, vbi ratio ſuadet, clementiſſimi remiſſores, hilareſque bonorum pro malis, & conuicijs retributores. Sal. Ann. 1522.

5. Ait veſtra Sanctitas ſe conſciam nihil prætermiſiſſe, quod, vel ad boni, vel ad honeſti Paſtoris officium erga vniuerſum gregem, vel ad fidelis amici animum in nos ſpeciatim pertineret. Nolumus in hoc Veſt. Sanctit. officium impugnare, nec de illius conſcientia & animo contendere: ſed operibus credere, reliqua Deo perſcrutanda relinquere. Licet autem ſic eſſet, vt ait, id potius diuinæ benignitati, cuius gratuito munere id fit, quam humanis viribus aut cuiuſpiam induſtriæ tribuendum foret. Eſto quod multa nobis ſecus relata fuerint quæ apertius reſpondendo detegentur.

6. Quod autem Veſt. Sanctit. ſubiungit ſuorum bonorum operum, ſuique erga nos amoris eum exitum conſecutum eſſe, vt & repulſa totiens à beneuolentia & coniunctione noſtra, nullum indicium veri amoris apud nos inuenerit, ſiue eorum artibus & dolis, qui eandem Sanctitatem veſtram nunquam nobiſcum coniunctam eſſe voluerunt, ſiue noſtra mēte oppreſſionem Italiæ & imminutionem dignitatis Sācritatis veſtri meditante. Miramur hæc quidem ab eiuſdem Sanctitatis veſtræ præcordijs emanaſſe, adeoque intempeſtiuè, rei veritati prorſus alienam pronunciationem factam. Non enim hi ſumus, qui bonorum operum ingrati eſſe didicerimus, nec qui pro amore odium ſeu repulſam rependere ſoleamus. Quinimò reciprocas vices potius reddere, ac etiam pro acceptis beneficijs maiora dum licet, impendere; amoriſq; & beneuolentiæ viciſſitudinem abunde referre ſolemus. Nec quippe tantæ imbecillitatis cenſendi ſumus: vt cuiuſpiam artibus ſeu dolis à vera coniunctione & amicitia diuelli valeamus: vbi perfectus amicitiæ nodus interceſſerit, qui contrario operum laqueo,

Sal-Ann. 1526. *queo, non diſſoluatur: minuſq; nobis oppreſſio Italiæ, imminutioq; Sedis Apoſtolicæ, ſedis dignitatis aſcribi poteſt: qui (teſte Deo) nihil horum tentauimus, nec vnquam cogitauimus. Verum omnem conatum; omneque ſtudium adhibuimus, vt Italiam liberam ac quietam redderemus, vt Apoſtolicam ſedem in ſuo decore, velut illius protector & defenſor, ſtabiliremus ac ſeruaremus: vtq; pacata Chriſtiana Repub. communia Chriſtianorum arma in perfidos Chriſtianæ religionis hoſtes, communi conſilio verterentur. Vbi igitur oppreſſionis actus non interceſſit, nil ſiniſtri de nobis præſumendum fuit. Cum in dubijs meliorem præſumptionem ſumendam omnia iura teſtentur: quæ etiam neminem ex præſumptionibus damnant, niſi euidentiſſimæ accedant probationes, aut talis eſſet præſumptio, aduerſus quam iura probationem non admitterent. Quod profecto hoc in caſu omnino alienum patebit, cũ non ſolum nulla nobis talis obſtet præſumptio Iuris vel facti, verum omnis ſiniſtræ ſuſpicionis labes, à recta noſtra intentione, noſtriſque operibus omnino abeſſe videatur. Nec quippe hanc noſtram ſynceram mentem, noſtramque æſtimationem lædere potuit Mediolanenſ. ſtatus, per noſtri exercitus duces captus: &, vt aiunt, occupatus. Hanc enim technam (omnium recte ſentientium iudicio) repellendam curabimus, dum ſuo loco de ea re V. S. obiectis particularius reſpondebimus: omnem rei geſtæ ſeriem non palliatam, non obumbratam, ſed mera veritate ſuffultam, aperte ac palam diſſerentes, ab omnibus recti iudicij capacibus videndam, inſpiciendam; ac recto intellectum oculo iudicandã.*

7. *Si igitur ex his Sanct. Veſt. ſe compulſam, vt ait, prætendat, ad ea conſilia à quibus & natura & voluntate ſemper abhorruiſſe ſe aſſerit, idq; ſerius actum dicat quam plurimarum rerum indignitas, aut honoris ſui, & publici Italiæ boni ratio poſtulabat, arma ſcilicet capere, quæ & iuſtitiæ, & Italiæ libertati, & ſibi ipſi poſſunt eſſe præſidio, videat quæſo S. V. quibus fundamentis moueatur: conſideret an hæc paſtorali congruant officio: an hic ſit gladius per V. Sanct. euaginandus exercenduſque, quem Chriſtus in vaginam potius recondendum cenſuit, & qui etiam in hoſtes fidei ab ipſo Chriſtiani gregis paſtore regulariter exerceri prohibetur. Animaduertat V. S. an ex his honoris ſui aut publici Italiæ boni ratio habeatur? an hæc iuſtitiæ conueniant? an Italiæ libertati ſeu quieti conſulatur? an potius ex oppoſito ſugilletur ſũmi Paſtoris honor & auctoritas, Iniuſte agatur cum ipſo Apoſtolicæ ſedis protectore ac defenſore, turbetur Chriſtiana Reſpubl. vniuerſæque Eccleſiæ ſtatus: Incendatur ignis qui tam facilè extingui nequeat: vt tandem Chriſtianorum viribus debilitatis, hoſtes perfidi, velut lupi rapaces pedetentim Chriſtianum abigant gregem, Nouique errores indies pullulent, ac demum hæreticorum dogmata magis atque magis inualeſcant, Chriſtianæ quoque religioni irreparabile afferant detrimentum.* Sal. Ann. 1526.

8. *At proteſtatur S. Veſt. in ipſo exordio id non offendendi cuiuſpiam cauſa, ſed tuendi ac conſeruandi honoris officijq; ſui. Sancta quippe hæc proteſtatio, ſi per contrarium non tolleretur ac inefficax redderetur, ſi in ipſis defenſionis terminis ſtaretur, nec ad ea quæ offenſionem ſapiunt tranſitus fieret. Qualiter enim defendendi cauſa parantur arma, vbi nullus eſt offenſor, qui V. Sanct. illiuſque honorem aut dignitatem lædat? quam potius, ſi offenſa apparuiſſet, omni conatu totiſq; viribus tueri ac protegere ſtuduiſſemus: nil antiquius in animo habentes quã ea in Apoſtolicam ſedem officia exhibere, quæ ad officium Chriſtianiſſimi Imperatoris pertinent, quæve Imperiali congruunt dignitati. At ſi (vt ipſa S. V. proteſtatur) defendendi duntaxat erat animus, cur priuſquam proteſtatio illa in lucem prodiret ad manuſque noſtras ſcripta veſtra peruenirent, tanta eſt offenſio in ſtatu Mediolani, ſacri Imperij feudo? Laudenſi ciuitate occupata & à noſtrorum (nil tale cogitantium) manibus erepta? Cur Veſt. S. ac fœderatorum copijs & viribus, nulla etiam præcedente monitione ſeu diffidatione exercitus noſter apud Mediolanum, non impune tamen, impeditur ac inuaditur? Hæc ſi defenſionem an potius apertam offenſionem ſapiant lippis etiã pateret. Verum Veſt. S. hanc notam putans euadere, longam exorditur tragœdiam narrans quæ ſuo congruunt propoſito, his tacitis, quæ magis ad veram rei ſeriem diſcernendam facere videntur. Vnde altius repetendo tota facti ſeries in lucem prodeat: liceatque vnicuique animi noſtri ſinceritatem inſpicere.*

9. *Si ea quæ S.V. nobis, rebuſque noſtris, dum in Cardinalatu etiam officia præſtitit, animaduertamus, id quippe anteceſſiſſe dignoſcitur, quod*

vita

Sal. Ann. 1526. *vita functo Maximiliano Cæſare, auo noſtro paterno felicis recordationis, dum is viuens cum Sacri Imperij Electoribus fundamenta jeciſſet quibus eidem, in Imperio ſucceſſor effici poſſemus, cumq; cum Gallorum rege, qui filiam ſuã nobis ſpoponderat, fœdere arctiſſimo iuncti eſſemus, vt & nos filium nuncuparet, nilque ab eo, quod ab paterno amore alienum ſeu indignum videretur, prodere putaremus, his taliter ad Imperij aſſecutionem allectus incitatuſque extitit: vt etiam cum taxatione perſonæ propoſita inhabilitate ipſius Imperialis dignitatis capeſſendæ, conatus fuerit varijs modis Electores inducere, vt illum eligerent, Imperatoremque deſignarent (quod non ad ipſius Gallorum Regis promotionem tentatum extitit, ſed vt per eiuſmodi Galli concurrentiam vtroque noſtrum excluſo, ſoluto fœdere tertius ſubintraret minori potentia præditus cui potius imperaretur quam imperare poſſet) nihil prætermittendo, vt ab ipſius Imperij adeptione penitus excluderemur. Et cum huiuſmodi conatus irriti facti forent, viciſſetque ſacri Imperij Electorum virtus, qui nec vi, nec metu, nec vllis artibus dimoueri potuerunt, quin Sancto afflante Spiritu, ab omni præambula promiſſione prius liberati, vnanimi omnium conſenſu ac nemine diſcrepante, eorum electionis vota vniformiter in nos contulerint noſque Imperatorem ſolito more deſignauerint. Quam quidem electionem non tamen voluimus prius acceptare, quam ipſius Leonis Summi Pontificis, V. S. patruelis conſenſus & auctoritas accederet, cum ea diſpenſatione, vt cum Imperio nobis etiam Neapolitanum regnum retinere liceret, lege inueſtituræ minime refragante.*

10. *Hinc noua cogitantur media, vt ipſius Imperij ſacri dignitas illudatur & illius auctoritas deprimatur vireſque noſtræ minuantur. Præter id tamen quod tentatum extitit ex literis & nuncijs, varijs practicis, vt noſtra coronatio apud Aquiſgranum differretur impediretурve, ac inde VVormacienſis conuentus protelaretur, ſeu potius inutilis inefficaxq; redderetur, fuit etiam organo ac medio Alberti Pij Carpen. Comitis, non ſine V. San. miniſterio & opera (vt fertur) percuſſum fœdus inter Leonem & Gallum: quo etiam de auferendis à nobis vtriuſq; Siciliæ regnis, deque protectionibus potentatuum ac ciuitatum Italiæ inter ſe diuidendis, Imperioque Italico penitus vſurpando, ſeu verius eneruando & ſubuertendo agebatur: prout hæc ex nonnullis interceptis literis, quas originaliter in manu noſtra ſeruamus, liquide conſtare poterit. At quum Gallus Rex huius ſpe fœderis fretus, cupidus ſuæ ditionis fimbrias ampliandi, violato fœdere quod prius nobiſcum inierat, per Robertum de Marcha, rebellem ſubditum noſtrum, ad ipſius Gallorum regis ſtipendij conductum, arma in dominia noſtra Galliæ Belgicæ mouiſſet: ipſiuſque Galliæ Regis duces & milites, in Italia agentes, etiam ipſius Apoſtolicæ ſedis dominia tunc poſſeſſa, vrbem ſcilicet Rhegium, clanculum occupare conati fuiſſent: fatemur tunc Sanct. V. opera diuum ipſum Leonem, Gallorum amplitudinem magis quam noſtram potentiam perhorreſcentem, de ipſorumque fide hæſitantem, in partes noſtras adductum eſſe, nobiſcumque fœdus iniſſe quo ſuam Sanctitatem, in ſua Apoſtolica dignitate tueri, & Rom. eccleſiam ante occupatam per Gallos reſtituere & redintegrare, nec non illuſtrem Franciſcum Sforciam in paternum ſolum & ſtatum à rege Gallo detentum reducere conuenimus. Quod quidem adeo alacri animo ſuſcepimus: poſtergatis oblitiſque anterioribus geſtis, in ſtatus, honoris, ac dignitatis noſtræ præiudicium molitis, vt nil aliud putaremus quam duo orbis luminaria, V. San. opera adeo inſeparabiliter coniuncta cenſeri, vt inde mutua horum correſpondentia, orbis vniuerſus illuſtrari poſſet, ad perpetuamque vnionem reduci. Hoc itaque fœdere freti cum ipſius diui Leonis copijs noſtris adiunctis, & vt antea retulimus ſub Veſt. Sanctitatis præfectura & legatione per nos actum executumque extitit, vt Parma, Placentia eccleſiæ reſtitutis, ipſoque illuſtri Franciſco Sforciæ in paterno ſolio ſtabilito, Galli, etiam non ſine magna ſtrage ducum noſtrorum, virtute illuſtrium videlicet Proſperi Columnæ Marchioniſque Piſchariæ ac aliorũ noſtri exercitus ducum & militum ab Italia omnino expulſi fuerint. Et hæc ſunt quæ Leonis tempore Veſt. Sanctitas pro nobis egit. Quæ tamen non ita paſſim irremunerata fuere. Cum & ipſa Romana eccleſia ſuum ex his auxerit patrimonium, non ſolum Parmæ & Placentiæ recuperatione, ſed etiam noui cenſus onere regno noſtro Neapolitano iniuncto, Veſtraque S. (quod non improperandi cauſa ſit dictum) aureorum x. milium penſionem annuam ſuper* Ann. Sal. 1526.

Me-

Sal.Ann. 1526. Metropoli Toletana, noſtra quidem liberalitate obtinuit.

11. Quid autem Adriani tempore geſtũ fuerit, diſſeramus. Nouit S.V. quibus tunc fauoribus Adrianus in eius gratiam ſuſcepiſſet Cardinalem Volaterranum Veſt. S. æmulum acerrimumq; aduerſarium, quot illius artibus & medijs in V.S. caput moliretur, ac qualiter eandem V.S. à Florentinæ reipub. adminiſtratione excludere conabatur. Nouit etiam, nos ita ſuarum rerum ſuæq; familiæ ac ipſius reipub. Florentinæ protectionem ac patrocinium ſuſcepiſſe, etiã cum ſtatus ſui ac ſuorum nepotum incremento, vt hic Adrianus ipſe, noſtro fauore, noſtrique intuitu, non ſolum Veſt. S. in gratiam tunc ſuſceperit, verum tanta gratia proſecutus fuerit, vt nihil in rebus ſtatus, qui alicuius momenti cenſerentur, Veſt. Sanctitate inconſulta, tentaret. Hincque Volaterranus S.V. aduerſarius cũ indignatus nonnulla cum Gallis (ſuis interceptis literis) moliri videretur. Adriani iuſſu capitur in vinculaque conijcitur debitas pœnas daturus, ni Adriano morte præuento, auctoritate ſacri Cardinalium collegij, pro noui Pontificis electione liberatus fuiſſet, & inde electione facta eorundem Cardinalium intuitu à V. Sanctitate veniam obtinere meruiſſet: licet paulò poſt dies ſuos clauſerit extremos. Non diffitemur tamen, ipſo Adriano viuente, poſtquam in illius gratiam S.V. reducta extitit, illius operam non modicæ frugis nobis fuiſſe, in alliciendo eundem Adrianum ad fœdus illud defenſiuum, quo medio Galli iterum in Italiam redeuntes Mediolanumque obſidentes, fœderatorum præſidijs denuo victi repulſique fuere. Quod & ſi in Veſtræ Sanctitatis Pontificatu fuerit executum, id tamen ſub vexillis & copijs eiuſdem Adriani, in vimque præambuli fœderis actum extitit. Quod V. Sanct. opus manuum ſuarum deſpiciens (nouus homo factus nouaque dignitate aſſumpta) nequaquam approbandum ſeu innouandum cenſuit: licet ipſius fœderis executionem, in qua cæteri fœderati tunc firmiter inſiſtebant, concurrentibus etiam Venetorum copijs, Veſtra Sanctitas, prout ratio ſuadebat, nequaquam impediendum cenſuerit: quum & ſi præſidia eccleſiæ eo tempore ceſſaſſent non ideo minus noſtrorum victoria in manu eſſe videbatur.

12. Non tamen ob id S. Veſtræ auxilia atque conſilia tunc præſtita paruipendenda cenſemus, verum pro his & gratias tunc egimus & adhuc agimus, ſimulque nos V. Sanctitati debere, & obnoxios eſſe profitemur: qui etiam vices non ſolum reciprocas, ſed & multiplicatas & longe maiora præſidia, ſi caſus ſe obtuliſſet Veſt. Sanctitati ipſique Apoſtolicæ Sedi pro illius tutela & augmento, ſemper exhibere parati fuimus, & vt filius patri correſpondere: à quo etiam propoſito quicquid in nos falſo ſuggeſtu molitum videatur, nequaquam animum noſtrum alienauimus: nec alienaturi ſumus, niſi maior nos vrgeat neceſſitas in occupandis noſtris viribus, ad rerum noſtrarum tutelam ac defenſionem: quam tamen ita moderatam ſumpturi ſumus, vt ab offenſionis limitibus, quantum fas fuerit, abeſſe videatur. Hoc enim moderatum temperamentum nos Chriſto, cuius V.S. vices in terra gerit, debere profitemur. Ann.Sal. 1526.

13. Reprehendit V. Sanctitas, quod non fideli conſilio exercitus noſtri duces in Galliam trãſiuerint, inferens quod ex eo intempeſtiuo (vt ait) tranſitu, ſucceſſerit celerior & craſſior in Italiam Gallorum irruptio, rege maximi nominis exercitum ducente: ac vrbis opulentiſſimæ Mediolani ab illis receptio. Nos, Beatiſſime Pater, nec excuſamus illius tranſitus conſilium nec impugnamus. Id tamen nobis inconſultis actum non extitit, qui id nulla iuſta ratione negare potuimus. Illuſtri conſanguineo noſtro Carolo duci Borbonij, Anglicis etiam præſidijs freto, pro ſui ſtatus recuperatione, quo eo quod noſtris ſe addixit obſequijs, priuatus extiterat. Durum enim ac prorſus inhumanum viſum fuiſſet, ſi eo duce, viceſque noſtras in Italiam agente, obtenta de communi hoſte victoria, eiectiſque inde Gallis, victricia arma eidem denegaſſemus ob rerum ſuarum noſtri cauſa, vt prætendit, occupatarum conſecutionem, vbi potiſſime ex eo exercitus noſtri in Galliam tranſitu, Italia quietior ac liberior remanere videbatur, à militum quoque grauaminibus & inſolentijs, quibus plerunque victores milites vti ſolent, magis exonerata & exempta reddebatur. Sed cum aliter res tunc ſucceſſerit, quam putabatur, non quidem noſtra, ſed ducum culpa, ſed belli ſorte ita ſuadente, vt victoria quæ à Deo eſt, non ita paſſim pro voto hominum valeat obtineri, valuit ſaltem ducum prudentia, audacia ac magnanimitas in reducendo oportuno tempore, exercitum illæſum in Italiam, quo ip-

ſorum

Sal. Ann. 1526. *ſorum Gallorum Regis impetus compeſci poſſet, illiuſque conatibus obſiſti. Qui profecto (vt à fide dignis nobis relatum extitit) à V. S. eiuſque miniſtris ad id fuit perſuaſus & incitatus (quod tamen pro certo non habemus, nec ita paſſim credendum putauimus) eam prouinciam belli Italici tam acriter impetuoſeque tentauit, vt fauente Altiſſimo iuſtæ noſtræ cauſæ defenſore victus, cum maxima ſuorum clade nobis per Viceregem noſtrum Neapolitanum captiuus ſit redditus: & inde à nobis ſub conditionibus V. S. notis, liberatus.*

14. *Excuſat V. S. quod cum duces noſtri de defenſione illarum regionum ſpem totam poſuiſſent, ac de earum inſuper, quæ noſtræ erant propriæ periculo commouerentur, eademq; V. S. in magno etiam ſuarum rerum metu eſſet, eius conuentionibus occurrere coacta fuerit imminenti periculo, quas ait nos optime noſſe. Nos tamen earum conuentionum veram notitiā habere non poſſumus: quæ nobis ſunt inſcijs transactæ, quaſq; nunquam vidimus ſeu legimus: quæ etiam miniſtris nunquam oſtenſæ fuere in ipſorum Gallorum relatione ſtare vellemus, qui aliter rem geſtam aiunt, quam S. Veſt. ſuis nunciauerit. Volumus nihilominus potius V. S. aſſertioni confidere. Recolimus enim dum eadem Sāctitas nos de huiuſmodi conuentionibus (rebus adhuc ſub ancipiti Marte laborantibus) ſuis literis monuiſſet, aſſerens nil inde eidem Sanctitati quæſitum quam fidem & ſecuritatem, id exigente, vt aiebat, neceſſitate, eliciens inde futuræ pacis auſpicium. Cum ipſa S. de conſueto ſuo erga nos animo & voluntate nihil omnino remiſiſſe aſſeueraret., cepimus tunc hæc in benigniorem partem V. Sanct. culpam nequaquam arguentes: nec de eiuſdem, vt aiebat, erga nos animo & voluntate diffidentes. Id enim potius quorundam ſuaſionibus tribuendum cenſuimus, qui vires noſtras ſua detractione deprimendo, hoſtium potentiam extollendo V. Sanctitati ſuaſerit res noſtras in ſummo diſcrimine conſiſtere, hoſtiumq; vero robur, in excelſo culmine florere. Sic priſtinam V. S. voluntatem in quandam depictam neceſſitatem transformantes: licet re vera nulla vrgens neceſſitas ſubeſſe videretur. Nec tanta erat in ipſis noſtris exercitus ducibus deſperatio, aut trepidatio, prout S. V. inſinuabant illius fœderis auctores, qui S. V. terrere ſtudebant, quod ex ipſo rei exitu ſecuta victoria clarius enituit. Ex qua potius quam quod ex eo fœdere pacis auſpicium ſumendum videbatur in quorundam malignantium artes ſu. potius paſſionibus & cupiditatibus, quam ſaluti reipub. incendentes, ſanctum id opus perturbaſſent.* Sal. Ann. 1526.

15. *Commemorat V. S. quæ ſibi fuerat cura, quæ cautio rerum noſtrarum, aſſerens tunc rebus noſtris nihilominus non minus quam proprijs cauiſſe, Gallorum tranſitum in regni noſtri fines multis rebus remoratum fuiſſe. Merebatur quidem noſtra in S. V. deuotio, vt Sanctitas ipſa tali officio fungeretur. Idque expoſcebat reipub. ſalus, ne vberior ignis incenderetur, licet ex ipſo affectu potius potuerit Gallos ipſos tunc aliquandiu in itinere detentos, vt à ſacri Imperij ciuitatibus Lucenſi & Senenſi pecuniam ac tormenta ad bellum contra nos & regnum noſtrum diſponendum extorquerent: vt quietum ipſius Senenſis ciuitatis ſtatum tunc perturbarent: Tyrānos intromitterēt, ac pro eorum voto ciuitatis gubernium mutarent: eam ciuitatem à ſacri Imperij deuotione omnino diuertere ſatagentes. Nouas interim copias in terris ac patrimonio Rom. eccleſiæ ex ipſis pecunijs ab imperialibus ciuitatibus extortis, congerentes: quibus ad regni noſtri inuaſionem inimicitiores ac potentiores eſſe poſſent: nec tanta erat in his vrbanitas, vt ab eiuſmodi inuaſione diutius remorari ſeu retrahi poſſent, ni Deus Opt. Max. victoria apud Ticinum collata, eorumq; rege captiuo tantum terrorem incuſſiſſet: vt non amplius de inuaſione, ſed potius de eorum ſalute, & fuga cogitare viſi fuerint.*

16. *Sed ait V. S. quod ſi ſocietatem eorum ſequi voluiſſet, maxima eidem præmia non ſolum non proponebantur, ſed etiam parata eſſent. Atqui quæ ratio, quæ iuſta cauſa, quis honeſtus color Veſt. Sanct. directum eius feudi dominum, mouere debuiſſet ad iuuandum inuaſionem contra proprium feudatarium nil tale merentem, nec tale facinus cogitantem, abſentemque, nec monitum, nec impetitum, nec de aliqua iuſta cauſa ſubtrahendi feudum conuictum. Tenebatur enim Veſt. Sanctitas iure feudi tanquam directus illius dominus, potius nos in feudo tueri, quam inuaſoribus aditum dare, aut ſe ſocium inuaſionis præſtare. Eodem enim ordine quo tenetur Vaſallus pro feudo domino ſeruire, eodem ordine tenetur dominus vaſallum in feudo tueri. Et ex quibus cauſis vaſallus feudū amittit, ex eiſdem cauſis dominus directa proprietate feu-*

Ann. Sal. 1526. feudi, illiuſque directo dominio priuatur. Eſt enim ipſius feudi natura, vt vltro citroque obligationẽ pariat. Facile quidem fuiſſet improuiſũ regnum ac ad defenſionem non paratum, nil tale metuens aggredi, & forſan in parte occupare. Sed an id fieri licuiſſet, an hæc paſtorali officio conueniſſent: cogitet S.V. Quæ enim præmia offerri poterant, quæ Chriſti Vicarium ad tam immane facinus induxiſſent? Sanctius itaque tũc conſultum extitit Veſtræ S. vt præmijs illis neglectis non attentaret, quod forſan pro voto non ſucceſſißet, nec tentatum cœptumve conſummari potuiſſet. Sicque merito (vt inquit S.V.) plus apud eam valuiſſe debuerunt amicitiæ noſtræ merita, quam præmium vllum. Verum & ſi meliorẽ præſumptionem amplecti velimus, nilque de intrinſecis Sanctit. Veſt. cordis iudicare præſumamus, quod vero Chriſti Vicario non congrueret: non tamen pro comperto habemus, quid ceßante victoria S.V. actura fuiſſet, quæ iam ſub ancipiti Marte ſtatim Mediolanum colore ſequeſtri, ac depoſiti à noſtrorum ducum manu & protectione eripere ac in ſua poteſtate, quamdiu de pace tractaretur reponere, & reducere conabatur. Quæ etiam, vt ad id nos ac duces ipſos noſtros cogeret, illorumque vires minueret, ac neceſſitatem induceret, aſſerens anteceßoris fœdus ſucceſſorem non ligare. Curauit (vt aiunt) non ſolum Florentinorum aliorumque potentatuum præſidia, qui ex Adriani fœdere ad contributionem defenſiuam tenebantur ſubtrahi & denegari. Verum & ſi noſtrorum Venetorum præſidia, ad quæ particulari fœdere tenebantur, ſuſtuliße dicitur, his ſuadendo ne ſuas copias, vt tenebantur, noſtris iungerent: vt ſic noſtri, omni fœderatorum auxilio deſtituti priuſquàm in campum prodirent, hoſteſq; adorirentur, coacti fuerint, non ſine ſummo labore, & noſtris ac Sereniſſimi Archiducis fratris noſtri impenſis, nouas tum equitum tum peditum copias ex Germania adducere, & cum his exercitum noſtrum augere quo bellum aggredi ſperatamque victoriam nanciſci poſſent.

17. Subdit eadem Sanctitas, quod ſequuta noſtrorum victoria contra Gallos, cum omnis ſibi ſublata contentio videretur, ſine cupiditatis & partium ſuſpicione, nobis etiam fœderis vinculo hærere poßet: magnumque in nobis Italiæ beneficium & Chriſtianitatis totius poſitum arbitraretur: non ſolum fœdus firmauit, ſed quo noſtri duces egentes pecuniæ exercitum alere ac ſuſtinere poſſent: centum illis dederit ducatorum millia, conditione appoſita, vt ſi de fœdere aliqua nobis dubitatio oriretur, illæ Sanctit. Veſt. pecuniæ reſtituerentur. Fatemur quidem, Pater Beatiſſime, Victoriam illam omnem ſibi contentionem merito ſuſtuliſſe: ſineq; cupiditatis (à qua ſemper fuimus alieni) partium ſuſpicione, cuius nulla ſuberat cauſa nobis hærere potuiſſe: omniq; ratione arbitrandum fuiße, ea in re totius Italiæ ac Chriſtianitatis beneficium impoſitum: ni zizaniæ ſeminator, illius fructum ſuffocaſſet. Diffitemur tamen eam in fœdere conditionẽ appoſitam, quod ſi dubitatio oriretur, pecuniæ noſtræ ducibus ſolutæ Veſt. Sanct. reſtituerentur. Quandoquidem ipſius rei geſtæ ſeriem longe aliter ſe habere conſtet, nec de tali conditione vlla in ipſo fœdere mentio facta appareat, verum in quodam articulo ſeparato & à capitulis fęderis penitus excluſo, enarretur. Quod cum Veſtra Sanctitas ad ſatisfaciendum exercitui noſtro, in Italia exiſtenti ciuitateſque & oppida Sanctæ Romanæ eccleſiæ ſubiecta, ac oppreſſionibus, militum ſubleuanda, ſalutem & tranquillitatem Italiæ cuſtodiendam, ſummam pecuniæ inter Veſt. Sanct. noſtroſque oratores expreſſam, ſuo & excelſę Reipub. dominorum Florentinorũ nomine ſe ſoluturum promiſißet, pie pro tunc ad ſexaginta millium ducatorum auri aſcenſurã: Oratores noſtri eidem V.S. ſub iuramento promiſerunt quod caſu, quo fœdus cũ ipſis noſtris oratoribus percuſſum, & capitula in ipſo fœdere cõtenta, non approbaremus, non ratificaremus, omnis ſumma pecuniæ, quæ per Veſt. Sanct. ac per dominos Florentinos ſoluta fuiſſet, eidẽ Sanct. & Florentinis integre reſtitueretur: cum ea adiectione, quod donec reſtitutio integre & plene facta foret, fœdus interea, & omnia ipſius fœderis capitula, ad vnguem obſeruarentur. Quum itaq; fœdus ipſum, ac ſingula capitula in eo fœdere comprehenſa, quamprimum ad nos delata fuere rata & grata habuerimus, noſtræq; ratificationis literas, cum ipſorum capitulorum fœderis inſertione in forma debita expeditas Veſt. Sanctitati exhibere fecerimus: quas & vidit & legit, & palpauit, & dando ſuas reciprocas retinere potuit. Iuſtificare ergo nõ poteſt, quin purificata fuerit per nos conditio illa, qua deficiente reſtitutio pecuniarum erat fienda. Quæ quidẽ conditio, & particularis cõuentio, prout illius verba ſonant, nequaquam nos vrgebant, ad alia ex- Sal. Ann. 1526.

Sal. Ann. 1526. extrinſecus à fœdere aut ſeparatim geſta vel tractata. Quinimo potius, & ſi pecuniarum locus eſſet reſtitutioni, cuius tamen contrarium oſtenditur, ſeruandum tamen erat fœdus. Interim à quo iuxta ipſius ſeparati articuli ſeriem, ſine pollicitorum violatione recedi non potuit, nec ad contraria fœdera licite deuenire valuit. Sicque ſatis erroneè, & (ſalua pace ſit dictum) præter veritatem refertur, quod idem fœdus non plene à nobis acceptum, nec probatum fuerit, qui & plane & integre, vt præfertur, omnia in fœdere contenta probauimus, rataq; habuimus, nil penitus de contentis in eo, nec etiam ſyllabā aut literam mentientes. Quod ſi Veſtra S. huiuſce noſtræ ratificationis literas recipere, ſuaſq; reciprocas (vt par erat) tradere renuit: ni ſimul traderetur ratificatio duorum articulorum, de quibus extra ipſum fœdus perſcripta particularia, nobis tamen inconſultis ſeparatim & ad partē tractatum fuerat. Ad quorum approbationem & ex vi fœderis (vt præmittitur) aſtringebamur. Nil eſt quod culpæ noſtræ aſcribi valeat, ſi fœdus illud minime obſeruatum: ſed potius inde violatum extiterit. Ab hac enim culpa & labe omnino alieni ſumus: & vt id plene liqueat, placet illorū duorū articulorū extrinſecus tractatorū ſubſtantiam referre: cauſaſq; differere: quibus non ita paſſim per nos approbandi viderentur.

18. Ex his enim duobus articulis ſeparatis, alter ſalem in ſtatu Mediolanen. diſtribuendū, cum id à noſtris oratoribus Sua S. expoſceret: vt, iuxta fœdus per nos cum Leone percuſſum, curaremus cum duce Franciſco Sforcia, ſal eiſdem modis & cōditionibus à Sede & Camera Apoſt. recipi. Noſtriq; oratores ad id reſpondiſſent: non eſſe amplius nobis ius vtilis dominij ducatus Mediolani, provt ante fuerat cum Leone, data iam per nos eidem duci inueſtitura, ſicque rem cum ipſo duce neceſſario dicendum eſſe. Ipſi autem oratores noſtri, non expreſſo quod id noſtro nomine agerent, ſimpliciter V.S. medio eorum iuramento promiſerunt quod illuſtris Vice-rex curaret, vt illuſtris dux Mediolan. cum Veſt. Sāctitate pro huiuſmodi ſale conueniret. Si igitur hæc promiſſio, quæ non niſi factis tertij pollicetur de ipſoque tertio, nil vltro promittit: quod tertium illum curaturum, vt dux ad concordiam veniret, nil certi decernendo nos vrgere videatur: vt hanc promiſſionem præciſe ratam habere debeamus. Ita, vt ſine ea fœderis per nos approbati & ratificati obſeruantia euaneſcat. Iudicet id quicunq; mentis compos, quandoquidem noſtra ſententia, & vt peritorum conſilio freti, didicimus: nos nequaquam ad ipſius promiſſionis obſeruantiam aſtricti cauſaremur, Reſpondimus tum in hoc modeſtius V.S. quod ſi huiuſmodi Sanct. Veſt. deſiderium nobis prius innotuiſſet, quod de ipſa ſalis diſtributione in ſtatu Mediolani ad opus ſereniſſimi archiducis, fratris noſtri, cum ipſo Illuſtri Franciſco Sforcia, tranſactum eſſet, noſtram libenter operam nauare ſtuduiſſemus, vt S.V. huiuſce voti compos fieret. Verum & ſi fratri deeſſe non poſſemus, nos tamen cum eo curaturos, vt mediante aliqua honeſta recompenſa pecuniaria, ipſe frater noſter, ius huiuſmodi diſtribuendi ſalis: V. S. ad illius vitam concederet. Id enim æquum & iuſtum videbatur, ne ius illud, quod eidem fratri noſtro, pro recompenſa præſidij per eum præſtiti ad defenſionem ſtatus Mediolani, deficientibus viribus ac copijs, Veſtræ Sanctitatis, aliorumque fœderatorum, eidem infructuoſum redderetur. Ann. Sal. 1526.

19. Alter verò ex his duobus articulis id continebat, quod ad tollendam difficultatem, quæ inter Sanct. V. & nos incidere poſſet, ſuper controuerſia Mutinæ & Rhegij, offerebant noſtri oratores vt Veſtra Sanctitas conſequeretur vtile ipſarum ciuitatum dominium ſuperioritatis & directi dominij, iure nobis ſemper ſaluo, ita vt S. Veſt. ex tunc recognoſceret, & acceptaret huiuſmodi directū noſtrum dominium ac ſuperioritatem: veſtraq; S. nobis aut agentibus noſtris, centena millia ducatorum aureorum (poſt recuperatā poſſeſſionem eorum quæ illuſtris dux Ferrariæ à tempore obitus Leonis eccleſiæ ſubtraxerat) perſoluere deberet. Huic propoſitioni & oblationi reſpondebat Veſt. Sanct. pro ſe & ſede Apoſt. huiuſmodi oblata acceptare, prout proponebantur, excepta ſuperioritate & directo dominio noſtro: ſupradictis ciuitatibus Veſt. S. recognoſcere renūciauit, ne iuribus & ſuperioritati ab Apoſt. ſede prætenſis, præiudicium fieret. Offerente tum V. S. ſe contentam eſſe, vt ipſius ſuperioritatis controuerſia videretur & decideretur infra tres mēſes tunc proximos per V.S. & illius Vice-regem, aut alios qui ab vtraque parte ſimul eligerentur. Et ſi huiuſmodi ſuperioritas nobis adiudicaretur, Apoſtolica ſedes recognoſceret prout ab agentibus noſtris fuerat propoſitum. Si vero Apoſtolicæ ſedi adijudicaretur, V. Sanct. ex

Sal. Ann. 1526.

ſua liberalitate & ex eo amore quo nos proſequi profitebatur, nobis condonaret recompenſam de qua deberemus eſſe contenti. Hanc Veſt. S. reſponſionem & oblationem ipſi noſtri agentes, ita demum acceptauerunt, vt ſalua nobis eßent omnia Iura ſuperioritatis & dominij directi in ipſis ciuitatibus competentia pertinentia, quibus ob talem acceptationem præiudicium afferre non prætendebant. Conſentientes nihilominus, de huiuſmodi iuribus cognoſci, modis & formis per dictam V.S. propoſitis. Si hæc igitur tam difformiter tam irreſolute extra fœderis capitula deſcripta in ea eſſent forma, quæ vel ad nos ad ratihabitionem (quam noſtri noſtro nomine non promiſerant) obligaret, vel in nos actionem pararet, qua ad id vrgeri poſſemus, nulla accedente valida ſtipulatione nec pacto firmiter veſtito, vbi etiam tempus deciſioni præfixum illum impoſſibile redderet: conſulat in his V. S. peritos & comperiet nos, nec ad huiuſmodi ratihabitionem particularem aſtrictum, nec ex huius defectu percuſſi nobiſcum fœderis, & per nos indifferenter ac plane approbati, obſeruantiam fuiſſe deferendam, nec contrario fœdere fruſtrandam ſeu irritandam. Vt tamen moderatius cum V. S. pro ſua perſonæ qualitate ageremus, oſtendimus ea quæ per noſtras orationes in hac re tractata fuerant, nequaquam in noſtra poteſtate conſiſtere. Qui nec Imperij iuribus præjudicare nec ius tertij auferre deberemus, nec in noſtra eſſet poteſtate illum ducem Ferrariæ vrgere ad reſtitutionem petitorum, niſi is armis offenſibilibus coerceretur, qui ſe Imperij vaſallum profitebatur, & ea quæ reſtitui petebantur, de S. Imperij feudo tenere recognoſcebat, durumque videretur pro ea re bellum in Italia inſtaurare. Supplicauimus ergo V.S. vt pro Italiæ quiete, & ne inde noui motus ibidem cauſarentur, dignaretur eadem Sanctitas Veſtra conſentire, vt res ipſa, aut per iuſtitiæ tramites, aut per compoſitionem amicabilem cum ipſo duce Ferrariæ fiendam, terminaretur. Et cum huiuſmodi oblata Veſt. Sanct. non placuißent, ſuperueniente poſtea Reuerendiſſimo Sanctitatis Veſtræ Legato, Cardinali de Saluiatis, apud nos tranſegiße, vt Veſt. Sanctitatis mente percepta, non recedentes à recto iuſtitiæ tramite, cupienteſque nihilominus quantum fas eßet Veſt. Sanctitati gratificari, obtulimus eidem nos operam daturos cum effectu, quod ſine præiudicio iurium Sacri Romani Imperij, ſeu alterius cuiuslibet, poſſet Sanctitas Veſtra dum ſibi expedire videretur, ſine cuiuſpiam reſiſtentia, ſineque armorum apparatu ſua ſponte, per ſe aut ſuos ad id deputandos poßeſſionem recuperare, Rhegij & Ruberiæ cum ſuis pertinentijs tuendam & poſſidendam, prout antea tenebat & poſſidebat. Quod tamen Sanctitati Veſtræ non placuit, licet credere non poſſemus eum, qui Chriſti vices in terris gerit, vel vnius guttæ humani ſanguinis iactura, quācunque ſecularem ditionem ſibi vendicare velle, cum id ab euangelica doctrina prorſus alienum videretur. Quid igitur rebus ſic ſtantibus nobis impingi poſſit, quum fœdus plane à nobis acceptum ſeu approbatum fuerit. Quo colore noſtræ ratificationis literæ receptæ non fuerint: Quo iure ipſius Veſtræ Sanctitatis reciprocæ literæ nobis fuerint denegatæ: Qua fronte fidei religio, quam V. Sanct. in verbo Romani Pontificis ſuper ipſius fœderis obſeruantia perſonaliter præſtitiſſe dinoſcitur, ſpreta fuerit ac neglecta: cogitet V. S. de ſeipſa, iudicet an ſic deceret ab eo fœdere diſcedere, penituſque repugnantia paciſci cum his potiſſime, qui eo tempore pro hoſtibus habebantur, contra quos potius ponenda erat defenſio, ad eorum conatus repellendos. Ann. Sal. 1526.

20. Quod autem S.V. ad id ſubiungit, cum propter æmulationem quorundam ex ducibus & ingrata cæteris conſilia, Piſchariæ Marchio nōnulla iactare tractareque cœpiſſet, in noſtri ſtatus detrimentum V. S. illa etiam conſilia audiuiſſe ne fœdere à nobis reiecto penitus aſpernata eidem Sanct. deeſſet, vbi niti ac confidere poſſet. Non poſſumus profecto non mirari quæ in hoc V. Sanctitas ſuis literis profitetur, quæ & ſi nobis ſæpius, à noſtris ducibus alijſque quamplurimis ſcripta relataq; fuißent, nuſquam tamen à nobis credita ſunt, ne adhuc crederemus, ni Veſt. Sanct. id aſſeueraret, confeſſione & aſſertione in his potiſſime, quæ proprium factum concernūt, nulla plenior liquidiorque probatio eſſe poteſt. Qualia autem fuerint ea, quæ Marchio Piſchariæ in noſtri ſtatus detrimentum iactare & tractare dicebatur, & quæ Veſt. Sanctitas audiuiße fatetur, cum in V. Sanctitatis literis non ſpecifice declarentur, ſed ſub verborum inuolucro res tam nephanda tegi videatur, comprobanda res erit, per ipſius Marchionis literas, quæ penes nos ſeruantur, ac per aliorum quorundam, adhuc viuentium teſtimonia, qui huiuſce faci-

noris

Sal. Ann. 5126. noris conſcij participeſq; fuere. Quibus ſatis aperte detegitur, ipſum Piſchariæ Marchionem non ita proprij honoris ac conſcientiæ immemorem fuiſſe quod quicquam in ſtatus noſtri detrimentum moliri cuperet, ſed potius aliter finxiſſe quam in animo haberet, vt aliorum in nos ac ſtatum noſtrum molientium factiones, ac incendia parata, quorum iam fumum ſenſerat; verioribus indicijs ac argumẽtis detegeret: hincque facilius nobis præmonitus extingui poßent. Sicque finxit ſe de nobis male contentum, vt inde liberius in molientium partes vocaretur, omnemque rei ſeriem audire ac funditus intelligere poßet. Hicque Marchio ipſe ad eam tragœdiam vocatus ſimulata fide, in eam conſpirationem, cum cæteris illius auctoribus conuenit, atque conſenſit: perluſtratiſque omnibus ad tantum facinus parandum diſpoſitis atque paratis, ac totius negocij ſerie plane perſpecta & intellecta, cum in his V.S. prĩcipalis eſſet auctoritas, audiuiſſetque Marchio nuncium ad id per V.S. tranſmißum, eidem ſui parte, vt ait, offerentem ſub cuiuſdam Apoſtolici Breuis Credentia, regni noſtri Neapolitani inueſtituram, & poſſeſſionem, ſi is in eiuſdem Sanctitatis & fœderatorum cum copijs noſtri exercitus, eidẽ Marchioni magis affectis tranſiret atque transfugeret: vt inde communibus fœderatorum copijs, inter quas & Gallorum copiæ, cum ingenti Heluetiorum manu, ad ſui regis liberationem Italiæ concitatis, vno iactu atque contextu noſtrum exercitum prorſus delerent. Noſque non ſolum à ſtatu Mediolani, ſed etiam à regno Neapolitano ac ab omni imperio Italico excluderent: vt inde S.V. nos etiam ab omni Imperiali dignitate deponere. Finxit Marchio ſe contentum his annuere, ſi id cum honore, ſine incurſu criminis læſæ maieſtatis exequi liceret: & vt ſuper ea re peritiores conſuleret, petijt quindecim dierum dilationem, quibus pendentibus, illi erat in animo nobis rei ſeriem aſcribere, prout & fecit, nec ideo minus ſe à practicis abſtinuit, qui etiam ad hanc fictionem magis colorandam habuit ex vrbe conſilium peritorum, quo eidem Marchioni perſuadebatur, eundem licite poſſe, ac ſine honoris ſeu fidelitatis præſtita læſione, ſeu præiudicio, ſineque crimine læſæ maieſtatis, in partes Veſtræ Sanct. tanquam ſupremi domini illius regni tranſire, feudumque ab eadem ſanctitate ſuſcipere, vbi potiſſime ipſius ſanctitatis iußus accederet. Si hæc igitur Pater ſancte vera ſunt, prout narrat Marchio, qui vſque ad vltimum vitæ ſpiritum in ea ſententia ſemper perſtitit. Si ſunt illa tractata atque iactata conſilia, quæ V. Sanct. etiam audiuiſſe fatetur: videat ipſa V. Sanctitas, recto ſui intellectus oculo, ſi hæc tanto paſtore digna cenſerentur: inſpiciat qualis fructus inde colligi poſſit, quale ſcandalum, quantuſque tumultus ex his in eccleſia Dei ac in vniuerſa republ. Chriſtiana naſceretur. Miſeranda quippe res eßet, ac ab omni fideli catholico deploranda, in qua ita occupatur mentis noſtræ iudicium, vt quaſi ſomnium illuſorium putemus, cui fides tribui non deberet, cum potiſſime (vt antea liquide oſtendimus) ceßet fundamentum illud ſatis manifeſte erroneum, imo penitus falſum, de fœdere à nobis reiecto, quod nunquam reiectum ſed planè acceptatũ conſtat. Sal. Ann. 1526.

21. Sed ait V.S. ſe à verbis ad facta nullum aditum tentaſſe. Vtinam ſic ſe res haberet, nihilque de facto tentatum eſſet, quia facilius pro verbis verba reddi poſſent. Facta autem pro infectis haberi nequeunt. Ad quod V. Sanct. ſe de eo officio commendat nos admoneri mandaſſe, vt duces noſtros in Italia quorum in manu res noſtræ erant, curaremus de nobis eſſe contentos, hinc probationem eliciens, eidem eſſe curæ, quietem & ſtabilitatem rerum noſtrarum. Noluimus inficiari id officium à Veſt. S. præſtitum, eo tamen tempore, quo idem Marchio totius rei ſeriem nobis aperte diſſeruerat. Cur autem tunc Veſt. S. re iam detecta id nobis nunciandum cenſuerit, id eius iudicio & conſcientiæ commendamus. Voluimus tamen & hoc in benigniorem partem ſuſcipere.

22. At ſubiungit V. Sanctitas, quod maximo cum gemitu & dolore ſuo, atque Italiæ totius, cum duces noſtri ſtatum noſtrum Mediolani occupaßent, atque arcem in qua Franciſcus Maria reſidebat circumuallare inſtituiſſent, poſtulante à nobis curam & ſecuritatem, aduerſus dignitatem tantam Italiæ periculo, omnibuſque notis atque ignotis flagitantibus paratis qui & auxilia conferrent. Cunctis prope Chriſtianitatis regibus Veſtram Sanctitatem animantibus cum non videretur poſſe reſiſtere monitis, querelis precibuſq; illorum. Cum vos officij veſtri debitum Italiæ calamitas & periculum commune commoueret, tamen adueniente per eos dies ab veſtra Sanctitate Commendatore, Herrera Nun-

Sal. Ann. 1526. Nuncio noſtro tractandi cauſa miſſo relapſa eadem S. in priſtinam ſpem & cupiditatem beneuolentiæ noſtræ, ſibi quouiſmodo conciliando dimiſſis conſilijs, conſpirationibus, oblationibuſq; cunctorum; graui omnium indignatione & querela, nobis comparare gloriam pacandæ Chriſtianitatis, & moderationis noſtræ omnibus declarandæ. Sicq; ea conuentionum capitula, paucis (vt ait) in locis leuiter immutata remiſiſſe ad nos comprobanda, ſcripſiſſeq; manu ſua literas, quibus per Dei miſericordiam obſecrando, vt depellere eam ſuſpicionem, quæ de noſtra nimia cupiditate omnibus adhærebat, perpetuitatem & fructum amicitiæ ſuæ nobis pollicebatur, conſiliumq; fidele dabat, & quæ petenda erant omni cum humanitate & beneuolentia à nobis petebat; ſecuritatem videlicet Italiæ duce Mediolani, ſi quo pacto erraſſet clementem V. S. amorem. Quæ tot illius opera atq; officia erga nos aliaque quam plurima, quæ nobis quotidie poſtulanti concedebat, ex quibus nobis commodum atq; honor accreſcebat (vt ait) paruipendimus. His multiplicum querelarum, accuſationum, & criminationum faſtidium adiungit: quibus tot & tantis (vt inquit) iniurijs & cauſis in vita V. S. & gemens de nobis deſperare & diffidere & coacta, ſuamq; amicitiam & beneuolentiam, quam toties (vt aſſerit) repudiauimus, multis & magnis regibus adiungere, quorum optimum in Chriſtianam rempubl. & ſedem Apoſtolicam animum. Si Veſtra Sanct. aſpernata eſſet, non iam paſtoris ſeu communis patris laudem: ſed ſuperbi & inſolentis nomen acquiſiuiſſet. Hæc, Pater Sancte, horrenda quidem ac penitus abominanda cenſerentur, ni ſcuto veritatis circundari huiuſmodi calumnias, conuitia, improperia, crimina, facinoraq; nobis obiecta refellere ac ſingulatim ſuo ordine extirpare & eneruare ſtuderemus: non quidem Chriſtiano principe digna (ſi vera forent) ſed potius apud inferos recondenda cenſerentur. Vt igitur huiuſmodi calumniarum nobis falſo obiectarum, faſciculum diſrumpamus & colligata ſpicula in nos coniecta ſeparatim ac gradatim eneruemus, cogimur hiſtoriam non fabulam recenſere, qua rerum geſtarum veritas in lucem prodeat. Et cum ab occupatione ſtatus Mediolani arciſq; obſeſſione huiuſmodi calumniarum principalior ſumatur occaſio: hincque pendere videantur leges & prophetæ, horum omnium, quæ in nos moliuntur & tentarunt. Conſequens eſt, vt pro noſtræ villicationis debita ratione reddenda, & nequid occulti remaneat, neve ſerui nequam nobis nomen ac famam comparemus, ſed potius ſerui fidelis & boni, qui in regnum Domini intrare valeamus, ab ipſo ſtipite initium ſumamus, & à capite rationem reddamus oportet, nihil quod ad rem faciat omittentes. Res igitur, vt apertiſſimis oſtenditur documentis, ſic ſe habet. Sal. Ann. 1526.

23. Poſtquam Franciſcus Sforcia huius nominis primus, & moderni Franciſci auus paternus: Ducatum ac ſtatum Mediolani nactus eſt ſeu verius occupauit: cum is non intraret per oſtium ſed per feneſtram, nec deſcenderet à linea vice comitum ducum Mediolani, ſed ex perſona vxoris ad tale feudum incapacis, ius dicti ducatus prætenderet: Et tanquam ſtrenuus, prudens, ac fortunatus belli dux, non habuerit in ipſius ducatus aſſecutione contradictorem, nunquam tamen is, neq; filius eius primogenitus Galeacius Maria Sforcia, nec ex ipſo primogenito nepos Ioannes Galeacius Sforcia ipſius ducatus Mediolani inueſtituram à Sacro Imperio obtinere potuerunt. Succeſſit his Ludouicus Sforcia moderni Franciſci pater, qui affinitate cum diuo Maximiliano Cæſare auo noſtro contracta, primus ex Sforcianis inueſtituram obtinuit pro ſe & filijs, ac deſcendentibus ſuis ordine ſucceſſiuo, gradu primogenituræ ſeruato. Quo Ludouico primo inueſtito adhuc viuente, inſurrexit aduerſus eum Ludouicus Aurelianenſ. dux, inde Francorum rex huius nominis XII. prætendens, quod ſi ex fœminea linea quiſpiam in eo ducatu recte ſuccederet, ipſe præferendus foret, qui ex deſcendenti à Valentina Philippi Mariæ Vicecomitis, veri ducis, filiæ legitimæ ortum trahebat. Pacto etiam in contractu matrimonij adiecto, vt deficientibus maſculis, ipſa Valentina ſuccederet: quod vacanti Imperio à Sede Apoſtolica approbatum dicitur, de cuius tamen approbationis viribus nunc diſceptandum occaſio non offertur. Ipſa autem familia Sforciata ab illegitima poſteriore genita originem duceret. Ortum eſt hinc bellum inter ipſum Ludouicum Aurelianenſ. Inde Francorum regem, & dictum Ludouicum Sforciam, qui Gallorum viribus, & potentia non ſolum à ducatu & ſtatu eiectus extitit, ſed etiam captiuus in Galliam ductus eſt: vbi tandem

Sal. Ann. 1526. dem dies ſuos clauſit extremos. Hinc Ludouic. rex intelligens ſe non eſſe tutum in ducatu Mediolani, niſi à Sacro Imperio inueſtituram obtineret, inito fœdere cum diuo Maximiliano Cæſare auo noſtro recolendæ memoriæ, actoque de matrimonio ſeu ſponſalibus contrahendis, inter nos & Claudiam ipſius regis Ludou. primogenitam, reuocataq; per diuum Maximilianum inueſtitura, eidem Ludouico Sforciæ & liberis antea conceſſa, inueſtituram dicti ducatus obtinuit, pro ſe & dicta Claudia eius filia, caſu quo nobiſcum nuberet. Ea lege adiecta de expreſſo ipſius Ludouici ſuorumque oratorum conſenſu. Quod ſi ſine culpa noſtra dictum matrimonium inter nos & Claudiam quouiſmodo effectum nō haberet, prout non habuit, redderetur ipſa inueſtitura, dicto regi, & Claudiæ filiæ conceſſa, penitus inefficax nulliuſque momenti. Verum omne ius dicti ducatus & ſtatus Mediolani, ex ipſa inueſtitura conceſſum, in nos recta via tranſiret. Conceſſa ex tunc illis conſentientibus in eũ caſum noua inueſtitura, in noſtri perſonam præſentem, ad id & noſtro nomine ſtipulante & acceptante, reliquaque ad id requiſita ſolemnia peragente Sereniſſimo felicis memoriæ Phil.ppo Caſtellæ rege patre noſtro, quam inueſtituram, in ſolemni forma conceptam, & per ipſum diuum Maximilianum tunc expeditam, adhuc hodie penes nos habemus. Et licet eo fœdere per regem Ludouicum violato, dictaq; Claudia eius filia, matrimonio copulata, cum tunc duci Angolemen. Franciſ. Moderno Francorum rege, ſicque conditione purificata inueſtitura nobis, vt perfertur, conditionaliter conceſſa, validum robur & effectum obtineret: vt ius dicti ducatus & ſtatus Mediolani in nos translatum cenſeretur. Ipſe tamen diuus Cæſar Maximilianus, tum quia publicam potius quàm priuatam vtilitatem curabat, tum quia putabat ius nobis ex inueſtitura prædicta quæſitum ſaluum eſſe nullumq; præiudicium nobis tunc poſſe afferri, qui in pupillari ætate conſtituti ſub illius tutela regebamur. Quo tutelæ officio fretus in illud liquidum, quod nobis competebat nec tacite nec expreſſe remittere poterat. Nouam eidem Gallorũ regi Ludouico pro ſe & dictis Claudia filia & Franciſco genero inueſtituram conceſſit, nonnullis etiam conditionibus nequaquam obſeruatis, aſtrictam ac à nobis, qui ius potiſſimum prætendere poteramus, nunc approbatam.. Qua de re ipſe diuus Cæſar Maximil. violati fœderis vindictam proſequens, expulſo ab ipſo ducatu Mediolani dicto Ludouico Francorum rege, ſub colore prioris inueſtituræ, Ludouico Sforciæ conceſſæ, & vt præmittitur reuocatæ, nobis iterum in pupillari ætate, & ſub illius tutela degentibus, Maximilianum Sforciam, eiuſdem ducis Ludouici filium primogenitum, ad ipſum ducatum & ſtatum Mediolani admiſit & induxit. At is poſſeſſor effectus, immemor beneficij in eum collati, plura cum Gallis hoſtibus, in ſacri Imperij dedecus & detrimentum molitus eſt. Indeque inito ac percuſſo cum his fœdere, prodidit eidem arces & ſtatum, ac ad hoſtes tranſiuit ceſſitque ducatui. Ex cuius felonia Si quod ius in eodem ducatu habuiſſet, ad ſacrum imperium deuoluebatur. At cum Modernus Francorũ rex, tam ex prætenſo iure inueſtituræ Ludouico Regi eius ſocero conceſſæ, quàm etiam ex iure ceſſo per dictum Maximilianum Sforciam, ipſius ducatus poſſeſſionem, poſt Ludouici regis mortem nactus eſſet, nulla per eum ſeu alium eius nomine noua inueſtitura ab ipſo Maximiliano Cæſare: nec à nobis petita, ſeu obtenta. Sic nos & ſacrũ imperium contemnendo, pluraq; etiam contra decus & honorem noſtrum, ac ipſius ſacri Rom. Imperij moliendo, & in nos eiuſdem feudi dominum ceruicem eleuando, armaq; mouendo, prout ſuis proprijs literis ac notorijs geſtis innotuit, etiamſi validam antea inueſtituram habuiſſet, prout non habuit, omni illius commodo omniq; iure, ipſo facto priuatus extitit. Idque totum ad nos & ſacrum Romanum Imp. deuolutum fuit. Vt ſic illuſtris Franciſcus Sforcia in eodem ducatu Mediolani, nullum ius poſſet prætendere, niſi id ex noſtra liberalitate & gratia conſequatur. Non enim ex inueſtitura prima, ius aliquod habere poteſt, ſtante reuocatione, vt præmittitur: facta per ipſummet concedentem, eo ſc. tempore, quo nondum eidem Franciſco duci ius in requiſitum dici poterat: ſed duntaxat in ſpe quod facilius tollitur. Vbi potiſſime plenitudo accedit poteſtatis, cum cætera ipſius concedentis ac reuocantis ſententia. Non etiam ex ceſſione ſeu renunciatione dicti Maximiliani eius fratris primogeniti, qui nullam de eo ſtatu habuit inueſtituram, ſed ſimplicem detentionem nullo iure ſuffultam, cui pariter obſtabat paternæ inueſtituræ reuocatio. Sicque illius conceſſio nullius fuit effectus. Nemo enim plus iuris in

alium

Sal. Ann. 1526. *alium transferre poteſt: quam ipſe habeat. Sed demus inueſtituram, eidem Ludouico patri conceſſam, in ſuo robore permanere, ipſumq; ducem Franciſcum iuxta illius ordinem ad ſucceſſionē vocandum, non vocatur ex ea niſi poſt mortem primogeniti, qui adhuc viuit: ſicque non euenit caſus, qui ipſum Franciſcum admittat. Non enim primogenitus ſimpliciter refutauit feudum ante feudi adeptionem: vt fieret locus ſequenti in gradu, ſed optato feudo, vbi de fructibus pro libitu eius, vita comite, diſponere poterat etiam inuito propinquiore ſucceſſore ceſſit & renunciauit. Et cum id egerit, paciſcendo cum hoſtibus in dominum feudi: totum illud ius, quod eidem Maximiliano primogenito competiſſet, ad ſacrum Imperium deuolutum extitit. Sicque nos nullo iure cogebamur, etiam firma ſtante illa prima inueſtitura huiuſmodi ducatum Mediolanenſem concedere ipſi illuſtri Franciſco Sforciæ. Saltem vita comite ipſius Maximiliani primogeniti. Quinimo iure merito poteramus ducatum ipſum penes nos retinere eoque interim vti frui. Obijcietur nobis fœdus percuſſum cum diuo Leone. Super quo tamen nullum validum fundamentum fauoris dicti Franciſci Sforciæ ædificari poteſt. Res eſt inter alios acta, nihil ibidem cum duce Franciſco tractatum eſt, nec quiſpiam pro eo ibidem interuenit, nulluſq; pro eo ſtipulatus extitit, cui ſtipulandi ius eſſet. Et ſi inter contrahentes res ageretur, emergeret quæſtio, an is qui ex eo fœdere ſe fundaret, pro parte ſua impleuiſſet quod debebat. Sed fatemur omnia ſolemniter geſta & impleta, ipſumque fœdus percuſſum, & ſtipulatum cum ipſomet duce Franciſco, non datur illi ex eo fœdere plus iuris quam antea haberet. Sic enim ſonant ipſius fœderis verba*. Item: Quia illuſtris Franciſcus Sforcia dux Barri prætendit ducatum Mediolani ſibi deberi ex vi inueſtituræ, per felicis memoriæ Maximilianum Cæſarem factæ, attentata renunciatione fratris ſui primogeniti, per quam ſe primum ſucceſſionis locum aſſeruit obtinere. Actum extitit & conuentum. Quod ſi idem illuſtris Franciſc. Sforcia ducatum ipſum recuperauerit, præfati contrahentes, eundem in ſuis iuribus conſeruare curabunt, ac ab omni violentia tueri nitentur. *Ecce igitur, quod hic nullum aliud prætendat dux Franciſc. quam quod ſupradictum eſt, abunde tamen eneruatum. Ecce quod hic eſt conuentio conditionalis, ſi ipſe dux ducatum recuperauerit, quæ conditio implenda erat in forma ſpecifica æque non impleta, prout ipſe implere non poterat, obligatio illa euaneſcit. Et eſto quod foret ipſa conditio firmiter impleta, & purificata. Ecce obligatio illa non diſponit niſi de eo conſeruando in ſuis iuribus. Quæ vt antea oſtenſum eſt, nulla ſunt nulliuſque momenti. Si igitur nos tot titulis, totque iuribus fulti, qui ducatum ipſum, fœderatorum noſtrorum præſidijs freti, noſtra tamen vt plurimum impenſa, non ſine magna noſtrorum iactura, totque præclaris ducibus ac militibus amiſſis, cum tanta Chriſtiani ſanguinis effuſione, ex hoſtium manibus recuperauimus, ab eorumque faucibus eripuimus, & toties illis redeuntibus, repulſis ac victis ſeruauimus, ac tutati ſumus, nulla nos ad id vrgente neceſſitate, ſed pro reipub. quiete, ex noſtra mera liberalitate ac munificentia, iuribus noſtris tam claris, tā apertis omnino poſtpoſitis ac poſtergatis, conſenſimus eundem illuſtrem Franciſcum Sforciam, tanto munere dignum facere, eundemque ad dictum ducatum admittere, ac eidem ipſius ducatus inueſtituram concedere. Quis nam vir ſani capitis, nos de cupiditate, de ambitione, de indebita occupatione recte arguere poterit? Quis nam ex his geſtis poteſt elicere ſiniſtram aliquam ſuſpicionem, quod non recto animo intenti videamur ad ea omnia quæ reipubl. Chriſtianæ quietem & tranquillitatem Italiæq; libertatem concernere videntur? Adhæc non verbo tantum obtulimus, ſed & effectu præſtitimus. Fecimus enim ipſum ducem Franciſcum totius ſtatus poſſeſſorem, fecimus in eius poteſtate reponi & conſignari omnes arces, omneſq; ciuitates, auctoritatem & adminiſtrationem omnimodam eidem permiſimus, vt non ſolum regere & pro libito adminiſtrare poſſet fructus percipiendo, ſed etiam alienando, vendendo ac pro eius voto diſponendo. Cuius etiam alienationis, dum ad id requiſiti fuimus tanquā à vero duce factas confirmauimus, & approbauimus, fecimus in fœderibus per nos initis, tum cum Adriano, tum cum Venetis, tum etiam cum cæteris, cum quibus tractauimus eundem, tanquam Mediolani ducem nominari & includi, de eiuſque tutela & conſeruatione tranſegimus: Conceſſimuſq; tandem inueſtituram dicti ducatus, & pertinentiarum in forma ampliſſima. Quam ad manus equitis Belliæ ipſius du-* Ann. Sal. 1526.

cis

Sal. Ann. 1526. cis Franciſci oratoris realiter conſignauimus, ſub certis conuentionibus & obligationibus, per ipſum ducem implendis pro parte impenſarum, per nos in eius beneficium factarum pro adoptione & conſeruatione dicti ſtatus. In quibus tamen ita moderate habuimus, vt nec vix quartam ipſarum impenſarum partem, per annorum terminos eſſemus recuperaturi. Hæc profecto ſcripta patent, nullaq; tergiuerſatione cælari poteſt, cum iam in Notoreitatem tranſiuerint.

24. Inſuper, cum de ipſius illuſtris Franciſci morte dubitaretur, phyſicique quæ de illius ſalute deſperarent, hincq; noua oriretur in nos ſuſpicio Veſtræ Sanct. Venetorum, aliorum Italiæ potentatuum, ſi ſtatum ipſum Mediolanenſ. per mortem dicti ducis Franciſci ad ſacrū Imperium recta via rectoque ordine iuſtitiæ deuoluendum, aut in noſtra poteſtate retineremus, aut sereniſſimo fratri noſtro chariſſimo Ferdinando, Archiduci Auſtriæ concederemus. Cum & noſtram & ipſius fratris noſtri potentiam exoſam & formidabilem habere viderentur, potius Deo (qui nobis hæc ſua clementia & benignitate cōtulit) ipſiq; fortunæ inuidentes, quam aliqua alia iuſta cauſa perciti. Placuit Veſtræ Sanctitati nos per dictum eius legatum moneri & hortari, quatenus pro Italiæ quiete, ac ad ſubmouendum cuiuſvis ſuſpicionis ſcrupulum in caſum mortis, dicti illuſtris Franciſci Sforciæ, ducatum ipſum Mediolani nequaquam in noſtra poteſtate retineremus: Nec pariter ipſi Sereniſs. fratri noſtro concederemus: ſed ipſum ducatum tali perſonæ traderemus, de qua Italiæ potentatus nullum metum, nulliuſq; ſuſpicionis obiectū habere poſſent. Ad eumq; effectum Veſt. Sanct. per dictum legatum alterum duorū nobis ad id proponi fecit, vt ducem Borbonij, aut Georgium de Auſtria, Cæſaris Maximiliani naturalem filium. Annuimus nihilominus licet ad id nullo iure aſtringeremur, quod ducatus ipſe in caſum deuolutionis minime penes nos retineretur, nec etiam ipſi Sereniſſimo fratri noſtro concederetur, obtulimuſq; in eum caſum dictum ducatū conferre in perſonam iure merito gratam & acceptam Veſtræ Sanctitati, à qua nihil ſuſpicari poſſet, quod ad turbandum Italiæ quietem tendere videretur. Licet etiam id à Veſt. S. acceptatum non fuerit, nec etiam alijs potentatibus gratū extiterit niſi perſonam, cui in eū caſu ducatum conferre vellemus, prius nominaremus vt diſcerni poſſet an grata & accepta foret. Non fuimus ab hac inſtantia alieni. Nominauimus in eum caſum ipſum illuſtrem Borbonij ducem, quem Veſtra S. primo propoſuerat, in eum quidē inueſtituram conferre parati, non pro commodo aut augmento noſtro, ſed pro tollenda ſuſpicionis rubigine qua Veſt. S. ac potentatuum animi augebantur, pro ſubmouenda ea vmbra noſtræ magnitudinis qua intrinſecus premebantur: proque ipſius Italiæ quiete quæ nobis ſemper cordi fuit, vt potius Chriſtianæ Reipub. cauſam, quā priuatam noſtram tueremur. Quid igitur cupiditatis nobis ex his aſcribi poſſit: Si ducatum Mediolani & ſtatum tanti momenti tantiq; valoris (vt præmittitur) per nos recuperatum quem licite retinere poterimus, tot titulis, totque iuribus fulti, ſemel illuſtri Franc. Sforciæ conceſſimus: Iterum ſi per illius mortem ad nos deuolueretur, ad Veſt. S. nutum alteri concedere annueremus, ij videlicet, quem V. S. prius nominauerat: Nos tamen iuſtis iuribus, tamq; amplo & importanti dominio ſuffulti (pro quo, ſi Iulius Cæſar reuiuiſcens noſtram perſonam indueret, aut hi qui nobis cupiditatem impingunt, forſan etiam iusiurandum violandum cenſerent) nos ipſi non coacti, nulloq; iuramenti ſeu cuiuſvis obligationis vinculo aſtricti, noſtra ſponte pro ipſa Repub. ius noſtrum tam liquidum abrogare, & à nobis auferre conſenſimus excluſo etiā proprio fratre, qui iure merito poſt nos cæteris omnibus anteponendus videbatur. Cum hunc loco filij haberemus in ſuccedendi gradu proximiorem, cui nulla ratione nulloq; iure diuino, naturali vel ciuili, extraneus quiſpiam anteferēdus erat fateamur neceſſe eſt, non hic cupiditatē, non ambitionē, non auaritiam, non dominādi ſeu aliena occupandi appetitum ineſſe. Sed potius ampliſſimam vberemq; largitatem, munificentiam, ac, ſi dicere fas eſt, prodigalitatem dominandiq; contemptū arguere. quod tamen Reipub. cauſa læto hilariq; animo, vltro, nec non ſpōte præſtabamus.

25. Sed nunc ſubmouenda reſtat cauſa illa gemitus & doloris Sanct. Veſt. ac totius Italiæ, qua V. S. tantum affligitur: occupationis ſc. ipſius ſtatus Mediolani inde per noſtros factæ cum obſeſſione arcis, in qua duxerat. In qua re licet nos omni culpa excludere & liberare poſſemus. Illam ſi qua foret in duces belli referēdo, quibus dum nos monuiſſent, de practicis & molitionibus: quæ aduerſus nos & ſtatum noſtrū pa-

Sal.Ann. 1526. *parabantur. Marchio Piſchariæ, vt præfertur, rei conſcius, nobis illius feriem radicitus detexiſset, affirmans ipſum ducem Franciſc. huiuſce facinoris reum, vt ſe ſtatumq; illum à noſtra obedientia ſubtraheret, ac fœderatorum viribus non habita ratione inueſtituræ, nec fidelitatis per eum præſtandæ, nec impenſarum, quæ nobis erãt reſarciendæ in eo ſtatu de facto potius quam de iure teneretur, atque eo etiam decedente fœderatorum præſidio, nobis excluſis ſubintraret. In eo ſtatu eius frater Maximilianus Sforcia: quem iam ipſo iure priuatum diximus, conſentiente etiam Gallorum rege, cui ius dicti Maximiliani, ſi quod habuiſſet, ceſſum erat: vt quoq; exercitus noſter tumultuantibus populis, ad ipſiuſmet ducis Franciſci, ſuorumq; agentium, & fœderatorum inſtantiam & ſolicitudinem deleretur, & in ruinam & præcipitium deduceretur: & ſi fieri poßet, omnes ipſius exercitus duces & milites trucidarentur. Eo etiam ſignanter adiecto. Quod cum ipſe illuſtris Marchio Piſchariæ, habito de ea re cum ipſo duce Franciſco colloquio, vt magis illius intrinſecum animum tentaret, an firmus in ea factionis practica remaneret, ei duci perſuadendo dixiſſet: quod poſtquam iam à nobis inueſtituram obtinuerat, eratq; de eius ſtatu ſecurus, non oporteret amplius eam practicam proſequi: Idem dux reſpondiſſe fertur firmius & cõmodius eße, quod iam practicatum erat atque concluſum, quàm quod ex inueſtitura aſſequi poterat, concurrente ibidem publica ſalute Italiæ: quæ etiam rei priuatæ anteferenda cenſerentur. Inſtabant propterea duces ipſi, vt ad has molitiones repellendas, neve maiora ſcãdala inde ſequerentur, his licentiam præberemus, vt de ipſo Franciſco duce & ſtatu Mediolani ſe noſtro nomine aßeuerarent, pro noſtri exercitus tutela, vtq; exercitum ipſum comminuendum & penè diſſoluendum nil tale metuentes: iuſſeramus, nõ ſolum ſuſtineremus, ſed etiam augeremus, ni penitus ab Italia excludi vellemus. Nos autem qui hæc non facile credebamus, ſed potius conficta ſimulataq; putabamus: eo quod qui bella tractare ſolent, potius belli quàm pacis media cogitant, in hiſq; libentius animos eorum adoptant. Arbitramur enim, quod ſub eo colore putaßent nos cogere & vrgere ad ipſum noſtrum exercitum integre ſeruandum ſuſtinendumq; dubitantes itaque ne veluti belli cupidi in id præcipites ruerent ac arma præter noſtram voluntatem mouerent: Cum*

etiam nil aliud quam pacem & quietem cuperemus, mandauimus eiſdem ne quid noui tentarent in dicto ſtatu Mediolani, niſi in tribus caſibus: Si dux Franciſcus moreretur: Si Galli cum Heluetijs Italiam intrarent, vel ſi factionum practicarum executio ex aduerſo tentaretur, vt hi prius arma contra nos exercitumq; noſtrum mouerent. In quolibet enim horum triũ caſuum conſenſimus, quod pro tutela exercitus noſter & rerum noſtrarum, ſe aſſeuerarent in dicto ſtatu Mediolani. Verum cum Hieronymus Moronus, primarius ipſius ducis Franciſci Conſiliarius, ac eiuſdem factionis fertur principalis miniſter, multiplicatis ſuis literis monuiſſet dictum Marchionem Piſchariæ, quem putabat factionis participem habere, vt rem ſuam diſponeret, eidem affirmando reliquos factionis ſocios, iam diſpoſitos paratoſq; eſſe, vt in octo vel decem dierum ſpacio in noſtros irruendum eſſet. Idem Marchio participato cum cæteris ducibus noſtris conſilio captoq; Morono, illius habita confeſſione, totam ſeriem negotij complectente ſatis conformi in ea quæ Marchio nobis ſuis literis inſinuauerat, collecto exercitu noſtro vndique ſparſo, aliquot ciuitatibus munitis Mediolanum progreditur, ducem Franciſcum interpellat, vt pro ſecuritate noſtra noſtrique exercitus arces & caſtra dicti ſtatus, in noſtrorum manus reponeret, idque cuſtodibus illorum exequendum committeret. Annuit dux ipſe vt caſtra nobis traderentur, prout effectu tradita fuere: Duabus duntaxat arcibus principalioribus, quas ipſe muniuerat, Mediolani ſc. in qua ipſe recludebatur, & Cremonæ exceptis: has enim duas in ſe reſeruãdas cenſuit, donec de noſtra voluntate certus fieret offerens interim, illas noſtro nominet tenere, ac obſides dare, ac per ſe, & per præfectos arciũ iuramentũ præſtare, quod ex ipſis arcibus nullũ exercitui noſtro damnum ſeu præiudiciũ fieret. Non placuit hæc ſecuritas ducibus noſtris, vident pericula in mora. Si arces illæ magis munirentur liberæq; permanerent, poſſe inde exercitus noſtri ruinam ſuccedere reſque noſtras in euidenti periculo remanere. Interpellant denuo, ac iterũ atq; iterum requirunt ſub rebellionis pœna ac læſæ Maieſtatis criminis confeſſi atq; conuicti, quatenus ipſa arce Mediolani in poteſtate noſtra ac noſtrorum poſita exiret, ſuique copiam faceret, & aduerſus eas, de quibus culpabatur, defenſiones ac iuſtificationes, ſi Sal.Ann. 1526.

quas

Sal. Ann. 1526. *quas habebat, proponeret, duoſq; eius rei conſcios, quos penes ſe habebat in arce recluſos, dimitteret interrogandos, ad ampliorem rerum geſtarum dilucidationem. At cum Dux ipſe his non annueret, niſi à nobis mandatum haberet, noſtri arcem circunuallant: Interimque de geſtis nos admonent, neceſſarias cauſas per quas ad hæc coacti fuerant, enarrant approbationem geſtorum à nobis expoſtulant. Inſtant, vt eidem duci Franciſco reſcribamus, mandemuſq; vt arcem nobis aut noſtris tradat. Nos referentes rem hanc præter mentem noſtram tentatam, nunquam voluimus nec illorum geſta approbare nec duci (vt petebatur) mandare vt caſtris dimitteret. Semper enim in animo habuimus, eam accuſationem, quæ in ducem ferebatur, debito iuris ordine tractandam & terminandam. Nunc profecto eius rei exitu præteritorum veritas elici poteſt, cum præparatæ iam diu factionis effectus illuxerit, quo magis deinceps eiſdem noſtris ducibus credere debeamus, non poſſumus non laudare & approbare eorum prudentiam & fidem in conſeruatione dicti ſtatus, ipſiuſque noſtri exercitus illiuſque arcis aſſecuratione ne amplius muniri poſſet, neve inde maioris mali & incommodi occaſio præſtaretur. Nec id quidem ita perperam & iniuſte geſtum videtur prout Sanctit. Veſt. ſibi ſuadet, dato enim fundamento quod ipſe dux Franciſcus læſæ maieſtatis reus accuſaretur. Et ſi vnius dumtaxat teſtis adeſſet depoſitio, vbi plurium tamen adeſt teſtimonium. Ex quibus etiam ſi eſſent ſocij criminis ac factionis participes, poterit iure merito contra ipſum ducem procedi & ad capturam & ad torturam. Et cogit vt ſui copiam faceret, ac in vinculis cauſſam diceret, ſuaſq; defenſiones & iuſtificationes carceratus adduceret, non autem in arce recluſus audiri debuit. Quinimo contra eum vocatum & non comparentem ac ſe ſubtrahentem & reſiſtentem potuit in eius contumaciam pronunciari, vt pro confeſſo & conuicto haberetur. Sed & priuſquam id fiat accuſato non comparente, nec ſui copiam faciente, licite ad manus curiæ redimentur illius bona, quæ etiam à die ingreſſi criminis ipſo iure publicata confiſcataq; cenſentur. Sicq; hinc non tanta cauſſa gemitus & doloris Veſt. Sanct. parata videtur. Si dominum Vaſallum ingratum & læſæ maieſtatis reum puniendum cenſeat, ni forſan quod in mentem cadere non potuiſſet, id gemendum dolendumq; putent, quod eidem hanc foueam in quam incidit ſub charitatis ſpecie parauerunt, ipſumq; ad huiuſmodi diſcrimen deduxerunt: Sed potius ingemiſcere ac dolere deberet non ſolum V. Sanctitas, ſed vniuerſa Reſpub. quod ſine iuſta cauſſa ſineque culpa noſtra tam ingens excitetur incendium, quo & turbatur vniuerſus eccleſiæ ſtatus & tota ſcandalizatur Chriſtiana religio.* Sal. Ann. 1526.

26. *Nec ſane intelligere poſſumus quod cuncti prope Chriſtianitatis reges (vt Veſt. Sanct. ait) efflagitarint, agitauerint nec nõ partiti fuerint in re tanti præiudicij arma & auxilia conferre. Scimus enim & pro certo habemus nec Vngarum nec Polonum nec Portugalenſem, nec Danum, huiuſce conſilij participes ſeu conſcios. Anglus autem & ſi eius fœderis conſeruator & protector nominetur, nobis tamen apertis ſuis literis ſignificauit ſe nequaquam in id fœdus conſenſiſſe, nec mandatum dediſſe, nec talem protectionem acceptaſſe nec acceptare velle, licet ad id parte V. S. interpellatus ac inſtanter requiſitus extiterit: ſe pacis quàm ſemper efflagitauimus mediatorem offerendo. Gallus verò & ſi cum S. V. ac alijs Italiæ potentatibus fœdus percuſſerit, vt eo medio mitiores ſi poſſet quam iam ex noſtro fędere obtinuerit à nobis pacis cõditiones exhauriat, liberoſq; obſides recuperet. Retulit tamen aperto ore quod V. S. impulſu & ſuaſu, etiam priuſquam in regnum ſuum liber remitteretur, de ipſo nouo fœdere ineundo ſollicitabatur. Et ſunt qui affirmant, vt ex quibuſdam literis percepimus: quod V. S. ipſo etiam Gallorum rege non petente, eidem iuramentum relaxauerit quod nobis præſtiterat pro fœdere nobiſcum prius inito, quod tamen credere nolumus: quandoquidem res talis omnino à paſtore Chriſti Vicario aliena eſſe deberet, ne ipſius iurisiurandi ſine cauſa ſpreta religio ad deteriora incentiuum præberet. Merito tamen V. S. his verbis vtitur,* dimiſſis conſilijs & conſpirationibus, *ſi verbis addatur effectus. Si verò omnis cõſpiratio dimittatur cũ ſecundũ rectam intelligentiã crimen denotat.*

27. *Quod autem ad ea conuentionum capitula, quæ attulit Herrera, videamus qualiter S. V. prætendat illa paucis in locis leuiter immutata: ſi enim benẽ cuncta rimentur, omnes articuli qui cum ipſius legato ſic compoſiti remanſerant cum V. S. concludendi: licet ipſam concluſionem*

Ann. Sal. 1526. *ſionem V.S. reſeruandam aſſereret, eius poteſtate poſtquam ad nos peruenerat reſerata atq; reſtricta, mutati penitus ad nos remiſſi fuere. Ita vt nullus fere remaneret intactus, qui non aliam ſubſtantiam aliumq; ſonum præ ſe ferret. Omnes tamen huiuſmodi mutationes obmiſimus in quatuor duntaxat articulis, huiuſmodi conuentionum, videlicet 12. 13. 14. & 15. moderationem petentem.*

28. *In 12. enim ipſorum articulorum qui rem Ducis Ferrariæ complectebatur, licet omnis ſubſtantia, vltra quam tractatum eſſet, mutari videretur: conſenſimus tamen nos effecturos cum effectu, quod eadem Sanctitas & intra præfixũ tempus, dum ſibi expedire videretur, ſine cuiuſque reſiſtentia, ſine armorum apparatu recuperare poſſet, poſſeſſionem Rhegij & Ruberiæ tenendam & poſſidendam, prout antea tenebat, ita quod non intelligeretur præiudicatum iuribus Imperij aut cuiuslibet alterius prout eadem S. V. admittebat. Id ſolum addidimus quod ad alliciendum ipſum ducem Ferrariæ, remittendo eidem quaſq; pœnas & ius commiſſ. ac abſoluendo eum à cenſuris forſitan incurſis, quod profecto non niſi ad maiorem quietem Italiæ petebamus, non ignorantes ipſum ducem non aliter ſine armis cogi poſſe: vt Rhegium & Ruberiam dimitteret vel S. V. reſtitueret, in quibus & iure feudi Imperialis & ratione prioris ſpolij ſe potius tuendum cenſebat. Vnde ad prouidendos nouos belli tumultus, & ne remaneret cuiuſvis incendij ſcintilla, ſed vniuerſa Italia in eo fœdere ſine quouis ſcrupulo concurreret, id ita agendum neceſſario cenſentes, prout nunc agit V. S. nos etiam ſub ſpe defenſiui fœderis iam percuſſi, ad ipſius ducis Ferrariæ offenſionem aſtringere voluiſſemus, in qua re nouos bellorum tumultus timebamus, quos tamen effugere nequiuimus, qui dum ab offenſione nos abſtinere curamus, defenſioni ſtatus, dignitatis & auctoritatis noſtræ intendere cogimur, & inniti trahimur. Qua de re huiuſmodi noſtram additionem nequaquam reſpuendam V. S. putabamus, in hoc enim nec V. S. auctoritati derogatur. Nec à veri paſtoris officio declinabatur: ſed potius publicæ quieti conſulebatur.*

29. *In 13. ipſius fœderis ſeu capitulationis articulo illam ſalis diſtributionem in ſtatu Mediolan. continentem, ex quinque correctionibus per V.S. factis eas omnes admiſimus, eo duntaxat excepto quod vbi Veſt. S. deleri fecerat illa* Sal. Ann. 1526. *verba ad eius vitæ decurſum, ſatagens illud ius ſibi & ſucceſſoribus perpetuare. Nos qui duntaxat perſonæ S. Veſtræ eius vita comite gratificari volebamus, non autem ſtatum ipſum Mediolani Sacri Imperij feudum perpetuo eccleſiæ Romanæ aſtringere, & tali onere ſemper grauatum remanere ſine ſpe libertatis. Nolentes etiam ipſum Sereniſſ. Archiducem fratrem noſtrum iure ſibi in ea re conceſſo perpetuo excluſum remanere. Noluimus illam cancellationem approbare, ſed verba illa ad eius vitæ decurſus, prout in Capitulatione, quam attulit Herrera, firma manere cenſuimus. Ex vltima vero ipſius articuli correctione admiſimus eam partem additionis ibidem per Sanct. V. factam vt eſſet illa conuẽtio abſque præiudicio ſedis Apoſt. Ea autẽ verba quæ his ſubiungebantur, videlicet de Sale ipſo in ducatu Mediolani diſtribuendo, cum viderentur relatiua & ſubſequentia ad iura ſedis Apoſtolicæ, videremurq; fateri ius eſſe Apoſtolicæ Sedi illius diſtributionis, voluimus admittere ne fateremur quod non erat. Sicque in huius articuli correctione, nulla S. Veſt. fiebat iniuria. Sed potius nos & fratrem noſtrum ac ſacrum Rom. Imp. ab iniuria eximebamus: & non ſub verborum inuolucro diſceptationis cauſam relinquere volebamus: ſed clare & aperte dubium omne tollebamus.*

30. *In 14. articulo ipſius capitulationis vnde illæ lachrymæ, illæ anguſtiæ prodiere, addiderat S. V. in fine ipſius articuli diſponen. de ſtatu Mediolani, & duce Franciſ. Sforcia hæc verba formalia:* Et quia ipſi Franciſco Mariæ duci nonnulla imputantur contra Cæſarem, aut à Maieſtate ſibi conceſſam inueſtituram & feudum perpetrata, cupiens eadem Maieſtas quantum in ſe eſt Italiæ fouere quietem, quæ ſeruari poſſe non creditur, cum eiuſdem ducis à ſtatu & ducatu remotione, ideo conuentum eſt quod idem dux in ſtatu ipſo permaneat. Et quatenus opus ſit in eo per Cæſarem de nouo confirmetur, non obſtantibus quibuſcunq; per eum contra maieſtatem etiam ſupra dictum eſt attentatis, etiam ſi ſaperent crimen læſæ maieſtatis. Cæſar namq; ducem ipſum pro innocente habere vult, & ex mera liberalitate ſua ac totius Italiæ intuitu, totum ſibi remittit & indulget ſi etiam peius quam dicitur aut creditur, erraſſet. *Videat*

quæ-

Sal. Ann. 1526. *quæſumus, Sanctitas V. quam leuis exiſtimanda foret hæc immutatio: quàm iuſta & honeſta petitio, quàm optimum eſſet exemplum ad res bene gerendas, ad vaſallos & ſubditos debita fide & obedientia erga dominos continendos: quàm egregiam præberet formam augendi & conſeruandi Sac. Roman. Imp. à Deo inſtitutū, à Prophetis prædictum, ab Apoſtolis prædicatū, & ab ipſo Chriſto naſcente, viuente & moriente approbatum. Nos tamen qui nil aliud quàm pacem, quàm quietem reipublicæ Chriſtianæ cupiebamus, quantum fas Sanctitati Veſtræ ſatisfacere, nullumq; rectum noſtræ intentionis teſtimonium intactum, aut dubitationis ſcrupulum in Veſt. Sanctit. mente relinquere putabamus: reformauimus dictum decimum quartum capitulum ipſius capitulationis in hæc verba:* Vt autem nihil dubietatis ſeu ſuſpicionis in hoc fœdere relinqueretur, ſed omnis ſcrupulus de medio tollatur. Cum in priore fœdere potius ſub nomine proprio quam appellatiuo includi videtur illuſtris Franciſcus Sforcia dux Mediolani, qui aliquibus iam menſibus graui vexatus ægritudine, & in ſūmo vitæ diſcrimine conſtitutus fuit, etiam de Felonia ac læſæ maieſtatis crimine accuſatus ſeu inculpatus, & ſi hunc aut naturali morte aut ciuili iuſtitia præuia ab ipſo ducatu Mediolani excidere contingeret: hæſitari poſſet an fędus ipſum ad alium in eodem ducatu ex Cæſaris conceſſione vel diſpoſitione ſuccedentem protenderetur: ideo ad ampliorem ipſius fœderis declarationem actum extitit. Quod ſiue ipſe Illuſtris Franciſcus Sforcia vitam obierit, & ab hoc ſæculo migrauerit, ſiue per vitam iuſtitiæ dicto ducatu fuerit priuatus in eum caſum Cæſarea Maieſtas pro Italiæ quiete & contemplatione S. D. N. ipſius Ducatus Mediolani inueſtiturā cōcedet illuſtri Carolo Duci Borbonij & Aluerinę. Ita quod S.D.N. & cæteri fęderati qui in hoc fędere voluerint cōprehendi, ſint & cenſeantur aſtricti ad defenſionē ipſius ſtatus Mediolani: etiā ad opus dicti illuſtris ducis Borbonij dum de ipſo Ducatu Mediolani fuerit inueſtitus. Quo caſu quantū ad omnia in fędere contenta, tanquam ſuffectus in locum dicti illuſtris Franciſci Sforciæ, fungatur omnibus honoribus & oneribus quibus ipſe viuens, & in tali ſtatu permanens fungi debuiſſet. *Hæc eſt immutatio quam in hoc articulo fecimus, quā velut iuſtitiæ & æquitati conſonam approbandā, & nequaquam reſpuendam cenſebamus, minimeq; in mentem noſtram cadere poterant, Summum paſtorem vices Dei gerentem in terris adeo pertinaciter inſiſtere debuiſſe. Quod ſi Dux Franciſcus tanti criminis reus appareret, impune euaderet: cogeremurq; inuiti illi indulgere, ac in ſtatu illo conſeruare: ſic incentiuum maioris ingratitudinis maioriſq; delicti illi præſtando. Arbitramur Veſt. Sanct. ſat eſſe debere, ſi Ducatu illo ad nos & S. Imp. deuoluto conſentiebamus S. Veſt. intuitu, vt nec illum retineremus, nec proprio fratri concederemus. Si perſonam quam Sanct. Veſt. antea ad id gratam habuerat nobiſq; nominauerat, moriente Duce Franciſco prouidendum non minus gratum eſſe putaremus, ipſo Duce Franciſco per iuſtitiam priuato: vt quod in naturali morte conſenſerat, in illius etiam morte ciuili recuſaturus non eſſet.* Sal. Ann. 1526.

31. *In 15. vero ipſius capitulationis artic. cōtinente prætenſas nouitates, tentatas contra eccleſiaſticam libertatem regno noſtro Neapolitano. Cum Veſt Sanctit. fere totum articulum in verbis diſpoſitiuis deleuiſſet & cancellaſſet, his duntaxat verbis. Primo, diſpoſitione dicti articuli additis & commutatis.* Quod circa huiuſmodi obſeruentur, quæ inueſtitura Regni Neapolitani ipſi Cæſari conceſſa continentur. *Nos hanc etiam correctionem & mutationem pro Veſt. Sanctit. nutu admiſimus, additis duntaxat in fine articuli verbis ſequentibus, videlicet* his modis & formis quibus per Ferdinandum regem catholicum eius anteceſſorem obſeruata fuere, & iuxta ipſius regni priuilegia & iura. *Quid enim in hoc immutatum quod reſpuendum videretur? Si anteceſſoris rectos tramites inſequendos putamus, Si iura & priuilegia regni noſtri ſeruare ſtudeamus, qualiter aut ex his mutationibus tam iuſtis rationibus ſuffultis.*

32. *Sumat V.S. illud perſpicuum (vt ait) iudicium à nobis illudi & pro nihilo haberi. Qualiter inferat in his facultatem primo conceſſam Herreræ vberiorem fuiſſe: Et quod facta concordia cum Chriſtianiſſimo reſtrictiora & ieiuniora tranſmiſerimus. Qualiter & quo colore ex his prætendat iudicari eandem Sanctitatem poſtremam eſſe, & à nobis contemni, vbi nobis cum alijs amicitia conueniſſet: quicunque recti ſen-*

Sal. Ann. 1526. *ſenſus & à paſſione alienus, facile hæc iudicare poterit. Nos enim ſemper recti integriq; propoſiti remanſimus, prius cum V. S. quam cum quouis alio conueniendi. Nos & ante & poſt cum rege Gallo initum ſemper in eodem propoſito permanentes V. Sanctitatem eiuſq; miniſtros pro huiuſmodi ineundo ſollicitauimus pulſauimuſque, nec quicquam vnquam habuimus in ore quod non haberemus in corde. Nos Herreram ad S. V. pro eo fœdere ineundo miſimus longe antequam cum ipſo rege Gallo concluderemus, citiuſque illum aut alium miſiſſemus, ni V. Sanct. legatum venientem, (vt aiebant) cum ampliſſimo mandato nobiſcum concludendi præſtolandum cenſuiſſemus, ni etiam poſt illius aduentũ viſo mandato quod à V. S. habebat, & confiſi quod illo vti poſſet, diutius cum eo de ipſius fœderis capitulis tractantes, tempus inaniter conſumptum cognouiſſemus. Vbi capitulatione iam formata, & cum eo propter concordata dum de concluſione ageretur nobis inſinuauerit, quod ex quo poſt eius à V. S. receſſum mutata eſſent negotia intenderet concluſionem differre, donec V. S. conſuluiſſet. Ob quod ſanctius putauimus capitulationem ipſam, prout formata fuerat ad V. S. per Herreram tranſmittere, putantes ibidem rem celerius poſſe concludi, licet ſpe noſtra fruſtrati fuerimus, S. V. ad alios fines tendente, prout exitus demonſtrauit.*

33. *Nunc ad literas manu V. S. conſcriptas de quarum reſponſione conqueritur deueniendũ eſt, vt etiam inde omnem à nobis repellamus culpam. Ea enim per V. Sanct. eius reſponſionis culpa nobis in tribus impingitur. Primo quod V. S. vbi clementiam ducis Mediolani petebat, nos rigorem iuſtitiæ obtulimus, ad quod ſatis diffuſe reſponſum dedimus, dum ipſius ducis negotium ante diſcuſſimus, vt ſic repetitione non egeat. Id ſolum hic adijciendum cenſemus, non videri in hoc iuſtam S. V. querelam. Si iuſtitiæ viam amplectendam cenſuimus: Sine qua vera pax eſſe non poteſt. Cum iuſtitia & pax ſe inuicem deoſculentur, & vt ad clementiam deueniatur prius veritas eſt habenda. Sunt enim (teſte Pſalmiſta) quatuor Sorores concatenatæ:* Iuſtitia & pax oſculata ſunt: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. *Qui igitur miſericordiam expectat, reatum fateatur oportet: Qui pacem vult, iuſtitiam amplectatur. Nec ita paſſim vtendum eſt clementia, vt delinquendi incentiuum præbeatur. Sed potius ad bonum regimen ſpectat* parcere ſubiectis & debellare ſuperbos. *Non enim indulgendum videtur his qui contumaciter in rebellione perſiſtunt, his qui in arcib. munitis ſe continent, his iuſtitiæ executionem ſatagunt euitare.* Sal. Ann. 1526.

34. *Secundo redarguitur noſtra reſponſio quod pro culpa quam V. S. in quibuſdam eſſe dicebat, V. S. quodammodo criminaremur, illos immunes criminis fatendo. Se abſit tantus error qui nil ipſa reſponſione quam propria manu conſcripſimus legi poterit, quod criminationem ſapere videatur, ſed potius venerationem & obſeruãtiam Veſtræ S. quam ſemper in verum patrem & paſtorem præcipuum habuimus. At ſi id V. S. criminationem putet quod ea aſſerente: ducem Franciſcum in aliquo forſan errore, alios quoſdam in vera (vt aiebat) ribaldaria incurriſſe ex quibus forſan aliquis iam Deo computũ reddebat. Nos intelligentes hæc à Veſtra Sanct. referri ad criminandum Marchionem Piſchariæ tunc vita functum, qui (vt præfertur) antea viuens nobis illius factionis practicam detexerat. Reſpondimus de mortuis modeſte loquendum eſſe ac in dubio potius bene quam male præſumendum, hominemque mortuum qui per ſe reſpondere non poterat, potius laudandum quam vituperandum ſeu culpandum, Noſque cupere mortuum viuere, vt de ſeipſo rationem redderet. In duce autem non errorem qui in facto proprio cadere non poterat: ſed ſi ea quæ illi erant obiecta vera apparerent, crimen potius acerrimum ac exemplari punitione dignum cenſeri. Hæc quippe nullam in V. S. criminationem afferunt, ni forſan S. V. ſeipſam dijudicans fateri vellet (quod non credimus) ſe eius factionis conſciam auctricemque fuiſſe, prout Marchio viuens nobis retulerat. Quem forſan ob id de ribaldaria agendum cenſeret, quod præter fidem datam illius factionis ſecreta detexiſſet, qui tamen ex eo fidelitatis debito, quo nobis prius aſtringebatur, tacere non poterat, quin ſeipſum eiuſdem criminis reum faceret: vbi propalando tale facinus, veniam præmiumque & laudem iure ita diſponente conſequebatur.*

35. *Tertio redarguitur eadem noſtra reſponſio quodque V. S. nobis benigne & large pollicebatur, ea nos tanquam debita & obligata flagitaremus. Sed videamus qualia eſſent eiuſdem Sanctitatis pollicita, qualiſque fuerit reſponſio*

no-

Sal. Ann. 1526. noſtra, vt etiam hanc culpam luamus: hoc .n. V. S. in ſuis literis ſub ſilentio pertranſit, alijs cauſſam deterius cogitandam relinquens. Vt igitur horum veritas clare pateat, offerebat nobis V. S. ſi illius votis quo ad ipſum Ducē Franciſcum annueremus, ſe nobis non ſolum decimas & Cruciatas & pileos & quicquid per ſpiritualem & temporalem poteſtatem facultatis haberet præſtaturum, ſed etiam ſanguinem & vitā ad noſtram exultationem & ſatisfactionē exhibiturum: Reſpondemus non conuenire Reipub. Chriſtianæ cruciatam tali conditione perſtringi, ſed potius libere & ſponte offerendam, nec congruū videri vt illa differatur. Poteramus enim iam in noſtris his regnis concedere eo ordine, quo noſtri prædeceſſores illam ſemper à veſtris prædeceſſoribus obtinuerant, pro promontorijs in Africa. Qui ſitus aduerſus fidei hoſtes tuendis ac propulſandis, quibus ad eum effectum nuſquam fuerat denegata, & minus nobis huiuſmodi Eccleſiæ theſaurum à V. S. denegandum ſeu differendum cenſebamus: qui vltra res Africanas prout Veſtræ S. inſinuauimus, cupiebamus etiam cum ea pecunia quæ ex ipſa Cruciata colligeretur, rebus Vngaricis aduerſus Turcas ſuccurrere, prout & religionis & officij noſtri & ſanguinis ratio incitabat. Pollicebamurque eam pecuniam nequaquam in alios vſus implicandam. Quod ſi ex ipſius cruciatæ denegatione ſeu dilatione quod ſiniſtri Chriſtianitati contingeret, hoſteſque fidei quicquā molirentur, cum iam tot bellis contra nos & ſtatum noſtrum tentatis exhauſti eſſemus, nec ſine cruciata occurrere poſſemus, proteſtati fuimus id nequaquam noſtræ culpæ aſcribendum, ſed potius eidem imputandum, qui id denegaret quod ſibi non noceret & toti Chriſtianæ Reipubl. ſumme prodeſſe poterat. De pileis autem, diximus vnum duntaxat à veſtræ felici promotionis exordio à nobis petitū, quem vbi putabamus tam diu differendum, cum eſſet prima gratia à Veſt. Sanct. manu etiā noſtra conſcriptis literis petita ac inſtanter flagitata. Alter vero pileus petitus non fuerat, ſed vltro à Veſt. Sanct. oblatus noſtroque conſenſu acceptatus. Sicque alienum cenſebamus eos nunc pileos tali conditione perſtringi, quos tamen V. S. arbitrio tunc relinquendos putauimus, pollicentes nos de cætero pro his nec pro alijs quibuſcunque pileis vllam facturos inſtantiam. Reliquas autem ipſius V. S. oblationes non ſolum gratas & acceptas habuimus, pro ipſiſque gratias vt decebat retulimus. Sed etiam reciproco, quicquid facultatis haberemus, vitam quoque & ſanguinem pro Veſt. Sanct. honore ac incremento libere obtulimus. Sal. Ann. 1526.

36. Hæc ſunt, Pater ſancte, quæ illis literis V. S. manu conſcriptis, noſtra etiam manu in effectu reſpondimus, quas in lucem prodire cupimus, vt vtriuſque noſtrum ſcriptis bene perſpectis plane decerni poſſit, an iuſta ſit culpa quæ de his nobis aſcribitur, an ne huiuſmodi noſtra talem redargutionem & criminationem mererentur.

37. Ad eam autem accuſationem & querelam, quam (vt præfertur) V. S. proponit de noſtrorum in Italia agentium iniquitate & contumelijs, ac oblocutionibus. Id, teſte Deo, affirmandum cenſemus nil tale à nobis nec noſtro iuſſu prodyſſe, nec ſub generali noſtro mandato comprehendi potuiſſe quicquam, quod crimen ſeu delictum ſaperet. Quod ſi nobis quid tale legitime conſtitiſſet, fuiſſemus de his vt decet edocti vel etiam adhuc edoceremur, non remanerent hæc impunita taliterque pro iuſtitiæ cultu prouideremus, vt nulla horum culpa nobis aſcribi poſſet.

38. De re autem Senenſi non recte taxamur, nulla enim iuſta culpa nobis impingi poteſt, quæ ad ipſius ciuitatis quietem ſtabiliendam ac bene regendam egimus, ſed quicquid vero ac iuſto Principi conuenire videretur. Eſt enim ciuitas illa antiquiſſima illius Reſp. Imperiali ditioni ſubiecta, & ſupra alias omnes Italiæ ciuitates adeo ab omni æuo Sacro Imp. addicta, illiuſque deuotioni affecta, vt nil ſupra deſiderari queat, habetque propterea ab ipſo S. Imp. noſtriſq; prædeceſſoribus ampliſſima priuilegia etiam per nos confirmata, quibus ipſa Reſpub. regenda ac gubernanda conceditur. Et cum pluribus iam annis præter ipſorum priuilegiorum mentem eiuſdem Reipubl. regimen & gubernīū eſſet à tyrannis vſurpatum, qui non amore ſed timore, non iure potentia ac potius vi illius ſubditos continebant. Quorum primus Pandolphus Petrucius: Inde eo mortuo Burgeſius eius filius. Ac eo poſtea auctoritate Leonis Pontificis à regimine expulſo, falcem in alienam meſſem mittendo: Sua S. nouum tyrannum inſtituiſſet, Cardinalem Petrucium qui eo prætextu quotannis decem aureorum millia eidem Sanctitati perſol-

Sal.Ann. 1526. *ſoluere conuenerat. Sic eandem Remp. Senen. vnire ſatagendo Reip. Florentinæ vt inde magis Imperij vires in Italia debilitari ſeu verius eneruari poſſent. Quem Cardin. tyrannum, nos etiam quandiu vixit, vt potius Leoni & ipſi V. S. quam nobis & ſacro imp. ac illi Reip. ſatisfieret, in eodem regimine paſſi ſumus. Eo autem Cardin. mortuo, dum inter noſtros eſſet contentio quid magis illi Reipubl. conueniret, an ſub ſolo gubernatore forent regendi, an ſub ordine ciuium ex moribus dictæ ciuitatis erigendo: rem V. S. conſilio & ordinationi remittendam cenſuimus: vt noſtrorum contentionem tolleremus. Quorum pars vna ad vnum illius ciuitatis regimen deferendum putabat. Altera vero pars ciuibus & populo committendum ſatagebat. Electa eſt tandem inter eos media via, vt nec vnus ſolus, nec reliqui ſine capite gubernarent: ad idque ciuis noſtrorum auctoritate præfectus extitit. Primo Franciſcus Petrucius Borgheſius patruus, & cum is V.S. minus idoneus ad id munus eſſe videretur, Veſt. S. cum Fabio Petrucio Burgeſij fratre affinitate contracta hunc ipſius ciuitatis regimini præficiendum putauit V. S. Franc. Petrucium illius patruum excludere illamque Rempub. ad ſuæ voluntatis libitum in manu habere conſenſerunt: ni id noſtri qui nihil aliud quam S. V. in his & alijs omnibus occurrentibus, noſtro iuſſu morem gerere ſtudebant. Admiſſus eſt Fabius ipſe Petrucius V.S. intuitu, qui intrans vt agnus & cum omni humilitate receptus: tandem aduenięte duce Albaniæ Gallorum duce, illius præſidijs fretus ſe non agnum ſed lupum oſtendit: ipſamque Rempub. nō Imperiali ſed Gallicæ factioni adijcere conatus eſt: eam cogendo, vt Gallis & pecuniam & tormenta bellica ad regnum noſtrum inuadendum Neapolitanum erogaret: ipſique duci Albaniæ contra nos, & ſtatum noſtrum fauerent, & ad illius nutum extorres & ſeditioſos factionis Gallicæ auctores in ciuitatem reducerent. Et cum annuente altiſſimo de noſtrorum victoria certiores effecti Senen. ipſi à iugo ſeruitutis huiuſmodi ſe excutere curarunt. Franciſcus & Fabius & eorum adhærentes, ciuium, ac populi intentione perſpecta, ciuitatem cum regimine pro derelictis habent: ſeque ab ipſa ciuitate abſentarunt. Proceditur contra culpabiles, aliqui (vt aiunt) iuſtitia præuia plectuntur, aliqui certis limitibus proſcribuntur & confirmantur. Reſque eo deducitur, vt ciuitas & Reſpublica Senen. per ſeipſam in libertatem proclamet, Reipub. quieti iuxta ſuorum priuilegiorum formam intendat: noſtræque ditioni, vt par erat, ſe totaliter deuoueat. His Veſt. Sanct. (vt aiunt) percita, conqueritur ſuos turbari, maleque tractari, remedium à nobis expoſcens. Nos qui nil aliud cupiebamus quam Veſt. Sanct. in his & longe maioribus ſatisfacere, noſtrorumq; in Italia agentium opiniones pro debito iuſtitiæ concordare. Commiſimus commendatori Herreræ, quem ad Sanctit. Veſt. (vt præmittitur) mittebamus, vt is per dictam ciuitatem Senenſem tranſeundo in acceſſu & reditu ſe informaret: de ipſius ciuitatis gubernio & regimine, tam antiquo quā moderno, tam cum ipſis ciuibus in ciuitate manentibus, quam cum extorribus ante expulſis. Quid magis ciuitati & reipublicæ conuenire videretur, an vni ſoli regimen conferendum eſſet, an pluribus ciuibus ex decurionum decreto huiuſmodi regimen eſſet concedendum, & huiuſmodi informationibus ſecreto ſumptis, vt ſub debito ſigillo ſecreti ad nos tranſmiſſi oportune prouideremus. Interea tamen extorres ad ſuorum bonorum poſſeſſionem & fructus, prout prius tenebant, reſtituendos cenſuimus. Adimpleuit Herrera quod ei commiſſum fuerat, ſumpſit informationes ab vtriſque, tam ciuibus quam extorribus: prouidit extorribus ſuper ſuorum fructuum perceptione, iuribus Reipub. ſaluis. Miſit ad nos informationis omnes clauſulas ſigillatas. Comperimus melius Reipub. conuenire præſens ciuium gubernium, quam vim tyrannide vtentis. Duximus igitur nil immutandum donec aliter rebus omnibus perſpectis ordinandum cenſeremus. Interim in lucem prodeunt aliquorū factiones, qui pecunia corrupti & ciuitatē prodere, & extorres & factioſos in eam inducere, & ipſam Rempub. ſubuertere conabantur: iam per ſubterraneos cuniculos perque alia media hoſtibus & rebellibus ad ciuitatem ingreſſum præparantes: inter quas tres apertiſſimæ conſpirationes, & (vt aiunt) proditiones detectæ ſunt. Compertis in factioſorum domibus, mōtibus, foueis, ſcalis, armis, munitionibus, & omnibus alijs ad id facinus perpetrandum diſpoſitis, deprehenduntur vt audiuimus hi facinoroſi in flagranti crimine capiuntur, fatentur delictum, detegunt factionis practicas, damnantur iuſtitia præuia: debito plectuntur ſupplicio. Si Veſt. Sanct. inter* Sal.Ann. 1526.

ſuos

Sal. Ann. 1526. *ſuos amicos & beneuolos annumerandos cenſuerit, ſi pro his quæ in eos geſta ſunt querelas prætendat, Si ex his ſibi contumelias & opprobria impingi putat, Si cum his omnem nobilitatem exterminatam cenſuerit: quæ potius in ipſa virtute conſiſtit, animaduertat Veſt. Sanct. ne grauius pondus humeris ſuis imponat: neve huiuſmodi factionum ſe conſcium tacite fateatur: quod nequaquam illius dignitati & officio conuenire videtur. Cum potiſſimum auctore cuius nutu cuncta reguntur, ipſa Reſpub. Senen. ſuæ iuſtæ cauſæ apertum præſtiterit teſtimonium, à tot inuaſorum congreſſibus, ſe ſuis ſolum viribus, liberando.*

39. *Ad illam autem querelam quam Veſt. S. profert, quod contra promiſſum & fidem datam, tot mala per noſtros in ſanctæ Rom. Eccleſ. terris & locis (vt ait) parata fuerunt. Et ſi noſtrorum militum inſolentias reſque iniuſte geſtas, ſi quæ ſunt, nequaquam approbare, nec excuſare volumus, quin potius vbi fas erit, debita caſtigatione compeſcere. Non poſſumus tamen non mirari, quod S. V. ſe promiſſis, & fide data iuuare velit, quibus antea contradicit, & quæ etiã per nos ratificata V. S. reſpuit ac reijcit: noſtrã ratificationẽ impugnãs, ſuamq; (vt prædiximus) denegãs, indeq; ad fœdus omnino contrariũ tranſitum faciens. In quem caſum non tantum exacerbandũ videretur, ſi noſtri duces & milites qui ſua virtute & viribus Parmã & Placentiam eccleſiæ reddidere ac ab hoſtiũ facibus euulſere, totienſq; tutati ſunt, vt illis victum quærerent, ac de his provt de reliquis ab hoſtibus recuperatis diſponẽdum cenſerent, potiſſimum cum ita hæ ciuitates eſſent Eccleſiæ, ex fœdere Leonis conſignatæ, tenendæ duntaxat eo iure quo aut per ipſum Leonem tentæ fuerũt. Quod ius tamen nullum erat, quandoquidem ad feudum pertinerent Imperij, eſſentq; per ducatus Mediolani: & de illis nullum Eccleſ. Romana titulum validum nec ab imperio, nec ab eo qui dare poſſet, obtinuerit.*

40. *Quæ autem de Legato & Nuncio obijciuntur, quantum illa à veritate diſtent, etiam ex legati & nuncij aſſertione patebit. Quam primum enim Legatus in Curiam noſtram peruenit, cum iam Nuncius ſe mandatum habere profiteretur, vt in pace cum Gallo ineunda & tractanda miniſtris id flagitantibus & ſollicitantibus, impeditus fuerit ipſius Viceregis in Italiã tranſitus. Quin etiam, vt fertur, Si Dom. Hugo illo tempore intra limites ipſius regni Franciæ repertus eſſet, illum pariter detineri curabant: vt ad V. S. peruenire nequiret. Sicq; magis colorari poſſet animi Veſt. Sanctit. nobis alienatio, & apertius incuſari poſſet ipſius Dom. Hugonis tardatio, quam etiam Veſt. Sanct. ſine iuſta ratione accuſare nititur: vbi biduo duntaxat in Curia Regis Gallorum apud Viceregẽ ſe continuit, ad quem miſſus erat, ad eum duntaxat finem, vt cum Vicerege (ſi fas eſſet) ad inter illud Italicum cum dicto Domino Hugone peragendum excitaret. Quod ſi illum ad id diſpoſitum ſeu præparatum non reperiret, reciperet ab ipſo Vicerege vlteriorem inſtructionem, de his quæ in regno Neapolitano, poſt expeditum cum V. Sanctitate negocium, eſſent: & inde ipſe Dominus Hugo Vicerege dimiſſo, ſolus ad exequenda commiſſa in Italiam tranſiret: vt ſic non recta videatur illatio, quod ibidem ſe continuerit: vt rerum ſpecularetur euentum. Minuſque incuſanda videtur ipſius Domini Hugonis mora in Mediolano facta, quæ quintum diem non exceſſit. Cuius etiam mora potius coacta cenſetur quam voluntaria. Cum in illius apud Mediolanum primo congreſſu apparuerint ipſius ducis Sueſſæ vices noſtras in vrbe agentis literæ, quibus nunciabatur fœdus ante per veſtram Sanctitatem cum cæteris eſſe concluſum, eamque non potuiſſe induci, vt ipſius Domini Hugonis aduentum per aliquot dies expectaret. Quinimo reſolute reſpondiſſe: quod nec per diem nec per horam ipſius fœderis concluſionem differret: nunciabat etiam arma iam parata. Exercitum ad iter diſpoſitum, vt noſtros adorirentur. Erat quoque rumor publicus & fama, quod clauſi eſſent paſſus, & aditus ad vrbem, quod noſtri curſores ſiue euntes ſiue venientes, vbiq; detinebantur: literæque omnes intercipiebantur: nulluſq; erat tutus acceſſus ad V. Sanctit. his rationibus coactus fuit Dominus Hugo ibidem ſuperſedere, ac iter ſuum per eos differre, donec à Veſtræ Sanctitatis ducibus & miniſtris ſaluum conductum impetraſſet: provt fecit. Qui ſic interim cum duce Franciſco tractare viſus eſt, vt ſi poſſet illum induceret noſtris vt tenetur, obediret mandatis: vtque omni rebellione ceſſante ſe noſtræ iuſtitiæ & gratiæ, vt par erat, ſubijceret. Noſque & duces noſtros de arce in qua continebatur, ſecuros faceret, ne inde rebus noſtris ac exercitui noſtro damnũ aliquod* Sal. Ann. 1526.

Sal. Ann. 1526.

emergeret, ſeu incommodum afferri poſſet: Non eſt igitur cur de his Veſt. Sanctitas conqueri debeat, cui nulla ob id fiebat iniuria. Quinimo ipſo duce nobiſcum, vel cum dicto Domino Hugone noſtro nomine tranſigente, felicior reddebatur noſtra cum Veſtra Sanctit. conuentio, tollebaturq; principalior difficultas illius noui fœderis, quod inter nos tractabatur: & quod cum Veſt. Sanct. inire putabamus, ni forſan Veſtra Sanctitas ſuis cogitationibus atque conatibus obuiam ire putaret, Si Franciſcus Sforcia ſine Sanct. Veſt. auctoritate in gratiam reciperetur, illumque ſibi obnoxium non haberet.

41. *Quod autem aſſeritur noſtros interim Parmam occulta proditione eripere tentaſſe: id enim nobis penitus ignotum, ſed nos arbitramur duces noſtros rem tam arduam nobis inconſultis non auſos fuiſſe tentare, credimus potius ab aliquo maligno ſpiritu ad diſcordiam ſeminandam adinuentum atque confectum. Quandoquidem vbi nos Parmam ſimulque Placentiam recuperare, feudumque Imperij, prout fuerat antea, reunire & reintegrare voluiſſemus, id non occulta proditione, ſed palam & iuſte per iuris tramites exequendum fuiſſet: licet nos ita à cupiditate ſemper alieni fuerimus, vt potius noſtra, & Imperij iura negligere, quam publicam quietem turbare maluerimus, & potiſſimum illam ſanctam Apoſtolicam ſedem & catholicam Eccleſiam, cui ſemper (vt par erat) deferre conati ſumus. Sicque noſtros à prætenſa proditione omnino immunes eſſe cenſemus, cum potiſſime nihil aliud quam de eorum offenſione cogitare viderentur, aduerſus inuaſionem contra eos præparatum, prout rei exitus demonſtrauit.*

42. *Vnde ex his omnibus criminationibus & querelis in nos adductis, recto ſemper his iudicio ſumpto reſultare non poſſent tales iniuriæ ſeu cauſæ, quibus veſtra Sanct. inuita & gemens (vt ait) de nobis deſperare aut diffidere debuerit: nec ob id (vt aſſeruit) ſuam amicitiam & beneuolentiam à nobis repudiatam cenſere, quam potius ſemper in ſummo precio habuimus. Nec propterea neceſſe fuerat Veſt. Sanctitati ſe tot magnis (vt ait) regibus adiungere, nec hos in odium noſtrum conuertere, qui non his minorem in Chriſtianam rem & ſedem Apoſt. animum ſemper habuimus. Et quippe ſi Veſtra Sanct. ab his fœderibus & colligationibus contra nos & ſtatum noſtrum ac dignitatem tentatis abſtinuiſſet, non propterea, vt inquit, paſtoris ſeu communis patris laudem amiſiſſet: ſed potius magis atque magis confirmaſſet & auxiſſet. Sicque merito cum Pſalmiſta dicere poſſumus.* Quare fremuerunt gentes; & populi meditati ſunt inania, Aſtiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnũ, aduerſus, *non inquam dominum, & Chriſtum, ſed aduerſus miniſtrum à domino diuinitus inſtitutum ab ipſomet Chriſto, à quo omnis pendet auctoritas & poteſtas: qui propterea diſrũpet vincula, & linguam eorum & proijciet à nobis iugum ipſorum, prout in ſuam diuinam benignitatem & clementiam recta noſtra intentione, & conſcientia freti, plene confidimus.*

Sal. Ann. 1526.

43. *Subiungit V. S. cum eſſet res geſta & fides inuicem data, eademque ſanctitas fœdere aſtricta cum illis regibus, acceſſit tum demum itineribus lente & tarde confectis dictus Domin. Hugo, eidem Sanctitati coniunctionem & conditiones eas afferens, quas cum Veſt. Sanct. tam ſæpe tamq; vehementer petijſſet: toties (vt ait) repulſa & repudiata fuerit. Quarum tunc excipiendarum occaſio, & tempus prætererunt, Duo hæc, Pater S. conſideranda intuendaque videntur: quæ profecto non nos tantum, ſed omnes recte ſentientes in ſummam admirationem debent inducere, & pro quibus nos in Sanctitatem Veſt iuſtiores quærelas poſſumus retorquere. Alterum quod Veſt. Sanctit. ſciens dominum Hugonem præſto venturum, & iamdiu ad iter accinctum cum amplo mandato, & grata reſolutione noluerit per aliquot dierum ſpatium, noſtris id ſumme flagitantibus, ac cum omni inſtantia requirentibus, illius aduentum præſtolari. Sed ſolum illius tarditatem incuſando non habito reſpectu, quod is etiam curſoris more per equos ad id diſpoſitos (quantum illius ætas ac perſonæ qualitas ferre poterat) die noctuque iter ſuum feſtinabat: V. Sanct. adeo voluntariè proruperit in huius damnoſi ac ad ſcandaloſi fœderis participationem. Alterum vero quod eodem Domino Hugone ad Veſt. Sanct. prouento & (vt V. S. profitetur) optatas eidem conditiones noſtro nomine offerente, priuſquam aliqua armorum executio tentaretur: eadem Sanctit. ita reijcienda cenſuerit, vt earum accipiendarum occaſionem, tempus præterijſſe aſſereret: non aduertens quantum difformiter nobiſcum egiſſet,*

Sal. Ann. 1526.

ſet, fœdus, quod antea cum noſtris oratoribus inierat, iam hinc inde publicatum, & per nos ratificatum ac approbatum, reſpuendo, ſineque vlla ratione iuſta eius literas ratificatorias noſtris reciprocas concedere denegando. Nunc è contrario fœdus aliud illi repugnans, ſub defenſionis nomine penitus offēſiuum ſub colore vniuerſalis pacis diſponendo: pacem iam vbique contractam diſrumpens atque perturbans: & loco pacis bellum ac arma commouens. Adeo inuiolabiliter ſuſtinere conatur V.S. vt etiam optatas (vt ait) conditiones, armorum cauſam ſubmouentes, reciproce recuſauerit. Digne damnata quidem hæc deformitas in ipſo paſtore & communi patre: qui omnibus æqualis eſſe debuiſſet. Eſto enim quod in nobis noſtriſque miniſtris aliqua mora argui potuiſſet, provt reuera non poterat, non tamen ipſius moræ purgatio iure tanti momenti erat deneganda: vbi potiſſime nullum erat ad id tempus præfixum, nec dies qui interpellaret per horas nullaque pœna ad id adiecta, quæ moræ excluderet expurgationem, nec etiam aderat contrahentium intereſſe, vbi armorum motibus nondum executis radix procedebatur, vbi publica quies facilius parabatur. Hæc enim, Pater beatiſſ. non ad propulſandum (vt ait) Italiæ ſeruitutis periculum, Chriſtianitatiſq; perturbationem: ſed potius ad effectus penitus contrarios diſpoſita videntur. Non pro ſede Apoſt. armis exercitu munienda. Quæ illis non indiget, vbi nullus adeſt offenſor: ſed potius pro ipſius Apoſtol. ſedis munitionibus profundendis, eccleſiarumque theſauro exhauriendo & effundendo, contra ipſummet Chriſtum, ad Chriſtianæ reipublicæ detrimentum: inuenta ſunt non ad iuſtitiæ & pacis viam (vt inquit) inter omnes æquis conditionibus parandam: ſed potius ad omnem iuſtitiam perturbandam pacemque iam paratam infringendam ac quaſi deſperandam: non etiam videntur hæc conſilia ſeu geſta, quibus S.V. nec coram Deo nec corā hominibus rectā iuſtificationem recipere debeat. Sed potius ſi fas eſt dicere, ſcandalum, eccleſiaſticiq; ſtatus grauem perturbationem peperiſſe videntur.

44. At ſi hæc Sanct. V. recto ſui intellectus oculo, diligentique circumſpectione perluſtrauerit, comperiet profecto nullum eſſe regem aut principem nobis recto ordine anteferendum, nullum cui Apoſtolica ſedes magis debeat, quemve magis tueri fouereque deberet. Nullum à quo magis filialis obſeruantiæ ac deuotionis ipſa Apoſt. ſedes receperit aut recipere poſſit. Nullum qui magis Romanam Eccleſiam Apoſtolicamq; ſedem ſtabilire, conſeruare, ac augere cupiat. Nullum ex cuius regnis ac dominijs magis honoris, commodi ac pecuniæ, ad Apoſtol. ſedē Romanamq; curiam affluat. Si eam ad rem recte aduertat Veſt. Sanct. comperiet quod ex Imperio regniſq; ac dominijs noſtris Hiſpaniarū, vtriuſque Siciliæ, Germaniæ, Galliæ, Belgicæ, ac ſuperioris Burgundiæ, pluſquam ex cæterorum omnium regnis, ac dominijs ſimul iunctis, lucri & commodi ſedi Apoſtolicæ ac Romanæ curiæ accedit. Non enim patiuntur Reges, alij ita paſſim & laute eccleſiarum ſpolia & annatas ex eorū regnis ad Rom. curiam deferri: qualia autem ſint ea lucra, ex centū illis Grauaminibus Nationis Germanicæ colligi poterit: quibus tamen ex ea deuotione & obſeruantia, qua ſemper V. Sanctit. ac Apoſtolicæ ſedi affecti fuimus: nuſquam aures præſtare curauimus, nec his animum adijcere. Quod ſi iuſta aliqua ratione vel cauſa, Apoſtolica ſedes his lucris careret, non eſſent claues aureæ, quæ bellorum Archiuia pro libito aperire, & claudere ſolent, nec V. Sanctitas ex regnorum noſtrorum pecunijs, atq; redditibus exercitum in nos concitaret, nec temporalia arma moueret, quibus potius iuſtum videretur, ad noſtram defenſionem vti.

45. Quod Veſt. Sanctit. teſtatur ſe nunc etiā eo animo eſſe, ſi ad æquitatem & humanitatem nos referre voluerimus: illius arma non ſolum nobis non aduerſa, verum etiam ad res vereglorioſas perpetuo futura. Sin autem in occupāda Italia quotidie magis, & alijs partibus Chriſtianitatis perturbandis, nos non tam naturæ quam cupiditati & conſilijs noſtrorum obſequi perſeuerauerimus, Veſt. Sanct. neque iuſtitiæ neque libertati Italicæ (qua illius ſedis tutela continetur) non defuturam, ſed iuſta & ſancta arma moturā: non tam ad offenſionē quam ad defenſionem. Sancta quippe eſt hæc proteſtatio ſi verbis facta reſpondeant. Habet enim V. Sanct. ex illis iuſtificationibus quas ſuperius aduerſus ea, quæ in nos obiecta fuerāt retulimus: noſtram & æquitatē & humanitatē, ſimulq; admixtam iuſtitiam, vt ſi talis eiuſdem ſanctitatis ſit animus, primam ipſius proteſtationis partē ad effectū deducere valeat. Quod ſi fecerit, & à nobis gratias, et à Deo premiū reportabit. Habet etiā ex eiuſ-

Sal. Ann. 1526.

Sal. Ann. 1526.

eiuſdem iuſtificationibus late oſtenſum : nos ab occupatione Italiæ & Chriſtianitatis turbatione, ab omnique cupiditate alienum eſſe, nilque vnquam iniuſtum, nil Italicæ libertati contrarium, nil quod Apoſtolicæ ſedi tutela non conueniret per nos tentatum : imo nec cogitatum fuiſſet : Sicque merito ceſſabit ſecunda ipſius proteſtationis pars, vt nec arma iuſte in nos moueri poſſint, nec offenſione nec defenſione opus eſſe videatur. Nos enim vt omnis à nobis abſit ſuſpicio. Si V. Sanctitas eiuſque fæderati pro illorum parte arma deponere conſentiant, erimus pariter ad ipſorum armorum depoſitionem promptiſſimi. Verum quippe hanc & rectam viam cenſen. & V. Sanctit. in his per viſcera miſericordiæ obſecrat, & per ipſam ſpem, quam de nobis (vt inquit) concepit, obuiam eat immoderatis cupiditatibus, & magis pub. chriſtianitatis bono condonet, quam & nos ad id attrahendos putet : ſed rectis V. Sanct. clauibus oleo charitatis delinitis ſedabuntur, & ea cura, quam Veſt. S. nobis dicit eſſe communem, cum ambo à Deo (vt recte inquit) in hanc ſollicitudinem pro commiſſis nobis honoribus ſumus vocati. ſic agendo facillime expediri quo pariter officio & debito, non minus quam V. Sanctitati non etiam neque defuimus, neque defuturi ſumus, quinimo totis viribus atque conatibus anhelamus : vt hæc duo magna luminaria à Deo inſtituta, ita ſibi ad inuicem debito ordine correſpondeant, & ſubminiſtrent : vt orbis vniuerſus rectam illuſtrationem recipiat, nec per ipſorum luminarium obiectum eclipſim in Chriſtiana religione & doctrina cauſari, & generari, ſeu diutius ſuſtineri valeat, in maximum Chriſtianæ reipubl. detrimentum.

46. *Ad quod V. Sanct. in ſuarum literarum calce ſubiungit, ſub conditione tamen, quaſi rem dubiam ſeu incertam proponens, dum inquit : Quod ſi, quæ de noſtra in pacem generalem voluntate paſſim ferebantur, veras prudentiæ & pietatis radices habebant, habemus occaſionem declarandi quæ ſentiebamus: omnia vere nos ex animo ſenſiſſe, atque operibus verba comprobando ſingularem optimi Principis laudem nobis acquirere : qui ſi Sanct. Veſtræ amorem noſtrum cupiens, in liberanda Italia, quam ſuis fæderatis in eorum iuſtis petitionibus ſatisfacere inſtituerimus : erit id noſtræ famæ & ſapientiæ melius multo accommodatum, & paci vniuerſali ſecuritatiq; tam rerum noſtrarum, quam totius Chriſtianitatis magis conſentaneum. Putamus, Pater beatiſſime ſatis dilucide, & aperte oſtenſum eſſe, qualis fuerit noſtra in pacem generalem voluntas : vt nec vlla in conditione ponenda nec de ea dubitandum videretur: qui nullo vnquam figmento, nullave ſimulatione vſi ſumus, nil vnquam in ore habuimus quod in mẽte ac voluntate non ſederet, omnia vere ex animo ſentientes quæ loquebamur operibus verba comprobaturi, ſi hi quos res tangebat, & ſine quibus pax generalis obtineri non poterat, iuſtè noſtræ inclinationi (vt decebat) correſpondiſſent. Sed cum ea ſit vniuerſalis pacis natura, atque ſubſtantia, vt in ea omnium conſenſus vniuerſaliter exigatur : omnium voluntas neceſſarie debeat concurrere : & è conuerſo ab vno ſolo ex contendentibus, quicunque fuerit dependeat: & in ſolius poteſtate ac voluntate conſiſtat. Ipſam vniuerſalem pacem impedire & etiam ſi facta foret turbare bellumque mouere, & partem alteram etiam inuitam, ad ipſum bellum trahere non potuit, ob id alijs renitentibus, noſtraq; optima voluntas operibus comprobari. Qui propterea (tanquam omni culpa carentes) non putamus illam optimi principis laudem, à nobis auferendam, ſeu cuiuſpiam maledicentia ſubtrahendã.*

Sal. Ann. 1526.

47. *Si igitur V. S. prout flagitare videtur, cõſulere intendat pub. quieti, iuſtæque Italiæ libertati, deponat arma, reponatque gladium Petri in vaginam, idque efficiat, vt etiam ſui fæderati arma deponant, quod & nos (vt prædiximus) eodem contextu facturi ſumus:* vt *ſic iuxta canticum Zachar.* ſine timore ab inimicis noſtris liberati, ſeruiamus illi. *Hoc enim iacto fundamento, poterit facilius: S. Veſt. eam ſuperficiem pacis vniuerſalis ædificare & laborare (vt inquit Pſalmiſta)* In conueniendo populos in vnum, & reges vt ſeruiant domino. *Et cũ ea quæ Dei ſunt cunctis rebus ſint anteponenda, & inde publica priuatis iuſta ratione præferantur, ne priuatorum paſſio perturbet ea, quæ Dei ſunt & quæ ad pub. ſalutem pertinent, conſentaneum videtur: vt prius ab hoſtibus fidei, à Chriſtianorum ceruicibus propulſandis, & ſi fas ſit ad ouile Chriſti adducendis: deque Lutheranorũ, aliorumque hæreticorum ſectis, & erroribus comprimendis, corrigendis atque ſedandis, & ſi licuerit ad eccleſiæ gremium reducendis: de illis quoq; omnibus, quæ Rom. eccleſiæ, totiuſque Chriſtia-*

næ

Sal. Ann. 1526.

næ Reipubl. ſtatum, ſalutem, conſeruationem, & incrementum concernere poſſunt, tractetur, & conueniatur.

48. *Demum de iuſtis (vt ait S. veſtra) à ratione & æquitate non alienis, priuatorum ſeu fœderatorum querelis, & petitionibus merito vt tranſigatur conueniri poterit. In quibus tam publicis quam priuatis. Si Veſt. Sanctit. recto ordine intendere, ac ad ea animum adijcere velit: veri patris ac paſtoris officium aſſumendo, comperiet nos velut deuotiſſimum ac obſeruantiſſimum filium, illi obtemperantem & obſequentē. Ita in omnibus iuri, rationi, ac æquitati ſubnixum: vt nihil iniuſtum indebitumve petituri ſeu deſideraturi ſimus: quin potius iuſtis aliorum petitionibus ſatisfacturi: ac ſi expedierit, de proprio daturi & dimiſſuri, pro ipſius Chriſtianæ Reipub. commodo, proque Chriſtianæ religionis augmento. Pro quo etiam imperium, regna, dominia, & quicquid nobis Deus & natura conceſſit, ac denique vitam ipſam expoſituri ſumus. Rurſus pollicentes nos hæc verba noſtra (Si Veſtra Sanctitas rem paterno amore complectatur) factis & operibus comprobaturos nihilq; omnino pro parte noſtra obmiſſuros, quod ad rem ipſam recte diſponendam, ac peragendam facere videatur. Quod ſi ſecus quam putamus euenerit, V. Sanct. noſtras iuſtas rationes & requiſitiones obaudiat. Proteſtamur corā Deo & hominibus, quod ſi quid inde ſiniſtri Chriſtianæ religioni euenerit, id nequaquam noſtræ culpæ aſcribi poſſit: à qua omnino nos immunes ſeruare curabimus, nil tamen prætermiſſuri de his, quæ ad noſtram neceſſariam defenſionem videbuntur pertinere quam totis viribus atq; conatibus proſequi cogimur, omnibus illis vijs ac medijs, quibus & diuino & humano iure nos & noſtra tueri licebit: & quibus honor & dignitas nobis ſalui & illæſi permaneant & integre conſeruentur. Obſecramus igitur Veſt. Sanctitatem ea reciproca obſecratione, qua erga nos vtitur per viſcera videlicet miſericordiæ Dei noſtri, & per eam ſpem quam de V.S. ad Chriſtiani nominis ſalutē conceperamus. Obſecramus etiam per claues illas, quas dominus noſter Ieſus, ad parandam Chriſticolis viam, in regnum cœlorum Petro cōmiſit, quarum etiam adminiſtrationem Veſt. Sāct. vt eiuſdem Petri ſucceſſor aſſumpſit, illis vt decet vtendo: Dignetur hæc Chriſtianitatis incommoda & pericula, ſua moderatione ſedare: ipſamque vniuerſalem pacem dirigere, ac perpetuo fundamento ſtabilire. Habet nunc Veſt. S. veram & apertam actorum & conſiliorum noſtrorum rationem. Habet vltimas excuſationes ac iuſtificationes noſtras aduerſus crimina & opprobria, quæ nobis iniuſte quidem obijciebantur. Habet noſtram ſanam, rectamque intentionem, ac voluntatem ad bonum publicum & pacem generalem, quietemque vniuerſalem. Habet filialem noſtram deuotionem & obſeruantiam. Si V.S. paterno amore nos vt filium complectendum cenſuerit, ſi ipſas excuſationes ac iuſtificationes noſtras, tanquam veras & legitimas, rataſq; & gratas habeat: hiſq; ſe contentā reddat, ac ſi de culpis nobis obiectis ſatisfactum putet, noſque his culpis carere profiteatur, & ſua pronunciatione declaret. Id demum ſupplicantes vt V.S. non putet: cogitet ſeu recordetur iniuriam ſeu offenſam nobis fuiſſe illatam, nec arbitretur nos præteritorum memoriam habiturum. Sed V. S. eorum omnium obliuiſcatur, vt ſic recedant vetera nouaq; ſint omnia: cum & nos idē facturi ſimus. Si V.S. id prout ſupplicauimus admiſerit.*

Sal. Ann. 1526.

49. *Verum ſi S.V. nos ab his culpis & obiectis immunes non cenſuerit: noſtraſque excuſationes & iuſtificationes, pro veris & vltimis non habuerit: ſi arma contra nos continuarit & illorum depoſitioni non conſenſerit: ſi vniuerſalē pacem amplecti nolit cum tunc non patris ſed partis, non paſtoris ſed inuaſoris officium aſſumeret: ſi æque rectus eorum iudex non cenſeretur: nullo alio tunc ſuperſtite ſuperiore, cui nos & noſtra obijcere debemus, eaque omnia quæ nobis obijciuntur aut in poſterum obijci poſſent, vel tentari: ſiue perſonam, ſiue Imperium, regnaq; & dominia concernant: ſimul & ea omnia quæ nobis ex aduerſo, pro noſtra iuſtificatione & innocentia, ad Chriſtianæ Reipub. quietē prætendimus, & prætendere poſſumus ad ſacri generalis Concilij totius Chriſtianitatis cognitionem & iudicium remittenda cenſuimus. Illique nos & omnia quæ cum S.V. habere poſſumus, aut deinceps habituri ſumus, omnino ſubijcimus. Supplicamus præterea eidem Veſt. Sanct. illamque in domino hortamur: quatenus pro ſuo paſtorali officio proque cura & ſollicitudine gregis ſibi commiſſi dignetur ipſum ſacrum generale Concilium indicere, & conuocare in loco tuto & congruo, cum debita termini præfixione. Nos enim cum ex his & alijs ſatis notorijs cauſis turbari videremus vni-*

Sal.Ann. 1526.

vniuerſum eccleſiæ & Chriſtianæ religionis ſtatum, vt nobis ac ipſius Reipub. ſaluti conſulatur, pro his omnibus ad ipſum ſacrum vniuerſale Concilium, cuius etiam officium per viam querelæ his de cauſis implorandum cenſemus: petentes, cum ea qua decet inſtantia, apoſtolos & literas dimiſſorias ſemel, bis, ter, & pluries nobis concedi, & de horum petitione teſtimoniales literas fieri, ac expediri in ea, qua decet forma quibus ſuis loco & tempore vti valeamus. Et cum ad hæc ſolemniter peragenda eiuſdem ſolemnitatis præſentia minime habere queamus, vt inde forſan futuris grauaminibus occurramus: has noſtras eius Nuncio Apoſtolico penes nos agenti & legationis munere nomine V. S. fungenti, per actum publicum, coram notario & teſtibus exhibendas, intimandaſque cenſuimus.

Sal.Ann. 1526.

Datum in Ciuitate noſtra Granatæ, die decimoſeptimo menſis Septembris, Anno M.D.XXVI. Regnorum noſtrorum Romani VIII. Aliorum vero XI.

CAROLVS D.G. Rom.Imp.ſemper Aug. Rex Germ.Hiſp.&c.

EL REY

Alphonſus Valdeſius.

Scripſit etiam Cardinalium Collegio, vt negante, ſeu differente Pontifice Generalis Concilij indictionem, ipſi indicerent.

Hac tamen Cęſaris poſtulatione nil impetratum. In hoc fratrum contubernio aduerſus Cęſarē, *Ioſephus* eſſe voluit *Clemens*, vt



ex numiſmate infra habes. Neque Germaniæ in fide naufragantis periculum tanti erat; aut Romanis, aut Cęſari, vt regionē prò religione deſererent. *Franciſcus* vt Germanos ſibi conciliaret, cauſamq; bellorum in *Carolum* reijceret, literas ad eoſdem dedit, ſumpta occaſione legationis, quam Germaniæ Principes ad *Carolum* in Hiſpania degentem decernerant, per Gallias dirigendam, vt compendiori via ad Cęſarem perueniret. Rhodo occupata, *Solimanus* Turcarum Imperator, animis, opibuſq; elatus, centum & quinquaginta hominum millibus, ſe ſe in Hungariā effuderat, cui *Lodouicus* Hungariæ Rex adoleſcens, inſigni quorundam Ducum arrogantia deluſus, præſertim *Tomorei* ex Monaco copiarum præfecti, ſe ſe ad vicum Mohatium obiecit, cum ſex & viginti Hungarorum millibus, ac vniuerſa regni nobilitate.

CCXLIV. *Solimanus Hungaros vincit.*

Suadebant non pauci expectandas auxiliares copias, nam Illyrici, Tranſiluani, Bohemi, propemodum iuſti exercitus ſinguli, iam regni fines ingreſſi fuerant; ſed Hungari ſpreta Turcarum gente, dum maiorum æmulatione, gloriam alijs præripere feſtinant, ea fuit Hungarorum cęcitas, vt Draui fluminis tranſitum perquàm difficilem, hoſti incuſtoditum facilemq; relinquerent. Qui nihil moratus, Hungaros admirabili negligentia omnia adminiſtrantes, pulueris tormentorumque apparatu in nauibus relicto, confuſa equitum, peditumq; multitudine, in acie ſtantes aggreditur, tanto hominum vlulatu, vt primo congreſſu exanimati Hungari, ante conſpectum vix hoſtem, ſe turpi fuga ſubducerent. Soli pedites equitum proditione, hoſtium furori relicti, quem ſtando locum acceperant, moriendo tenuere. Tomoræus,

to-

Sal. Ann. 1526. totaq; nobilitas, aut hoſtili gladio, aut Danubij aquis conſumpta eſt. Rex ipſe *Ludouicus* palude hauſtus interijt. Suſpice feralem

CCXLV. Franciſcus Germanos prenſat. nũmum, quem in memoriam *Ludouici* cudi fecit *Maria* coniunx *Ludouici*, ſoror *Caroli Imperatoris* quæ ægrè Turcarũ manibus ſubducta, Viennam tenuit. Tantæ cladis nuntius vt ad *Carolum* in Hiſpaniã feſtinaret, à *Franciſco* Galliarũ Rege tranſitũ petentibus Germanis principibus Gallus annuit, & die VIII. Octob. ad eos ſcripſit: *Illam ad ſe, Pannoniæ à Turcis occupatæ cladem, non leui doloris ſenſu pertingere, Ludouici Regis mortem dignam lacrymis & affini illi Imperatoris cõmiſeratione, dignam in iſta calamitate Germaniam, cui à Cæſare rectius conſulatur. Pacem inter Chriſtiani orbis Principes conſtitutam, tantis miſerijs vnum ſupereſſe remedium: huius ſe deſiderio teneri; hanc omni ambire conſilio. Verùm obſtinate in bellum ferri Cæſarem, æquiſſimas pacis conditiones aſpernari, non illi calamitates publicas, non armatum in noſtrum exitium Turcam, non amiſſam cum ſororio Rege Pannoniam, non viduæ ſororis miſeranda ſorte, non Auſtriæ periclitantis exitio, non turbatæ Germaniæ excidio; hac mente depelli poſſe. Rectè facturos, ſiquidem illius ad arma pertinaciam pacis conſilio moderentur, hortatu etiam ad diuerſa impellant: Europæ melius proſpectum aduerſus tot clades fore, ſi cum vicinis Regibus amicitiam, quam bella malit, immenſamque regnandi cupiditatem, ijs, quas fortuna & æquitas conceſſit finibus, circumſcribat. Ita præter ſuas opes & propriam aucturum gloriam, & ſubditorum ſalutem. Galliæ Reges aduerſus Chriſtiani olim nominis hoſtes bello victorijſque celebres, poſſe nunc eodem arma vireſque conferre. Pacem tantùm cum Cæſare impetrent, omne ſuum robur quamprimum ſe in Turcam collaturum. Quod ſi obtinere nequeat, neminem id ſibi verſurum crimini, ſi, quæ inermi beneuolentia non poſſit, armata potentia ſuadere conetur.*

Cæſar vbi animaduertit Regem animos prenſare Germanorum, inuidiamq; turbatæ fugere tranquillitatis, Principes ſcripto admonuit ſequenti.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater, ac Venerabiles, Illuſtres Principes, amice & conſanguinei chariſſimi. Quæ noſtra hactenus de Reipubl. ſalute, pace, quiete, & tranquillitate fuerint conſilia, adeò omnibus notum arbitramur, vt nulla hominum malitia, fama, honorve noſter vlla ex parte lædi poſſe videatur. Semper enim eius animi fuimus, vt non fucatis verbis, & à veritate prorſus alienis (vt à pleriſque fit) ſed reipſa actiones omnes noſtras non apud paucos, eoſq; omnis recti iudicij expertes, ſed apud Deum ipſum Opt. Max. qui corda etiam ſcrutatur, & apud vniuerſam Rempub. Chriſtianam comprobaremus. Sal. Ann. 1526.

2. *Hinc enim (ne vetuſtiora repetamus) dum proprij commodi, atque etiam gloriæ obliti, Reipub. ſaluti, & præſertim Germaniæ quieti ex animo conſulere optamus, Gallorum Regem, quem (vt omnibus notum eſt) optimo iure captiuum penes nos detinebamus, poſtquam omni benignitate & Clementia in his noſtris Hiſpaniarum regnis excepimus, magnoque honore à ſubditis noſtris tractatus extitit, tot eum beneficijs affecimus, vt ſi ſuæ ipſe felicitati non inuidiſſet, in Ticinenſi conflictu non modò non cecidiſſe, ſed viciſſe ab omnibus videri potuiſſet. Hoſtis erat, illi chariſſimam ſororem noſtram natu maximam, & in tantorum regnorum ſucceſſionis gradu ſecundam matrimonio collocauimus, vt ex hoſte ſororius fieret. Chriſtianæ Reipub. turbator communi omnium iudicio habebatur, communis ſalutis gloriam illi impartiri voluimus. Multa à prædeceſſoribus noſtris tum Hiſpaniarum Regibus, tum Burgundionum Ducibus, violenter occupauerat, & præter ius faſq; detinuerat: iura in his noſtra illi conceſſimus, ſolumque ab eo petijmus, quæ citra honoris & dignitatis noſtræ diminutionem, ac ſubditorum noſtrorum perpetuam indignationem omittere nequiuimus, & quæ ipſemet vel non rogatus (ſi meritò Chriſtianiſſimus nuncupari vellet) nobis reſtituere deberet. Hiſq; beneficijs affectum Regem captiuum Regiæ dignitati reſtituimus, atq; (multis licet diſſuadentibus, qui minus eius fidei credendum aſſeuerabant) illi in Galliam abeundi copiam fecimus, maluimuſque eius fidem experiri, ac illi de iure noſtro aliquid potius cedere, quam vt vlla Chriſtianæ Reipub. mala, ſi quæ forſan euenirent, quovis modo crimini noſtro noſtræve culpæ aſcribi poſſent.*

3. *Dumq; inteſtinis ſeditionibus pacatis, iter noſtrum (vti inter nos conuentum erat) ad Italiam*

liam

Sal. Anu. 1526. liam paramus, armaque noſtra in ſempiternos religionis noſtræ hoſtes communibus auſpicijs conuertenda diſponimus, quibus & Hungaria defendi, & hoſtes ſubmoueri potuiſſent, ſuam fidem ex noſtro metientes animo, ille ſæuiſſimum bellum in nos parat, initoq; cum Romano Pontifice, alijſque nonnullis Italiæ Potentatibus fœdere offenſiuo, diuiſoq; inter eos regno noſtro Neapolitano; dum alter vanis pollicitationibus omnia, quæ nobis promiſerat, ſe præſtiturum aſſeuerat, alter verò ad Hungariæ defenſionem nos inuitat, vt nos inuaderent incautos, noſtra ac ſacri Romani Imperij dominia hoſtilibus armis aggrediuntur, nullaque noſtri nec amoris nec beneuolentiæ, nulla Chriſtianæ Reipub. ſalutis, nulla religionis noſtræ honoris ratio in his habita eſt.

4. Quorum conatus, quum ex eorum ſententia iuſto Dei iudicio minimè ſuccedant, Gallus ipſe Rex non contentus armis nobiſcum congredi, conuicia in nos iactat, eaque cum Regio priuilegio typis excuſa vbique circumferri curat, nihil veritus omninò contrarijs operibus ſuamet verba irrita facere. Nos verò (tametſi nobis inſcijs ad illam Apologiam ſeu potius Inuectiuã, quæ ſuperioribus diebus cum decreto Regio Lutetiæ tum Latinè, tum etiam Gallorum communi idiomate, excuſa fuerat, abunde ſatis reſponſum extitit) noluimus, immò expreſſe prohibuimus, ne quid tale in Regnis Dominijſq; noſtris imprimeretur, maluimuſque ipſum virtute quam conuitijs vincere, ſperantes fore, vt modeſtia noſtra ſuam petulantiam compeſceret.

5. Nunc verò quum exemplum literarum, quas Rex ipſe ad vos, cæteroſque ſacri Romani Imperij Status ſcripſit, ex his, quas ad ipſum pro obtinenda libera ad nos veniendi, atq; hinc recedendi facultate pro Nuntijs Imperij nomine ad nos deſtinandis literas dederatis, occaſione aſſumpta, huc allatum ſit, non certè manu deſcriptum, ſed Lutetiæ typis excuſum, in eoq; ipſum Gallorum Regem ſuis proprijs verbis in nos noſtramq; dignitatem atque honorem citra modeſtiam inuehi videamus, tametſi eo certè animo ſimus, vt in his turbatis atque adeò difficilimis temporibus publicam potius quam priuatam cauſam agere cupiamus, ne tamen noſtra nimia taciturnitate falſis huiuſmodi conuitijs atque iniurijs fidem quodammodo præſtare videamur, velimus nolimus, omnibus veritatem aperire cogimur, atq; actionum noſtrarum rationem reddere. Sal. Ann. 1526.

6. Ad vos igitur Apologiam illam, ſeu verius Inuectiuam, vnà cum eius Refutatione pro iuſtificatione noſtra edita, his annexam mittimus, vt plenius diffuſiuſque pernoſcatis, quo iure rationeve Gallus ſuam fidem atq; iusiurandum violatum excuſare queat: qua ratione ſe pacis cupidum oſtendat, honeſtaque pacis media ſe nobis obtuliſſe prædicet, dum non modò pactis ſtare noluerit, ſed contra fidem vltro citroque datam atque acceptam, offenſiuo fœdere contra nos percuſſo, cuius etiam exemplum cum his tranſmittimus, dominia noſtra hoſtilibus armis inuaſit. Quo affectu Chriſtianam Remp. noſtræque religionis ornamentum, atque Chriſti nominis gloriam proſequatur, qui dum ſæuiſſimum Turcarum Tyrannum cum magna militum atq; inſtrumentorum bellicorum copia Panoniam inuadere audiuit, ille in nos bellum mouet, vireſq; noſtras ad Hungariæ defenſionem deſtinandas intra fines noſtros pro ſubditorum noſtrorum protectione continere coëgit? Quo factum eſt vt cum maxima Chriſtiani nominis ignominia hoſtis voto ſuo potitus ſit, firmiſſimo illo religionis propugnaculo ſuæ impiæ ditioni ſubijciendo, florentiſſimo Rege extincto, Chriſtique cultoribus à ſuis ædibus profligatis, tot templis prophanatis, fuſoq; tot innocentium ſanguine, quod certè non abſque ſummo cordis dolore referre cogimur. Et quum his cæteriſq; Reipub. calamitatibus atque infortunijs ille cauſam dederit, nunc ſe ea moleſte tuliſſe prædicat: quaſi ſuis verbis maiorem, quàm illius operibus proprijſque cuiuſvis oculis fidem haberi velit. Hoc tamen animo hæc illum ſcripſiſſe arbitramur, vt obſtrueret ora his, qui eius literis interceptis, ſua opera ſuoque conſilio Turcas Hungariam tanto impetu inuaſiſſe non ceſſant aſſeuerare. Verum aliorum verba omittamus, ad ipſiuſq; Regis literas tam ficto ſimulatoque dolore ſcriptas veniamus.

7. Si Chriſtianæ Religionis periculum timebat; ſi Rempub. ſaluam cupiebat; ſi ferrum, quod in fidei hoſtes ſtringendum erat; ſi vires, quæ in ipſos vertendæ; ſi conſilia ad eos ſubmouendos exercenda in noſmetipſos conuerti, ſi Chriſtianã manum Chriſtianum ſanguinem effundere tantopere execrabatur, cur ipſemet nouis bellorum tumultibus excitatis, Rempubl. in diſcrimen

ad-

Sal. Ann. 1527. *adduxit? cur pacatam turbauit? cur armis dominia noſtra inuaſit, à Chriſtianique ſanguinis effuſione regni ſui initium auſpicatus eſt? cur vires & conſilia noſtra ſæpius contra communes Religionis noſtræ hoſtes deſtinata ſuis machinationibus ſuiſque conatibus à communi ſalute prorſus alienis ad ſubditorum noſtrorum defenſionem reuocare coegit? quur toties victus, diuina iuſtitia iuſtæ noſtræ cauſæ fauente, toties aduerſam mavult experiri fortunam cum Chriſtiani ſanguinis effuſione, quàm Chriſti gloriæ, ſuoq. honori ac dignitati conſulere?*

Hæc quamuis vera, culpam tamen in nos conuertere conatur, dum multo ſanguine exiguam terram nos quærere ait. Exigua profectò pro tanti Regis redemptione, Burgundiæ S. Ducatu, quem iuris noſtri eſſe omnibus notum eſt. Vnde Rex ipſe iureiurando promiſit in captiuitate, & poſt libertatem confirmauit ſeſe illum nobis reſtituere velle, licet malit, ſuæ fidei, & ius iurandi oblitus, Chriſtianam Rempubl. in diſcrimine adducere, cædes prætereundo, incendia, quæ ei adſcribuntur. Immo Turcarum irruptionem in ſororij noſtri Ludouici Hungar. regno ſuos numerat triumphos, ſibique ſatis credit, ſi à ſuis Chriſtianiſſimus *appelletur. Sororijque noſtri miſerrimam prædicant conditionem, qui pro religione, pro patria, ac pro Dei gloria vitam deuouit. Nemo Franciſcum inuadit, nemo ad bellum prouocat, Si liberos ſuos, quos obſides dedit, recuperare optat, pacta ſeruet. Si impoſſibile eſt, cur vt pollicitus, ad captiuitatem non redit? Inueniet nos publicæ ſalutis, ſuæque dignitatis ſtudioſiſſimos. Verum ſi arma illi continuare libet, noſtri honoris minimè obliti, tantum hoſtem in gregem noſtrum debachari non permittemus. Hæc vobis nuntiamus, vt iter à nobis inſtitutum, minùs perfectum, Franciſci culpa innoteſcat.*

11. *Speramus tamen, fauente Deo Opt. Max. nos ita res noſtras diſpoſituros, vt eo etiam reluctante, ſuiſque conatibus irritis ac ſuperatis, noſtro de Republ. bene merendi, de religione purganda & propaganda, ſtudio omninò ſatisfaciamus. Ad id enim die vigeſimo proximi menſis Ianuarij in hoc noſtro Caſtellæ Regno, in oppido noſtro Valliſoleti, quo nunc tendimus, generalem Conuentum celebrabimus, vbi tractabitur de mittendo cum ea, qua decet, celeritate ad Germaniam auxilio, quo non modo ipſam defendere, ſed hoſtium conatus infringere, eoſque à Chriſtianorum ceruicibus ſubmouere valeamus. Hiſpanorum nanque animi hac iniuria commoti & expergefacti, vires, opes, propriumque ſanguinem iam vltrò offerre cœperunt: noſque ad hanc expeditionem ſtimulant, pro qua (ſi expedire videbitur) non regna tantum ac dominia omnia noſtra, ſed perſonam, ſanguinem, atque animam ipſam noſtram Chriſto Deo Opt. Max. nos deuouiſſe profitemur.* Ann. Sal. 1527.

12. *Si vero interea Gallorum Regi (Deo inſpirante) reſipiſcere contigerit, ad noſtramque amicitiam redire voluerit, nos certè omne illius commodum, honorem, atque dignitatem ex animo promouere curabimus, illique iniuriam hanc libenter condonabimus, atque de iure proprio illi cedere parati erimus, vt ſedatis contentionibus, communibus auſpicijs hoſtes profligare, illoſque à ſuis ſedibus ſubmouere, vel (ſi Deus conceſſerit) in ouile Chriſti redigere facilius valeamus.*

13. *Latere vos minime arbitramur, Amice & conſanguinei chariſſimi, pernicioſiſſimas Gallorum artes, qui, quo ſuum negocium agant, diſcordias ſeminare non ceſſant. Veſtrum nunc erit, eam ipſorum verbis fidem præſtare, vt intelligant tantorum Principum animos ſeſe fruſtrà ſollicitare.*

Datum in ciuitate noſtra Granatæ, die penultima Nouembris, anno Domini M.D.xxvj. Regni noſtri Romani octauo.

Interim Veneti vt Cæſarianorum conſilia præoccuparent, *Feltrio* duce in Inſubriam mouent, nec indigno labore Laude Pompeia potiuntur. Durante obſidione, moneta quã vides, inter manus militum verſata fuit. Gallicùs etiam exercitus quamuis tardior, Sauona receptus Ceſarianis minari videbatur exitium, in quos Inſubrũ odium, militis luxus, & auaritia excitauerat. Opportunè tum quidem *Borbonius* hoſtium conatibus ſuperuenit, auri, armorumq. præſidijs, quamuis non magnis inſtructus. Luctuoſa Mediolanenſis ciuitatis facies erat, & peſte vel fuga incolis, atque opibus nudata miſerrimi funeris ſqualorem ducebat. Ea tamen militum, ducuũq. CC XLVII. *Bellum Venetorũ & Gallorum in Cæſarem.*

Sal. Ann. 1527. in arcis obſidione pertinacia, vt contra *Vaſtium, Leuamq.* ſub *Borbonij* imperio arcem obſidentes, nihil fęderati proficerent; ſed deſperata *Sfortiæ* redemptione retro animos, ſignaq. conuerterent. *Sfortiæ* cum nihil ſpei, præter honeſtam ſalutis pactionem ſupereſſet; à *Borbonio* impetrauit, vt arce tradita ſibi Comi, tutò viuere, triginta aureorum milliū cenſu, liceret; donec eius cauſa apud Cæſarē cognoſceretur. Ægreſſus verò Cæſarianorū fidem ſuſpectam habēs, fęderatis ſe adiunxit, Laudemq. Pompeiam ſuę poteſtati commiſſam obtinuit. *Hugo* verò *Moncada* maris imperator, & *Pompeius* Columna, qui Pontificij in Cæſarem fęderis particeps eſſe noluerat, ſegni fœderatorum cunctatione non abuſi, poſtquàm varijs *Clementem* pacis artibus ludificaſſent, ex improuiſo coniectis in agrum Romanum militibus, regio Romam itinere contendunt; populoq. fauente, in Vaticanum

C C XLVIII. *Moncada, & Columna Vaticanū diripiunt.* ducunt; Pontifice fidem ſuorum militū fruſtra implorante, qui cū ciuibus ocioſi ad ſpectaculum confluxerant, poſtquàm liberandā ab auari hominis tyrannide vrbē Cæſariani præcones in foro vulgaſſent. In arcem cum profugiſſet *Clemens*, Vaticanam domum miles diripuit, excuſſoque religionis pudore, Apoſtolorum Baſilicam deprædatus. *Hugo Moncada* ad Pontificem compoſitionis gratia accerſitus, inſigni humanitate ſacrum caput reueritus, nefariam militis audaciam deteſtatus, ſuam ad ſacrilegè ereptorum recuperationem fidem, operamque polli-

Pontifici reconciliatur. citus, animum Cæſaris ab inuadendæ Italiæ ambitione alienum expoſuit. Credere cum ſimulaſſet *Clemens*, pro *Sfortia* reſtituendo rogauit. Spem fecit *Moncada*, & de quatuor menſium inducijs inter vtroſque conuenit, ea lege vt à coniuratorum partibus ſuum *Clemens* militem auocaret, eodemque Florentini, Ianuenſes, Senenſes, Ferrariæque Dux tenerentur. Induciæ

C C XLIX. *Moncada ſuſpectus.* hæ quamuis Cæſarianis non inutiles, non abſque ſuſpicione corrupti largitionibus animi, viſus eſt *Moncada* nimium fauiſſe Pontifici. *Columna* toruis oculis liberum aſpexit Pontificem, cuius captiuitas abſque vllo emolumento ſolum *Pompeium* onerabat. *Clemens* porrò metu ſolutus, dum pacis gratia Hiſpaniam petere cogitat, diſſuadente Gallo, & Anglo, ſubſtitit: & militem ex induciarum pacto reuocatum, aduersùs *Columnios*, vindictæ cupiditate inflammatus arma conuertit tanta crudelitate, vt ab innoxijs alienæ temeritatis pœnas exigeret. Cum *Alphonſo* de- CCL.
inde Ferrarienſium duce tranſegit, vt aduerſariorum vires minueret, ſuas augeret. Euanuit tamen contractus, quia *Lanoius* Neapolitanum regnum ex Hiſpania petens, *Alphonſo* Mutinæ Regijque conceſſit diploma, ſimulque *Margaritam Auſtriacam*, notham Cæſaris, *Herculi* Ducis filio vxorem deſpondit. *Clemens* verò exaſperatos iniuria *Lanoium Pompeiumque* timens, *Vandemontium* è Gallia regij ſanguinis adoleſcentem ad regnum Neapolitanum armis euocat vindicandum. Is Campaniæ oras claſſe allapſus, omnia terrore complet, Salernum occupat, rectà inde Neapolim contendit, *Moncadam* cum armata iuuentute effuſum, ad vrbem redire cogit. Meliora promittebat fortuna ob *Lanoij* imperitiam in rebus bellicis. *Pompeij* tamen ſolertia, & Gallorum negligentia, rem Cæſaris ſuſtinuit, quæ nutare videbatur: nam etiam Genua diuturna obſidione fatigata, breui frangenda videbatur. Tamen quia res Inſubrum non felici tentatæ ſucceſſu fuerant; iamque *Georgius Franisbergius* cum quatuordecim Germanorum millibus ſuo ære conductis ex Germania per Alpes Italiam ſubijſſet; audax inquietunque *Borbonij* ingenium timebat *Clemens*, vt inter pacis, bellique cogitationes iactaretur inconſtans. *Lanoius* igitur imminens Neapolitano regno periculum diſcuſſurus, Romam accepta fide, ſed inuito *Pompeio* contendit, & *Clementem* paci inclinatum nouis obſtrinxit fœderibus, quibus Cæſaris orator non niſi coactus, viſus eſt aſſentiri. Subinde *Lanoius* iuxta conuenta, in Hetruriam profectus, *Borbonij* militem omni inſolentia in Pontificios graſſantem compoſiturus, ſed fruſtra: miles rapinis aſſuetus, & qui ſtipendiorum inopiam ſola prædarum libertate fretus ſuſtinebat, neque ducum ſuorum im-

Nuptiæ Herculis Eſtenſis. Sal. Ann. 1527.

CCLI. *Vandemontius Neapolim irrūpi.*

CCLII. *Pax Lanoij cum Papa.*

peria

Sal. Ann. 1527. Franiſbergij mors. peria acciperet, ſed daret. Vnus erat *Franisbergius* animo, ac corporis mole propemodum gigantea, cuius dignitas inter ſuos inuiolata conſtabat. Sed hunc Ferrariæ in- loculo vnà cum aureo laqueo, poſt victoriā de Pontificio inter Padum ac Mincum reportatam, cū cæde *Io: Medicei* Pontificij Strategi (quem Lutheranus homo collo Pontificio Sal. Ann. 1527.



parauerat) morbus reliquerat. En nummi triumphales, cum duobus iconiſmis. In primo Aquila eſt in Baſilicos & angues hoſtes ſuos à ſe bello ſubactos. *Lanoij, Borbonijq.*
CCLIII. Borbonius ad Romā expugnādā mouet. minor auctoritas. Eum belli inſcitia, hunc perdita *Franciſco* fides contemptum reddebant. *Borbonius* itaque effrenato exercitu ad hoſtium, vel ſuorum militum ferociam infringendam vſurus, ab *Alphonſo* Ferrariæ Duce, commeatu abundè inſtructus, agris Bononienſium expilatis, via Flaminia ad vrbem rectà inceſſit, *Feltrio* Venetorum Duce, & *Michaele Galaſſo* Gallorum Imperatore, turpi ſatis latebra, ignominioſoque timore ſe ſe occultantibus. Magna interim celeritate hoſtem, prædamque occupandam miles ratus, ſine impedimentis, ſine tormentis Romam properauit, nec victus penuria, nec denſis imbribus, qui frequentes de cœlo cadebant, exercitum remorantibus, ſui aduentus propemodùm nuntium anteuertit, nemine curſum prohibente. *Clemens* certior factus aduenientis hoſtis, ſera cogitauit remedia. Tres Cardinales pretio indicto creauit; ſed pecunia ob tumultum numerari haud potuit. Romanos conuocatos orauit, vt prò aris, ac focis aduersùs nefarios latrones à vera religione abhorrentes fortiter pugnarent; qui ditiores eſſent, in militum ſtipendia pecuniam conferrent, ſed nemo quicquam contulit. *Dominicum Maximum*

inter Romanos opulentiſſimum centum duntaxat nummos aureos obtulit; ſed meritas dedit auaritiæ pœnas, nam cum liberis captus, & omni ſuppellectile amiſſa, magno ære coactus eſt libertatem redimere. *Vitellius*, qui Aretio præſidio erat, fœderatos de *Borbonij* diſceſſu, ſed tardiùs, admonuit. *Borbonij* celeritas & *Rentij* impudētia fatale vrbis maturarunt excidium. *Rentius*, qui in repentino tumultu, magnam ex Cardinalium, Pontificumq. familijs, ex artificum officinis, & cauponum tabernis, hominum haud militiæ aſſuetorum turbam conſcripſerat, &. Vaticano ſuburbio debile quoddam vallum, ſed eius iudicio ſatis validum adiecerat, eam de tuenda vrbe, ſuburbijſque ſpem conceperat, vt Tiberis pontem perfringi non pateretur, quem multi deijciendum putabant, vt ſaltem vrbs, ſi non ſuburbium, defenderetur. *Borbonius* III. Non. Maias in pratis vrbi propinquis caſtramentatus, tubicinem ad *Clementem* miſit, & vt ſibi regnum Neapolitanum contendenti vrbs pateret, poſtulauit. Quod quum negatum fuiſſet, poſtridie primo diluculo, denſa pruina exercitus conſpectum auferente, Vaticano ſuburbio per montem, qui vulgo *S. Spiritus* dicitur, appropinquauit. Portentum narrat *Bellaius*. Signifer Pontificius cuſtodiendæ muri Vaticani ſuburbij ruinæ deſtinatus, *Borbonium* cū paucis inter vineta accedentē,

CCLIV. Dominici Maximi auaritia.

CCLV. Borbonius Romam occupat.

Sal.Ann. 1527. vt locum oppugnationi cõmodiſſimum notaret, intuitus, tanto terrore perculſus fuit, vt in ſubvrbium fugere ſe exiſtimans, contra per ruinam deſcendens, rectà ad *Borbonium* contenderit. *Borbonius* multos milites vexillum ſequi ratus, pauliſper ſubſtitit, ſuos, qui ſequebantur, expectans, & vt pugnæ ſignum daretur, mandauit. Signifer tubarum clangore experrectus, errore cognito, lento gradu per eam, qua egreſſus erat, ruinam in ſubvrbium reuertitur. *Borbonius* iter ſibi quaſi diuinitùs commonſtratum ratus, oppugnationem accelerari iuſſit, & primus ſcalam manu tenens, quum ruinæ admouiſset, & aliquot gradus confeciſset, ſclopeto à ſuis emiſso, in femur ad inguen ictus, temeritatis pęnas luit, laudandæ fortitudinis miles, niſi cum euerſa ſedè Roma, ſacriſq; impijſſimè violatis cecidiſset. Id an fortuito, vel conſulto euenerit? ſunt, qui dubitent. Iam Cæſari ſuſpectus, quia ſororem *Eleonoram* in matrimonium promiſsam aſsequi non potuerat; cuius promiſſionis loco Cęſar, Mediolanenſem obtulerat principatum, ea tamen conditione, vt eum militum numerum aleret, in cuius ſtipendium quadruplicata eius principatus vectigalia ſatis eſse non poſſent: quod vt conficeretur, in priuatorum fortunas irrumpendum fuit. Ita *Borbonium* & Mediolanenſibus grauem, & militibus quibus integrum non pendebatur ſtipendiũ, Cęſar odioſum reddidit. *Lanoius* an quid clam in *Borbonium* molitus ſit? *Belcarius* dubitat: *Borbonio* porrò Romam diripere in animo non fuiſse *Peſchinus Boius*, qui expeditioni intererat, affirmat, ſed iuſtam in militum ſtipendium pecuniam inde conficere, & acceptas à Cęſare iniurias vlturus, regnum Neapolitanum inuadere, quò illum extrema deſperatio adegerat, vt ſibi *Franciſcum* Regem conciliaret. Fuit *Borbonius* excelſa, quadrata, robuſta ſtatura, colore fuſco. Vir vita integer, alieni non appetens, ita temperans, vt cum vnica vxore rem habere diceretur, quamquàm corpore mutila procreandæ ſoboli minimè apta. Hiſtoriarum veterum, & recentium, mirum in modum ſtudioſus, bello ſtrenuus, foris, domiq; clarus. Boijs ſuis cęteriſq; populis ſibi obnoxijs ita charus, vt multis poſt eius mortem annis, cæſum fuiſse non crederent, rediturumque ſperarent: patrimonio iniquè exutus, à Cęſare circũſcriptus, & alieno ſolo quaſi exul, militi externo ſubiectus potius, quam imperans, multa præter vitæ inſtituta patrare coactus eſt. Mortui cadauer Germani Caietam deportarunt, & in æde ..... hoc addito epitaphio collocarunt. *Aucto Imperio, Gallo victo, Superata Italia, Pontifice obſeſſo, Roma capta, Carolus Borbonius in victoria cæſus hic iacet.* Cæſum Borbonium princeps *Arauſius* eius propinquus, qui iuxta conſcendebat, pallio iuſſit operiri, ne ducis morte milites conſternati, ab oppugnatione diſcederent, qui vbi circiter duas horas pugnaſſent, in ſubvrbium inuaſerunt. *Clemens* in Vaticano palatio pugnæ euentum expectans, poſtquam hoſtes in ſubvrbium irrupiſſe audiuit, in molem Adriani cum aliquot Cardinalibus confugit, ſpe cum Cęſarianis conueniendi. Hi autem victores, primùm ad diripiendam Petri ædem, Vaticani palatium accurrerunt, tanta attrocitate, vt fugientes nec ipſa templi adyta, ſacrorumq; protexerit religio, ſed inter aras diuum opē, ac hominum miſerationem implorantium ora ferro violata ſunt, facinore olim nec Gothorum, Vandalorumq; populis tentato. Expugnata virginum iuxta ac matronarum, quamuis iurata Deo, hominibuſque pudicitia; Principum, ac purpuratorum domus ferro, direptione, incendioq; vaſtatæ, nulla, ne Legatorum quidem reuerentia. Hiſpanorum non minùs crudelitas acerba, quàm auaritia probroſa extitit, vt qui arcanas familiarum opes, exquiſitis etiam in nobiliſſima corpora ſupplicijs indagarent, neque ab ipſis mortuorum ſepulcris, cadaueribuſque rapaces manus temperarent. Germani à primo impetu, quo armatos vel ceciderant, vel repulerant, minus feroces libertatem captiuis modico pretio dabant, ad menſas, & pocula ruebant, & in ſolos Cardinales, Pontifices, cæteroſq; ſacris miniſterijs addictos, Lutheranæ ſectæ labe infecti ſæuiebant. Cardinalis Senenſis quamuis Cæſarianus, vbi cũ Hiſpanis certo pretio, tam prò ſua libertate, quàm prò palatij ſui immunitate conueniſſet, à Germanis captus, & palatio direpto, pugnis contuſus, apertoq; capite aliò deductus,

Marginalia: *Sal.Ann. 1527.* — *Borbonius occiditur.* — CCLVI. *Borbonij ſtatura funus.* — CCLVII. *Arauſius Cæſareorũ ductor.* — *Cæſarianorum, atrox immanitas.*

Sal. Ann. 1527. ctus, libertatem ſuam quinque nummum aureorum millibus redimere coactus eſt. Eãdem fortunam Cardinales à Minerua, & Ponſeta ſubeuntes, veſtibus ſacris induti, aſiniſq; inſidentes per ludibrium, per totam vrbem deducti ſunt.

CCLVIII. *Pompeius Columna Romæ ruinam lacrymatur.* Pompeius poſt biduum vrbem ingreſſus, cum promiſcuis omnia cędibus completa ſpectaret, ſuiq; ipſe conſilij immanitatem perhorreſceret, lacrymas in tanta occumbentis patriæ calamitate non tenuit: doluitque incolumi *Clemente*, ad pęnam hoſtiliter quęſito, ſummam malorum in capita innocentis vulgi deriuatam eſſe. Quare indignatione in miſerationem verſa, omni qua valuit auctoritate, apud milites, contendit, vt humanitati locus eſſet, aliorum pudori, aliorum vitæ ac libertati æquis conditionibus conſuleretur; Ipſe, præter laborem, nullis ſumptibus parcebat, vt matronas, virgines, patres ab hoſtili petulantia ſubtraheret. Expirare cum crederetur Roma, ſub cladis reſpirauit auctore, dubia an plus odijs oppugnantis, vel miſerentis deberet amori.

CCLIX. *Papa ſe militum cuſtodiæ cõmittit.* Poſt *Borbonij* mortem *Philibertum* principem *Arauſium* imperatorem ſibi, ſed non eadem auctoritate delegerant milites. *Aurantio* denique, *Lanoio, Vaſtio*, ac *Moncada* Romam confluentibus, his legibus Pontifici liberior cuſtodia conſtituta eſt, vt quadraginta nummum aureorum millia furenti, ſtipendiorumq; debita poſtulanti, militi viritim exſolueret: & præſenti quidem ære decem millia iuſſus pendere, tam diu Cæſarianorum militum præſidijs in arce cuſtodiendus, dum illa exhiberet. Mox Neapolim, aut Caietam, donec Cæſaris voluntas explorata eſſet, conceſſurus. Dedit, accepitq; fidem Pontifex, militumq; cuſtodiæ ſub *Alarcone* Præfecto, ſe cum tredecim Cardinalibus ex pacto commiſit. Interea vrbis quietem omni libertatis, ac flagitiorum genere, Germani, Itali, Hiſpani fatigabant: quos vbi ad caſtra extra vrbem *Lanoius*, & *Vaſtius* reuocare conarentur, à diſſoluto militari vulgo ſeditioſis vocibus bellorum mercedem depoſcente, vterq; ad necem quæſitus, ægrè tumultuantium ferrum euitauit. Legum, Ducumque excuſſo freno, ſuo quiſq; viuere imperio, nihilq; ſacri humaniq; reuereri miles cæperat. Tantaq; inſolentia in nobiliſſimam Vaticanę domus bibliothecam graſſati ſunt, vt vel ſcelerate perditis, vel auarè loco, pretioq; tranſportatis ſelectiſſimis voluminibus, damnum Europæ dederint, omnium eruditorum lacrymis deplorandum. Neque Cæſaris auctoritas tantam valuit ſedare tempeſtatem, qui non ficta ſimulatione, Romani Pontificis, CCLX. *Bibliotheca Vaticana diripitur.*



gentiſq; vniuerſæ calamitate deteſtari videbatur, vt quam neque ſuo ab imperio profectam diceret; neq; prompta ſtipendij facultate componere poſſet. Quocirca datis ad Chri-

Ann. Sal. 1527. CCLXI. *Cæſar facinus excuſat.* Chriſtianos Principes, in primis Gallorum Regem (cuius offenſionem formidabat) literis purgare facinus conabatur. *Negabat ſe huius calamitatis auctorem. Pontificem accuſabat, quòd violatis inducijs, perfidè militem prouocaſſet; ſibi imputaret, qui in Columniorum innocentiam pluſquàm barbarà feritate ſæuiſſet. Nil proinde mirum, miles, inſcio Cæſare, inuitis ducibus, vrbem inuaſerit. Dei manum Clemens agnoſceret, qui fallentem in virga furoris viſitauerit. Tantum nihilominùs ex hac ad ſe victoria perueniſſe doloris, vt victus, quàm victor haberi maluiſſet. Omnia propterea offerre pacis conſilia, cum nullum victoriæ captare fructum intenderet.*

Primus gratulatorius eſt nummus in honorem *Caroli* cuſus, expugnata per militem Roma, quam Tyberis ſecat, ſic *ſpes priſci honoris, & reſtituendi imperij ſuſcitata eſt.* Reliqui nummi memoriales ſunt, & ex ſacris vaſis conflatis, quibus *Clemens* PP. in arce Angelina concluſus libertatem redimebat, & militum auaritiam ſaturabat.

Interea ad euitandam violentiam militum ſtipendia flagitantium Pontifex, ex ſacris templorum vaſis, argenteaque ſuppellectile pecunia conflata, tum purpureis aliquot Cardinalitiæ dignitatis galeris pretio venditis, efferatorum hominum auaritiam ſaturare tentauit, nec potuit. Idcirco auro deficiente, obſides expoſcenti militi, opulentiores Principum obtulit, quos à vinculis, & patibulis fuga ſubtraxit, curante *Pompeio*. Inter hæc peſtis ita Romæ graſſabatur, vt in ipſam etiam Adriani molem, magno *Clementis* diſcrimine, penetraret, cuius nonnulli miniſtri lue polluti perierunt. *Clementem* Cæſariani præfecti Caietam deducere cupiebant: ſed ille varijs artibus, quoad poterat, obſtabat. Cæſar, vt in Hiſpaniam deduceretur, optabat: at omnes Hiſpani proceres, populique nimis inhumanum, immo nefarium eſſe clamabant, ſi Cæſar Romani Pontificatus propugnator ſummum Chriſti legatum in cuſtodia detineret. Interim communicatis *Franciſcus*, ac *Henricus*, Franciæ, Angliæque Reges conſilijs, *Clementis* apud Cæſarem libertatem vrgebant. Vnde certis legibus concedendæ, *Lanoio* Cæſar poteſtatem fecit; ſed ſtipendiorum inopia efferatus miles, nulla ducum audiebat imperia: donec peſtilentiæ malis, ſimulque *Lautreci* ſucceſſibus conſternatus exercitus, ad mitiora reſpexit conſilia, timorque, optimus morum corrector, perſuaderet, quod honeſtas non poterat. Iam Galli præter Boſcum, & Alexandriam, expugnata fœliciter Papia, tot nuper aduerſariorum viribus indomita, per Inſubriam Romam pergebant. His iuncti Veneti, Florentini, Mediceis ex vrbe deiectis, prò libertate Pontificia arma ſociabant. *Andreas Auria* maris Imperator, Gallica claſſe ad delphini portum Hiſpanos debellauerat, victorque Genuam patriam ex Adurniorum, Cæſariſque poteſtate ad Gallorum partes traduxerat: vt terra marique Cæſariani iam hoſtibus impares cederent. Pridie itaque Cal. Nouemb. de *Clementis* libertate ita conuenit, *vt præter ſupra conſtitutam pecuniam, decimæ per Hiſpaniam Pontificiæ, atque in ſacri belli præſidia collectæ, Imperatori in præſentes neceſſitates cederent; Mediolanenſis ac Neapolitani imperij iura Carolo per Clementem inuiolata ſtarent. Oſtiam, Veteremque vrbem pignoris loco acciperet.* Cum verò Pontificis familia ea laboraret fame, vt aſininis carnibus auidè veſceretur; *Lanoio* quoque Caietæ defuncto, Aurantius in regno ſuccederet, *Hugone Moncada*, duri, callidique ingenij, omnia adminiſtrante; veritus *Clemens*, ne pacis decreta duriora redderentur, ad purpuratorum Senatum Neapolitanos aliquot proceres pretio adlegit, obſideſque ex eodem ordine nonnullos reliquit, vt vel auro præſenti, vel obligata fide, contumaciam inflecteret militum. Quo facto, operam conſiliumque *Pompeio* ſuppeditante, ſumpto *Clemens* mercatoris habitu (vt vulgus falleret militare) noctis ſilentio, arce, atquè vrbe dimiſſus eſt, poſtquàm ſeptem menſes inter barbaros, omnique cum ſcelerum, tum morborum tabe corruptos milites, non ſine ingenti vitæ diſcrimine verſatus eſſet. Liberato Pontifice, *Lautrecus* noua abs Rege accepturus conſilia, exercitum per agrum Bononienſem diuiſit: Cæſarianis per Romanam prouinciam, regnique Neapolitani limites quieſcentibus. Duo meditatam coeuntes ſocietatem Galli, & Angli

Marginalia (left column): CCLXII. *Clemens vaſa ſacra dat militi in ſtipendiū.* — CCLXIII. *Lues Romæ.* — *Cæſar cogitat Papam in Hiſpaniā traducere.*

Marginalia (right column): *Sal. Ann.* 1527. — CCLXIV. *Galli Papiam expugnant.* — *Libertas Pontifici datur.* — CCLXV. *Cardinales pretio lecti.* — *Papa mercatoris habitu fugit.*

Sal. Ann. 1528. CCLXVI. Angli, publicè per feciales bellum Cæſari iunctis Italiæ viribus denuntiarunt, quorum

Anglus bellum Cæſari nũtiat. orationem poſtquàm explicata, lataque fronte excepiſſet *Carolus*, oratores confederatorum, Anglico dimiſſo, cuſtodiæ; incluſit, circumuentam perfidè ſuorum in Italia

Legati cuſtodiæ tradit. Legatorum immunitatem queſtus. Mox *Foxius Lautreci Dominus* auſpicatam bello fortunam proſequi iuſſus, & Neapolitanum regnum inuadere, per agrum Picenum, capta Aquila, nuſquàm obuijs hoſtibus, ad regni viſcera penetrauit. Cæſaris exercitus, illo rerum diſcrimine, Roma euocatus, luſtratuſque duodecim peditum, vnumque equitum millia, ex quator & viginti armatorum millibus cenſuit, cæteros luxus, abſumpſerat & peſtilentia. Iam etiam priſtinus ille animorum vigor, inter luxum, rerumque affluentiam mirificè hebetatus, nihil in milite ad pugnandum audaciæ reliquerat: vt cum Neapolim contendentibus, haud Troia procul, *Lautrecus* prælium offerret, timidè illi noctis beneficio ſe ſubducẽtes pugnæ aleam ſubterfugère. *Lautreco* verò inſequente, omnibus confederatorum copijs, Neapoli obſidentur, vbi varijs velitationibus *Aurantio*, *Vaſtioque* plerumque aduerſis, intra vrbis mœnia concluſi ſunt. Declinabat iam Cæſaris fortuna: Vrbes Hiſpanam deteſtatæ arrogantiam, Andegauenſium

CCLXVII. geſta ad memoriam reuocabant. Vrgebat

Auriæ victoria in Cæſareos. mari, terraque Gallus obſidionem: nam ex Liguria claſſem admouerat *Auria*, cuius conſilium præoccupare *Moncada* ſtatuerat, & claſſem in ſinu Salernitano opprimere, iunctis ad claſſiarium militem veteranis Hiſpanorum millibus; ſed exploratorum diligentia *Auriani* præmoniti, adſcitijs viciſſim ſclopetarijs claſſem muniunt, atque vltrò in hoſtem occurrentem alto pelago prouecti, magnam à principio ſtragem edunt, cũ vnus tormenti globus à *Philippi Auriæ* prætoria laxatus quinquaginta Hiſpanorũ diſcerpſerit, plures debilitauerit. Acriter, pertinaciq. animo vtrinq. concurſum, *Aurianis* tandem eſt relicta victoria, adeo cruenta, vt nemo victorum ſine vulnere diſcederet. *Moncada* Cæſarianæ claſſis præfectus, mari hauſtus occubuit. *Vaſtius*, cæterique Duces capti, vrbem CCLXVIII. *Moncadæ mors.*

ferè traxerunt in vincula; nã & Germani ſub auſpicijs Ducis Brunſuicenſis in Italiam traducti, commeatu deficiente, conuerſis retro ſignis, diſperſi abierant. In ſummo diſcrimine res erat Auſtriaca ni in tanta rerum deſperatione Cęſarianis inexpectata *Andreæ Auriæ* Genuenſis Architalaſſi mutatio, ſaluti fuiſſet. Pontificijs, Gallicíſque is ſtipendijs conductus, cum nuper captiuos Cæſarianos petenti Gallorum Regi ſiſtere nollet, Rex indignatus verbis minacibus exacerbatum ſe abundè oſtendens, eò *Auriam* adegit, vt per *Leuam*, Cæſaris gratiam aucuparetur. Dicunt alij, quod cum *Adurnios* Cæſari adductos Genua eieciſſet, admiſſis in vrbem Gallorum præſidijs, vbi patriæ libertatem militari opprimi inſolentia, tum ad Sauonam rei maritimæ negotiationes transferri magnoperè doleret, ægrum hominis animum ador-

ti Cæſariani duces, quos captiuos tenebat, CCLXIX *Auriæ Cæſari conciliatur à captiuis.*

promiſſionibus tentarunt, atque etiam expugnarunt, ea ratione, vt Genua ſub Cæſaris patrocinio libertate frueretur, ac Genuen-



ſibus Sauona cederet. Pacta hæc cum adprobaſſet *Carolus*, odium hactenùs *Auria* in Hiſpanos acerbè exercitum pari ardore in Gallos conuertit, vt patriæ libertatis, æternæ nominis memoria vindex eſſet. Meritus itaque cum duodecim triremibus, Cæſaris ſtipendia, Caietam appulit, vbi Imperatorios Duces captiuitate exemit, Cæſariſque mili-

tiam

Sal. Ann. 1528. tiam publica inſignium commutatione profeſſus. Nec multo poſt Genuam delatus, portuque receptus magno exultantis patriæ gaudio Gallos eiecit, optatamq. Genuæ cum libertate reddidit tranquillitatem. Sauonæ etiam Genuenſium opes, gloriamque æmulantis portum lapidibus, ruderibuſque impletum, nauigationi fecit inutilem. Populus verò Genuenſis ad huius rei memoriam Coloſſum ex marmore præaltum cum hac inſcriptione ei erexit. *Andreæ Auriæ Ciui Opt. Feliciſſimoque vindici, atque authori Publicæ libertatis Senatus Populuſque Genuenſis poſuit*. Lubet hic addere *Iani Vitalis* carmina

Quē ſpectas barba horrentem, ſæuumq. tridentē
Imperium pelagi magna ditione tenentem
Aurius *eſt: non ille modo Lybiæq. Aſiæq.*
Pyratarum horror, & formidabile nomen:
Sed terræ decus Auſoniæ, & noua gloria Martis.
Hic patriam longo concuſſam turbine belli
Firmauit pace, & ciuiles ſuſtulit iras.
Iſta grata ſuum Ligurum Reſpublica ciuem,
Et pietate grauem, & meritis ingentibus, inter
Delectos proceres, quos ille ab origine prima
Excoluit, celebrem æterno ſacrauit honore.

Nummi poſtea honorarij latus alterum hierographiam habet, quam triremi, prò *Carolo V.* ædificatæ, appingi voluit Auria. Calidum ei ad Deum votum, idque duplex: alterum vt in itinere periculoſo *ſydus* illud ſibi præluceat, quod tres Magos Orientales Bethleemum vſque deduxit: alterum vt diuinum ſibi adſit numen in hoſtibus ſuis configendis, ſuperandiſque. Id enim *tela à ſtella circulata* ſignificant.

CCLXX. *Galli lue confecti.* Nec defuère Superi Gallis rependere ſortem. Pari lue, ac Cæſariani Romæ, Gallus fatigatus exercitus, ita contabuit, vt vix mille peditum, centumque equitum integri, armiſque idonei ſupereſſent. Hinc obſeſſi, hoſtium torpore ac ſilentio prouocati, in reliquias exercitus iam abitum meditantis, effuſi, vix armis ferendis idoneos Auerſam compulere, vbi intercepti carcere, hæſerunt aut morte. Sub hæc Capua, Puteoli, Nola Gallicis inſeſſæ præſidijs ad fidem *Caroli* reuocatæ. *Fridericus Caietanus*, Bouiani Dux *Henricus*, cum alijs quator illuſtris familiæ viris defectionem ſanguine expiarunt. *Fridericus* verò *Caraffa* Melphi princeps, ac *Simon Romanus* contra *Alphonſum Daualum Vaſtium* magna obſtinatione Apulos, Calabroſque in fœderatorum obſequio conſtantes propugnarunt. Hæc in Neapolitano regno anceps fortuna ludebat. Inter Inſubres *Antonius Leua* eductis Mediolano copijs, Papiam inuadit, Galliſque omnibus internecione deletis, felici occupat conatu; ſed deficiente ad militem alendum ſtipendio, edicto cauit; ne quis Mediolanenſium Domi ſuæ panem pinſeret, præter eos, qui facultatem pretio paraſſent. Vectigal hoc ſatis fuit ad alendam vtramque equitum, peditumque militiam inter extremas calamitates; nam in modios ſingulos tres aureos numerabant piſtores. Penè itaque confœderatorum fractos animos, *Fani Paulini* comes ex Francia cum quatuordecim millium exercitu allapſus, ſummopere erexit. *Antonius* verò *Leua* octo tantùm millibus ad vrbium defenſionem inſtructus, cum Gallos declinare crederetur, ad Landrianum occurrens, felici prelio Gallum attriuit, Comitem cœpit vna cum *Chaſtillonio*, *Rongonio* alijſque copiarum præfectis, ſimulque propugnandæ ſpem ademit Italiæ. *Sal. Ann. 1528.* CCLXXI *Leuæ ars ad alendū militem.*

PAX INTER CAESAREM ET GELDROS. Anno 1528.

CC LXXII. QVinquaginta iam annos alternis cladibus fatigati Geldri, & Belgæ, *Roſſemio* cum *Meurſij* Comite prò Geldro: *Sckenkio* & comite *Burano* prò Belgis copias ducente, Gorcomij tandem *Carolus* Cæſar, Belgarum Princeps, & *Carolus* Dux Geldriæ extinctis odijs, mutuis pacis vinculis ita ſociati ſunt; vt Geldriæ Dux Gallorum fœderibus renuntiaret, Cæſarique æterno amicitiæ pacto adhæreret, occupata à Cæſarianis oppida reciperet, eaque clientelæ titulo à *Carolo* tanquàm Brabantino Duce, Hollandiæque comite poſſideret. Virili verò legitimoque deficiente hærede, ad Brabantinos vtriuſque ſexus poſſeſſores tranſirent; dote tamen honeſta fœminis ex Geldrio ſuperſtitibus reſeruata, Regio verò Vltraiectina, cum Antiſtitis ſui *Henrici Bauari* conſenſu, *Hoc accidit menſe Nouembri.*

iuriſdi-

Ann. Sal. 1528. iuriſdictionem omnem, ſacra excepta, in *Carolum* Brabantiæ Ducem, & Hollandię comitem tranſtulit, Cæſarique ſolemni ſacramento eſt obligata. *Sal. Ann. 1528.*

FERDINANDVS AVSTRIACVS ELIGITVR REX HVNGARORVM.

CCLXXIII. Occiſo *Ludouico* Hungarorum Rege, diuiſis regnorum ſtudijs, primi fuere Bohemi, qui de eligendo Rege coirent: alij prò *Ferdinandi* Auſtriæ Archiducis, qui *Annam* ſororem *Ludouici* Regis duxerat, iure hæreditario nitebantur: alij id generis ſucceſſionem improbantes aliò tendebant. *Berenſtainius*, & *Caupho* abſolutam Regis cooptandi libertatem in *Podiebracio* vſurpatam præferentes, Procerum animos & ſuffragia prò *Guilielmo IV. Bauaro* ſollicitarunt. Ceſſit quidem *Ferdinando* corona; ſed *Guilielmo* decorum fuit, Boici nominis exiſtimationem apud Bohemos tanti fuiſſe, vt, quod in *Alberto Pio* eligendo fruſtra tentarant, nunc in *Guilielmo* felicius ſucceſſurum arbitrarentur. Pacifica fortuna fuit, quia *Ferdinandi* gloria *Guilielmum* non depreſſit, nec *Guilielmi* ſecunda apud Bohemos fama *Ferdinando* ſuſpecta fuit. A Bohemis itaque *Ferdinandus* inauguratus, ad Hungaricum aſpirauit diadema, & habuit

Guilielmus Boius ad regnum Bohemiæ vocatur.

CCLXXIV. quamuis *Ioannem Vaiuodam* Tranſiluanum, Ciliæ Comitem ad ſceptrum vſurpandum plurimi ex Hungaris admitterent. *Ferdinandus* verò & ſuis viribus, & aliorum fauore potentior, *Ioannem* prælio ad Toccaium victum, fugatumque facile, occupatis regni poſſeſſionibus, eliminauit. Qui cum fruſtra *Sigiſmundi* Polonorum regis opem implorаſſet, *Laſci Siradienſis Palatini* exitiali conſilio, operaque, legatione ad *Solimanum* inſtituta, ei ſe clientem, vectigalemque perpetuæ ſeruitutis onere, conſtituit, ſi per illum armis amiſſo regno reſtitueretur. Grata fuit *Solimano* oratio, vt per Chriſtianorum diſcordias in Europam irrumperet. Eodem tempore vrgebat Lutherana factio numero, viribuſque potentior, nec longè nonnulli principes, inter quos *Philippus* Haſſiæ Dominus, occaſionem quærebant vt in orthodoxos ferrum ſtringerent, quam aliena ſuppeditauit perfidia. *Georgius* Saxoniæ princeps, *Philippi* ſocer, conſtans aſſertor Romanæ fidei, Domi ſuæ nobilem ortu alebat,

Io: Vaiuoda eligitur Rex Hungarorum.

Ad Solimanum confugit.

CCLXXV. hominem, *Octonem Paccium*, ſed *Lutheri* opinionibus occultè deprauatum. Homini Lutherano conſilium erat, Germaniæ principes inter ſe committere; Prò cauſa homo verſutus arripuit fœdus inter *Ferdinandum* Auſtriacum, Boicos principes *Guilielmum*, & *Ludouicum*, & quoſdam Antiſtites, Ratisbonæ initum ante quadriennium, legibus ad mutuam fidei Romanæ in ſuis Prouincijs tutelam conſtitutis. Agebat tum apud optimum Principem vices Cancellarij. Hac abuſus occaſione vt formulæ fidem faceret, adhibuit furtiuè *Georgij* Ducis ſigillum. Tum *Landgrauium* opportunè nactus, ſuis rebus proſpicere admonuit, quòd non tam ad religionem, quàm ad ipſum *Landgrauium* vnà cum Saxoniæ Electore opprimendum fœdus percuſſum eſſet. Signatum autographum, an apographũ nudum prompſerit? dubiũ: ſic cæpit *Landgrauium*, vt cõmunicato cum Saxoniæ Electore conſilio, bellum validaſque copias vterque pararet. Dum cæteri Principes, comperto apparatu, in res ſuas intenti, mirarentur, quorſum tantum armorum ſpectaret. *Landgrauius* ſocerum *Georgium* Saxonem per literas hortatur, vt fœderi nuntium remittat, vnàque mittit fœderis formam. *Georgius* nil eiuſmodi conſcius, figmentum deteſtari, petere à genere authoris nomen, & tabularum autographũ. Idem vrgebant Principes alij, tumultuarios colligentes delectus, ne imparati prorsùs opprimerentur. Tantorum Principum inficiatione moti *Landgrauius*, & *Saxo* cęperũt cunctatiùs agere, & ad inueſtigandam veritatem non recuſare conuentum. Vbi in rem ventum, cum *Paccius* à *Landgrauio* vulgatus, nihil præter dolos probaret, falſi conuictus, damnatuſque, *Landgrauij* patrocinio mortem quidem euaſit, ſed non infamiam. Reliquo vitæ tempore profugus, ad extremum Antuerpiæ, poſt longum carcerem, & grauiſſimos quæſtionum cruciatus, abſciſſo capite, in quatuor partes diſiectus eſt. Quatuor florenorum millia, cum ei *Landgrauius* ſoluiſſet, noluit arma ponere, priuſquàm belli conſequeretur expenſas. Moguntinus

Paccij perfidia.

Sal.Ann. 1528. tinus Septemuir, Antiſtites Bambergenſis, & Herbipolenſis, non quaſi commeruiſſent, ſed quia proximi erant, in quos primi belli impetus verterentur, nec ad excipiendum pares illis eſſent copiæ, ne obruerentur, periculum redemère centum aureorum millibus.

CC LXXVI. *Duellum inter Cæſarem & Regem Galloru.* Inter Cæſarem quoque ac *Franciſcum* Gallorum Regem adhuc inimicitiæ flagrabant. *Franciſcus* vbi legatum ſuum in cuſtodiam datum reſciuit, Cæſaris legatum in Caſtelletum Lutetiæ arcem condi, mercatoreſquè Cæſari obnoxios paſſim in Gallia retineri edixit. In cuſtodiam dedit & Cæſaris legatum Anglus, quem mox nihil in ſuo innouatum certior factus dimiſit. Sic bellum in dies magis accendebatur, & Principum odium, qui ſe viciſſim non ſolùm armis, ſed contumelijs prouocabant. Controuerſijs, belliſque quæ cum Rege habebat, vt profundendo Chriſtianorum ſanguini parceretur, ſe ſingulari certamine perlubenter finem impoſiturum Gratianopolitani Senatus principi tum Regis legato biennio ante Cæſar dixerat: id heraldo Gallico bellum ſui Regis nomine denuntianti Cæſar repetiuit. Sermones hi cum ad *Franciſcum* perlati eſſent, ipſe conuocatis V.Kal.April. totius Galliæ proceribus, coram omnibus Principum, liberarumque ciuitatum legatis, totoque aulico comitatu in maiore Pariſienſis palatij aula, ingenti pompa, Regali ſolio ſedens, *Nicolao Pere noto Granuellano* Cæſaris legato, vt dimitteretur petenti ſe ſe excuſauit, & quòd eundem in cuſtodiam dediſſet, Cæſarem in cauſa fuiſſe docuit, qui Gentium violato iure, in ſuum, fœderatorumque legatos id prior auſus eſſet: ſed quandoquidem, vt Baionam proficiſceretur, decretum erat, vt tam ipſe, quàm eius, fœderatorumque legati eodem tempore liberè ad ſuos redirent, vt literas ſuas ad Cæſarem ferret, præcabatur. Hæ libellum duelli continebant, quas ferre recuſante *Granuellano*, heraldum vnà cum illo ſe miſſurum, qui eadem denuntiaret, adiecit: vt illi liberè Cæſarem adeundi, redundique teſſeram dari *Granuellanus* curaret. Id non permittente Cæſare, libellum alta voce coram omnibus legi, & in acta referri imperauit, qui hæc ferè continebat: Illa coram meis Legatis iactare diceris, quæ ad vellicandam famę noſtræ integritatem ſpectant, non ferenda forti viro ignominia. Oblitus fidei datæ aſſeror, tuiſque exceſiſſe manibus perfidiæ reus. Equidem omni obligatione ſolutus fui, poſtquam tranſactione mutua præſtanti fidem, fidem non haberes; cùm eadem me amicum, qua hoſtem antea, corporis cuſtodia incluſum ſepſeris, & libertatem abſque libertate obtuleris. Quocirca ſi meum crimineris abitum, ſiquid à me commiſſum contra viri Principis officium aſſeras, diſertè ego te aſſero mentiri. Fixum mihi eſt, honorem atque exiſtimationem meam cum vitæ etiam diſcrimine tueri. Et quid verbis armiſque cum tot hominum excidio contendimus, noſtro duorum, ad quem mé prouocas, gladio hanc litem dirimamus, duelloque quo poſtulas, experiamur vtri cauſa & æquitas faueat? huic locum tempuſque deſigna. Si congreſſum hunc differes, ſoliſq. in famam meam verbis debacchabere, totius ad te controuerſiæ turpitudinem pertinere declarabis. *His Cæſar menſe Iunio Montiſone per deſtinatum Pariſios legatum ita reſpondit*. Falleris, cùm me tuum criminari abitum exiſtimas; dilatum accuſo reditum. Nonne abs te iuramenti fide confirmatum eſt, in meam te poteſtatem cuſtodiáque rediturum, niſi ſancitæ pacis leges impleres? Si negas, tuis euincam ſigillis ac literis. Si concedis, vt debes, quomodo laudati te Principis officium implere aſseris, cùm in ea re fidem fallas, quæ & obligationis tuæ eſt, & poteſtatis? Affirmo, & ſine mendacio quidem, turpiter abs te factum, & ſceleratè. Et quoniam duello huic cõtrouerſiæ abſoluendæ aſſentiris, conditionem accipio, locumque ad illud deſigno flumen, quod Fonterabiam inter Andæamque labitur, quem ſanè recuſare minimè poteris: nam ſi & tuam, & obſidum liberorum ei ſalutem, ante biennium credidiſti, nihil erit cur modò declines. Ne verò diſceptatio mora longiori differatur; mittantur viri nobiles, earumque congreſſionum non imperiti, qui de loco, de armorum genere, deque certo conſtituant tempore. Quòd ſi intra diem quadrageſimum ab accepta epiſtola nihil reſponderis, dilationis in te reſidebit turpitudo, atque ad alterum non ſeruatæ fidei crimen, nouum illud adijcies. *Sal.Ann.* 1527.

His

Sal. Ann. 1528. His literis Legatus in Galliam profectus, atq. ad *Franciſcum* pro concione in procerũ turba ſedentem admiſſus (poſtulante Rege, *an duelli formulam adferret?*) reſpondit, & *offerre ſe, & præterea, quæ adderet habere, petere verò, vt ex manda to Cæſaris, publicè ea ſibi recitare liceat.* Rex ad ea indignatus, negauit ab eo quicquam ſe, præter formulã prouocationis admiſſurum. Quã cũ ſeorſim detrectaret Legatus, memorant cunctãtẽ Regẽ, neq. publicè illũ auſcultaſſe, neq. literas admiſiſſe, ſed verbis aliquot cõmutatis, exceſſiſſe concione. *Sal. Ann. 1529.*

HENRICI LAPSVS ANGLORVM REGIS. Anno 1528.

CC LXXVII. HEnrici & *Franciſci* Regum licet arma coirent, non ita tamen bellicis rebus deditus erat *Henricus*, quin & amoribus vel potiorem locum daret, quibus victus ad inſaniam delaberetur. *Catharinam* Ferdinandi Taraconenſis Regis, & *Eliſabethæ* Caſtulonenſium reginæ filiam ſanctiſſimam fœminam vxorem duxerat *Arcturus* filius *Henrici VII.* Angliæ Regis maior natu filius, quæ viro non ita multo poſt immatura morte ſublato, de patris ſoceriq. conſenſu, *Iulio II.* Pontif. Max. adprobante, *Henrico* viri prioris Germano fratri nupſit, ex quo filium, qui paucis poſt menſibus fato functus eſt, ſuſcepit. Suſcepit & filiam, nec vllos poſtea liberos genuit. Hinc maſcula prole priuari Regem Angli murmurabant, quia inceſtuoſũ eſſet coniugium: tametſi propter teneram Catharinæ ætatem *Arcturus* cum illa rem nunquàm habuiſſe diceretur. Hanc calumniæ anſam arripiens *Thomas Valſeus*, mox
CC LXXVIII *Cardinalis Eboracenſis perfidia.* *Eboracenſis Cardinalis* nuncupatus, *Henrico* ſuadère cępit, vt *Catharina* repudiata, aliã ex qua mares procrearet, vxorem duceret: non deeſſe Pariſienſes Theologos, qui matrimonium inceſtuoſum, nullum eſſe confirment. Id tentabat *Eboracenſis*, non vt *Henrico* mares naſcerentur, ſed vt Cæſari iniuriam inferret, à quo vt omnium mortalium arrogãtiſſimus contemnebatur: vel vt Regem *Franciſcum* demereretur, nam matrimonium inter *Henricum*, & *Renatam* filiam *Ludouici XII.* Galliarum Regis prouocare in animo habebat nondum enim Ferrarienſi *Renata* nupſerat, quum de diuortio faciendo cępere ſermonẽ. *Henricus* non tam liberorum marium ſuſcipiendorum causà, quàm quòd *Annam Bolanam* humili loco natam, ſed in Reginæ aula educatam deperibat (quæ tamen poteſtatem ſui corporis Regi, niſi matrimonio copulata negabat; ex ſororis namq. *Mariæ*, Regi nuper familiariter cognitæ, iamq. euileſcentis gratia, hunc amorem, niſi coniugalibus adſtrictum vinculis, inſtabilem didicerat Rex) Eboracenſi auſcultabat: neq. tamen quòd animo conceperat vel illi, vel alijs indicabat. Hoc vbi *Eboracenſis* coniectura aſſequutus fuit, neque diuortij diſsuadẽdi, neq. Regem à *Bolana* reuocandi audebat. Plurimis itaque conſultis *Henricus* Theologis, qui ad gratiam concionari ſępè ſolent, matrimonium cum *Catharina* nullum declararunt: & legatos *Henricus* ad Pontificem miſit, qui diuortium firmaret. *Clemens* qui inter Cęſarem & Gallum neuter ſtabat, ac de vtroq. diffidebat, Angli amicitiã, & poſtulata apertè reijcere non eſt auſus, ſed rem protrahendo, ſpem Anglis faciebat. Ipſis verò importunè vrgentibus, *Campegium* Cardinalem legatũ in Angliam miſit, & cauſam ei, & *Eboracenſi* commiſit. Imo *Campegio* rumor erat diploma dediſse, quo matrimonium nullum pronuntiabat: quod clam Anglo Regi, & *Eboracenſi* oſtendendum impoſuit, vulgandum tantumodò, ſi res in iudicio aduerſa Regi procederet: proinde Rex non ægrè moram pateretur. Interim Cæſari reconciliatus Pontifex, cum igne cremari diploma iuſſiſſet, idque *Campegius* executus eſset, commutataq. ſententia, cauſa Romam ad *Rotã* reuocata fuiſset, indignatus Anglus, à Romani Pontificis auctoritate diſceſſit. Sed hæc Deo dante, repetam in vitis Pontificum. CC LXXIX. *Henrici Regi Anglorum lapſus.*

DE RELIGIONE INTER GERMANOS DISSIDIA. Anno 1529.

CC LXXX. TAntis odijs, Chriſtianam iactatam Reſpublicam, Turca dum cogitaret opprimere; ad componenda diſſidia *Carolus* animum conuertit. Indictis Spiram comitijs, conuenère prò Cæſare *Ferdinandus* frater, *Fridericus* Palatinus, *Guilielmus* Bauarus, cũ *duobus* Epiſcopis Tridentino, & Hildeshemio. Aderat Elector Saxoniæ cum *Melancthone*, ſuęque factionis hominibus. Vtriuſq. partis ſtudium hoc erat præcipuum, vt libe-

Sal. Ann. 1528. rarum ſibi vrbium Legatos addiceret, quos proximo conuentu, ad fœderis ſocietatem prouocauerant. *Ferdinandus* verò vnà cum collegis ad euertendam conſpirationem, aliquot ciuitatum legatos ſeparatim euocatos, de neglecto primùm Cæſaris accuſauit edicto: deinde ad concordiam excitauit. Illi nil ſe ad Cæſaris iniuriam machinatos eſſe, neq. legitimi dixere concilij effugere iudicium. Heluetiorum autem populi, Lucernates, Vrani, Suitenſes, Vnterualdij, & Tuginni, qui duabus potentiſſimis eius nationis gentibus, Tigurinis, & Bernatibus (ob Zuingliani ſchiſ-
CC LXXXI. matis infectionem) maximè aduerſabantur, ſe Regi adiunxerunt *Ferdinando*. *Argentinenſes à comitijs excluſi.* Legatus Argentinenſis ob nuper abrogatum, contra proximi decreti leges, Miſſæ ſacrificium à comitijs reiectus eſt. Plurima in eo conuentu circa religionem fuere decreta. Primum *vt Cæſare rogante in loco libero liberum & generale intra annum Romanus Pontifex concilium indiceret ad tollenda religionis diſſidia. Anno elapſo, & ſynodo non vocata, Cæſar conuentum Imperij indiceret generalem, ipſe adeſſet*
CC LXXXII. *pro bono pacis. Interim Edicto Vvormatienſi Cæſareo in articulo religionis parerent omnes. Nulla fieret innouatio præcipuè circa ſacramentum Corporis Chriſti; & Miſsæ ſacrificiũ. Anabaptiſtæ ſub pęna capitis ſolo cedere cogantur. Participes, defenſores eorum ſimili pęna tenerentur. Concionatores, doctores Euangelium iuxta receptas ab Eccleſia interpretationes explicent. Quæſtiones diſputabiles futuro remitterentur concilio. Typographi, bibliopolę ne quid noui procuderent. Delinquens ab eo magiſtratu ſub quo viuit, & domicilium habet, puniatur. Nemo alteri vim inferat religionis prætextu, neq. Domino inuito ſubditos alienos in tutelam recipiat, cauſa religionis, & hoc ſub pœna proſcriptionis à Camera Imperij promulganda. Seditioſos homines ſi princeps ſolus compeſcere nequit, accurrant finitimi: & proprijs impenſis ſubminiſtrent auxilia per menſem. Si vltra menſem opus fuerit, auxiliator pacificè conueniat cum eo cui opē fert. Aduerſus Turcas ſeſqui quarta triũ menſium, & dimidia quarta ſex menſium pedeſtris militis,* Sal. Ann. 1529. CC LXXXIII
& quatuor millia equeſtrium copiarum quæ de promiſſa Romana expeditione ſupererat, iuxta matriculam Romanę expeditionis in Comitijs Vvormatienſibus factam, in pecuniam conferatur, et vnà cum duabus illis quartis pedeſtrium militum mitterentur in Turcas, vbi neceſſitas poſtulabit. Reliqua ibi decreta ciuilem ſpectant politiam. Non porrò abſque aduerſario fuere religionis articuli, Obſtabant
Ioannes Saxoniæ, *Georgius* Brandeburgi, *Erneſtus* & *Franciſcus* Luneburgi, *Philippus* Haſſiæ, *Vvolfgangus*, & *Anhaldinus*, inſtantes *ſtandum eſſe conuentus ſuperioris decreto, quo ſuus cuiq. religionis vſus vſq. ad futurum Concilium liber erat. Notum eſſe, quo potiſſimùm auctore fieret noua religionis diſſenſio. In conuentu Norimbergico, ipſius Rom. Pontificis confeſſione, fontem malorum in Eccleſia deprauatis moribus eſſe repertum. Octoginta capita legato Pontif. fuiſſe oblata, quibus vulnera, et remedia proponebantur, ſed nihil actum. Concilium ſemper promiſſum, nunquàm datum. Conſcientiæ non eſſe vim inferendam timore ſeditionis. Miſſæ Pontificiæ non poſſe locum dari, Verbo Dei repugnãte. De Dominica Chriſti præſentia auctores non damnandos inauditos. Interpretationem ſcripturæ ab Eccleſia faciendam quidem, ſed qualis ſit Eccleſia? ſub iudice litem eſſe.* In reliquis ſuo non defuturos officio promittebãt. *Origo Proteſtantiũ* Hac proteſtatione illius ſectæ Principes, *Proteſtantium* nomine cenſeri cęperunt. Varijs inter ſe certabant opinionibus, eiſq. hæc vna concordia erat, quòd vnanimes pugnabant in Romanam Eccleſiam. Argentoratum, Noriberga, Vlma, Cõſtãtia, Rutelinga, Vvinshemium, Memminga, Lindauia, Cãpodunum, Heilbrunna, Iſna, Vviſſebrugum, Nordlinga, Sangallũ, vrbes olim religione florẽtes ſua deniq. perdidit libertas. *Ferdind.* igitur ſpe concordiæ deiectus, ſe comitijs ſubduxit, quòd *proteſtantes* ad Cæſarem, & futurum Generale Concilium prouocarent. Interim.

PAX INTER CAESAREM ET GALLORVM REGEM. Ann. 1529.

CC LXXXV. Affulgebat Amore ſtimulante paterno, ſine qua *Franciſcus*, de liberis recipiendis propè deſperabat; Ab ea non alienus Cæſar erat, vt faciliùs ad coronam aſſequendam, in Italiam deſcenderet. Bellum tamen proſequebatur *Paulinus* Comes, fanis Angeli, Columbanique captis; & quòd quatuor duntaxat peditum millia Mediolano præſidio erant, de eodem oppugnando cogitabat, cum Mortaria tormentis excuſſa, ſexto Non.

Maij

Sal. Ann. 1529. Maij deditionem feciſſet. Nihil intra Ticinum præter Goiã, atq. Abiati arcem Cæſarianis ſupererat; cumq. Genuam, vel Mediolanum *Paulinus* aggredi cogitaret, XII. Kal. Iulias Lãdrianum duodecim paſſuum millibus Mediolano diſtans petijt. Nocte conſequente, violenti imbres ita vicinum auxere flumẽ, vt tormenta traijci non poſſent, atq. ibidem
Galli victi à Leua. poſtridie ſubſiſtere cogeretur. Die tertio Ticinum adire cupiens, *Guidum Rãconum* cum prima acie, & tormentorum parte præmiſit: ipſe cum media tardiùs inceſſit. *Antonius Leua* vel coniectura adductus, vel ab exploratoribus certior factus, quos in hoſtili tenebat exercitu, noctu ſuos albis tunicis indutos Mediolano eduxit, hoſtes perſequuturus: virtutem comitante fortuna. In itinere adhuc erat Comes *Paulinus*, quòd tormentorum currus axe fracto luculenta via conciderat, ad quem ſubleuandum, non ſolum pedites operam nauabãt, ſed & nobiliſſimi equites in pedes deſilierant: Sic operi intentos, nec oppinantes aggreditur *Leua*. Huic *Paulinus* relicto equo cum bis mille quingẽtis Germanis peditibus occurrit, pugnauit fortiter, ſed victus, vnà cum eo ferè omnes cęſi, uel capti fuere. Infelici clade commoti Italorum principes, ad pacem inclinabant. Ipſe Cæſar, ne quid profectionem ſuam Italicam interturbaret; cum *Clemente* conuenire cupiebat. Pontifex etiã, vt hęreſi, & inualeſcentibus Turcis per *Carolum* potentiùs occurreret, tum vt Mediceis à Florentinis imperio deiectis, rectiùs conſuleret, pacem Barcinone cum Cæſare pactus eſt
CCLXXXVI Pax inter Cæſarem & Papã. ea lege vt Cæſarianus *exercitus ſi è regno Neapolitano migrare vellet, libere tranſire poſſet per ditiones Pontificias. Alexandro Mediceo filio Laurentij Medicis Vrbinatis Margarita Cæſaris notha nuberet cũ dote annua viginti millium aureorum. Gener Florentiæ reſtitueretur. De reductionis impenſis Papa, & Cæſar conuenirent. In poſſeſſionem Ceruiæ, Rauennæ, Mutinæ, Rhegij, Ruberiæ Pontificem Cæſar aliqua via reſtitueret; ita tamen ne aliquod Papæ, vel Cæſaris praiuditium fieret. Reſtitutus Papa Cæſarem nomine regni Neapol. in fidem reciperet: præſtitæ fidei munus equum album veteris loco cenſus acciperet. Si Ferrariam velit Papa recuperare, adeſto Cæſar cum viribus ſuis. De Belli impenſis, inter ſe paciſcantur. Franciſci Sfortiæ reguli Mediolan. cauſam iudices ab vtroq. ſcelecti cognoſcant, vt vel abſolutus in integrum reſtituatur, vel cõuictus amiſſo principatu mulctetur. Si poſterius acciderit, alium Cæſar præficiat de conſenſu Pontificis. Ferdinandus Rex Hungariæ Mediolanenſibus permittat è Ceruiæ ſalinis ſalem quoad Clemens vixerit, & biennium poſt eius mortem, Cæſar frater procuret. Neuter nouas ſocietates ineat, neq. initas obſeruet aduerſas preſenti fęderi. Veneti in fęfdere admittãtur, ſi poſtremis in regno Neapol. vrbibus cedãt, et à poſtremo fędere cũ Ferdinando percuſſo nõ recedant; Clementi Rauennam, Ceruiamq. reſtituant. Lutheranos ad fidẽ Cæſar reducat, armis cogat. Clemens remedijs ſacro ciuiliq. iure præſcriptis vtatur. Neuter alterius clientes vſurpet, eorumq ſe propugnatorem conſtituat. Propugnationes aliter conceptæ intra menſem irritæ ſint.* Sal. Ann. 1529.

Eodem tempore, Cæſari Regem *Franciſcum* reconciliare, nobiles matronæ curabant. More renouato antiquo apud Gallos, admittendi fœminas in comitijs, quæ magnis de cauſis conuocabantur. Cameracum, VII. Id. Iul. *Ludouica Sabaudiana* mater *Franciſci*, ac *Margarita Auſtriaca* Cęſaris amita conuenerunt, magna põpa vrbem diuerſis portis introiere. Aderant & Regum legati, quorum opera in hæc capita conuenère. Vt Cæſar iure ſibi in Burgundiæ Ducatum, Comitatumque Auxerroanum, & vicina loca hactenus vſurpato, acquieſcat; redituque annuo mille librarum ex Burgundici Ducatus Salinis poſtulato cedat, vti viciſſim onere omni tributario, ex Salinis Comitatus Burgundici Gallis debito, Belgij Principes liberentur. Rex pro redẽptione filiorum Cęſari vigeſies cẽtena aureorum liliorum millia puro auro exſoluat, præſentique pecunia ducenta millia, ante inſtantes Martij Kalendas, quibus filios recepturus ſit: ducenta verò nonaginta millia Regi Angliæ Cæſaris nomine pendat. Reuocet etiam ante filiorum libertatem, omnem ex Italia militem, Mediolanenſis imperij iure cedat, & ad regni Neapolitani integram poſſeſſionem Cæſari opibus operaque ſubueniat; neque Italiæ Germaniæque rebus, pro vllo ſe Principe in fraudem Cæſaris immiſceat, (*qua tamen obligatione ſe poſtea teneri non cenſuit, quò minùs ea, quæ materno iure ſibi vindicabat, quæque occupabat Sabaudus,* CCLXXXVII.

armis

Ann. Sal. 1529.

armis repeteret) Borbonij proſcriptionē aboleat, liberis in paternæ hereditatis ſucceſſionem admiſſis. Omni Rex iure ac prærogatiua, quam in Flandriā, Arteſiam, Tornacum, Mortangam, Duacum, Inſulas ac Orchiacum vſurpauit, libere abeat: viciſſimq. Cæſar iuri in vrbes ad Somonam amnem ſitas, obnuntiet. Ducatum Bullionium à Cæſare Antiſtiti Leodienſi, contra Marcanos, adiudicatum, ne adimat. Philiberto Aurantio ſuum Principatum reſtituat, Caroluſq. Egmondius Geldrię Dux, Cæſarique conciliatus, hoc federe comprehenſus cenſeatur. Eleonora ſoror *Caroli* cū dote promiſsa regio matrimonio iūgatur.

Sal. Ann. 1529. CC LXXXVIII Cæſar Italiam petit.

Rebus ita compoſitis, Romani imperij, ex veteri conſuetudine, coronam petiturus à Pontifice, *Philippum* iam natum biennio Principem, vnà cum coniuge velut dignitatis, & amoris pignus Hiſpanis reliquit, ipſe claſse denis militum millibus inſtructa, Barcinone ſoluens, quindecim dierum itinere, Auguſto Menſe, Genuam appulit. Ibi duplici recreatus nuntio, & pacem Cameraci eſse abſolutam quam firmauit Anno 1530. vt ex nummo votiuo deducitur, & *Felicem Furſtenbergij* comitem octo Germanorum peditum millia, præter equites mille, ſuis ſtipendijs in gratiam Cæſaris conduxiſse, intelle-



xit. Tanto apparatu Italorum Principum animi perculſi, ampliſſimis legationibus *Caroli* amicitiam ambire cæperunt; Venetis exceptis, qui virium fiducia, aut pertinacia retinendi occupata, Cæſaris gratiam minimè prenſarunt. Mitiora tandem Pontificis ſequuti conſilia, amicum quàm hoſtem experiri maluerunt. Florentini verò poſt obtentam pactione Peruſiam & Aretium, factioſorum quorundam procerum obſtinatione, vltimam ſubire belli aleam decreuerunt, quàm amiſsa libertate, *Mediceorum* imperia tolerare. Sed quia vana eſt ſine viribus ira, longa obſidione, ac prælio ad montes Piſtorienſes fracti, anno tandem ſequenti in Cæſaris victoris arbitrium conceſſere Cæſareas copias curante *Ferdinando Gonzaga*, qui in demortui *Arauſini* Cæſariani Præfecti, ne ſine gloria caderent Florentini, ſuffectus erat. Numiſma ſuſpice. Præſidio impoſito, non multo poſt rogante *Clemente*, Cæſar *Alexandrum Mediceū* magnum Etru-

CC LXXXIX. Alexand. Medicei & Margarita Auſtriæ nuptiæ.

riæ Ducem pronuntiauit, tradita illi vxore filia *Margareta Auſtriaca*, quam *Carolus* quadriennio ante matrimonium, ex *Margareta Vangeſtia* Belgicæ nobilitatis virgine ſuſceperat. Inde Pontificiam ſubiturus ditionem, Placentiam ſe recepit, vbi iuxta antiquam formulam, ſolemni more iurauit, *nunquàm ſe Pontificiæ Maieſtati & libertati vim allaturum*, ex *Leuæ* tamen inſtructione ſubiecit, *nihil verò de ſuo iure deceſſurum*, & hoc propter Parmam, & Placentiam, quæ olim Inſubribus debebantur. Bononiam delatus, quò iam Pontifex, vt honore, ſic tempore præcederet, eximia, ac penè triumphantis ſpetie, omnium plauſu exceptus eſt. Paludamentum militaribus armis ſuperfuderat, alboq. inuectus equo, illuſtri Principū corona cingebatur. Vmbellā auro diſtinctā præferebāt literarū, & Academiæ Proceres. Equites ſuis turmis coloribuſq. diſtincti, peditatu ſub ſignis inſequente, pręceſserāt; prætorianę cohortes ex Hiſpanis, Belgis, Germanis lectę, croceis

Pontificis & Cæſaris congreſſus.

Sal. Ann. 1529.

croceis in ſagis ponè Cæſarem, extremo agmine incedebant. Venientem expectabat *Clemens* ligneo ſuggeſtu ad Petroniani templi veſtibulum erecto; vbi cum Cardinalibus, ac Pontificibus medius inſederat: eò Cæſar à duobus Cardinalibus per gradus deductus *Clementem* adorauit, & mox ad oſculum admiſſus eſt: deinde vbi pauca inter ſe contuliſſent; obtulit Cæſar auri ſignati circiter libras decem: inde ad aram maximam Deum Opt. Max. precaturus acceſſit. *Clemens* in palatium redijt, ad quod mox Cæſar ipſe diuertit ſolo pariete inter vtriuſque cubile interiecto; cuius exigua poſtula ſe mutuò adire, vnàque colloqui ſine arbitris poterant. Labrorauit diù *Clemens*, vt in *Florentinos* Cæ-
CCXC. ſarem incitaret, *Venetis* ac *Sfortiæ* reconciliaret; Accepta itaque *Sfortia* liberè Cæſarem adeundi teſſera, Bononiam ingreſſus, ad Cæſarem admiſſus, aut innocentiæ veræ, aut audacter ſimulatæ fiducia, literas promiſſæ fidei ad pedes *Caroli* proiecit, non alio, quàm cauſæ præſidio ſe velle defenſum aſſerens; quod mirificè Cæſaris animum tenuit, eiuſque amicitiam redemit. Grandi tamen multatus pecunia *Sfortia*, iuſſus eſt Cæſari, decennij tempore nonaginta auri pondo exſoluere, ex quibus, intra annum, quadraginta penderet; tum deinde Mediolanenſi arce potitus, integra imperij poſſeſſione frueretur. Nouo poſtea diplomate nouaque liberalitate Cæſar Inſubriam *Sfortiæ* adſcripſit, oblata etiam in thalamum *Chriſtiana* Daniæ quondam Regis *Chriſtierni*, & *Eliſabethæ* ſororis filia, vt cognationis eum obſtringeret titulo. Venetis hoc pacto pax data, *vt Rauennæ ac Ceruiæ poſſeſſione abirent, cederentque Pontifici, iuris, ſi quod eſſet, prærogatiua manente: & Cęſari tria millia auri pondo, veteris potiſſimùm fęderis rationibus debita. Mutuis armis Venet Neapol. regnum. Cæſar Venetorũ ditiones defẽderẽt: et per Imp. à vectigalibus eſſẽt immunes.*

Sal. Ann. 1529.

Sfortia reſtituitur.

Pax cum Venetis.

SOLYMANNVS VIENNAM OBSIDET.

CCXCI. Germanorum excitatus diſſidijs *Solymannus* Turcarum Imperator, *Ioannem Vvaiuodam* aduersùs *Ferdinãdum* regno præfecturus Hungarico, ingentem collegit exercitũ, cui omnia vel ſuis viribus, vel noſtra inertia prona fuere. Buda, præſidio in fugam verſo, hoſti excepta arce patuit: quã Germani Duce *Thoma Nadaſto* Hungaro defendendam ſuſceperãt; ſed ignė territi ſulphureo, & de vita magis, quàm de virtute ſolliciti, inuito præfecto, quem vinculis dedere, ſalua vita, deditionem fecerunt, Præfecto in vinculis deſtituto. Vbi verò militũ perfidiã, *Nadaſtiq.* virtutem cõperiſſet tyrannus: hunc, ſuis nequicquam ſtipendijs ad ſe inuitatum, inſigni humanitate ad Regem dimittit; illos in via occupatos perfidiæ pænas iuſſit exoluere. Hoc lætus ſucceſſu, *Ioanne* Budæ relicto, ad Danubium arma vertit, vbi Strigoniam, munitiſſimam regni arcem, *Vardani* Archiep. negligentia malè defenſam occupat, rebuſq. omnibus ad Danubium largè potitus, Viennã Auſtriæ peruenit xxij. Septemb. *Ferdinandus* cum incendium iſtud non modo in ſuam perniciem, verùm totius imperij exarſurum animaduerteret, de auxilijs Germaniæ principes Spiræ Comitia celebrantes compellit. Decretis hiſce, præficitur Comes Palatinus
Rheni, Dux Bauariæ *Fridericus*: hic dum CCXCII.
neceſſaria bello parat, *Philippo* è patre nepoti (*cuius vide numiſma*) in defendenda Vienna partes ſuas committit: qui Spartam ſibi demandatam quouis tueri modo conatur. *Sebaſtianum* verò *Schertlinum* tribunum peditum conſtituit; cuius tanta emicuit fortitudo, vt poſt ſtrenuè nauatam in bello operam, Viennã accerſitus à *Ferdinando*, ſecũda vice Æques auratus crearetur. Hoſte appropinquante, ſuburbana, quæ Turcis præſidio eſſe poterãt, incenſa ſunt: naues quæ in portu erant, ſubmerſæ, valida vndiq. locata præſidia. Sicq. rebus compoſitis, non diù manibus & armis temperatum. Nam mox occupatũ caſtrorum munitione hoſtem aggreſſi Chriſtiani exigua manu pepullere. Sæpè renouatum certamen, plærumq. feliciter. Hoſtis cũ aliquandiu cuniculis muros ſubuertere tentaſſet, quadrifariam diuiſum exercitum, ac ſenas ſibi ipſi ſuccedentem in horas, continuato die ac nocte prælio, Vrbẽ iubet oppugnare: foſſores interim in auerſiſſima munitionum parte cuniculos numero plures agere: vt perpetuis laboribus exhauſti, obſeſſi loca deſerere cogerentur: armorumque

Fridericus Dux Bauariæ electus expeditionis Dux in Turcas.

Sal. Ann. 1530. que ſtrepitu actos cuniculos non ſentirent. Nec fuit ſpes vana Tyranni, cum ſuffoſſus & crebra vi pulueris impetitus murus tribus ex oris ampla patefacta feneſtra corruerit. *Sal. Ann.* 1530.



Hic ingenti ſublato clamore Turcæ patentes muri aditus, per ruinas magno molimine gradientes oppugnare: noſtri, è diuerſo, animo infracto inſultantium impetum ſuſtinere: hoſtes ipſos muro arcere: tandem repellere. Non ſemel ſed ſæpius hunc ad modum, ſed fruſtra tentata vrbe: fractis militum animis: increbreſcente rumore, breui cum copijs auxiliaribus *Ferdinandum* Regem & *Fridericum* Palatinum affore, de ſoluenda obſidione tyrannus cogitat, incenſiſque ſtatim prima ſub vigilia caſtris, inſtitutam accelerat abitionem: quod tamen ne foret inultum, crudelitate ſumma coram ſe mactare iubet Chriſtianos omnes, quos ſors iniqua captiuitate inuoluerat. Hybraim Baſſà, collectis leuis armaturæ equitibus, compoſitiſque ex arte & induſtria ſubſidijs; præcedentem à terga tutabatur Tyrannum, qui correptis repentè ſignis, tanta cum feſtinatione reliquum in caſtris militem reducit, vt & vrbes & oppida omnia; quæ improuiſo metu perculſa Imperium acceperunt, nullo præſidio impoſito, intacta reliquerit: quintaque poſt abitionem die Budam, 32. milliaribus Germanicis Vienna diſtantem, peruenerit: amiſſis ſuorum quamplurimis; quorum cadauera, vnà cum ingenti Camelorum & beſtiarum numero ſtrata paſſim per itinera fuerunt reperta, vi frigoris hyemiſque ſæuitia, & famis diuturnæ tolerantia iamdudum emacerata. Ita inſigni Germanorum, in primis Palatinorum virtute, celeberrimum Germaniæ propugnaculum, & Imperij ſedes defenſa eſt. Priuſquàm Cæſar Bononiam accederet, victi *Solymanni* nuncium accepit; vt & Spirenſis comitij parum optatum euentum. Aduenere etiam Proteſtantium legati, prouocationis à *Ferdinando* & Spirenſi decreto ad Cæſarem cauſas exponentes. Quibus, vti orauerant, ſcripto Cæſar reſponſionem quamuis præſentibus obtulit, hoc ferè argumento.

Obſidionem ſoluit Solymānus.

CCXCIII

Quàm mihi grauis ſit veſtra diſcordia, facile agnoſcit, qui imminentia Germaniæ diſcrimina negligere non ſuſtinet. Curam abſens & anxius fratri commiſi cæteriſque Germaniæ Principibus, qui Spiræ decretum Vvormatiæ confirmarunt ita publico exigente bono. His ſe adiungere Saxoniæ Princeps debuiſſet, niſi ſolus præſumat animæ ſuæ ſalutem quærere. In hoc æquum me ſuſpicor ſi Saxonem ſanctiſſi-

morum

Sal. Ann. 1530. *morum ſuorum Maiorum inſtitutis remittam, & ab vnius Apoſtatæ zizaniam diuellã. Nouitas ſemper odioſa legibus parere ſuadet imperij, iuxta quas minor pars nequit obluctare maiori. Obtemperent legibus, ne æquitate neglecta, & ſpreta Cæſarea Maieſtate, rei fiant, & pœnas acceleret. Sit cæteris exemplum Saxo, niſi Turcicã Germanis in cubantem immanitatem domeſticis contentionibus ſolus prouocare ſtudeat. Quid enim Christiano orbi funeſtius, quid gratius Solymãno, quã nos diſcordijs ciuilibus feſſos offendere? Imperium, religio, Germanorũ ſcelere pereat, opus eſt; ni proſcripto Apoſtata ad ſemitã noſtrorum proauum regrediamur. Auertite obſecro (vbi præcipere licet) diſcenſionis flammam ab vrbibus veſtris, famam à nomine. Concilium, ſi aliter nouitas tolli non poteſt, dabit Paſtor Romanus: cum nihil perinde mihi curæ ſit, quàm veſtra ſalus animarum.*

Hac legati reſponſione nihil deterriti, ipſam, vt erat, prouocationem, adhibita teſtiũ fide per *Alexãdrum Schevveiſiũ* Cæſari exhibent, maiorique audacia per collegam *Michaelem Cadenum* Lutheranæ profeſſionis catecheſim Cæſari in Eccleſiam prodeunti, non dubitauit offerre. Hac hominum proterua libertate ſummopere offenſus Cæſar, Legatos, grauiſſima capitis fortunarumq. denuntiata pœna, diuerſorio vetuit pedem efferre, quos *Granuellani* tandẽ interceſſione dimiſit, *Cadeno* excepto, qui fuga iuſtam Cæſaris irã declinauit. Proteſtantes cognito *Caroli* animo, Smalcaldiæ omnes nouæ religionis ſocietate coniuncti cõueniunt, vt armis, opibuſq. collatis, ſeſe aduerſus Cæſarem tuerentur. Non enim ad ſolos ſuperioris Germaniæ populos, ſed ad Flandros, Batauoſq. ſeſe peſtis effuderat. Quocirca euocatus in Germaniam *Carolus*, Bononiæ more antiquorum Cæſarum duplici corona ſubſtitit inaugurandus.

Sal. Ann. 1530. — CC. XCIV. *Hæreticorum audacia.* — *Comitia.*

CAROLI V. CORONATIO. Anno 1530.

CCXCV. ARgenteam regni Germanici coronam decennio ante, cum Aquiſgrani *Carolus* ſuſcepiſſet, *Aureã* accipere VI. ante Cal. Mar. D. Mathiæ Apoſtolo Sacro (qui & natalis *Caroli* erat dies, quo celeberrima illa ad Ticinum de *Franciſco* victoria potitus fuerat) decreuit. *Ferrea* biduò ante in Sacello Pontificis domeſtico, inter regalis apparatus inſignia ornatus fuerat. Hunc diẽ, vt Celo illuxit, Sereniſſimũ, totius penè Italiæ nobilitas, vel rariſſimi fama ſpectaculi, vel officij poſtulatione excita frequentauit, vt Domorũ tectus ſub pondere ſpectantium fatiſceret, qua Pontifex & Cæſar via erant inceſſuri. A medijs prætorij feneſtris patefacto aditu pons ligneus, penſilis, ſublicis impoſitus incuruo tractu per forum, & Petronianum templum ad aram vſq. maximam protractus fuit, & feſta fronde, pictiſq. tapetibus exornatus, vt ſine tumultu confundẽtis, & prementis turbæ, Pontifex & Cæſar in pompa prætervecti ſpectarentur. Pons impar oneri, hiſcentibus tabulatis poſt Cæſarem ſub prætorianorum
CC. XCVI. *multitudine ſubſidit, multoſq. non ſine vulnere in terram depoſuit. Imperator intrepidè ruinam contuitus, ad baſilicam progreſſus eſt, vbi omnia ex Vaticani templi imitatione efficta, vultum alium nominaque acceperant; vt abſens etiam Cæſar, Romæ haberet imaginem, & veteris inſtituti ritus locorumque appellatio, ex Pontificijs libris, vſus maneret.*

Ad aram primò maximam à Romanis preſbyteris deductus Cæſar, ſacerdotali in tunica Vaticano ſacerdotũ collegio adſcriptus eſt, deinde ſacramento, certis verbis concepto, Apoſtolicæ ſe dignitatis, legumq. Romanarũ defenſorem cõſtituit, aureaq. Cæſarum diplomata, Pontificiæ ditionis immunitates complexa, Rudolphi Imperatoris ſententia ac liberalitate aucta confirmauit. Inde ad tẽpli deductus limen, ſuper dalmaticam Diaconorum veſtem, paludamẽto indutus imperatorio, ad rotam Prophyreticã (medium illa Vaticanæ ædis obtinet) progreſſus, ſolẽni precum ritu, ibidem, atq. ad aram maximã, expiatur. Vnde à Farneſio ſacri ſenatus Principe ad Sãcti Mauritij ſacellum deductus, diffibulata veſte humeros brachiumq. dextrũ, inter conſuetas apprecationes inunctus eſt. Quibus ex more finitis ſolenni Miſſarum ſarificio operaturus ad aram Pontifex, ſacroq. in habitu miniſtraturus Cæſar exordium faciunt, harmonicis muſicorum concentibus, quà voce, quà inſtrumẽtis artificioſè interludẽtibus. Hic Imperatori ad aram ſupplici ſceptrum aurũ, nudatus gladius, pomumq. ex auro formatum, ac demum haud abſimilis tiaræ corona à Põtifice exhibetur: cuius deinde exoſculatus ſubmiſsè pedes, lateri ſiniſtro paullùm humiliore ſella, accumbit, ac Romani

Sal. Ann. 1530. *mani Imperatoris titulis, publico vocum æriſque, cùm bellici, tum campani applauſu ſalutatur.*

Abſolutis ſacris omnis repentè procerum multitudo in equis conſpecta eſt. Ipſi Pontifici equum conſcenſuro ad læuam Cæſar auratas pedibus inſerturus ſtapedes erat; niſi obſequium Religioſa modeſtia detrectaſſet. Iunctim igitur vterque niueo inuectus equo, ſub vmbella procerum manu ſuſtentata, inter gratulantis populi fauſtas acclamationes progreſſus, ſpectatiſſimam poſt ſe principum virorum turmam, auro gemmiſque, mirifico veſtium fulgore irradiantem, trahebat. Aemulatione quadam, totius Europæ nobilitate, in illo honoris theatro de opibus ac dignitate concertante, vt ab omni retrò memoria, nulla vnquam maior illuſtriorque hominum multitudo vel in celeberrimi triumphi maieſtate vnius vrbis mœnibus comprehenſa fuerit. Ante vmbellam Montisferrati Marchio, illuſtri chlamyde & corona ornatus, ſceptrum imperiale deportabat. Poſt hunc Franciſcus Maria Feltrius Vrbini Dux vrbiſque præfectura donatus, purpurea in veſte, capitiſque tegumento in mitræ formam, defluentibus vtrimque tænijs, compoſito, nudatum enſem ſtringebat. Deinde Philippus Palatinus Viennenſi propugnatione, & nominis formæque dignitate clarus, talari in purpura, pileo ſeptemuirali, niueis pellibus præcincto, orbem aureum deferebat. Poſtremò Carolus Sabaudus Allobrogum Dux, cui in cetero habitu pileus vnionibus, ſmaragdis ac carbunculis irradians, eminebat, officij gratia, ſublatum, tempori locoque, Cæſaris ex capite diadema manibus ſuſtinebat. Inter hos Principes vmbellamque medius imperialis Quæſtor ſignatam imagine coronati Cæſaris argenteam aureamque monetam, in confertam plebem ſparſim effundebat.

In biuio à Pontifice diuulſus Cæſar ad D. Dominici templũ cõceſſit; vbi à Romanis Lateranæ Eccleſiæ presbyteris perquã honorificè exceptus, in eorundem collegium cooptatus eſt. Mox ad aram digreſſus, ſecundum preces, multos ex nobilitate equeſtris ordinis dignitate ornauit.

Inde ad prætorium menſamque incredibili apparatu inſtructam proceſſit, vbi ſolus ipſe eminentiori ceteris loco accubuit, quatuor viri, inſignium præfecti, iuxtà humiliori menſa recepti ſunt; reliqui verò procerum alio ſeorſim triclinio magnificis epulis adhibiti ſunt. Nec militari ciuilique vulgo ſuæ defuerunt epularum lautitiæ; ſiquidem bos integer verſatili machina ad luculentum focum toſtus, minori, cùm hædorum veruecumque, tum diuerſo volucrum ſuffartus genere, partitim offerebatur; fontes præterea ſub prætoriana manantes porticu, albi purpureique coloris vina ſitientibus affundebant. *Sal. Ann. 1530.*

Peracta coronatione, Dux Ferrariæ impetrata venia, Carpio donatus eſt oppido, ſexcentarum ex auro librarum repenſo munere. *Fridericus* Marchio Mantuanus cum venientem ad ſe *Carolum* perquàm magnifico honoris genere liberaliſſimè excoluiſſet, Ducis prærogatiuam, ac titulum Cæſareo fauore literiſque promeritus eſt. CC. XCVII. *Fridericus ducatu Mantuæ donatur.*

Pacata Italia, Auguſtam Vindelicorum properauit *Carolus*; vt indictis ad octauum Aprilis comitijs, hæreſes, ac Turcas comprimendos adeſſet. *Ioannes* verò Saxoniæ Elector *Lutherum, Ionam*, ac *Melãcthonem* Torgam euocauit, ad quos Spalatino Islebioque adiunctis arbitris, religionis controuerſias referri voluit, vt ex communi ſententia de rerum credendarum articulis decernerent eoſq. Cæſari omnium nomine in comitijs offerent, quod luculenter fecerè. Auguſtam cũ veniſſet xvij. ante Cal. Iul., effuſa Principum, Ordinumque turba, Moguntinum inter Vbiumq. Septemuirum medius, *Ferdinando* fratre, ac *Campegio* Cardinali Legato ſubſequentibus, in vrbẽ deductus, poſtridie omnes publicæ adeſſe voluit ſupplicationi, quam ipſe ardentiſſimo Sole, ſingularis pietatis ſtudio, ac pietatis exemplo obire conſpectus eſt. Lutheranorum non adeuntium contemptũ tam grauiter accepit, vt Lutheranis Princibus diem dicturus eſſet, niſi cæteri procerũ, eorum in comitijs audiendam cauſam perſuaſiſſent. Sectariorum inde conciones illicò abrogauit. Inter ſacrorum ſolemnia Elector Saxoniæ ex officio gladium Cæſari præferre iuſſus, ex cõſilio ſuorum Theologorũ paruit. CC. XCVIII. *Comitia Auguſtana.* CC. XCIX. *Elector Saxoniæ gladiũ Cæſari præfert.*

Antequã in comitio coirent, de modo procedendi, & de Principum pręcedẽtia facta eſt quæſtio, & præmiſſo diligenti examine iuxta tenorẽ Aureę Bullę ſuus cuiq. datus eſt locus. CCC.

Die Iunij XX. prima ſeſſio facta eſt in qua Cæſaris nomine *Fridericus Palatinus* compendioſa oratione omnia recitauit, quæ

Cæſar

Sal. Ann. 1531.

Cæſar medio fratre *Ferdinando*, & legatis ſuis ad bonum Reipublicæ, ad decus Germaniæ, & ad animarum ſalutem ciuili & ſpirituali politia (quantum tamen ſecularis concedit Maieſtas) manu, lingua in Turcas, in hoſtes, in nouatores anxiè, & ſedulo geſſerit. Nunc ad reparandam concordiam, vt iunctis viribus occurrere fortiores barbaris poſſent, vocaſſe comitia. Quod vt facilius aſſequeretur, poteſtatem cuiq. facere ſententiam ſuam ſcripto comprehendere, qua Cæſar inſpecta pernicioſam contentionem optata poſſet abſoluere tranquillitate.

Quatriduo poſt Pontificius legatus *Campegius* Latina oratione, Cæſarem laudauit, & vt religionis diſſidium deponerent, hortabatur, ne paucorum vitio, totus Chriſtianorū grex ſub Turcarum diſtraheretur tyrannide. Poſt *Campegium*, Auſtriacæ ditionis legati auxilia implorarunt in Turcam. Elector ponè Saxoniæ cum Georgio Brandeburgico, Luneburgenſi, & Landgrauio fidei ſuæ confeſſionem *Auguſtanam* à loco dictam obtulerunt Cæſari, obnixè contendentes, vt in publico omnium comitio recitaretur. Sed vix obtinuerunt, vt in priuato Principum conſeſſu, *Ferdinando* ac Cæſare audientibus legeretur. Erat cęnaculum non valdè ſpatioſum, quod homines fortè ducentos caperet. Cum in eo Cæſar, ac Principes conſediſſent, *Chriſtianus Beyer*, Electoris Saxoniæ cancellarius, Proteſtantium Confeſſionem de ſcripto legit, vti Germanicè concepta erat; idq. tardè, & articulatim, vt duabus horis totam abſolueret. Deinde duo obtulit exemplaria, Germanicū, & Latinum, quæ Cæſar ipſe porrecta manu recepit. Subſcripſerunt nomina ſua *Ioannes* Saxoniæ Elector, cum filio *Io: Friderico*, Marchio *Georgius* Brandeburgenſis, *Erneſtus*, & *Franciſcus* Duces Luneburgenſes *Philippus* Haſſiæ Landgrauius, *Vvolfgangus* Anhaldinus; & duarum ciuitatum legati, Norimbergenſis, & Reutlingenſis. Adiunxerunt ſe paulò poſt quatuor ciuitates, *Cāpodunum*, *Hailbrunna*, *Vvinsheimium*, & *Vveiſſenburgum*.

CCCI. *Confeſſio Auguſtana.*

CCCII. *Quæ in cōfeſſione Auguſtana diſſimulata ſint.*

Hoc ſcriptum cū antiquæ religionis theologis eſſet exhibitum, animaduerterunt, multa à *Luthero*, eiuſque ſectarijs, vulgatis antea ſcriptis iactata, hic ſilentio præteriri. *Vt, quod liberum arbitrium ſit titulus ſine re. Deus per homines, operetur ſcelera, ipſe auctor. Rom. Pōtifex Antichriſtus ſit, Omnes ex æquo viri, fæminæq. ſacerdotes habeātur; nullumq. maneat in Eccleſia externa ſacrificium. Matrimonium ſit merè ciuilis contractus, & à Politico Magiſtratu iudicandus.* Tum Cæſar per Legatos interrogauit, *an omnia complecteretur eorū confeſſio, quæ proponenda ducerent?* ad hāc quæſtionem, poſt longam conſultationem reſponderunt, *in propoſitis ſe modò articulis acquieſcere.* Quare à *Io: Fabro*, & *Ecchio* cępta eſt cōfutatio, & abſoluta lecta fuit eodem loco, quo aduerſariorum tabulę. Ea euoluta, *Fridericus* Palatinus nomine Cæſaris adprobauit, Saxonemq. cum Collegis admonuit, vt cęterorum ſententiæ, pacis gratia ſubſcriberēt. Copiam petentibus, ſuſpicatus Imperator ad ludibriū cedere, negauit. *Haſſus* cum fruſtra tentaſſet *Zuinglianos* cum *Lutheranis* cōiungere, vt iunctis viribus in Romanos agerent, irarum plenus, improuisò vrbe ſeceſſit. Qua inſolentia offenſus Cęſar, Principes monuit, ne concordiam & pacē tanto quęſitam opere, interturbarent. Ad hāc retinēdam, ſeptenni vtrinq. delecti, vt aliquā conciliandi opiniones viam inuenirent: Inter quos prò catholicis *Ecchius*, prò acatholicis *Melancthon* conuenère, & cum iuriſdictionē eccleſiaſticam ad Epiſcopos reuocandā, iam inclinaret: *Lutherus* literis ſuis omnia diſſoluit non ſine *Melancthonis* lacrymis, iugum Epiſcoporum excuſſum volens. Ita cadente menſe Auguſti, diſſoluta ſunt infelicia comitia. Deteſtatus Cæſar hominum perfidiā mādauit vt ante decimum quintum Apr. diem, liquido monſtrarent, an Pontifici acquieſcere vellēt; ſe interim laboraturum, vt intra ſemeſtre Generale cōuocaretur concilium. Reſpōderunt Proteſtantes, *fruſtra ab ijs expectari, ut ſanctæ ſcripturæ renuntient.* Obtulerunt etiam ſuæ Confeſſionis Apologiam à *Melancthone* conceptam, quam Cæſar repudiauit, & nouiter denegata copia decreti, mandauit catholicos, in iura, ſedeſq priſtinas, quibus fuerant per Lutheranos deturbati, reſtitui. Conabantur *Proteſtantes* ſe conſcientiæ clypeo defendi, tandem *Lutheri* conſilio, arena cedendum rati, *Deo* ſe (aiunt) *negotium committere, neque æquum recuſare ex legibus iudicium quo ſuam palam facerent innocentiam. Orare verò Cæſarem, ne grauiùs in ipſos concitaretur.* Ita

Sal. Ann. 1531.

CCCIII. *Haſſus recedit.*

Fruſtra concordia tentatur.

CCCIV. *Catholici reſtituuntur.*

Sal. Ann. 1530. diſcedunt Proteſtantes, legatis tamen relictis. Diſceſſuri admonētur non niſi mitem Cæſarem expectare. Si quid acerbum protulerit *Brandeburgicus*, id ſuo iudicio, non Cæſaris vel Principum voluntate adieciſſe. Ita indulgentia perditum, quod rigor parauerat. Cæſar vel natura clemens, vel neceſſitate timidus, ne cum reliquis hæreticis, vel cum hoſtibus, etiam cum infidelibus coirent, pullulantem ſectam neglexit, & tollere cogitauit, cum non potuit.

CCCV. *Confeſſio ſacramẽtariorum.* Sacramentarij interim à Lutheranis ipſis excluſi, Confeſſionem *Zuinglio* auctore, Cæſari exhibuere, ſed prçter riſum, & cachinnos nil retulere. Viris Eccleſiaſticis adempta bona iuſſit reſtitui, illoſque ſolùm in imperij tutelam recipi, qui decreto ſubſcriberent. Subſcripſerunt autem Cæſar, *Ferdinandus* Rex, Electorum quinque, Principum Eccleſiaſticorum triginta, Secularium tres & viginti, Abbatum triginta duo, totidem comitum, & Baronum Ciuitatum Imperalium nouem & triginta. Vlma, Auguſta, Francofurtum, & Halla nō tantū ſubſcribere recuſarunt, ſed & aduersùs Turcā, nullam opem ſuppeditaturi clamabant, ni religioni libertas concederetur. *Sa. Ann.* 1530.

FERDINANDVS ELIGITVR REX ROMAN. Anno 1530.

CCCVI. CÆſar, vt haberet, quem ſe abſente, cum auctoritate, atque imperio in Germania ſufficeret, Principes, Ordineſq. Germaniæ Coloniam euocat, *Ferdinandi* fratris in Romanorum Regem eligendi gratia ad diem quartum Kal. Ian. Saxo verò, Lantgrauius, cæterique Principes Proteſtantes, & liberæ ciuitates XI. Kal. Ian. Smalcaldiæ inito fœdere, literas ad Cæſarem mittunt, ſignificantes ſe intellexiſſe *Auguſta Coloniam translatum, vt Ferdinandus eius frater Romanorum Rex deſignetur: id aduersùs legem Canolinam introduci, quam Cæſar, ac Septemuiri Electores ſanctam, inuiolatamq. conſeruare debent; precari ne quid aduersùs libertatem Germanicam innouetur*. Eadem ferè paucis poſt diebus ad Septemuiros Collegas ſcribit Saxo: *Ferdinandique* deſignationi per *Ioannem Fridericum* filium, ſuoſque legatos intercedit.

In primo Colonienſi conuentu cauſas, cur fratrem Romanorum Regem declarari cuperet, expoſuit; *ſe quòd varijs regnis, prouincijſque hçreditarijs, à ſè inuicem disiunctis imperet, in Germania præſto eſſe haud ſemper poſſe: rem Germanicam in lubrico eſſe conſtitutam propter ſuborta de religione diſſidia, propter immenſam Solymani potentiam, Germanorum ceruicibus ſemper imminentem, propter ruſticorum bellum, & alia pleraque id genus: ſe quidem Spiræ de illorum conſenſu Senatum inſtituiſſe, ſed pleroſque eidem non parere. Quapropter vt princeps deligatur, qui ſecundum à ſe locum teneat, pacem alat, improbos coerceat, vires repellat externas, neceſſarium videri: fratre, Bohemiæ, Hungariaque Rege ſe non inuenire potiorem, cuius regna ſint aduersùs Turcicam immanitatem veluti duo Germaniæ propugnacula*. Et quamuis *Guilielmus* Bauarorum Dux aduerſaretur, iniuſtum ducens, cum laudatiſſimæ familiæ, tum egregiarum virtutum ornamentis, tanto non imparem decori, ſe, ſuoſque familiares negligi, perpetuaq. quatuor eiuſdem ſanguinis Cæſarum, adoptione imperium, veluti hæreditarium occupari; tamen cum cæteri Principum, annorum ſuperiorum experientia didiciſſent, per Senatum imperij, abſente Cęſare, minus validè, rectèq. magnam rerum adminiſtrandarum molem ſuſtineri, *Ferdinandū* collatis ſuffragijs, Romanorum Regem, Coloniæ Agrippinæ pronuntiarunt, ſolenniqué maiorum ritu, XI. Ianuarij die, Aquiſgrani inaugurarunt Ann. 1531. vt ex Miſſilibus nummis. CCCVII. *Guilielmus Bauarus imperium ambit.* *Nummos miſſiles habes nu.* 310.

CCCVIII *Fœdus Smalcaldicum.* Martio deinde menſe, Smalcaldiæ de fœdere Acatholicorū ad ſui, ſuſceptæq. religionis defenſionem ineundo deliberari cæptum eſt. Ibi *Lutherus* librum de tolerando iniqui etiam Magiſtratus imperio conſcripſit, ſed refragantibus. I. Ctis, nonnumquàm ex politicis legibus, licere obſiſtere, facile palynodiā *Lutherus* cecinit, & cum ſectarijs coniuratæ aduersùs Cæſarem amicitiæ nomina dedit. Cumq. Cæſar, datis ad Saxonem literis, *Ferdinandum* Regem loco ſuo obſeruari iuſſiſſet, Francofurti Proteſtantes conuenere; vbi quamuis ciuitatum legati *Ferdinandi* electioni re-

Ann. Sal. 1531. *Sal. Ann. 1531.*

ni reſiſtere nollent; Principes tamen Cæſari renuntiarunt, electionem multis partibus vitioſam, ſaluis imperij legibus adprobare non poſſe. Ita ad bellum inteſtinum omnia ſpectare cęperunt, poſtquàm religionis defendendæ cauſa, ciuitates quatuor & viginti, Principes ſeptem Proteſtantium nomine animos, armaque ſociarent, *Franciſcus* Rex Galliarum Auſtriacæ offenſus potentiæ, centum aureorum millibus apud Bauaros depoſitis alimenta bellorum ſubijceret, qui licet religionis improbaret diſſidia, armorum tamen, Anglo ſibi iuncto, fouere non deſtitit: rebellionis, non cauſæ ſtudioſus. Anglus à

CCCIX. *Fœdus Proteſtãtium cum Gallis.*

Cæſare abalienatus, quòd diuortium eius cum *Catharina* amita Cæſar impediebat, Gallo ſe facile dedit.

CCCX. *Maria Auſtria Belgio præficitur*

Venerat in Belgium hac tempeſtate *Carolus* cum *Maria* ſorore, Hungariæ Regis vidua; quam *Margaritæ* defunctæ loco ſubſtituit: & quod reliquum huius anni erat, traduxit. Ibi inter alia *Chriſtierno* Daniæ Sueciæq. Regi, ex *Iſabellæ* ſororis nuptijs ſibi affini, expectata dudum auxilia conſtituit. Auaritia crudelitate *Chriſtiernus* regno exciderat, Dei magis, quàm hominũ manu. Nam poſt Stocholmium in Sueuia pacto interceptum, Proceres omnes, tanquàm beneuolentia inſi-

Chriſtierni Daniæ Regis vitia.



gni coniliaturos triduano conuiuio excipere ſimulauit, fine tamen per quàm tragico. Nã diſpoſitis per vrbẽ armatorum cohortibus, conuiuas nihil minus opinantes crudeli interemit

teremit

Sal. Anni 1531. teremit ſpectaculo: ac verſa in vrbem rabie, continuata cæde, incolis exhauriuit: &, ne quam in tanta barbarie perfidiam omitteret, profugorum latentiumque reliquias proclamata immunitate elicuit; vt & ijs gladio ſubiectis, fidem, ac humanitatem cum ſanguine profunderet innocentium. Hoc facinore, multorum vitam, omnium ſuſtulit beneuolentiam: nam ſuorum armis exagitatus, vtrumque regnum amiſit, *Friderico* Chriſtierni patruo apud Danos ſalutato Rege; & apud Suecos *Guſtauo* Lutheranæ ſectæ Principe, qui *Chriſtierni* nuper cuſtodiam effugerat. Regem igitur tam fœdè exulantem ſpe magis, quàm promptis auxilijs Cæſar lactauit vſquè in præſentem annum, quo duodecim onerariarum nauium claſſe exercituque decem millium in Noruegiam contendit, vbi iunctis Lubicenſium cum Dano, Suecoque viribus facile ſuperatur. Aisloi incluſus, & cum hoſtibus pactus, pacem illis, quam præſtiterat, & fidem expertus eſt, cũ Sunderburgi incluſus, poſt viginti quinque annorum captiuitatem, Lutheranæ ſectæ aſſecla infelix moritur. *Vide ſymbola num. 310.* Habuit pro ſymbolo Aquilam cum Dracone militãtem. *Guſtauus* fortunam poſuit in manu Dei. *Iohannes* verò *Rantzouius* ſummus præfectus *Friderici I.* Patientiã, quæ omnem ſuperat fortunam. Occubuit hoc anno in Tigurino prælio *Zuinglius*; Cum Tigurinorum conſuetudo eſſet, vt cum in hoſtem itur; paſtor primus prodeat. In honorẽ eius cudi fecerunt numiſma, quod hic habes.

CCCXI. *Lutherus in Cæſarē commouet populus.* Triumphabat interim *Lutherus*, duobus ſeditioſis libellis in lucem editis. Primo *Cæſari bellum imperaturo minimè obſequendum ſuadebat; ne Deo rebelles, periculum rei, animæ, corporis incurrant. Turcam ipſum tam inſanum non eſſe vt contra Alcoranum pugnet, quemadmodum contra Euangelium Papiſtæ.* Altero Auguſtanum carpebat decretum. *Dico ego* (inquit) *Martinus Lutherus indignus Euangeliſta D.N.I.C. quod hoc dogma: Sola fides ſine operibus iuſtificat, coram Deo, firmum atq. inconcuſſum tolerare debeat Rom. Imperator, Turcicus, Tartaricus, Perſa, Papa, omnes Cardinales, Epiſcopi, Monachi, moniales, Reges, Principes, Domini, falſi fratres, totus Mundus ſimul cum Dæmonibus, atque inſuper ſuſtinebunt ignem tartareum ſuis capitibus imminentem. Hoc eſto meum, Doctoris Lutheri, à Spiritu Sancto dictamen, verumque & ſanctum Euangelium.* Ad ſcripti calcem adiungit. *Ego in Dei nomine atque inuocatione ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabo, & conculcabo Leonem, & Draconem. Ea res inchoata eſt in vita mea, poſt mortem perficietur. Vaticinatus eſt de me S. Io: Huſs, qui cum in vinculis eſſet Bohemicis ſcripſit; aſſabunt nunc anſerem* (Huſs enim anſerem lingua Bohemica ſignificat) *ſed poſt centum annos cygnum audient cantantem, quem ferent, quamuis inuiti.* Monitus ab amico tam effreni maledicentia temperaret, reſpondit; *Nihil curo mera maledicta, atque diabolos extare in libro meo. Hæc debet eſſe gloria mea, meuſque honor. Hoc execrationum tonitru, atque fulgur erit æris mihi campani inſtar, quo ad ſepulturam ipſorum inſonabo.* Hoc Apoſtolo nouam inſonante religionem, mallebant Proteſtantes deſipere, quàm cum Patribus, & Concilijs tot ſeculis toto orbe acquieſcere receptis.

BELLVM IN SOLYMANNVM. Anno 1532.

CCCXII. TAntis diſſidijs anxius occurrere Cæſar, dum Ratiſbonam vocatis comitijs Principes Orthodoxi Turcarum explorant conſilia: etiam Proteſtantes Vveinfordiæ (vrbs Frãconum eſt) cõuenere, & cum eis, annuente Cæſare, Electores duo Moguntinus, ac Palatinus irrito tamen reconciliationis conatu: Vnde Cæſar, ne vrgente *Solymanno*, Proteſtantium animos alienaret coactus eorum poſtulatis annuens, integram bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem indulget, prohibens ne religionis cauſa cuiquam moleſtia fieret vſq. ad futurum Generale Concilium, intra ſemeſtre conuocandum. Dum hæc geruntur, finitimi adueniunt legati, nuntiantes *Solymannum* cum ſexcentis bellatorum millibus aduentare. Vnde territi Imperij Ordines tumultuaria lege decreuerunt militem mittere, & pecuniam. Sexto Kal. Aug. diſſoluto conuentu, Itali Principes cum ſummo Pontifice operam dedere, vt optimus quiſq. veteranorum militum, ſub *Alphonſi Vaſtij*, ac *Ferdinandi Gonzagæ* Neapolitani ProRegis auſpicijs, Cæſaris ſequerentur vexilla: quibus

Hippo-

Sal. Ann. 1532. *Hippolitum Mediceum* Cardinalem delectis copijs Pontifex adiunxit; promiſit inſuper in ſingulos menſes quadraginta nummum aureorum millia. Affluxit ad ſacrum bellum non ſolum tota Italiæ nobilitas, ſed ex omni propemodum natione, ſi Gallos exceperis, & Britannos Cæſari infeſtos. Gallus legatos ad Solymannum (teſte *Belcario*) miſerat, tanto in Cæſarem odio, vel inuidia flagrabat. *Cæſari Balanſo* nomine Imperatoris auxilia petenti non ſolum negauit, ſed eodem anno Mediolanenſem repetere principatum decreuit.

Viennam Chriſtianorum confluxit exercitus vt ſupra ducenta, & ſexaginta hominum millia vnis in caſtris *Carolus* recenſèret, quibus Patauienſis ex Bauarica familia Epiſcopus *Erneſtus* frater *Guilelmi* Ducis, trium ſe menſium annonam præbiturum receperat. *Solymannus* contracta innumerabili hominum multitudine, ad Auſtriæ ſeſe fines transfuderat, vbi velut ex tranſitu, ignobile
CCC. XIV. *Guintium fruſtra Solymānus obſidet.* deſpectumque oppidum *Guintium* occupaturus, tanti nominis, viriumqne famam inutili viginti dierum obſidione turpiter amiſit æterna *Nicolai Iurixij*, fortiſſimi propugnatoris gloria. Inde non recta Viennam, vbi Cæſar conſederat, ſed à Danubio in Leuam recedens, ad Carinthiæ fines ſe conuertens ad Muram fluuium, quem anti quis Sauariam eſſe putant, caſtra poſuit: Non tamen diu moratus *Belgradum* reuerſus miſit *Caſonum* ducem cum quindecim equitum millibus, qui Lintium vſque regionem incendijs, cædibuſque vaſtarunt. In reditu tamen à Cæſarianis interceptus, cum ſuis ferè omnibus cæſus occubuit: Alterum agmen à noſtris intercipi haud potuit, quod *Feriſio* duce, alia via ad *Solymannum* euaſit. Memorant Cęſarem tanti exercitus erectum
CCC XV. *Solymannus fugit.* fiducia, *Solymānum* licet ſexcenta tenentem bellatorum millia, ad decretorium certamen miſſa pugnæ indictæ teſſera, chirotheca prouocaſſe: ſed Turcam malè metuentem detrectaſſe periculum, & reſpondiſſe, *Non te ego, Carole, ſed tuam fortunam reformido:* & protinùs Drauo tumultuarijs pontibus ſtrato, immenſas Orientis copias timidè reduxit, identidem venientem à tergo *Carolum* pertimeſcens; quòd Illyrici equites poſtrema recedentium agmina minutis carptim pręlijs conciderent. Fugato *Solymanno*, *Sal. Ann. 1532.* deferbuit *Caroli* ardor, dubiam relinquēs victoriæ palmam. Nam neque venienti *Solymanno* occurrit, neque poſt eius diſceſſum, CCC. XVI.
Ioannem Vaiuodam Hungaria expulit; ſic *Carolus Italiam repetit.* præter omnium expectationem, contractam tantis hominum ſtudijs, impendijſque militiam, Panonia in manibus hoſtium deſtituta, ſoluit, ſeque matura nondùm hieme properato in Italiam recepit. Seu, quòd diffuſam totis caſtris iam peſtis contagionem metueret; ſeu, quòd Italiæ, Hiſpaniæque ingenti deſiderio abſtraheretur, & vxoris inuiſendæ, vt ex eo maſculam prolem ſuſciperet, deſiderio flagraret; ſeu denique, quòd anxius formidaret, ne partam ſolo nominis terrore gloriam, inutili forſan obſidionis conatu, profunderet; vel fortunam ſibi prouocaret aduerſam, vndè & inſtantibus commilitonibus, vt *Solymannum* inſequeretur fugientem recuſauit, reſpondens: *Hoſti fugienti aureum pontem eſſe parandum*. Hæc potuerunt, vt *Ferdinandum* Regem, fratremque negligeret, vltimis licet pręcibus contendentem; vt tantam vim, famamque victoriæ ad Hungariæ reſtitutionem conuerteret. Expeditionem tamen Hungari- CCC. XVII.
cam Italis peditibus, & aliquot Germano- *Expeditio Hungarica cur impedita.* rum cohortibus mandauit, ſed quòd *Fabricium Maramaldum* Italis, *Vaſtio* ſuggerente præfeciſſet, cæteri præfecti indignati in Pannoniam ire, niſi *Ferdinandus*, atque *Antonius Leua*, aut *Vaſtius* illis præeſſet, recuſarunt. Gregarij milites niſi trimeſtre ſtipendium penderetur, cuius repræſentandi nondum aduenerat dies, miſſionem petierunt, Regem *Ferdinandum* pecunia exhauſtum, non eſſe ſoluendo diuulgantes. Seditionem augebat *Maramaldus* ſeueritate ſua militibus inuiſus, quam nec *Vaſtius* ſæpe conuocando, nec ipſe Cæſar illos adeundo ſua præſentia ſedare potuit. Excuſſo itaque militiæ iugo, populationibus adeò fęde *Italorum ſeditio.* per Auſtriam graſſati ſunt, vt ſuis *Ferdinandus* præcipiti furore, alienoque prorſus ab vſitata clementia decreto, edixerit; ne cuiquam Italici nominis parcerent, quo facto exacerbatis vtrinque animis, magnæ clades datæ, & acceptæ. Cæteri Romano-

rum

Sal. Ann. 1533. rum, qui *Mediceo* Duce Italiam repetebant, ac biduò poſt primum Cæſaris agmen ſequi iubebantur, impatientia, leuitateque Ducis, præoccupare omnes in reditu cupientes, diſtracti ſolutique imperio, poſt Drauum ſuperatum, ſtipendijs, ductoreque fraudati (nam Cardinalem cum *Petro Maria Ruſſio* eius conſilij auctore Cæſar comprehendi imperauerat: quinto nihilominus die poſt, ne *Clementem* irritaret, dimiſit) cum execratione infelicis militiæ, ſuam quique domum conceſſere, & quaquà tranſibant, omnia incendijs, rapinis, cædibus, ſtupris fædarunt, eadem Germanos non ita pridem in Italia patraſſe cauſati. Vndè dubites, maiori ne formidandus hic exercitus gloria contractus ſit, an ignominia diſſipatus?

Felicius *Andreas Auria*, claſſi contra Turcam Præfectus Coronem, Patraſque Græciæ vrbes; tum deinde Caſtella antiqui operis gemina, Ionij maris anguſtijs hic inde impoſita, in Achaia Rium, Molycreumque in Ætolia nouis operibus firmatum, egregio labore ſucceſſuque occupauit. Venetos inter has dimicationes medios, ne parti vtrimque metuendæ offenſionem darent, ne ſi vno prælio bellum terminaretur, victor totum terrarum orbem ſibi ſubijcere vellet, in primis Italiam, timentes, apud *Solymannum* ingentes, atque inuictas *Caroli* copias prædicaſſe; apud Cæſarem longe numeroſiores, firmioreſque *Solymanni* diuulgaſſe, ſic opportuno dolo, ne concurrerent, impedimento fuiſſe fama eſt. *Sal. Ann. 1533.* CCC. XVII. *Andreæ Auriæ victoria.* *Venetorum aſtus.*

ITALIAM SECVNDO CAROLVS PETIT. Anno 1533.

CCC. XIX. De fœdere coeundo inter *Clementem* Pontif. & Regem *Franciſcum* legatis agentibus, ſuperuenit *Carolus* Magnis Hiſpanorum ſtipatus auxilijs, vrgens tum Papam, tum cæteros Italiæ Principes; vt innouata antiqui fęderis obligatione (qua ad Inſubriæ, & Siciliæ prò Cæſare defendendum tenebantur imperium) modò etiam Genuæ tuendæ communem curam admitterent; nam Galli ſaluis Cameracenſis pacti legibus, huc ſe arma transferre poſſe exiſtimabant. Quod poſt longam contentionem à Pontifice, cæteriſque Italiæ Principibus extorſit *Carolus*, non tam Cæſaris beneuolentia, quàm armorum terrore impulſis. Quòd Hiſpanos grauem Italiæ populum non aliter dimiſſurus videretur. Conſtitutus eſt omnium ſuffragijs *Antonius Leua* Itali exercitus Imperator, cuilibet Principum portione impenſarum impoſita. *Fędus inter Cæſarē & Papam renouatur.*

CCC. XX. Vt verò Germanorum tranquillitati contra inquieta ſectariorum ingenia conſuleret; miſſi fuerunt in Germaniam Oratores duo. Vnus à Papa *Clemente VII.* alter à Cæſare, qui Statibus Romani Imperij annuntiarent futurum Concilium, ſed liberè à Patribus, vbi vellent, conuocandum cuius decreta probaturi omnes, qui interfuturi erat Sacramento adfirmarent. *Legatio Papæ & Cæſaris ad Germanos.*

His auditis, Elector Saxoniæ dilationem petijt ad reſpondendum, reque tota in conuentu Smalkaldico deliberata, vltima Iunij die, reſponſum ſcripſerunt, in quo vbique prætulerunt Summo Pontifici (tanquàm ei minimè debeant obedientiam) Romanum Imper., quem pro domino ſuo agnoſcebant. Reſponderunt itaque, *Permagnas habere ſe gratias Cæſari, qui tantum prò Concilij maturatione, laboris ſuſceperit, cui & gloria Dei, & ſalus publica, & priuata multorum, curæ fuerit.* Optandum, vt ille aliquando dies illuceſcat, quo oppreſſus error, ſuperſtitio, perfidia veritati, virtutique triumphanti cedant. Concilium poſtulatum in crebris Imperij comitijs, promiſſumque, verùm in Germania pro veritate cótra errores Romanæ illapſos Eccleſiæ, fœdè modò diſſentientiũ opinionibus diſtrahi, illic remedium exigeri, vbi vulnus inflictum eſt. Illam Pontificis mentem grauiſſimis Cæſaris, Principumque decretis aduerſari; dum in Italia Germaniæ proſpiciendum ſtatuit, & alibi conſilium, alibi opem poſtulat. Illa verò obligatio, iureiurando firmata, cui poſſit probari? ad liberi concilij ſententiam adſtringi quorſum attineret? quis tam hebes, vt has artes non intelligat, quibus ſpecioſo, videlicet, Concilij titulo ſuum Pontifex dominatum potentiamque ſtabilire contendat; vt errores aut reprehendat nemo, aut quiuis coactus probet? Verùm hoc artificio non ſuaderi prudentibus concilium; ſed offerri *Hæreticorum reſponſum.*

Sal. Ann. 1534. *ferri ſpetie tenus. Inſuper cum non ordo, non modus, nec forma Concilij definiatur incertumque maneat, an Papa velit pari iure cum cæteris gaudere. Religionis lis humanis traditionibus, vel diuinis literis ſit decidenda: Veteri more cum concilium celebrandum aſſerant hoc captioſum eſſe, cum à vetuſtioribus ſint longe diuerſa noſtra concilia. Non aliter poſſe pacem Eccleſiæ reddi, quàm ſacrarum literarum inhærendo veſtigijs. Multa cùm in Papa, & curia ſint digna reprehenſione, non poſſe eundem eſſe, reum, & iudicem. Pia non eſſe Germanorum prætereunda vota; quia Deus ſuperſit veritatis vindex, & patronus. Se nolle Orbis ſubterfugere iudicium, dummodo legatis ſuis abundè cautum ſit, & Cæſar curet, ne ſua potentia eorum firmet crudelitatem, qui ſalutem opprimunt innocentium.*

Hoc reſponſo ſatis Cæſar agnouit, S. Scripturæ prætextu Proteſtantes debachari, cum interpretationis iudicem neminem ſuſtinerent, & in Eccleſia caput viſibile non admitterent.

Initio veris Cæſar Bononia Ticinum profectus, campos nobiliſſima olim ſuorum contra Gallos victoria celebres inuiſit, atque in illis, quos Franci inſederant, manentibus adhuc caſtrorum veſtigijs, non abſque voluptatis ſenſu, iucundaque belli recordatione immoratus, Mediolanum ſubinde, Genuamque inuiſit. Hinc aſpirantibus ventis, paucis diebus Hiſpaniam tenuit coniugis deſiderio, diu expetitæ. Iam annus ad autumnum deflexerat, cum Pontifex deſtinatum ad *Franciſcum* Maſſiliam iter, renuente *Carolo*, proſequitur. Nil prætermiſerat *Carolus*, vt *Clementis* cum Rege colloquium interrumperet. Rhodias petierat triremes, vt Cæſarianis iunctæ Coronem aduerſus Turcam tuerentur, & in vrbem commeatum importarent: ſic ſe *Clementis* cum Rege colloquium vel retardaturum, atque in hyemem reiecturum ſperabat: niſi *Clemens* in cauſa eſſe, cur Corone in Turcarum poteſtatem rediret, & ſempiternam ignominiæ notam ſubire mallet; quam vt vitaret, non ſolum vt Rhodiæ triremes cum Cæſarianis opem ferrent, permiſit, ſed & ſuas addidit. Sollicitabat *Clemens Franciſci* colloquium, & vt *Henricum* humanæ, diuinæque legi iniuriam, ad ſemitam veritatis *Franciſci* interceſſione inflecteret; & vt nuptias cum Medicea, Aureliæque Duce abſolueret. Anglum fruſtra tentauit; cuius legati inſolenter Pontificiæ illudebant auctoritati, procaciter ad Concilium appellantes, vel deludentes, cum Regi *Anna* occultè nupta: Epiſcopis ſibi aduerſis depoſitis, honore & dignitate in nefarios infimæque ſortis adulatores tranſlata. *Thomas Cranmerus* Bolenæ ſacrificus, ex tenuis aræ victu, ad Cantuarienſem acceſitus Archiepiſcopatum, *Catharinam* publica ſententia illegitimam regij thori conſortem declarauit. Quæ tam indomita hominis inſania non illius modò, ſed regni totiũs ruinam ſpectans, præter *Clementis*, *Franciſci* etiam Gallorum Regis animum à tanta impietate alienum nõ mediocriter offendit; vt proinde *Franciſco* poſt fruſtra tentatam reconciliationem probante, Pontifex in rebelle, perfidumque *Henrici* caput, Apoſtolicum fulmen ſtrinxerit, atque adumbratum *Bolenæ* coniugium adulterij loco habendum conſtituerit. *Henricus* verò Romanæ quondam religionis propugnator egregius, ac ſubnaſcentium per Germaniam hæreſum profligator, à tanta conſtantiæ, ſapientiæque laude diſcedens, *Fiſchero* Roffenſi Epiſcopo perſuaſit, vt Clerum induceret ad iuramentum Regi, tanquàm ſummo illius Eccleſiæ capiti præſtandum; hac, ne recuſaret, adiecta conditione, quantum per verbum Dei liceret, quod ille, præſenti neceſſitate circumuentus, acquieuit, opportunitate ſperans quæſita, vt Rex reſcipiſeret. Porrò Lutherani in Angliam irrepſerant, his *Bolena* occultè nomen dederat. Fauebant proceres, & famoſis libellis Regem in ordinem Eccleſiaſticum concitabant: vno libello *Supplici mendicorum* (hæc erat inſcriptio) oſtenderunt, quantas toto regno opes otioſi Religioſorum ordines poſſiderent. Cui *Thomas Morus* libellum animarum in purgatorio ſupplicem oppoſuit, quo aduerſariorum fraudes confutauit. Interea *Anna* poſt quintum coniugij menſem, *Eliſabetham* peperit, vltimam Catholicæ religionis per Britaniam peſtem; quam

CCC. XXI. *Carolus Hiſpaniā repetit.*

Caroli dolus ad impediẽdum Papæ cum Rege colloquium.

Sal. Ann. 1534.

Sal. Ann. 1534. CCC. XXII. *Annæ Bolanæ coniugium cũ Rege Anglo.*

CCC. XXIII. *Bolena Lutherana.*

Filiam parit Eliſabetham.

Sal. Ann. 1533.

quam hæredem declarauit *Henricus*, obliterata *Maria* Regis ex *Catharina* ſobole; extorto à Cleri, Principumq. ordinibus gemino iuramento, quo *Eliſabethæ* tanquàm legitimæ Principi; altero, quo ſibi tanquàm ſupremo Eccleſiæ capiti fidem addijceret. Huic ſe *Roffēſis* ex clero, Religioſiq. de obſeruātia: ex laicis *Thomas Morus*, regijs poſthabitis blāditijs, pauciq. alij obiecère. Cæteri cū nefario Rege interire, quā opibus excedere maluerunt. Nō

CCC. XXIV. *Catharina vxor Henrici obit.*

multo poſt *Catharina* obijt tā illuſtre virtutum, quàm flagitiorum *Henricus* exemplar: moritura, literis ad Regem datis, cōmonefecit ſalutis, iniuriarum oblita, quas acceperat, vt legenti eas Regi lacrymas excuteret. Pullatum habitum induere aulici; ſola *Bolena* cum pediſſequis, flaui coloris ornamentis induta, Regi proteruè dolorē exprobrabat. Nō multo tamen poſt partum, & fortunam aborta, *Henrico* cœpit odio eſſe, qui *Seimeram* pediſſequam, forma, gratiaq. florētiorem complecti cœpit. *Anna* verò pari vltura *Henricum* perfidia, *Georgio* fratri *Smetono* muſico, *Veſtonoque* nobilibus proſtituta, ita vixit; vt *Henricum* ſcelerum magnitudine facile vinceret. Vaga luxuries non latebat Regem, ſed frementem aliquādiu detinuit proprij nominis

Bolenę libido, mors

ignominia; dum tandem *Grenuici*, poſt proiectum ab *Anna* in publico ſpectaculo ſudariolum in nobilis gratiam, manumq. Regis ira pudorem ſuperauit, Lenamq. impudicam vinculis, ac deinde iudicio ſubiecit, quę ab ipſo *Thoma Boleno* ad mortē, cum omnibus cōplicibus damnata, inauditā libidinem digno ſupplicio concluſit. Quatuor ſubinde coniu-

CCC. XXV. *Henrici libido.*

ges, *Henrici* haud potuere explère libidinem. *Seimera* more viperarum, *Eduardum* peperit; nam difficulter enitenti Rex vterum reſcindi iuſſit. Succeſſit *Anna* filia *Guilielmi* Ducis Cliuię, quæ Anglicæ ignara linguę Regis blandimētis cum nō eſſet idonea: Subijt in thorum *Catharina Hauarda*, ſed breui repudiata, quod corrupta (vt Rex inſimulabat) thorum intraſſet. Vltima fuit *Catharina Parra*, cuius repudiū Rex cogitauit, ſed morte præuentus non miſit. Hanc Eccleſiæ reformationem in Angliā Lutherani tulere. Simili naufragio nutare videbatur Gallia. Erat Rex omnis eruditionis ſtudioſiſſimus; ad eum confluebant tota Europa doctiſſimi hominum, ſpe excitati præmiorum, in quibus ex Lutheri, Zuinglij ſchola nō pauci. Hi, *Rouſſello* clam inſtruente, *Margaritæ Nauarræ* animum occupauerāt, ac breui *Franciſcum* ſororis captū blanditijs induxerant, vt Lutheranorū comedijs ad ludibrium ordinis eccleſiaſtici egregiè concinnatis cum voluptate intereſſet; donec monente *Foxio*, & *Turnonio* Cardinalibus, Rex experrectus, *Melācthoni* iam ad regiam conſuetudinem inuitato nuntium remiſit, & in nouatores ſupplicia adhibuit. *Ioannes* verò *Caluinus* acuti oppidò ingenij, ſed corruptiſ-

CCC. XXVI. *Caluinus.*

ſimi moris homo, cūcta ſubuertit; nouis enim opinionum portentis, rudes *Lutheri* fętus ad eā admirationem cępit extollere; vt nouarum rerum ſtudioſos facile in ſuam ſententiā pertraheret. Hereſiarcharū non perfidiæ, ſed tumultus ſocius *Frāciſcus*, opes ſubminiſtrabat vt per Germaniā, *Caroli* vires diſtraheret. Ad ſe magnis pollicitationibus in Galliā traxerat *Philippum* Haſſiæ, & oblata pecunia impulit

CCC. XXVII. *Vlricus recuperat Ducatum Vuirtemberg.*

ad reſtituēdum *Vlricū* in VVirtembergicum Ducatū. Is ob illatas Reitlingæ bello iniurias, à Sueuis patria eiectus, exul oberrabat, & in Auſtriacos ditionum ſuarū poſſeſſores, Heluetios, Germanoſq. implorabat. In gratiam itaq. *Chriſtophori* filij *Vlrici*, Gallico ære cum *Philippus Haſſiæ* non cōtemnendum ſcripſiſſet exercitum, eum tripartitim in Ducatum infudit VVirtenbergicum, & ferè toto in poteſtatē redacto, obuias ſibi ad Lauſenum oppidum *Ferdinādi* Regis copias, quòd earum Dux *Philippus Palatinus* vulnere in talo accepto, ſe ex caſtris ſubuexiſſet, non magno negotio confecit, cęteraſque vrbes habuit obſequentes. Opera poſtea *Georgij* Saxonię Principis, & Moguntini Septemuiri, *Ferdinando* Regi Elector Saxoniæ eſt cōciliatus, & Cada-

Auſtriacis reconciliatur.

mi, quod eſt Bohemiæ oppidum his legibus pax firmata. *Vt ſcilicet religionis titulo nulla vis aduerſus Proteſtantes inferretur, nulla lis moueretur: quo capite Sacramētarij, Anabaptiſtæ, cæteræq. id genus ſectæ non comprehenderentur: Spirenſes, ideſt Imperatoriæ Cameræ iudices ab omni actione aduerſus Proteſtantes abſtinerēt, idq. à Cæſare Ferdinandus impetraret. Saxo Ferdinandum Regem Romanorum agnoſceret: viciſſim Ferdinandus à Cæſare, Septemuiriq. intra mēſem decimū edictū fieri procuraret: quo ſi viuo Cæſare creandi Romanorū Regis occaſio inci-*

Sal. Ann. 1533.

Sal. Ann. 1534. *incidet, Septemuiri ante conueniãt, & nũ iuſtæ cauſæ proponantur, expendant: ſi iuſtæ videbuntur, ex Carolinæ legis formula, quod cœperint, perſequantur, quod ſecus factum erit, initum eſto: intra idem tempus paternorum, auitorumque bonorum hæreditatem Cæſar Saxoni confirmet.* His ita conſtitutis, pacem quoque *Philippus* horum accepit arbitrio. *Vlricus* beneficiario clientelæ titulo ducatum à Cæſare accepit, ea conditione, vt ad Auſtriacos rediret, ſi ſine maſcula prole decederet. Onus etiam ſubſidiarij militis ad reprimendos Anabaptiſtas Duci eſt impoſitum; adeoque illa bellorum tẽpeſtas breui detonuit, *Frãciſco* ſua ſpe fruſtrato; qui Germaniã more gẽtis, in armis ſemel ſumptis pertinacẽ diutiùs ſperauerat; vt ſic ab Inſubriæ defenſione, quãaggredi deſtinauerat, Cæſarianos auerteret. Interim.

MONASTERIENSIVM SEDITIO. Anno 1534.

CCC. XXVIII. LVtherana lues cum omnes ferè Vltra-Rhenanas peruaſiſſet prouincias. Monaſterium Vveſtphalorum inferioris Saxoniæ vrbs incẽdium nõ effugit. Corrupti oratores, cæteram facile plebem indulta vitæ licentia aduerſus Magiſtratum, atq. ordinem Eccleſiaſticum concitarũt. Seditioſorũ caput fuit *Bernardus Rothmanus* ex D. Mauritij Sacellano Saxonicæ libertatis præco factus. Poſt eum *Cnipperdollingus* armis, quàm ore promptior, vterq. vrbis incola, ac nato ad rebellionem ingenio. Nec longè etiam Anabaptiſtæ Monaſterio ſeſe infuderunt. Ex his Harlemi piſtor *Io: Mathias* egregiè callidus, duodecim, imitatione Chriſti (cuius ipſe perſonam induerat) delegit Apoſtolos, eiſq. prouincias diſtribuit. Eorum *Ioanni Bocoldo* Sartori, Leidæ in Hollandia nato, Monaſterium ſortito obtigit. Is inſidioſa inſtructus facundia, vrbes ingreſſus Lutheraniſmo nutantem, breui (*Rothmanno* Duce, Anabaptiſmo initiauit, & fictis cum Deo colloquijs fidem conciliauit, vt tanquàm delapſus è Cœlo vates audiretur. Populum verò vt aliqua voluptatis illecebra deliniret, poſt celebrata ſuorum noctu conuenticula, ad promiſcuæ libidinis vſum prouocabat. Cæca plebs, quæ nouæ religionis auctorem nõ agnoſceret diabolum. Adultis poſtea viribus, vt Catholicos nõ timeret, armamentarium inuaſit, Magiſtratum eiecit, cœnobitas ſpoliauit; nouam Rempublicam tãquàm Hieroſolymam, Sionq. rediuiuam excitare profeſſus, Senatũ legit ex viginti quatuor partiarijs. Cõſularis dignitas *Cnipperdollingo*, & *Cippenbroco* defertur; ſumma tamen auctoritate *Mathiæ*, & *Bocoldo* reſeruata, vt aduerſus Epiſcopum *Franciſcũ* ex antiquiſſima Comitum de *Vvaldec* familia oriundũ, vires inſtruerent. Venerunt vndiq. Amſtelodamo præcipuè auxilia, ad nouæ electæque à Deo Hieroſolymæ inſtaurationem, & XXI. Martij, onerariç naues ſupra triginta ad Monicodamum, Batauorum oppidum confluxere. Alij de aliorum profectione prorſus ignari (niſi quòd ſingulis nauibus vnus explorator adeſſet deſtinatæ profectionis conſcius, qui apud cæteros inſigni diſſimulatione, atq. admiratione facti, omnium mẽtes ad diuinam Prouidentiam converteret. CCC. XXIX. Diligentia verò *Mariç* Belgij Principis, diſſipati, & diſiuncti, domum rediere. Hac ſpe fruſtrati Monaſterienſes, ex vicinis pagis trecẽtos homines cõduxere, quos iuncta ex ciuitate operarũ copioſa manu vrbi foſſis, aggeribus cõmuniendæ deſtinarunt; ſubminiſtrato publicis impenſis alimento, ea lege, vt primo die caro recens, altero indurata, tertio haleces in prandium cederent. Caſtra porrò *Ferdinãdi* cum lõgè haud eſſent, vt vrbem obſidione premeret; *Io: Mathias Vates*, militiæ præfectus, trecentorum capitum Dux nõnumquam in hoſtes furibundus exibat, felici ſemper belli ſucceſſu, prædarumq. onere lætus, donec fortuna ebrius, cum nõ ampliùs triginta audaciæ periculorumque aſſumeret ſocios, ferro interijt hoſtili. Eo ſublato, *Bocaldus* aſtu nihilo inferior, nouam vrbis tyrannidem meditabatur. Noctu itaq. nudus ſe è domo proijciens, magna voce Regem Sionis venire clamat. Triduo poſtea iacet elinguis, calamo indicẽs linguam ſuam vinctam à Deo teneri. Populum tandem publico edicto, tanquàm à ſuperis hauſto, enunciat ſingulorum fortunas in cõmunẽ Chriſtianorum vſum more veteri cõferendas, petita à diuinis vatibus diſpoſitionis forma. *Hæc dicit Dominus &c.* Non multo poſt in adulterio deprehenſus, vt odium effugeret, veterum polygamiam promulgauit. Repugnantes mulctauit, ipſe non dedignatus carnificum munus. *Bocaldus* demum à ſub-

Anabaptiſtarum Rex.

Sal. Ann. 1534. CCC. XXX. Bocaldus Sartor Rex eligitur. ſubornato vate *Ioanne* auri fabro in Regem Sionis poſtulatus, in cœmeterio D. Lamberti, gladium tanquàm à Deo oblatum, ſpetie recuſantis accepit. *Rothmannum* interpretem ſuum deſignauit, quatuor à conſilijs viros, lictores duodecim prò cuſtodia corporis, ſatellites viginti octo pro miniſterio, rubro cæruleoque Serico regiè excultos. Regina illi comes *Harmelica* cum tredecim concubinis eiuſdem cupiditati obnoxijs, domi, foriſque adhærebat. Equos in comitatu facile triginta Serico, auroque inſtratos ducebat. Regis eſſedum purpura auroque eminebat. Ipſe ter in hebdomada lites iudicabat, pretioſiſſimo vſque ad talos defluente paludamento accinctus. Circumdabat eum aureus torques, qui in effigie ſuſpenſi orbis enſem decuſſatim fixum cum hac inſcriptione præferret, vernaculo idiomate, *Rex Iuſtitiæ ſuper omnes*. Diadema in capite, ſceptrum manu geſtabat. Stipabant latus duo adoleſcentes, quorum alter cum triplici corona: alter cum exſerto gladio. Poſt dijudicatas lites ad ſaltum nonnumquàm ciues inuitabat; aliquando in area templi, conuocato populo cœnam miniſtrabat ex carnibus coctoque Zytho, quam denique fracto, diſtributoque pane per ſe, Reginaſque ſuas, claudebat, verbis illis, *Accipite, & manducate*, vt menſæ Dominicæ imaginem renouaret. Sub has epulas placuit diſcipulos in Orbem mittere, quorum vnus *Ghelius* dum Amſtelodamum coniunctis ſuis occupare nititur, capite ſeditionem luit. Interim à ſuperis libertatē expectantes Monaſterienſes, *Hillam* Friſici ſanguinis fœminam, velut nouam *Iuditham* emiſerunt, ea ſpe, vt Epiſcopi obſidentis vrbem, caput referret, inſtructa hunc in finem tenui ex lino ſubucula peſtilenti illita veneno, quo ſe donatum Epiſcopum morti tradituram credebat; ſed fraude per transfugam detecta, vltimo temeritatem abſoluit ſupplicio. Interea in Annum 1535. obſidione extracta, noctu in vrbem per muros immiſſo milite, magna Anabaptiſtarū cęde, vrbe potitus Epiſcopus, de auctoribus ſeditionis, præcipue pſeudo Rege, pęnas attrociſſimas ſumpſit in exēplū. Vidētur adhuc aurea numiſmata Regis imagine inſignita cū inſcriptione, *Rex Sion*. Sal. Ann. 1534. CCC. XXXI. Monaſterium captum.

CAROLI V. EXPEDITIO AFRICANA. Anno 1535.

CCC. XXXII Clemente Pontifice languore ſtomachi, vel violentia veneni ſublato, concordibus Cardinalium ſuffragijs *Alexander Farneſius*, nomine *Pauli III.* ſurrogatus erat. Id ferè temporis *Solymannus*, totius mundi ſibi promittens imperium, Perſicam ſuſceperat expeditionem, & *Hariadenum Barbaroßam* in Africam cum duarum, & nonaginta triremium, & aliquot biremium claſſe miſerat octies centennis nummum aureorum millibus in bellicos ſumptus numeratis. Barbaroſſa Iunetanum regnum occupat. Spem augebat Corone ab Hiſpanis deſerta, vnde Africæ ſubiugandæ conſilia meditatus *Hariadenus*, per Tyrrhenum mare, Italiæ, Hiſpaniæque oras allapſus, ingentem latè terrorem, ſtragemque Chriſtianorum dedit; inde verſis in Africam velis, Tunetanum Regem *Muleaßem*, qui ex *Mahomete* duorum & viginti filiorum patre, octodecim ferro germanis ſublatis, immitis regebat habenas, nil hoſtile metuentem, ac nauigationis ſpetie deluſum, facile oppreſſit, & breui totā Numidiā Ottomanico adiūxit imperio.

Profugus *Muleaſſes* ab auunculo *Dorace* gentis vicinæ regulo, non longè Conſtantina vrbe receptus eſt, vſque dum Cæſar accurreret. CCC. XXXIII. Carolus in Africā nauigat. Suſpecta *Carolo* cum eſſet *Hariadeni* potentia, quæ Italiæ, Hiſpaniæque grandi imminebat diſcrimine, *Muleaſſem* ſtatuit regno reponere, quòd gratitudinis cauſa ſe tributarium offerret. Conditis itaque in Hiſpania vltimæ voluntatis tabulis, regnique adminiſtratione penès vxorem prole grauem relicta, Barcelonam contendit. Vbi *Auria* cum viginti duabus triremibus, ac vna quadriremi, quæ Cæſarem erat vectura, conuenerat vnà cum Belgarum onerarijs, & Luſitanorum carauellis. Luſitanæ claſſi præerat Ioh. Regis *Emanuelis* filius. Cæſar audito Sacro, 30. Maij, vela ſoluit. *Vaſtius* iam antea cum Hiſpano, Italo, ac ac Germao milite in Siciliam peruenerant]. Vniuerſa claſſis Septingentarum nauium numerum excedebat. XIV. Iunij è portu ſoluit, hoſtibus ipſis ſpectantibus, vt ex promontorijs accenſi ignes aperiebāt. XVII.

Kal.

Sal. Ann. 1535. Kal. Iulias ad Vticæ portum, quem *Farinam* vocant, cum vniuerſa appulit claſſe: XVI. Kal. Guletæ ad duo millia paſſuum oppropinquauit, & fixis anchoris, militem imperauit deſcendere. Hiſpanos Itali, Italos Germani ſequuti è maioribus nauibus in ſcaphas deſcendentes, ſe in terram demiſerunt eo ordine, vt à barbaris litus obequitantibus lædi non poſſent. Triginta bellatorum millia in terram feruntur expoſita. *Carolus V. Guletam capit.* *Vaſtius* caſtra muniri iuſſit, ne Afrorum paterent inſidijs, vt prò ceteris deſcenſuris pugnarent. Deſcendit tandem cum equitibus Cæſar, inter Salinariam, & Aquariam turres fixo tentorio. Vtramque arcem expugnauit facile, in Guletana maior labor fuit, quæ lateritia, quadrata, & miræ magnitudinis in paludibus ſita, validiſſimo roborata præſidio, *Sina* Iudæo Duce, obſidionem ſuſtinere ſperabat. Quingentis dumtaxat paſſibus interiectis, Cæſar caſtra locauit; & obliquis foſſibus, vt commodiùs tegeret, militem ducebat ad arcem. Sæpius tamen coactus caſtra mutare ingruentibus ventibus, qui arenam attollebant in Cœlum, ob aquæ penuriam oppugnationem diſtulit vſquè ad pridiè Idus Iulias.

CCC. XXXIV. *Franciſci Regis amicitia cum Turcis.* Interea duo exploratoria Gallorum nauigia Tuneto Maſſiliam petentia Cæſar occupat, ex quibus tum *Foreſtij* legati *Franciſci* Gallorum Regis, coniuncta cum *Barbaroſſa*, in muniendis opportune contra vim vrbibus conſilia, tum hoſtis terreſtri potiùs quàm maritimo prælio fortunam belli experturi decreta intelligit. Terrebat tyrannum Cæſaris præſentia. Collegit tamen quantum per feſtinationem licuit, Afrorum, ac Numidarum centum ferè millium copias, quibus ipſe ſcelectas Ianizerorũ cohortes, totius militiæ robur addiderat, quibus velitationibus potiùs, quã apertis caſtris Cæſarem vincere ſperabat. Poſtquam enim Cæſarianorum caſtra aliquot expugnatis munitionibus Guletam, & propinquitate & armis premerent; ſemel Itali, iterumque Hiſpani ſuis deiecti propugnaculis; illi *Sarnenſem*, hi *Mendozam* poſt ſe Ducem, cum inſigni detrimento, reliquerãt. Præter vrbanas copias, proximis oliuetis ingentem hominum multitudinem *Hariadenus* condiderat, in quibus Numidæ, velox inſidioſumque militum genus, repentinis prælijs noſtros fatigabant. *Sal. Ann. 1535.*

CCC. XXXV. *Caroli bellica virtus.* Huc Cæſar ipſe profectus, cæſis facile ſexaginta Turcarum, cæteros loco ac tormentorum cuſtodia depulit, Mago Sacerdote fruſtra ante barbarorum caſtra, ſuperſtitioſo vlulatu, ſparſiſque in execrationem Chriſtianorum ſyngraphis, ſuos protegente; cum ipſe inter reliquos primus caderet, ac ſignatis cruore chartis imperatoris virtuti teſtimonium relinqueret. Venère poſtea tres legati à *Muleaſſe* litteras ad Cæſarem ferentes, ab ipſo quidem ſubſcriptas, ſed nullo modo inſcriptas, quòd id apud eos moris non eſſet. Triremes petebat, vt tutiùs ad eum accederet & rerũ Africanarum ſtatum tam liberali patrono exponeret. *Muleaſſes ad Cæſarem venit.* Cæſar duodecim triremes miſit, quibus è montibus vbi latitabat, cum ducentis Numidis equitibus III. Kal. Iul. ad caſtra Cæſariana traiecit; à quibus quum non multum abeſſet, id Cæſari per ſororis filium ſignificauit. Cæſar *Ferdinandum* Toletanum Albanum regulum, *Ferdinandum* Alerconem cum equitum turmis, peditumque cohortibus, qui illum exciperent, miſit. In conſpectum Cæſaris adductus (qui in medio prætorio, Regio ſedebat in ſolio) dextram deoſculatus eſt, & tapete ſubſtracto more gentis ſedens ita per interpretem gratiam debere ſe illi oſtendi, & beneficio reſponſurum pollicetur, ſi tributarium, vel clientem agnoſceret.

Reſpondit Cæſar, ſe non regnandi libidine, abundè enim ſibi regna ſufficere, ſed iniurias ſuis illatas vlciſcendi in Africam traieciſſe, quas regnis ſuis *Barbaroſſa* intuliſſet; ſimul vt piratas nullum diuinum numen, vel humanam legem agnoſcentes de medio tolleret. Victoriæ fructum, quam Deo auſpice ſperabat, libenter cum illo communicaturum, modò fidem ſeruet, & ſe non ingratum præbeat.

CCC. XXXVI. *Mores Muleaſſis.* Erat *Muleaſſes*, quum per otium licebat, philoſophiæ Auerroicæ in primis deditus, ſed natura ita ſeuus vt duodeuiginti fratribus iugulatis, Fratrum impuberes, & paternos amicos, quorum opera regnum occuparat trucidauerit; pari crudelitate ſæuiens in nouercas, & patris concubinas. Libidini ita

Sal. Anu. 1535. ita ſeruiebat vt raptis popularium ſuorum liberis præſertim maribus abuteretur, patri *Mahomethi* obiectans, quod mulieroſus Ducentas fœminas regijs in hortis ad libidinem aluiſſet, eique regnum inuidioſum relinquens fratrum necandorum neceſſitatem impoſuiſſet. Cum hoc teterrimo tyranno Cæſar poſtea conuenit, quòd *Roſcete* in *Solimanni* poteſtatem abſtracto nullus, qui regnum conſeruaret, e regia ſtirpe ſupereſſet, & Pęni regem ſuæ nationis exoptarent. Multum contulit Cæſarianis *Muleaſſes* Tuneti, quòd agri ſitum, naturam menium. *Hariadeni* militiam, dolos, artes cognoſceret. Sal. Ann. 1535.



CCC. XXXVII. Fœdus cum Muleaſſe. *Octauo Id. Auguſti Cæſarem Muleaſſes inuiſit, & fœdus inijt, ea lege, vt omnes Chriſtianos in regno Tunetano Muleaßes liberos dimitteret datto etiam viatico. Ne Muleaſſes, vel ſucceſſores Tuneti reges quemquam Cæſareæ ditionis, aut Ferdinandi fratris Rom. Hung. & Boh. Regis ſeruum haberet, vel teneret in vinculis: quod & Cæſar ſe facturum de Tunetanis repromiſit. Chriſtianis in Tunetano regno habitare, negotiari, templa, cœnobia, monaſteria habere, ædificare fas eſſet. Chriſtianos ad Mahometanam ſectam deficientes Muleaſſes non reciperet. Vrbes Tunetani regni ab Hariadeno poſſeſſas ſi quomodo Cæſar vindicaret, veluti ſuum patrimonium retineret, & ad poſteros tranſmitteret cum onere & honore ita liberè cedente Muleaße. Guleta quoque cum agro adiacente ad duo paſſuum millia quoquo verſus cederet, vnà cum Turri Aquaria: Mauris tamen vicinis & veteris Carthaginis incolis illuc aquatum ire fas eſſet. Guletæ præfectus vectigalia omnia Guletani agri perciperet, & à regijs totius regni vectigalium exactoribus ſex nummum aureorum millia VIII. Kal. Auguſt. anni 1536., totidem altera VIII. Kal. Feb. anni ſequentis triceſimi ſeptimi reciperet. Sin exactores Summam non perſoluerint, præfectus Guletæ eadem vectigalia regia recipiat, donec ſumma debita conficiatur. Comertia Coriali j in toto regno Tunetano ſibi Cæſar excepit. Guletæ Senatus, aut ſummus iudex (quem Cęſar ſuo nomine conſtituet de omnibus controuerſijs) & criminibus admiſſis inter Cæſarianos, ac regni incolas ſine prouocatione pronuntiabit: neque Muleaſſi vel ſucceſſoribus ſeſe opponere fas ſit. In perpetuam clientelæ memoriam Muleaſſes & ſucceſſores eius ſex perniciſſimos equos Mauros, quos barbaros vocant, ac duodecim Falcones Guletæ præfecto Kal. Aug. offerret. Si non ſatis faciat (prima multa quinquaginta) altera centum nummum aureorum millibus æſtimetur: tertia, totius regni amiſſione terminetur.*

Maturandum porrò exiſtimans Cæſar, menſe Iulio admota per Oceanum claſſe, eductiſque terra per frontes propugnaculorum Guletam Cæſar expugnat.

Sal. Ann. 1535. rum tormentis , ab aurora ad inclinantem iam prope diem tanta vi numeroque globorum concuſſa ſunt vrbis mœnia , vt inter terribilem tormentorum fragorem mare exæſtuare ſpumis ac fluctibus , terra ſub pedibus dehiſcere crederetur , dum vrbs muris propugnaculiſque nudata latiſſimis ruinis aditum panderet . Tum verò triginta virorum millia Cæſaris præſentia ac cohortatione animata , pleno ſeſe agmine per foſſas mœniaque in vrbem effundunt , quorum
CCC. XXXVIII virtutem barbari cùm diu ſuſtinere non poſſent , aut auerſis ſeſe Guletæ portis in fugam effundunt; aut ferro morteque præoccupati, ſtationem vitamque deſerunt . Sinas præſidiariæ militiæ Princeps ponte in oppoſitam continentem , indeque Tunetum abijt . Ingentem vrbis prædam nobilitarunt quadraginta bellici apparatus tormenta , & centum quinquaginta nauium claſſis à Barbaroſſa in ſinum Guletanum ſubducta , cetera militarium laborum præmia ſpoliaque fuere .

Poſt impoſitum vrbi ſexcentorum militum præſidium , Cæſar ſine cunctatione Tunetum paucorum dierum itinere contendit , inſtructa , atque ad hoſtem vbique excipiendum parata acie . Ipſe , nunc inter primos pedeſtris militiæ ordines cataphractus , ferreaque manum claua armatus, vehebatur ; nunc iuxta equitum phalanges , poſt Chriſti , ſibi in crucis ſigno prælati, imaginem , equo iberico ferebatur , omneſque cùm verborum , tùm vultus alacritate ad egregiam patiendi audendique virtutem obfirmabat . Peditatus Germanicus , inter ſclopetariorum Hiſpanicæ Italicæque militiæ ordines , cum tormentis atque impedimentis medium obtinebat campum , ante quos equites ſuas in turmas diſtributi incedebant . Haud procul Tuneto Barbaroſſa centum Afrorum Numidarumque millia , inter obuia Cæſarianis olieueta , diſpoſuerat . His , Turcici exercitus robora , decem millia peditum adiecerat . Quibus cùm parata occurrerent acie Chriſtianorum copiæ , ingens ex diſpoſitis circa tormentis pilarum in eos vis effuſa eſt , quæ terrore maiori , quàm damno in militem deſæuiret . Subſtiterunt imperterrita Chriſtianorum agmina , ac denique ſuadente Vaſtio, ac probante Cæſare ; ne exſpectato quidem tormentorum apparatu in hoſtem pedes manuſque concitant , qui cum haſtatas Germanorum cohortes horreret cominùs , vt qui inermis ad omnem ictum patebat , eminùs Sal. Ann. 1535.
verò terribili glandium procella per ſclopetarios obrueretur , effuſa retrò fuga , & tormentorum CCC. XXXV.
ordines , & relictos in acie Turcarum Ianizeros deſtituit , qui , pro veteri nominis dignitate, pugnaturi ſubſtitere ; ſed cum virtute numeroque impares hoſtili paſſim ferro occumberent , Barbaroſſam pudore metuque confuſum , ad ſuburbanos muros conſequuntur .

Is cùm ſe vrbi minimè crederet , inter ſpem timoremque anxius , ſtatuit , & vltionis capiendæ & ſubſidij à Cæſare auertendi cupiditate , ingentem captiuorum quam arci ex Chriſtianis incluſerat , multitudinem igne ſubiecto perdere . Quod extremum deſperatæ crudelitatis conſilium vix tandem Sinas Iudæus barbaro diſſuaſit , ſparſus tamen iam concepti facinoris rumor duos Chriſtiani ſanguinis inter Turcas libertos Medelinum Hiſpanum , & Catareum Dalmatam popularium miſeratione tactos ad conſilium opemque communicandam impulit . Serui poſtquam , inſtrumentis ad ſoluendos compedes ſubminiſtratis , in libertatem ſe vendicaſſent , eiectis arcis præſidibus , armamentario potiti , Barbaroſſam , aditum deinde vi fruſtra precibuſque tentantem , non ab arce tantùm , ſed ab vrbe ac regione tota profugum auertunt . Signa verò ex altiori loco Cæſarianis occupatæ arcis exhibent . Cæſar vbi CCC. XXXIX.
hoſtem in fugam ſeſe conijcere animaduerteret, vrbis mœnibus exercitum admouet , quæ vltro receptus , obſtare tamen , licet deprecante Muleaſſe , non potuit , quin auidiſſimo prædarum militi , nudoque ac laboribus exhauſto locupletiſſimæ ciuitatis ſpolia indulgeret . Vni Vaſtio triginta facilè aureorum nummum millia ex arcis ciſterna extracta obuenere , alijs quinquaginta ; alijs etiam centum ferè millia eiuſdem æris in prædam ceſſere . Seruorum viginti millia ſingulis à Cæſare veſtimentis donata , libertatem etiam nauatæ fideliter operæ pretium habuerunt . Arx omni tormentorum genere , armorumque inſtructa varietate ac copia erat , inter quæ gallicis etiam inſignibus conſpicua ſeruabantur , ex infelici ante annos trecentos S. Ludouici expeditione , eiuſdemque vrbis obſidione apud barbaros relicta .

Interim Hipponem celebrem D. Auguſtini domicilio vrbem , hincque Algerium ſe Barbaroſſa receperat , quem Cæſar inſequutus

quutus

Sal. Anu. 1536. quutus eſſet, ni inclementia Cœli expugnata militum valetudo, noxiũ alui profluuium per exercitum vulgaſſet. Ne igitur Superis obluctari videretur, partamque gloriam mora fortè inutili, ſuorumque corrumperet interitu, Guletæ *Bernardino de Mendoza* cum mille Hiſpanorum præſidio, ac decem triremibus, ſub *Antonij* Auriæ imperio, relicto, Drepanum in Siciliam ſoluit, vbi militibus perſoluto ſtipendio, diſcedendi facultatem dedit, retentis tantùm veteranæ militiæ Hiſpanis, & duo Germanorum millibus. Huius expeditionis ſuſpice caſtrenſes nummos *Caroli, Cæſaris, Auguſti, Africani,* & *Vaſtij*, atque *Hariadeni*.

CCC. XL. *Franciſci Sfortiæ mors.* Vix Siciliam ex Africa victor attigerat *Carolus*, cum *Franciſcum Sfortiam* principatu, ac vita intelligit abijſſe. Noua erat ambitionis, bellique materia, vacans capite Inſubria. *Franciſcus* Rex Galliæ antiquo hæreditatis iure, retrò à *Valentina* comite, ducto, tum *Maximiliani* Cæſaris indulto, tabuliſque Regis conceſſis, fretus, Ciſalpinæ Galliæ poſſeſſionem armis ſibi poſtliminio adeundam cenſebat. Religio porrò obſtabat, ne pacem cum Cæſare initam abſque manifeſta iniuria violaret. Arte igitur vtendum ratus, à *Carolo Sabaudo* Nicæam, ære, quo olim oppignorata ſteterat, redimendam extorquere ſtatuit; vt ſtricto per alienũ latus in Cæſarem ferro, viã Mediolano occupando idoneam ſterneret. Erat Sabaudus *Franciſco* auunculus vir æquus, neque grauatè ceſſurus vrbem, ſed Luſitana vxor ſoror Imperatricis, illum ad Cæſaris fauorem inflexerat;

CCC. XLI. *Franciſci Regis aſtus ad occupandum Mediolanum.* & ad Cæſarem miſſis nuncijs, quicquid vltra Alpes Galliam verſus poſſidebat, à Nicæa ad Heluetiorum fines, vbi Gebennam tanquàm ſibi obnoxiam comprehendebat, cum aliquot ditionibus Italicis permutare offerens. Quod ſi ad exitum perductum fuiſſet, haud dubium quin Cæſar totam ferè Galliam ditionibus ſuis vndique circumſediſſet. Huius legationis certior factus *Franciſcus*, Allobrogo alioqui infenſus, quòd *pretioſam gemmarum, aurique ſuppellectilem* Carolo Borbonio *Germanos arceſſenti mutuo dediſſet, quæ Ticinenſis victoriæ cauſa fuit: quòd litteras gratulatorias ad Cæſarẽ de capto Rege Sororis filio ſcripſiſſet; quòd Heluetios à Gallica ſocietate diuellere conatus eſſet; quòd à Cæſare Aſtenſem comitatum, antiquum Regum Aurelianenſium patrimonium vxori ſuæ condonatum nuper accepiſſet; quod Nicæam Clementis Pontificis, Regiſque colloquio deſtinatam vtrique credere recuſaſſet; quòd Regi ipſi Meruellij legati ſui mortem vlturo, Sfortiæque Mediolanenſi regulo bellum illaturo, liberum per ſuas ditiones tranſitum auunculus denegaſſet, matris patrimonium repetere conſtituit.* Cæterum ob recentia, quæ Vellio ſuo apud Cæſarem legato mandata dederat, diſtulit. Plurima inter legatos agitata ſunt pacis conſilia, ſed in ſpetiem potiùs concordiæ conficta cum eſſent, ex improuiſo Galli Allobrogum aggreſſi Duce *Philippo Sciabotto*, trãſalpinis facile Allobrogum oppidis eiecerunt, qui deinde ſuperatis alpibus, Taurino, Foſſano, Penarolo, Gherioque

expugnato Vercellis imminebant; niſi *Antonius Leua* currentem victoriarum impetum, extractis Mediolano copijs, nonnihil retardaſſet. Sed & *Ioannis Lotharingiæ* Cardinalis abs Rege pacis cauſa ad Cæſarem Romam deſtinati auctoritas, *Philippi* ſucceſſibus obfuit; cum moneret, citram Duriam amnem tantiſper quieſceret, ne ab interrito Cæſare pacem magis extorquere, quàm rogare videretur. Ceſſit tanto viro *Philippus*, ſed ea militum indignatione, vt conculcatis, fractiſque paſſim armis, probroſa deteſtatione *Philippum* execrarentur, quòd certas victorias, incerta ſpe pacis corrũperet. Quieuit autem ſed magno ſuæ vitæ diſcrimine, nam fruſtrato pacis conſilio, cum Cæſar arma Galliæ viſceribus inferret, proditionis ſuſpectus Dux, honorem, bona amiſit; vitam ſeruauit vxoris cum Rege affinitas.

Sal. Ann. 1536. Allobrogo Duci infeſtus.

CCC. XLII. Philippi Sciabotti victoria in Sabaudos.

CAESARIS IN GALLOS EXPEDITIO.

ERat Neapoli Cæſar, vbi *Margaritæ* filiæ nothę cum *Alexandro Mediceo* nuptias celebrauit, principatu Florentino ſponſo cõfirmato: reclamãtibus tamen Florentinis patritijs, qui exules erant, & ingentem pecuniã offerentibus prò libertate, *Alexandrum* ſpurium, atque ex humili ancilla natum vociferantibus. *Hippolytum Mediceum* Cardinalem

Sal. Ann. 1536. CCC. XLIII. lem fratrem patruelem, eiuſdem principatus ęmulum ſuſtuliſſe veneno *Alexander* ferebatur. Fœdus cum Venetis percuſſit Cæſar iiſdem conditionibus, quibus antea *Sfortiæ* tenebatur. Venetos vt magis falleret, ſe eundem principatum nouo regulo conceſſurum vulgabat. Plurimi è Venetis patricijs propter Africanam victoriam, diuque propitiam ſortem Cæſari fauebant: *Franciſcum* verò in ſcorta, venationeſque prodigum, bellorum initio acrem, ſed in proſequendis deſidem, nec fortiſſimis ducibus, ſed gratioſis aulicis militum mandantem imperia contemnebant. *Vrbinas* Venetarum copiarũ Dux vernacula eloquentia potens, Cæſaris cauſam promouebat. Hoc fœdere confirmatus *Carolus* longè ardentiùs in Gallicum bellum incubuit, magnoſque equitum, ac peditum delectus in Germania colligi iuſſit. Cum Heluetijs egit, ne vetus cum *Sabaudo* fœdus violarent, memores fœdus Gallicum poſterius eſſe, ſpectatores belli eſſe mallent. *Mariam* ſororem Flandriæ Principem, vt quantam poſſet colligeret pecuniam, validumque ex Flãdris, Germaniſque peditatum, ex Sequanis equitatũ conſcriberet, monuit. Magnam ex honorarijs Siculorum, Neapolitanorum pecuniam congeſſerat; maiorem ex Hiſpania expectabat, præter eam, quam populi ſponte conferebant, ſed & quam ex Orientalibus Indiæ regionibus publicani conflabant, cuius quintam partem Cæſar auferebat. Portionem ſuam Mediolanenſis Principatus vrbibus imperauit; nec exiguam *Alexander* Mediceus nuper veluti adepti principatus pretium, Senenſes item, ac Lucenſes contribuere pollicebantur.

Cæſaris fœdus cũ Venetis.

Cæſaris in Galliã apparatus

Romæ interim legati de pace agebant, *Paulo III.* Pontif. M. ſequeſtre. *Gramuellanus* nomine Cæſaris ad tria reuocabat capita, quibus *Franciſcus* reſpondere teneretur. Primum *erat de bello Turcis inferendo, ea conditione, vt onera & fructus eſſent communes*. Secundum *de religione Chriſtiana per Europam, in primis Angliam aut collapſa, aut ad ruinam ſpectante, ab interitu, vtriuſque viribus reuocanda, ea conditione quæ Anglo Regi impar non eſſet*. Tertium *Italiæ tranquilitatẽ ſpectabat, quam aſſequi impoſſibile aſſerebat, niſi Rex* Sabaudo *parceret, Genua abiret, Mediolanum*

Pacis conſilia.

Engoliſmenſi præ Aureliano *Duce concederet*. Neque enim de Italia tantum æmulo concedendum putabat *Carolus*, vt ianua eſſet ad reliqua occupanda. *Velleius* ex aduerſo *Franciſci* legatus in duorum capitum poſtulatis Regem Imperatori acceſſurum promittebat: vnum poſcere, *ne* Aurelianũ *filium Mediolano excludat. Id ſi admittat, viciſſim iure ſuo, quod in regnum Neapolitanum poſſideat vltro ceſſurum, additurum etiam Cæſari nummum aureorum millia* 400. *effecturumque vt per Germaniam Principes* Ferdinandum *fratrem in Regem Romanorum agnoſcerent. Cum* Sabaudo, *ni aliena hæreditate abeat, armis diſceptaturum.* Sal. Ann. 1536.

Sub hæc Idib. Aprilis *Carolus* triumphali apparatu omniumque ordinum gratulatione Romam ingreſſus, ad Baſilicam D. Petri à Pontifice mitrato excipitur, ac deinde poſt vota Apoſtolorum perſoluta Principi, eam partem Vaticanæ Domus ſubijt, quæ auro, ac marmore illuſtris, olim ab *Alexandro VI.* Pontif. *Carolo* Galliæ Regi, hoſpitali munificentia inſtructa fuerat. Cui vt latior via ſterneretur, multa ædificia, atque interea *Pacis Ædes* propter antiquam ſtructuram huc vſque conſeruata, diruta fuit (diſcordiæ omen inter Cæſarem & Regem proximè futuræ.) Poſtridiè Cæſar cum Pontifice ſex horas priuatim de ſuis, & communibus negotijs communicauit. Paſchalibus deinde feſtis pietatem impendio coluit, abiectus ſolemni Dominicæ Cœnæ die, ad pauperum 12. extergendos pedes, quos non minùs ſua humanitate, quàm liberalitate recreauit, argentea ſuppellectili, ex qua eis cibum miniſtrarat, in eoſdem diuiſa.

CCC. XLIV. *Cæſar Romam petit.*

Pacis domus diruta.

Matiſconenſis inde Pontifex, ac *Vellius* regij legati *Paulum* accedentes, expoſuerunt *pacem in Sicilia, & Neapoli agitatam, conſultò à Rege huc vſque dilatam, vt illo auctore confirmetur: præcari vt in tam pium opus ad totius Mundi ſalutem, ſedulò incumbat.* Reſpondit Paulus *ſe craſtino die celebraturum conuentum, in quo omnia pertractanda: ſe neutrum præſtare velle, atque adeo communem omnium Chriſtianorum parentem:* Interim *Eſpercius* à Rege miſſus, Romam venit: *Vellius* Cæſari mandata Regis expoſuit, *& quod*

Sal. Ann. 1536.

Neapoli promiſerat Mediolanenſem principatum Aureliano *Principi, dare obſecrauit. Regem nihil immutaſſe: legatum nuper Venetias miſſum reuocaſſe:* Chaboto *Amyralio, ne quas Cæſaris ditiones inuaderet, mandaſſe; dumtaxat maternam hæreditatem ab* Allobrogo *auunculo armis repeteret, quam legationibus non potuiſſet. At Cæſarem nouum fœdus cum Venetis feciſſe: Mediolanenſem principatum ab* Aureliano *ad Engolliſmenſem velle transferre: Regis Luſitani fratri eundem principatum obtuliſſe.*

CCC. XLV. Non negauit Cæſar *Aureliano* principatum obtuliſſe, oblatum tamen Regem non recepiſſe: ad hæc ea conditione obtuliſſe, vt tuto dari poſſit, huiuſce autem rei nullos prædes dari poſſe: cum Venetis antiquũ fœdus renouatum eſſe, nec vltra. *Vellius* ſubiunxit *Regem VI. Id. Mar. Mediol. recepiſſe principatum, & hoc ſcriptis litteris: porrò Cæſarē ſe nullas niſi rationi cōſentaneas conditiones poſtulaturum declaraſſe: ſi rationi conſentaneæ erunt, quomodò impleri non poterunt?* Irritatus Cæſar, *Vellij* ſermonē interrumpens, *an mandatũ à Rege haberet; vt cũ ipſo trãſigeret?* interrogauit. Quum nondum habere, ſed Cardinalem Lotharingum cum mandato breui affuturũ dixiſſet: tum Cæſar, *Igitur nō me tibi, ſed te mihi verba dare manifeſtum eſt:* nec ampliùs hominem loqui permiſit. Sexto Idus quùm Matiſconenſis *Vellio* comitatus Cæſarem mane ad Cardinalium conuentum proficiſcentem ſalutaſſet, Cæſar illum prudenter officio ſuo ſatisfacere à Pontifice intellexiſſe dixit; quapropter hominem lubenter amplecti, & ad *Vellium* conuerſus: *Quid à Rege nuper accepiſti?* reſpondit Vellius, *nihil propter temporis breuitatem; cæterum Regem tantam varietatem admiraturum non dubito.* Tum Cæſar, *neque Regem damnare, neque me nimis collaudare velim: ſed vt mecum in hoc celeberrimo conuentu adſitis, peruelim.* Ita in aulam deſtinatam ingreſſi ſunt. Vbi *Paulo* Pontifice, Cardinalibus, Legatis, ac vtriuſque aulæ primatibus congregatis, ſtans Cæſar aperto capite in *Franciſcum* Regem vehementer inuecturus, ita fertur loquutus.

Iraſcitur Carolus Vellio legato Gallorum.

CCC. XLVI. *Duabus de cauſis Romam veni. Prima, vt Summum Chriſti legatum adorarem, & prò generali conuocando concilio ſupplicarem. Altera cauſa Chriſtianæ religionis propagandæ, cum Gallo amicitia coirem, qui & in barbaros deprimendos, & in hæreticos conciliandos plurimùm conducere poteſt. At Regem ab hoc ſancto inſtituto tam alienum offendi, vt ne culpæ particeps credar, totius vitæ meæ rationem reddere cogar in hoc celeberrimo conuentu.*

Sal. Ann. 1536. Belcarius lib.21. Cæſaris Oratio in Regē Frãciſcum.

Ludouicus *XII. Galliarum Rex* Claudiam *filiam,* Maximiliano *Imper. aſſentiente, mihi deſponderat; qui poſtea mutata ſententia* Franciſco *nunc Galliarum Regi collocauit; qua iniuria prouocatus* Maximilianus *bellum intulit* Ludouico, *eundemque Mediolanenſi expulit Ducatu. Ego verò XV. ætatis annum agens, propinquitatis, quæ mihi cũ Galliæ regibus propter* Mariam Caroli *Burgundi filiam auiam intercedit, memor, miſſa legatione, anno huius ſæculi XV. cuius princeps Comes* Naſſauus *fuit,* Renatam Claudiæ *ſororem in matrimoniũ poſtulaui, Aſcenſus eſt* Franciſcus. *Sequuta deinde eſt Melegnanenſis pugna aduersùs Heluetios, qua victor* Franciſcus *principatum recepit Mediolanenſem; non ſine meo gaudio; nam opem ferre* Sfortiæ Maximiliano *iubente, recuſaui. Pactum tamen cum* Renata *matrimonium retractauit* Franciſcus, *vt* Ludouicam *maiorem natu, aut ſi ea interim decederet,* Carolam *alteram filiam ducerem. Non multo poſt* Ferdinandus *auus meus maternus deceſcit Rex Hiſpaniarum, vnde neceſſitate coactus, vt tutò in Hiſpaniã nauigare poſſem, nouo fędere cum* Franciſco *tranſegi, vt ex regni Neapolitani vectigalibus centum nummum aureorum millia quotannis illi in annuam penſionem dependerem. Mortuo poſtea* Maximiliano *Imperatore, vterque prò Imperiali corona vota prenſauimus: æmulum æquo animo paſſus, credebam hunc ambitum verè eſſe, vt ipſe profitebatur* Franciſcus, *ac ſi duo riuales antea amici eandem puellam ambiant; cuius matrimonio ſi alter potiatur; alterum idcircò amico inuidere non debere. Verùm in odium verſa æmulatione* Franciſcus *nunquam deſtitit, quin omni iniuria me afficeret, quaſi imperium vſurpauerim, ad quod auorum merita, ſanguis prò Chriſti fide toties effuſus euocabant: Nec ſine maiorum iniuria à tali ambitu ceſſare minimè potuiſſem. Noua tamen fœdera, etiam adeptus imperium cum eo inij, vt* Renatam *ducerem, ipſe verò huius matrimonij prædes*

Sal. Ann. 1534. *des daret: quos non tantum dare recuſauit, ſed per Legatum multa in Germania, molitus, animum oſtendit à pace alienum. Non longè ad regnum Neapolitanum aſpirans, maiorum imitatus exempla,* Robertum *Marchianum, Geldubenſemque regulum incitauit ad arma. Prætereo Allebretum, vt Nauarrum repeteret, ab eo impulſum, quamuis ego iuxta Nouiodunenſe fœdus ex æquo & bono compenſare promptus eſſem. Hinc bellum inter nos exortum, quod ad Ticinenſem pugnam vſque durauit. Huius diſcordiæ fructus fuit Hiſpanorum ſeditio, Lutheraniſmi inuentio. Quorum vna ſpes in Gallo erat. Obſtitit Cœlum, & Ticinenſi pugna mihi captiuum obtulit, cui inuito homine, & forſam Deo, Madriciano fœdere libertatem donaui, vt acrius turbaret pacem. Ita fuit & iuxta aulicorum vaticinium, fœdifragus, ac periurus; immemor quòd dictum fœdus eius conſiliarij adhoc delecti concepiſſent, imò ipſe cum ad Chriſti Crufixi ſtatuam ſubſtitiſſet, adhibito iureiurando, pacta ſeruaturum promiſiſſe. Te inuoco Deum, te iudicem, te teſtem adhibeo, vt veritatis aſſertor, te eiuſdem vindicem præbeas. Libertati reſtitutus, promiſſum in ſua poteſtate non eſſe cauſatus, Liberos, quos prædes obtulerat, repetijt; perinde ac ſi malis artibus intercepiſſem. Me recuſante, bellum inſtaurauit; & vt ante Ticinenſem pugnam* Ioannem *Stuardum Albaniæ regulum cum exercitu in regnum Neapolitanum miſerat, ita & Lautrecium, qui prope amiſſis copijs vitam edidit. Miſit & Paulinum Comitem in Ciſalpinam Galliam, ſed & is ſuperioribus Ducibus haud felicior captus eſt.*

His cladibus fractus Franciſcus *ad pacem inclinare ſimulauit, donec vires colligeret; nam non diù ſeruauit.* Solymanni *cum increbeſceret rumor Germaniam inuadentis,* Franciſcus *Chriſti cauſam deſeruit, ſpetie quòd ad Sacrum bellum non fuiſſet inuitatus; ſed vt mihi ſoli viam ad Monarchiam ſternerem, cæteros Chriſtianos principes dedignatus, ſolus expeditionem ſuſceperim. Tantam calumniam cognoſcat celeberrimus iſte conuentus. Quem latet? me miſiſſe Balanſonem ad Regem, vt aduerſus* Solymannum *opem ferret; Ipſum verò reſpondiſſe, ſe cum quinquaginta peditum, tribus aut quatuor equitum millibus tranſiturum in Italiam; quò vires ſuas* Solymannus *conuerſurus ferretur, cuius excuſationis falſitas, indicium erat perfidi animi, à quò timendum potiùs eſſet, quàm ſperandum. Si ad Monarchiam aſpirarem ſolus, Regem modò Mediolanenſi haud donarem Ducatu. Ego, vel ipſe turbauerim pacem, & aliena inuaſerim, dicat Haſſiæ Lantgrauius Gallica concitatus pecunia vt Vittembergenſem inuaderet Ducatum, eo tempore, quo iuramenti religione adſtrictus* Franciſcus *nil in Germania iure moliri poterat. Spirat adhuc Italica Machinatio, quam per Tintauillam ſuſcitare tentauit; priuſquàm Africanam ſuſciperem expeditionem. Ad quid bellici illi apparatus à* Franciſco *collecti, quum in Africam vela dedi, quàm vt metu anxium me retineret, aggrederetur, opprimeret, nec aliud expectaret, quàm periculis expoſitum, aduerſa fortuna agitatum, pecunia exhauſtum, & ad bellum imparatum offenderet. Bello ceſſit, quia timuit, non quia voluit. Iuſtæ itaque pendite Patres indignationis cauſas, quas præterire periculum religionis expoſtulat: vndè iratus, & placatus poſt* Franciſci Sfortiæ *obitum, petenti Regi Mediolanenſem principatum ſibi condonari, quamuis Imperij Germanici fundus ſit, non negaui, dummodò mentem ſuam in conſtituenda Chriſtiana Rep., in conuocando Concilio, in hæreticis reducendis ad veritatis ſemitam, poſtremò quibus viribus aduerſus* Solymannum *mihi foret auxilio. Mutatio donatarij in Mediolanenſi principatu, me nouitatis non arguit.* Heleonora *namque ſoror litteris ad me datis ſcribit; Regem* Aureliano *maxime hunc ambire principatum: cæterum ſi id obtineri non poſſet, & Engolimenſi condonaretur, gratum Regem accepturum. Quid tandem de mente Regis mihi polliceri valeo, ſi dum pacem per legatos petit, arma gerit in clientem Imperij, Allobrogem regulum, & maiori ditionum ſuarum parte exuit? Superi, tamen, Inferique mihi adeſte, quanto pacis flagrem, inſpicite, deſiderio; ab omni ambitionis ſuſpicione me alienum probare ſic enitar, tria Gallo offerendo.* Primum *vni ex regijs liberis Mediolanenſem offero principatum, excepto* Aureliano, *modo Rex priùs quibus viribus in celebrando concilio, in reprimendis veteris doctri-* Sal. Ann. 1534.

Sal. Ann. 1536. *næ deſertoribus, in bello aduerſus Turcas continuando fore ſpondeat, palam declaret. Ad remouendas ſimultates omnes, opus eſſe, vt Rex ab Allobrogis ditionibus copias reuocet; alioqui nullam pacis conditionẽ admittam. Nec ignoro quod eorundem me ſcelerum* Franciſcus *arguet, quorum illum reum facio? nec equidem his me abſoluam, & prorſus eximam. Verum ſi dubio iure, ſi ambitione mutua, ſi innocentium ruinis, ſi religionis exitio concurrimus, quin vnius, alteriusvè hominis clade controuerſiam finimus? & hoc eſt* ſecundum *quod illi exhibeo. Si arma pacis conſilijs præfert; arma induat, in arenam deſcendat, vt alterius morte lis ſimul, iuſque illud, quo bella intentamus, emoriatur. Aequum enim eorum potiſſimùm ſanguine finiri, quorum indignatione tam cruenta eſt concitata tragedia.* CCC. XLVII. *Ad duellum Cæſar Franciſcũ prouocat.* *Facilè de armorum genere conueniemus, nullum namque recuſabo. Locus ſit vel inſula, vel pons flumini impoſitus, vel in nauigio ad congreſſum extruatur. Duelli ſit hæc conditio, vt victor Summo Pontifici vires ſuas omnes permittat, quibus concilium celebretur; noſtræ religionis deſertores in priſtinum reducantur, vel puniantur: Bellum Turcis inferatur, victori victus ſuas addere, ac permittere teneatur.* Tertium *quod offero bellum eſt, pluſquam cruentum, in quo non priùs arma ponam, quàm ego, vel ille ſuorum omnium egentiſſimus relinquatur. Eligat ipſe, Tu verò Beatiſſime Pater rationes hinc inde collige, & vter Rex, an ego iuſtius ſuccenſendam, pende. Quod ſi à Rege ius eſt, vos illi auxilio futuros non recuſo. Sin à me, Deum Optimum Max., vniuerſum hunc celeberrimum cętum, totumque Orbem inuoco Chriſtianum.*

Erat hæc oratio Cęſaris magno animi ſenſu vehementer inflammata, nec mediocri CCC. XLVIII. bile perfuſa, quam concierat ſugillata abs *Velleio* Cæſaris fides; Quare nec eundem cum *Maconio* eiuſdem Regis legato reſponſum meditantem admiſit. Pontifex verò Legatis, *Caroloque* ſe medium objiciens, amplexu, verbiſque humaniſſimis Cæſarem *Pontifex ſe medium obycit.* excepit, *Abſit* (inquiens.) *tanto maximorum virorum periculo, tamque funeſtis cladibus pacem quæri. Amplector ſane egregiam illam voluntatem, religionem reparandi collapſam; non verò calorem tuum fortiſſime Cæſar, quo te, aut* Franciſcum, *aut vtrumque, huic laborioſo ſæculo neceſſarium, dubio obijcis diſcrimini.* *Sal. Ann. 1536.* *Quamobrem non bellum, minimè duellum eligendum cenſeo, duabus enim firmiſſimis Reipublicæ Chriſtianæ columnis proſtratis, totam molem ſimul collabi neceſſe eſſet: meliorem itaque mentem induite, & pietati potiùs, quàm iracundiæ locum date. Quod ad me attinet, prò Sacro munere, quo fungor, me communem parentem exhibeam, in neutram partem inclinabo, vt citra omnem ſuſpicionem vobis reconciliandis operam nauare poſſim.* Nil tamen à præſente *Carolo* obtinere potuit; qui iam totus belli meditatione occupatus, poſtridie in Etruriam via Caſſia properauit. Senis, Florentiæ ab *Alexandro Mediceo* genero, ſpetie triumphantis exceptus. Aſtam contendens, Foſſanum ab *Antonio Leua* recipit expugnatum. CCC. XLIX. *Foſſanum expugnat Leua.* Is Cæſari, vt Italia relicta, in Galliam copias duceret, auctor fuit, *Vaſtio* reclamante, qui publicata etiam ſcriptis ſententia, Gallos & multitudine copiarum & Foſſani expugnatione perculſos, Taurino haud difficulter eijci poſſe cenſebat. Cæſar verò ſpe Galliam occupandi illectus, gemino exercitu *Franciſcum* aggreditur. Maſſiliani proditores nonnulli, qui eò *Carolum* euocabant. Ex Heluetijs mercenaria Gallorum ſubſidia Cæſaris artificio alienata, videbantur annuere fata coire cum *Carolo*; vnde ingentibus copijs, terra, marique, illinc per Alpes hinc à Sauonæ portu, Auriana claſſe Gallia petebatur. Pontifex periculi *Franciſcum* admonuerat, vt pacis leges accipere mallet Cęſaris arbitrio exaratas, quàm belli aleæ regnum committere. *Franciſcus* *Franciſcus obuiat Carolo.* verò non minùs animo, quàm viribus potens, Gallorum confiſus robore, quos non ad aliena occupanda, ſed ad lares protegendos, ſuo non alieno in ſolo excitabat, repentè totam nobilitatem ad arma vocat, caſtriſque ad Aumeonem coactis, diſtributiſque opportunè per loca hoſtibus adeunda præſidijs, ruẽtem moratus eſt *Carolum*. Eodẽ tempore Regijs legatis nõ fruſtra agẽtibus apud Italos, & Heluetios de ſubſidiario milite, *Caninius Gõzaga, Cæſar Fregoſius, Petrus Strozza Florentinus*, exul, & *Pallauicinus*, Inſubrũ facile princeps, ſub *Guidone Ringono* Duce, octo millium numero Apenninum tranſuecti

Sal. Ann. 1536. cti ſunt, ſpe Genuæ potiundæ. Heluetiorum etiam ingens numerus, ſpreta ſuorum Magiſtratuum auctoritate, Gallicis illecti pecunijs, de pagis ad viginti affluxere millia: nefas iudicantes vicinum Regem, veteri ſocium fœdere, tot in Heluetios celebrem premijs, in tanto deſerere diſcrimine.

CCCL. *Legatio Caroli ad Italos.*

Calcemitum huius conſilij, audaciæque ferunt auctorem. *Carolus* tum metu, vel prouidentia ſollicitus, *Aſcanium Columnam* ad Pontificem, cæteroſque Italiæ Principes legauit, vt bello prò communi ſalute ſuſcepto opem ferrent. *Franciſcum* etiam apud Pontificem initi cum Turca fœderis *Carolus* accuſauit; vnde *Solymannum præ Siciliæ, atque totius Italiæ foribus, inſtructiſſima claſſe affuturum, non vlterius diſſimulandum videri, arma proinde libertatis publicæ tuendæ gratia in Chriſtianæ quietis turbatorem Regem ſecum capeſſeret; ne Turcæ, mutuis contentionibus diuiſa Europa in prædam offeratur*. Obtulit etiam Mediolanenſem Principatum ad eius voluntatem Pontificijs Nepotibus ceſſurum. Ferè eadem *Aſcanius* Genuenſibus, Lucenſibus, Florentinis, ac Senenſibus expoſuit. Pontifex verò, laudato Cæſaris animo, quo Italiæ tranquillitati conſultum vellet, negauit ad arma deſcendere, ne *Solymanni* cauſam ageret, cui iucundius ſpectaculum nullum eſſe poſſet, quàm maximorum Chriſtianorum Principum diſſidia. Principatum ſuæ oblatum familię modeſtè recuſauit; publicam famam, atque ſalutem præferens, inquit: *Virtuti atque iuſtitiæ nunquàm defutura præmia*. Curauit inſuper Generale Orbis concilium in ſequentem annum Mantuæ conuocare; vt fidei, bellique controuerſias per Europam communibus ſuffragijs componeret.

Concilium Mantuæ.

Iam ad Aquas Sextias Cæſar caſtra promouerat, quum *Pauli* accepit reſponſum, nonnullis inter Alpium anguſtias amiſſis militibus ſub ruſticano gladio.

Cæſaris periculum

Cum in Alpium exitu turriculam quandam tranſire cogeretur; quinquaginta ſe in eam montani coniecerant, vt prætereuntem ſclopetis occiderent. Fortè verò Cæſarianus quidam ſplendidam inductus chlamydem, magno ſubſequente comitatu præceſſit, inter quos (Cæſarem eſſe exiſtimantes) ſclopetos exonerarunt, & occiderunt. Nec longè inde in *Sal. Ann. 1536.* extremum collem Syluis vndique conſitum plerique alij montani cum vxoribus, & liberis ſe condiderant, cuius aſcenſus cum perdificilis eſſet, ignem, aflante vento, admoueri Cæſar iuſſit, vnde miſeri illi conflagrarunt: ſi qui elabi conabantur, à Cæſarianis montem obſidentibus cædebantur; vt & Cæſariani non minùs crudeliter ab exacerbatis trucidabantur montanis. Sub Aquis Sextijs, in duobus collibus non procul inter ſe diſtantibus, Cæſar caſtra locarat, vrbem à tergo relinquens, cuius muros Laris fluuius alluens per media caſtra ſubiectam planitiem deſpectantia deuoluebatur. Fame laborabat exercitus, quamquàm frumentum abundè ſuppeteret, quia procul à Tholone portu abeſſet, & frumentariæ moles à Gallis vbique perruptæ eſſent; vndè vix in principum conuiuijs panis apponebatur, cuius penuria milites paſſim autumnalibus fructibus veſcentes (nam Galli regionem vaſtantes, vites, arboreſque fructiferas intactas reliquerant) & ſeſe Germani racemis ingurgitantes, ventris profluuio ſtatim laborarunt; quo morbo quarta legionum pars vel perijt, vel bello inutilis facta eſt.

CCCLI. *Miles Cæſarianus fame, morbo atteritur.*

His periculis Cæſar oppreſſus, ſuamque fortunam in Vadum inſpiciens in pactam, an caſtra Auenonienſia adoriretur, an Maſſiliam circumſederet? in conſultatione poſuit. Redire nulla tentata re, indignum ſua fortuna, & priſtinis cenſebat victorijs. Rariùs apud ipſum vehementiſſimis articulorum doloribus, & ſera ſententiæ ſuæ pœnitentia excruciatus *Antonius Leua* comparebat: cæteri Duces, quòd ipſis inuitis, expeditionem hanc Cæſar ſuſcepiſſet, muſſitabant, ſi priorem deliberationem initio ſequutus fuiſſet, & recta Auenionem contendiſſet, Regio exercitu nondùm coacto, eam forſan tota potitus eſſet regione. Maſſiliam itaque ſed ſerò circumſedere ſtatuēs, XVIII. Kal. Septemb. tria Hiſpanorum, quatuor Italorum, Germanorum quinque millia delegit, quæ noctu ſecunda vigilia è caſtris proficiſci, & quò conſtituerat, ire iuſſit, ſolis præfectis maioribus certioratis: ipſe paulò ante lucem cum *Albano* regulo, *Ferdinando Gonzaga*, *Vaſtio*, *Horneo* comite, cum equi-

equi-

Sal. Ann. 1536. equitum flore ſubſequutus, ac poſt ſolis ortũ intra tormentariarum pilarum iactum propius vrbem acceſſit; vbi ad ruſticæ domus ruinas ſubſtitit *Vaſtium* vltra progredi cum ſcelectis ſclopetarijs imperauit, quò tormenta collocare decreuerat. Sed à Maſſilienſibus conſpectus, vnà cum Cæſare retroceſſit, quòd in illas ruinas, ponè quas Cæſar deliteſcebat, tormenta dirigentes Maſſilienſes; plurimos è Cæſarianis ſuſtulerant. In propinquam itaque vallem rupe tectam ſecedens *Carolus*, ad fontem ibi è rupe ſcaturientem pranſus eſt: inde *Vaſtium*, ac *Paulum Saxum* cum ſex cohortibus Arelatum miſit, fortuna tamen vbique auerſa. Tum

CCCLII. *Antonij Leuamors* *Antonius Leua* ingraueſcente morbo, diem ſuum obijt, ſui fati vates non mendax. In Gallia enim vti prædixerat, mortuus eſt, & in Dionyſiano templo, non eo tamen Lutetiam prope, vbi Gallorum Reges humari ſolent, ſed penès Mediolanum ſepultus. Eo mortuo, Cæſar de reditu cogitauit; cum fames in dies creſceret. Nauticum Tholone Cæſar aſportari iuſſerat, & quotquot iumenta à Nicea vſque reperire poterat, eodem miſerat. Quod ruſtici obſeruantes montani iumenta onuſta vel abduxerunt, vel mutilata oneri ferendo inutilia reddiderunt. *Sal. Ann. 1536.* Hæc inter diſcrimina *Andreas Auria* ad veterem Maſſiliam appulit, cum commeatu, & pecunia, quam ex Hiſpania tulerat. De reditu tamen *Carolus* ſequutus conſilium, receptui cecinit in diem decimum, quarta iam parte legionum conſumpta. Pari militabat ſucceſſu Belgici exercitus ductor *Naſſauius*, qui poſt Braiam, Guiſamque Picardiæ vrbes interreptas, ad Peronam, nullo fructu, muros tormentis, turreſque cuniculis ſubuerterat, hoſtium virtute ruinam omnem inſtaurante. Hæc omnia otiosè ſpectabat *Franciſcus*, ipſo admirante *Carolo*, quòd afflictas non aggrederetur Gallus phalanges. Prudens verò Rex ſatis ad Gallorum gloriam ducens, geminum exercitum, eumque validiſſimum, hinc *Naſſauij* de Picardia, illinc Cæſaris eiectum de Prouincia, CCCLIII. *Cæſaris reditus inglorius.* paruo Galliæ detrimento victoria tanto certiori, quantò minùs cruenta, noluit reſpirantem Galliæ fortunam in diſcrimen vocare. Porrò Cæſare Genuam cum *Auria* tri-



remibus aduecto, *Vaſtius* magnam exercitus partem ſubAlpinæ Regioni induxit, vt Gallorum illic ſucceſſibus, *Guidonis Ringonij* acceſſione auctis occurreret. Genuam *Rangonius* ſubita aggreſſione tentauerat; ſed à Liguribus repulſus, Carinianum occupauerat, & Carmaniolam ex Saluſſana Iuriſdictione. Vide nummum triumphalem in quo *taurus viri fortis imago, obuia quæque proſternit. Fruſtranei tamen ſunt eius conatus,*

Sal. Ann. 1537. *tus, niſi Deus ſuper eum alas ſuas extendat, & victoriam per Angelos ſuos largiatur.*

Sequentes nummi *Caroli V.* Cæſaris idem ferè reſonant. Vbiquè binæ columnæ ſunt. Inter poſteriores Aquila alis vtramque contingens, coronatæ vtrobique. Herculis appellant, ſiue montes *Calpem*, & *Abylon*: ſiue æreas verè columnas, quòd vlteriora, omnia eſſe mare, creditum ſit vulgo. Nam Platonis in Timæo, alia longè ſententia eſt: & vltra eſſe, ſi non continentem, inſulas, Sertorius apud Plutarchum oſtendit. *Columbus* auo materno *Caroli V.* Orbem nouum aperuit. *Carolus* plura detexit, atque occupauit. Vnde ſymbolum ex Pindaro ſumptum: *Plus vltra.* Trinum eſt hieroglyphicum, quorum altero vt Rex, quandoque vt Imperator vtitur. Ex *Typotio.* Sal. Ann. 1537.

BELLVM BELGICVM. Anno 1537.

CCCLIV. CVm receſſiſſet *Carolus*, Pariſienſi conuocato Senatu *Franciſcus* Cæſarem in Attrebatum, Flandriæque confinibus, quò tutus foret acceſſus, citari mandauit, vt Regio procuratori ſatisfaceret, quia vt Comes Attrebatenſis & Flandricus, ſpreto Gallorum Rege, horum comitatuum patrono, Galliam iniuſtis armis affeciſſet. Quo iure cum *Franciſcus* Madriciano, & Cameracenſi fœdere ceſſiſſet, inanis illa videbatur denuntiatio. *Carolo* itaque nec veniente, neque mittente, Rex collecto exercitu, in quo quinque & viginti peditum, equitum vtriuſque armaturæ circiter ſex millia recenſebantur, ex Ambianis profectus, Auchium arcem deditione cœpit. Inde Heſdinum munitiſſimum Belgarum oppidum, quinquageſimo obſidionis die ſuæ poteſtatis fecit; promotiſque inde caſtris, præter Fanum D. Pauli, Lilleriumque Venantiam inter paludes ſitam, cruenta vtrimque dimicatione occupauit, Belgis ad ſera præſidia reſpicientibus. Hi tamen, quòd *Carolus* perquàm grauiter hanc ſentiret iacturam, rurſùs Gallis Heſdinum eripere tentantes, cum vrbis præſidia eſſent opinione firmiora, retrocedere coacti, Taruannam Morinorum vrbem caſtra admouerunt, ſed noua Gallorum induſtria deluſi, retro domum abiere, ancipiti exiſtimatione, an inter victos, vel victores receſendi: dū enim Galli fortiùs, quàm prudentiùs ſeſe prælio obijciunt, hoſtium multitudine circumuenti, ferè omnes vitam, vel libertatem amiſerunt.

Hoc tempore (*Belcarius* memorant & *Iouius*) *Franciſcus* altè odio in Cæſarem concepto impium aggreſſus facinus, *Solymannum* Turcarum Regem per *Ioannem Foreſtium Aruernum* latinæ, græcæque linguæ peritus, ad Italiam concitat inuadendam: immemor Chriſtianos omnes, qui huiuſmodi implorarunt auxilia, aut infeliciter cęſos, aut in miſeram ſeruitutem coniectos, aut ſuis ditionibus pulſos; vt Bizantinos Imperatores, Pannoniæ *Vaiuodam*, *Ludouicum Sfortiam*, *Federicum Aragonium*, nec cæteros memorare opus non ſit. CCCLV. Fœdus Gallorum cum Turcis. *Anguſtum eſſe inter Epirum, Salentinoſque extremos Italiæ populos fretum* (Solymanno proponebat Foreſtius) *Cæſarem Superioris anni bello infeliciter geſto, pecunia, milite, fortiſſimiſque exhauſtum præfectis, non tantum habiturum præſidia, vt extrema illa Italiæ littora, & Inſubres ſimul tueri poſſit. Regem etiam æſtate proxima cum ingenti exercitu in principatum Mediolanenſem irrupturum.* Hiſce motus promiſſis *Solymannus* iuſſit *Solymanno* Eunucho, Egypti præfecto, vt claſſem octoginta nauium intra hyemem conſtrueret. Claſſem Solyman. parat. Quod diligenter præſtitit Eunuchus, lignea materia è ſinu Attalico, Ciliciaque Peluſium aſportata, inde aduerſo Nilo Memphim ratibus perducta; & multis fabris vndique accerſitis, paucis menſibus, octoginta varij generis naues plicatiles confecit, quas membratim diſpartitas, cameliſque impoſitas ad Arſinoes portum rubri maris (Suetiam vulgò appellant) Memphi octoginta paſſuum millibus diſtantem remiſit. Vbi colligatæ, atque armamentis inſtructæ nauigationi ſtatim fuere percomodæ. Ab eodem *Foreſtio* admonitus *Solymannus*, Venetorum onerarias triremes Alexandriæ portum ingreſſas, abrupta pace, quaſi hoſtiles capi, *Antonium Barbadicum*, atque *Hermolaum Barbarum* præfectos cum omnibus nautis, ac vectoribus in cuſtodiam tradi, merces in fiſcum redigi iuſſit. Cum Cæſare Veneti fœdus renouarant,

Sal. Anu. 1537.

rant, & ſe ſocios intuendo Mediolan. adiunxerat principatu. *Foreſtius* impiæ legationis miniſter non multis poſt menſibus caſtra *Solymanni* ſequutus, ad Aulonem portum lethali morbo correptus, interijt: dignum ſua functione præmium conſequutus.

CCCLVI. *Franciſci Apologia extat apud Freherũ p.322.*

Rex verò datis Smalcadiam ad fœderatos Germaniæ Principes, ipſumque Pontificem litteris apologeticis, hanc à ſe facti exiſtimationem, famamque amoliri conatur, eaque omnia, quorum Romæ à *Carolo* iniuriarum accuſatus fuerat, in *Carolum* detorquere.

Quantam verò fidem hiſce ſcriptis fuerit *Franciſcus* promeritus, exitus acta probauit. Quod enim alieno conſilio *Solymannus*

CCCLX. *Veneti à Gallis ſolicitati cũ Turcis arma coniũgere.*

mouerit, docent Veneti magnis Gallorum promiſſis illecti, ne in Turcas cum Cæſare arma ſociarent. Eiuſdem *Franciſci* perſuaſionibus *Solymannus* impulſus, *Ianusbeum* virum inter Turcas clarum Venetias miſit, qui Patrum animos tentaret, ad fœdus cum Rege ineundum, in quo expreſſum foret, *vt amici amicorum, inimicique inimicorum Veneti, Gallique ad inuicem eſſent*. At Patres ſolita prudentia paucis reſponderunt, *ſibi cum omnibus gentibus pacem, amicitiamque intercedere, idcirco declaratione nulla opus eſſe, quum ipſi pacatè cum omnibus agant*. Hæc reſponſio non ingrata *Solymanno* fuit, ac vti prudens laudata. Educta interea ingenti ſub *Hariadeni Barbaroſſæ* & *Luitiſibei* imperio claſſe, bellum mari in Cæſarem geri cęptum, Hiſpaniæque littora, & Siciliæ ora depopulata hoc anno 1536. Verno poſtea tempore, quod triceſimum ſextum huius ſæculi annum cum ſequenti coniungebat, ducentarum diuerſi generis nauium Othomanica claſſis, (numeratis his, quas Ægypti præfectus conſtruxerat) iterum è Byzantio ſub *Barbaroſſæ*, & *Synæ* Imperio in altum educta, in Superum mare peruenit, & ad Corcyram conſedens, magnam Venetis ſuſpicionem iniecit; cum & paulò ante ad Pharum Alexandriæ, onerariæ Venetorum triremes vnà cum Præfectis à Turcis fuiſſent interceptæ. Patres itaque bellum cum potentiſſimo hoſte inſtare videntes, ſtatim ingentem claſſem decernunt, duoſque eligunt Imperatores, *Hier. Piſaurum*, & *Ioannem Vitturium*, quos pari poteſtate ſummæ rei præfecerunt.

Sal. Ann. 1537. CCCLXI. *Initium belli Turcici cum Venetis.*

Turcæ interim Corcyram amicè appulſi, poſt mutuam ſalutationem Aulonem nauigarunt, quo in curſu Dalmatica triremis, cui trierarchus ex Iadera ciuitate nobilis præerat, Turcorum nauigium quo regia ſuppellex, & magnus bellici inſtrumenti apparatus ad claſſem perducebatur, hoſtiliter aggreſſa, illudque tormentis perfoſſum mari demerſit. Nec multo poſt dum in duas Turcarum triremes *Iuſtus Gradonicus* incidiſſet, in fugam vertit, nec deſtitit, donec impactis proximo littori Turcarum triremibus, in Cimerinorum manus cecidere Turcæ. Pari iniuria *Alexander Contarenus* ex priuato in Turcam odio, cum quatuor longis nauibus, ſpreto fœdere, in vnam Turcarũ triremem ferro diſtricto, demerſit. Ex altera parte audito Othomanicæ claſſis curſu *Andreas Auria* Cæſarianarũ

Auria Turcarũ naues expugnat.

triremium præfectus, Meſſana ſoluens, in Ægeum mare prouehitur, & circa Cephaleniam inſulam aliquot Turcarum nauigia commeatibus cœpit onuſta; ſtatimque datis velis in Siciliam receſſit, ne ab *Hariadeno* opprimeretur. Is cum *Auriam* aſſequi haud potuiſſet (ductu *Troili Pignatelli* Neapolitani, qui ad Turcas transfugerat) cum toto nauali apparatu in Apulia non procul ab Hidrunto conſedens, milites in terram expoſuit, Caſtrique oppido in deditionem accepto, multos Chriſtianorum in captiuitatem abduxit. Hoc rerum motu *Piſaurus* è Corcyra ſoluens, Apuliam versùs cum nauali apparatu adnauigaret, hoſtium claſſem medio mari obuiam habuit: qua viſa, continuò Venetus fugam arripuit. Fu-

Turcæ Venetos fugat.

gientem Turca inſequitur, veteres enim ac recentes iniurias vlciſci in tanta benè gerendæ rei occaſione ſtatuerat; atque irrequieto curſu per ſexaginta paſſuum millia Venetos inſectatus, tres eorum occupauit triremes, quarum præfectos ſecuri percuſſit. *Solymannus* verò è Thracia digreſſus, Macedoniæ latitudinem emenſus, ad Scardos montes perexit, illinc per Valles ad mare deſcendens, quò *Barbaroſſa* claſsem aduecturus erat, vt bellum terra, marique gereret: quòd protinùs factum, quòd per eos dies

CCC. LXII. *Auriæ victoria.*

Andreas Auria diu, noctuque maria ſulcando, nactus duodecim triremes hoſtium

ſupra

Sal. Ann. 1537. ſupra Caſſiopeum Corcyræ promontorium cruentiſſimo per noctem oppreſſerat prælio, quamuis multis ſuorum amiſſis. Hac clade Turcæ affecti, & geminata contumelia à Venetis laceſſiti, Corcyram cum tota claſſe appulerunt, vbi in terram expoſitus miles inſulam latè diripuit. In caſſum tamen tentauit oppida, quamuis in continenti è Corcyræ regione cum exercitu *Solymannus* ſtaret. Veneti namque arcem valido firmarant præſidio, ſuburbana omnia demoliti ædificia: & ex oppido imbellem multitudinẽ
CCC. LXIII. *Corcyram obſidet Solymannus.* ob cõmeatus inopiam eiecerant, quę in foſſis pernoctare coacta, & hoſtium armis, & ſubita imbrium inundatione penè omnis interijt. Senatus verò vbi Corcyræ oppugnatione *Solymannum* pacem violaſſe cognouit, ſtatim cum Pontifice, & Cæſare fœdus renouauit; quæ res tantum terrorem *Barbaroſſæ* iniecit, vt continuò ſoluta obſidione, è Corcyra claſſem abduxerit, *Solymannuſque* veritus, ne hoc belli in Venetos motu, reliqui omnes Chriſtiani Principes coniunctis armis in eum terra, marique arma mouerènt vltricia; ad renouandam cum Venetis ſocietatem, animum adiecit; & per *Ibraynum* Baſſam, vt ex dignitate Turcici nominis res ageretur, CCC. LXIV. *Veneti Turcarũ oblatã pacem reſpuunt.*
Iacobus Canalis Bailus ſecretò admonitus eſt, vt de renouanda pace Senatum tentaret. Hoc cum Patres accepiſſent, certatum diu, ſed tandem ex innata pietate rem non deſerere Chriſtianarn, ſed fœdus cum Romano Pontifice, & Cæſare initum ſeruando, in Turcas bellum proſequi, *Solymanni* poſtulatis reiectis, decreuere Orbe plaudente Catholico.

EXPEDITIO TVRCARVM IN FERDINANDVM.

CCC. LXV. Nauali itaque bello non ſatis fœlix *Solymannus*, terreſtri per *Amurathem* Belgradi, fœliciſſimus fuit: nam florentem *Ferdinandi* Regis exercitum ad internecionem penè deleuit. Poſt cæſum Mugaciano prelio *Ludouicum* Hungariæ Regem, eam citerioris Pannoniæ regionem, quæ *Poſſega* appellatur, Turcæ ſibi retinuerant, nec *Ioanni* Regi tradere voluere, quia ad traijciendum Drauum in Pannoniam proficiſcentibus peropportuna eſſet. Ea Sauo, Drauo, Craſſo fluminibus ita cingitur, vt ferè inſula videatur, regio fertilis, rebuſque omnibus abundans, in qua *Ezechium* caſtellum *Amurathes* communierat, vnde crebras excurſiones in *Ferdinandi* ditiones faciebat. Hunc vt pelleret non tam numero, quàm viribus potentem exercitum *Ferdinandus* coegerat, cum magnas copias *Mahometes* non haberet, & iam declinante Autumno maiorem haud habiturus videretur. In *Ferdinandi* exercitu equitum octo, peditum bellicoſiſſimarum gentium ſexdecim millia cenſebantut. Omnibus præerat *Ioannes Cazzianerus* Croatus defenſæ nuper Viennæ laude clariſſimus. De cuius fide, & fortitudine *Ferdinandus* minimè hæſitabat Fuit, qui *Cazzianeri* ingenium turbidum, præcepſquè inſimularet, equeſtris aulæ po-

tiùs, quàm vniuerſi exercitus præfectura dignum. Quum *Ezechio* appropinquaret, recenſitis copijs, equites ad decem mille auctos inuenit; pedites imminutos, & vix octo mille pugnæ apti videbantur: nam multi imbribus, itinere fatigati dilapſi erant. *Ezechium* cum veniſſent, iniuria Ducis, & hoſtili prouidentia factum, vt commeatus breui deficeret, neque idcirco hoſtis in aciem totis caſtris pertrahi poterat, quòd fame debellandos cerneret. Carptim tamen, minutiſque, quibus ob celeritatem valent, velitationibus non parum detrimenti Chriſtianis illatum. Fame tandem, morbis, vulneribuſque laceſſiti reducendas Valponium versùs noſtræ ditionis caſtrum, copias plerique cenſebant, vt inde commeatus ſuppeditaretur. At vbi iam Gazæ vicini eſſent, *Mahomete* totis caſtris inſtante, cognouerunt proximum per ſiluam iter ſuccifis arboribus præpeditum. Quæ res adeo ducum animos turbauit, vt denique corruptis tormentis, proiecto puluere, abiectis ſarcinis, noctu ad ſignum tibiæ à *Cazzianero* dandum, omnes proficiſcendum ſtatuerent; quamquàm animoſiores in hoſtem, numero vt putabant inferiorem, mouendum dicerent; ſed Hungaris primùm, deinde Stirijs fuga ſignum præuer- CCC. LXVI. *Ferdinãdi exercitum Turcæ cædũt.*

ten-

Sal. Ann. 1537. tentibus, ipſe denique Dux *Cazzianerus* nullo reliquis ſigno dato, in fugam coniecit, vnde *Lodronius* fugientium ſtrepitu excitatus, ſuos ne tantam imitentur ignauiam, hortatur, quæ illis magis, quàm ſi in acie ſtetiſſent, nocitura ſit: ſe vel ſuos in loca tuta reducturum; vel prò Chriſtiana pietate honeſtam mortem oppeciturum. Adhunc Carinthij, Saxones, Auſtrij, Boheni, qui fruſtra ſignum diſceſſus expectabant, confugiunt, & ſibi Ducem eligunt: ille modeſte recuſans, munus tamen obijt neceſſitate coactus. Audierat fugientium ſtrepitum *Mahometes*, qui vix quingentis inde paſſibus aberat; Dux tamen vetus, & ſenex nil fortunæ permittere volens, lucem iudicauit expectandam. Vix *Lodronius* è caſtris exierat, quùm *Mahometes* cum omnibus copijs imminens noſtros vndique circumuentos minoribus tormentis, ſclopetis atterit: vbi multum laborantes animaduertit, totis viribus inuadit: pugnarunt fortiſſimè Lodroniani, ſed magna ſuorum parte tormentis conciſa, ſuperati ciciderunt. *Lodronius* vulneribus penè confectus cum tribus cohortibus viuus in illorum venit poteſtatem, ſed quòd ſuperaturus plagam non videretur, accelerata per barbaros morte interijt. *Cazzianeri perfidia.* *Cazzianerus* tanta inuidia, infamiaque nominis conflagrare cœpit, vt publicum ſubire non auderet, deſperatione etiam rerum ſuarum ad *Mahometem* tranſitum meditaretur; niſi *Drinius* amicus, ad facinoris ſocietatem inuitatus, vitam perfidioſo homini extorſiſſet.

CCC. LXVII. *Vaſtij victoria.* Eodem tempore *Alphonſus Vaſtius* in ſubalpina regione potitus Cherio, Alba Pompeia, atque Claraſco Gallos ad deſperatam Taurini propugnationem adduxerat; niſi Rex periculi admonitus, celeritate prosùs admirabili, opportunè adfuiſſet. In venatione erat, cum tabellarius diſcrimen retulit. Perculſus nuncio *Franciſcus* hæſit primùm attonito ſimilis, mox collecto animo, expeditione decreta, ſemihoræ ſpatio, militem, Duces, commeatum, ſtipendia deſtinauit, quaſi fluminum, prouinciarum, itinerum compendia, ex indice teneret, vt ad expeditionem neceſſaria Ducibus imponeret. Vnde eius imperio effectum, vt paucis diebus, toto regno, ab ipſis etiam Pyreneis montibus, commeatus, tum militares copiæ Gratianopolim, locum à Rege imperatum, adducerentur, tanto numero, vt triginta millia iumentorum, ſub annona in Alpibus tranſportanda ſudarent. Rexque cum *Henrico* filio ex Italis, Heluetijs, Gallis, Germanis, haud minùs triginta hominum millia contra *Vaſtium* per Alpes in Italiam tranſmiſerit. Ad Montecalerium ſubſtitit, non multo poſt occupatum, exigui quidem nominis, ſed opulento commeatu, *Ciconij* Ducis imprudentia locupletatum. Vnde Ciconianis plauſtra onuſtra intempeſtiuè, hoſte iam inſtante, adferentibus cum occurreret *Vaſtius*, bile intumeſcente, bobus ſua etiam manu cura præputauit, quibus deinde Langæus interceptis, Regi non illepidè nuntiauit, *illum ipſum Veſpere cœnaturum baſilicè, cum vtrique hoſtium Duces*, Ciconius, & Vaſtius, *ille lautiſſimi cauponis ac piſtoris in annona ſuppeditanda, hic lanij in bobus mactandis functus ſit munere.*

Interim dum *Vaſtius* fortiſſimo fiſus equitatu, tumultuario Gallos prælio adoriri cogitat, decem afferuntur menſium induciæ inter Cæſarem, Regemque conditæ, ope trium Reginarum *Eleonoræ* Galliæ, *Margaritæ* Nauarræ, & *Mariæ* Cæſaris Germanæ, Hungariæque principis. Nuntio accepto, *Vaſtius* Regem ſalutatum acceſſit, equeſtrium turmarum flore cinctus, Hiſpanis, prò innato gentis ſtudio, apprimè ad delectationem ſimul, & horrorem excultis. Ex aduerſo Rex pedeſtrem militem ita digeſſerat, vt tranſeunti *Vaſtio* ſubijceretur. Receptus ab amplexu inter Regem, & *Delphinum* Medius, humaniſſimi Regis comitate mirificè eſt delectatus. Vnus *Sabaudus* in homines Deum implorabat, quòd non minùs ab hoſtibus pateretur, quàm ab amicis. Omnem mouebant Reginæ lapidem, vt induciarum negotium in pace quieſceret. Pacis ſequeſter Pontifex *Paulus* electus eſt, vtroque adprobante, vt in Nicæa vrbe, quæ *Allobrogi* Ducis erat, fatale diſſidium componeret. Maturato itaque itinere Cæſar, *Auria* deducente, Villam Francam appulit. Pontifex licet ſenio con-

Sal. Ann. 1537.

CCC. LXVIII. *Induciæ inter Cæſarem, & Regem.*

CCC. LXIX. *Papam Nicæam ſubijt.*

Sal. Ann. 1537. confectus, Nicæam ſubijt, ad quem neuter acceſſit, vel quòd vterque obſtinati animi nollet cedere; vel quòd Pontifex colloquium illud in priuatam familiæ ſuæ vtilitatem detorqueret; vt qui neptem ſuam *Victoriam* regiæ familiæ, nepotem *Octauium* nuptijs cum *Margarita* contractis Auſtriacæ inſertum cuperet. Mutuum inter ſe Reges colloquium nonniſi ſub hoc arbitro decli-

Ad eum nemo accedit.

naſſe, ex eo arguunt: quòd non multò poſt, Cæſarem Hiſpaniam repetiturum, atque ex deſtinato ad Marianas foſſas deſcendentem Rex exceperit miræ beneuolentiæ, amoriſque ſignificatione. Solus Pontifex, vbi rem accepiſſet, hæc compoſiti oris, verborumque lenocinia, ſimulatæ amicitiæ fructum, quàm veræ humanitatis ſigna dixit. *Sal. Ann. 1537.*

Colloquiũ Cæſaris & Regis.

FLORENTINORVM DISSIDIA. Anno 1537.

CCC. LXX. QVamuis Pontificem belli ſequeſtrem, de pace nemo couſulturus accederet; non omnino tamen otioſus fuit ille conuentus. Nam ibi in *Solymannum* inter Pontificem, Cæſarem, & Venetos ſtabilita ſunt fœdera, Induciæ cum Rege in annum prorogatæ. Nouariam vrbem *Aloyſio Farneſio*, *Margaritam* Cæſaris filiam *Octauio Farneſio* ſuæ gentis hominibus vxorem impetrauit. Erat hæc *Margarita* ab *Alexandro Mediceo*, crudeli morte interfecto, relicta vidua; qui *Laurentio* patre natus, celebri iſtic Mediceorum familia, annuente Cæſare, libertatem Florentinis, vſurpato eripuerat principatu. Iam ſextum & vigeſimum natus annum, tanti Cæſaris affinitate fretus, diuinæ humanæque immemor legis, neglecto coniugis thoro, vaga paſcebatur libidine, nec à matronis abſtinebat. Socius ei erat par ætate, moribuſque ſceleſtior *Laurentius Mediceus*, homo vafer, vt ſecretorum ipſe vnus, ſcelerumque particeps fieret. Comitatis lenocinio ita *Alexandrum* ſibi deuinxerat, vt iure ſuſpicantem, quòd *Laurentius* per duellis cum *Strozzis* Florentiæ exulibus & ſibi inimiciſſimis communicaret ad exitium eius, geminato aſtu ita deluſit; vt Ducis conſilia *Strozzis*, horumque arcana Duci detegeret. Quam leuitatem auerſati, *Alexandro* ſignificarunt, & de eo interficiendo arcana, quæ *Laurentius* miſcebat, aperuerunt. Quod tamen tam opportunè à ſe deflexit *Laurentius*, vt vaferrimè perſuaſerit illud abs ſe dictum, quo hoſtium exploraret conſilia, ita noua perfidia Ducem irretiuit, vt ſecuriùs percuteret. Nec longè occaſio. Cuiuſdam matronæ forma cum exarderet Dux, hanc

deliniendam *Laurentius* obtulit, familiaritatis, ac ſanguinis iure fretus, vt aiebat. Paulò poſt expugnatam ab ſe matronam aſſerens, & ſuis in ædibus ad futuram Duci exhibet. Hæc ſub cœnam à Duce intellecta, facile in contiguam *Laurentij* domum pertraxère; vbi ablegatis ex more miniſtris, ad quietem ſubſtitit; donec peteretur amica. Somno ſopitum, binis ſiccarijs ſtipatus, agaſono vno, altero homicida, *Laurentius* aggreditur, ac primus ipſe pugione latera tranſadigit. Geminauit ictum *Treccià* (hoc erat agaſoni nomen) vulnere pluſquàm lethali. Præſenti tamen *Alexander* animo, in pedes erectus prò ſcuto ſcabellum obiecit, cumque ictus omnes vitare haud poſſet, *Laurentium* rabidæ more feræ inuolat, tanto vocis proditionem exprobrantis vlulatu, vt totam domum impleuerit, ſimulque apprehenſum mordicùs ſiniſtræ manus pollicem hoſti perfregerit; ſed ab altero pluribus confoſſus vulneribus, largo cruore animam non vno poſte eflauit. Subſtitit perpetrato facinore pauliſper proditor, neſcius an vindicatæ libertatis plauſu ad poplulum confugeret: diffiſus porrò citato gradu Venetias optatiſſimum *Philippo Strozzæ* attulit nuntium.

Re tandem *Innocentio* Cardinali patefacta, qui Principi proximior erat, diſſimulato caſu, imperato domeſticis ſilentio, *Alexandrum Vitellium* cum Cæſarianis copijs ad vrbem acciuit; *Coſmo Mediceo* decem & octo annorum iuueni ad hunc armorum ſtrepitum ex Trebia villa ad vrbem excito, ſpetie parentadi communi planctu Principi, & fouendæ libertatis potiùs, quàm dominatus acquirendi. CCC. LXXI.

Coſmus Dux Florentiæ eligitur.

 Erat

Sal. Ann. 1538. Erat is *Ioanne Mediceo*, ac *Maria Saluiata* genitus, cui ad principatum viam fecit *Landus* homo plebeius ex lanificij taberna, cum vrbe exturbatis patricijs dominatum vſurpauit. Sed quum prudentiores præſentem abhorrerent tyrannidem, & coram Cardinali ancipiti oratione diſceptaretur, *Guiciardinus* inter Florentinos facile princeps, graui oratione inconſultam popularis dominij licentiam deteſtatus, Cæſaris vindicta propoſita, ſine cuius grauiſſima iniuria, Mediceis decretũ imperium abrogari haud poterat, fluctuantium animos in eam adduxit ſententiam, vt *Coſmus* ſubrogaretur in locum *Alexandri*, & domus parricidæ *Laurentij* ad perpetuam diruerctur ignominiam, percuſſoribuſque nefarij hominis aureorum ſeptem millium præmium conſtitueretur. Sal. Ann. 1538. Byzantium profugit *Laurentius*, ſed nec inter barbaros aſyllum inuenit. Venetias iterum receptus, à duobus *Alexandri* militibus, nullum quidem facti præmium rogantibus cum auunculo *Soderino* trucidatus dignum parricida exitum inuenit. *Philippus* etiam *Strozza* infelici expeditione in *Coſmum* ſuſcepta, caſtris exutus, prælio captus, in carcere ſibi mortem conſciuit. *Alexandri* porrò coniugem Cæſaris filiam, à *Coſmo* obnixè expetitam, *Octauius* licet renuentem obtinuit. *Coſmo* verò *Eleonoram* filiam *Petri de Toledo* Neapolitani ProRegis Cæſar in matrimonium coniunxit.

INANIS IN SOLYMANNVM EXPEDITIO. Anno 1538.

CCC. LXXII. PVblicatis inter Cæſarem, & Regem inducijs, minus ſolliciti Cæſariani quæſtores de ſtipendio militibus perſoluendo, anſam dedere militi fertiliſſimam Mediolanenſium regionem populandi tanta incolarum indignatione, vt ad defectionem ſpectarent. *Vaſtij* tamen induſtria milites reuocauit ſub ſignis, ſtipendio promiſſo, & impunitate oblata: qui claſſem in Ligurum ora contra *Solymannum* inſtructã, cum reliquis qui ibi extabant, numerum quinquaginta millium impleuere. Quorum nonnulli cum in Æno flumine, eliſis ad portam nauigijs, interijſſent, de eorum morte hymnos cæcinere Inſubres: quòd eorum noxam elementa vindicaſſent. Cæteris etiam rebellionis ſocijs non diu fuit inulta rapiendi libertas. *Solymannus* audito Chriſtianorum fœdere, *Hariadenum Barbaroſſam* iuſſit occurrere. Is in Cretam illapſus, cum Hiſpanam Claſſem *Auria* moderãte iuxta Corcyram Venetæ iunctam audiſſet, ſe in Ambracium ſinum recepit. Inde poſt aliquot dies (ita refert *Petrus Iuſtinianus*) in altum progreſsus, prælium non detrectauit. Veneti præ omnibus accendebantur ad pugnam. Vnus *Auria*, penès quem ſumma erat imperij, cum à certamine alienus eſſet, ad eum *Capellius* inſignibus cinctus armis conuerſus, ait; *Ne hæſites Imperator, prælium hodie, Deo fauente proſperum auguror, primaſque prælij partes ego cum Veneta claſſe expoſco: vos ſequimini: hoſtile ferrum hoc pectore pro Chriſti nomine libenter excipiam*. Capelij adprobato conſilio, in diem poſterum pugna indicitur: Cetheas naues *Auria* in prima fronte collocat, in quibus ſpes erat victoriæ, iiſque *Francum Auriam* gentilem ſuum præfecit: poſt eas ſubſequi iubet triremes, ipſe media conſiſtit claſſe quinquaginta & ducentarum prope nauium diuerſi generis inſtructa apparatu *Barbaroßa* & ipſe inſtructa claſſe, mediam tenuit aciem: dextrum cornu obtinebat *Tabaches*, ſiniſtrum *Salechus*, parem prope triremium numerum ductantes: tantoque ordine barbari naues alto agebant, vt quò verteretur Prætoria, alas extendentis, volantiſque Aquilæ ſpetiem præberent. *Dragutes* archipyrata cum viginti triremibus claſſem antecedens, cum noſtros infeſtaret, expectabatur *Auriæ* ſignum inſtruendi. Interim Ventus, qui vehementiſſime ad illam horam proflarat, cum ſubito reſediſſet, naues ab vtroque cornu medio mari immobiles penè redditæ ſunt, non valentes in Turcas impetum facere. Turca fluctus videns pacatos, miopparonem aggreditur Venetum, cui *Alexander* præerat *Bondimerius*. Pugna itaque dum circa miopparonem committitur nec ſignum certaminis *Auria* daret; Patriarca *Grimanus* ad eum prouectus, delendi hoſtis occaſionem non omittendam tanto ardore vociferatur, vt ad omnium ferè aures clamor perueniret inui-

Sal. Ann. 1538.

inuitantis; maximaque omnium eſſet admiratio, quod *Auria* rem prælio committere dubitaret. Subſiſtente itaque *Barbaroſſa*, & *Auria* pigreſcente, ſol iam ad occaſum vergere incipiebat, cum extremis in cornibus à Turcis pugnari cœptum, duæque Hiſpanorum onerariæ, in quarum altera *Buccanigra* vir fortis vehebatur: in altera *Maccinus Mongaia* Cantaber, circumuentæ penè periere. In altera parte capta eſt *Aloyſij Figaroæ* Hiſpani nauis, cuius filius adoleſcens eximiæ formæ ad *Solymannum* ductus, *Mahometis* ſacra ſuſcepit. Captæ etiam ab hoſte ſub noctis crepuſculum duæ Venetorum triremes, quas lento remigio à cætera claſſe diſiunctas facile Turca oppreſſit. Nocte nonnullæ onerariæ commeatu onuſtæ hoſti ceſſere. Talem exitum habuit potentiſſima Chriſtianorum claſſis, culpa dicitur *Auriæ*, fraude vel metu? ignoratur. Noſtro itaque timore hoſtis audacior, noſtros veluti fugientes ſequebatur, ſed tenebris deluſus ſubſtitit; quòd ſinguli ducum in ſuis prætorijs alligatam, pro more ad puppim, lanternam extinxerint, *Barbaroſſa* cum cachinno illudente; *Ergo* Auria *lumen abijcit, vt certiùs fugam ſuam tenebris recondat?* Ferdinando Gonzaga Siciliæ ProRege ad tantam hoſtium arrogantiam, ſuorumque deiectionem fremente: quo factum, vt & Veneti præſidia Hiſpanorum in ſuas triremes admiſerint, & *Ferdinando* quarta acies hoſti opponenda commiſſa ſit. Cunctatio porrò victoriam perdidit; nam *Barbaroſſa* tempeſtatis metuens, ſuæque exiſtimationi abundè conſultum ratus, Ambracium ſinum rursùs ſubijt.

Claſſis noſtra in Rizonicum delata, caſtrum nouum à *Mahomete* quondam occupatum, *ampliſſimo ac natura loci munito portu tutiſſimum, ingenti vi tormentorum breui expugnauit, magna incolarum multitudine in ſeruitutem abſtracta. Hoc oppidum cùm ex fœdere Venetis deberetur; vt qui Aulone, Neocaſtro, alijſque olim ab eiſdem poſſeſſis ex pacto victoriæ potituri erant, Byzantio cæteriſque, aut Neapolitani quondam, aut Imperialis iuris Cæſari relictis; tamen Hiſpanis præſidiarijs, quantumuis obluctante* Capellio *Venetorum præfecto, eſt attributum. Subinde cognitum eſt claſſem hoſtilem ad ſubſidium Nouocaſtrenſium properantem, tempeſtate acroceraunijs illiſam ſcopulis, haud leue damnum feciſſe. Quæ res nouum pugnandi ardorem iniecit,* Gonzaga *contra* Auriam *Venetis fauente, ſed hic vela in Italiam conuertit, frendentibus, indignantibuſque nequicquam cæteris; id ſe facturum aſſerens, quod Cæſaris emolumento opportunum putaret. Nimirum, inquit,* Valerius Vrſinus *Venetus miles, id ſcitè abs te factum hactenus: quando cum* Solymanno *Venetos commiſiſti; vt ipſius hi viribus denique ad votum Cæſaris atterantur.*

Vide Gonzagæ nummus n. 380

Gonzagæ conſtantiam, fortitudinem, religionem nummus reſonat caſtrenſis, quem infra habes n. 380. Veneti porrò fœderis rationes neglectas, & Caſtri Noui occupationem à Cæſarianis factam moleſtè ferentes, quòd id oppidum communibus partium armis Hiſpani ſibi vendicaſſent, auerſo à Cæſarianis animo, initæ ſocietatis plurimos ex Senatu pœnitebat. Acceſſere adhæc acerbæ CCC.
in *Auriam* multorum querelæ, quòd homo LXXIII.
Lygur Veneti nominis ex æmulatione antiquus hoſtis, maligna cunctatione vti voluiſſet, ne victoria potiretur, quæ aliquo modo Venetos ſocios condecoraret, illorumque inuidens gloriæ, à felici prælio victrices abſtinuiſſet manus. Hiſce rumoribus *Auriæ* iacebat fama. *Barbaroſſa* contra ſummis in Cœlum laudibus ferebatur, qui præpotenti Chriſtianorum claſſe minimè formidata, in eius occurſum minori nauium numero in altum audacter prodijſſet; nulloque timore, prudentis, & inuicti Imperatoris munus obierit. Hinc Senatus cum *Solymanno* inducias renouare curauit. Interim *Solymanni* Regis iuſſu (quem Caſtri noui amiſſi ignominia premebat) *Barbaroſſa* cum nonaginta CCC.
triremibus, & tribus nauibus onerarijs ſinus LXXIV.
fauces ingreſſus; rem armis gerere cœpit eodem tempore, quò *Vlamanes* e *Sanzachorum* numero, vir ferox cum triginta millibus equitum & peditum è ſummis montibus ad oppidum deſcenderat. Quinquaginta maioris generis tormenta è claſſe in terram *Barbaroſſa* expoſuit, quibus quaſſatis mœnibus, Hiſpani propugnationem deſperarent. Nam irrumpentibus barbaris, & imbre coorto ſclopetis Hiſpani vti non poſſent, impunè ho-

In Auriã queſtus.

Laus Barbaroſſæ.

Sal. Ann. 1539.

hoſtis graſſabatur. Cecidit in eo conatu *Cucanus Burgundus*, & Dux *Sarmentus* qui oppido præerat. Interfecti cum eo plurimi cohortium præfecti magno Cæſaris damno, quod totius Hiſpanæ militiæ flos, vna hora occubuerit, eorumque militum magna pars cæſa fuerit, qui paulò ante Romam fœdè diripuerant.

CCC. LXXV. *Induciæ inter Cæſarem & Franciſcum.*

Interim *Paulus* Pontifex quum ante dimiſſum conuentum, quem Niceæ coegerat, vt Cæſar & Rex ſimul colloquerentur, impetrare non potuiſſet, vt in decennium inducias paciſcerentur, obtinuit: inde Romam reuerſus, triumphali pompa populum obuium habuit. *Franciſcus* verò per Auenionem rediens, à Cæſare ad colloquium ad Foſſas Marianas inuitatus eo voto creditur, quia Mediolanēſibus, & Gandauenſibus; res noua molientibus; ne Rex adiungeretur, Cęſar timebat; & Regem vana recipiēdi Mediolanenſis principatus ſpe alendū putabat. Quum conueniſſent, Rex *Antonio Lotharingo* regulo, ac *Io:* Cardinale eius fratre, multiſque alijs proceribus comitatus, ad triremem acceſſit prætoriam. Cæſar ad ſcalam triremis obuiam progreſſus, circiter horam amiciſſimè colloquuti ſunt;

CCC. LXXVI. *Cæſaris cū Rege colloquium.*

Rex deinde in vrbem redijt, quò poſtridiè manè Cæſar cum Rege pranſurus, ire perrexit. Vbi terram attigit, Rex ac Regina *Heleonora*, Regijque liberi venientem humaniſſimè exceperunt, & vrbem ineuntem comitati ſunt, vbi etiam pernoctauit. Altero die ab ijſdem ad claſſem deductus eſt, maxima vtrimque oſtentata beneuolentia, vt magnam ſpem pacis creduli conciperent, prudentiores nihil inde ſperarent. Rege Lutetiam reuerſo, inde Compendium Sucſſionum oppidum, *Maria* ſoror Cæſaris Flandriæ adminiſtratrix in eius colloquium venit, quod varijs de cauſis captauerat; quia Inſubres erga Cæſarem malè ſentiret, quia Gandauenſes ob tributum vino impoſitum quererentur; præſertim verò vt Regem à *Guilielmo Cliuenſi*, qui Gheldriam poſſidebat, abalienaret, aut ſaltem ex tam amicis, frequentibuſque colloquijs, illi ſuſpectum redderet.

CCC. LXXVII. *Gandauenſes rebellant.*

Anno poſtea ineunte trigeſimo nono Gandauenſes ſe totum gabellarum onus ſubire queſti Clero immuni, clam ad Regem, veterem dominum legatos miſerunt, ac ſi auxilio eſſe vellet, præcipuas Flandriæ vrbes ſecum conſentire promiſerunt. Rex verò vanis pollicitationibus Cæſaris illectus, ſupplices in fidem recuſauit admittere, ne inducias videretur violare, quodque mirum fuit, Gandauenſium legationem Cæſari indicauit:

Franciſci fides.

ac non ita multò poſt longe minore de cauſa ab inducijs receſſit, *Cæſaris Fregoſij*, ac *Guidi Ranconi* externorum hominum cæde prouocatus, quibus legatorum nomen impoſuit: quamuis non palam, vt legati ſolent, incederent, ſed clam nauigiolis velut tecti ſecundo Pado euadere tentarent.

Inducias violat.

CCC. LXXVIII. *Belcarius lib. 22. rerum Gallic.*

Sic in voluptates immerſus, ab hiſque occæcatus bonas occaſiones amittebat, perſequebatur inanes. Perplexus admodùm Cæſar erat, nec Belgicum hunc tumultum per alios ſatis commodè coerceri poſſe exiſtimabat: ipſe adeſſe cupiebat; ſed Inſubres ſuſpectos habebat; Proteſtantibus non fidebat. Difficile igitur per Germaniam in Flandriam iter; mare periculoſum, quòd portus ab Anglis, vel à Flandris rebellibus teneretur. Legatos itaque ad Regem Compendij adhuc ægrotantem miſit, liberum per Galliam poſtulans tranſitum. Res diù ſub conſilio *Annæi Mommorencij* equitum Magiſtri, & Cardinalis *Turnonij*, qui tranſitum aſſerebat non permittendum.

CCC. LXXIX. *Carolus V. per Galliam tranſit.*

Vicit tandem *Mommorencius*, & anno exeunte, *Henricus Delphinus*, ac *Carolus Aurelianus*, cum *Mommorencio* honoris ergo Baionam vſquè venienti Cæſari obuiam proceſſerunt, & Pictauiam deduxerunt. Rex nondum è valetudine confirmatus, Lochijs agens, ad caſtellum *Heraldi*, quatuordecim milliaribus Pictauia diſtans, Cæſarem per honorificè excepit. Ambaſiam vnà progreſſi, ad arcem à *Carolo Octauo* Galliæ Rege magnificè extructam diuerterunt. Sunt ibi duæ turres, quibus palatium aditur equis aſcenſu per faciles. Hæc cum holoſericis ornatæ eſſent, & multis luminaribus diem noctu repræſentantibus collucerēt;

CCC. LXXX. *Fumo penè extinctus.*

Igne fortè accenſo, parum abfuit, quin ipſe Cæſar fumo ſuffocaretur. Authores licet ſola ſuſpicione grauarentur, morti Rex deſtinauit, Cæſar quòd id caſu accidiſſet, veniam illis impetrauit. Porrò temerario auſu ſe æmulo, ac potentiſſimo crediſſe Regi, pluribus viſum eſt,

Sal. Ann. 1540. eſt, qui fidem tyrannico potiùs gladio, quàm regio metiuntur ſceptro. Pericula tamen ſentire coactus eſt imprudentiæ, quamuis contemneret. Eliſa Pariſijs cruento vulnere in caput tabula; conſultatio Aurelijs de *Carolo* detinendo, vt fertur, inſtituta, minùs in hac profectione Cæſarem timoris, quàm diſcriminis habuiſſe declarant. *Diſcrimina cōtemnit.* Pariſijs equitante Cæſare, *Carolus* Aureliorum Dux, lectiſſimus iuuenis tergum inſidentis equo Cæſaris inopinato petens aſſultu, inclamauit, *Te mihi captiuum dede Imperator*, Arriſit ille, ac humaniter regium complexus adoleſcentem, de Regis integritate noluit dubitare. Sic certior factus à Duciſſa *Stampia* incitari Regem, vt eum captiuum teneret, ſua illam humanitate *Carolus* non mediocriter ita deuinxit, paſſus ſimulato è manibus caſu defluere annulum, quem dum officioſè illa de ſolo colligit, dono accepit, quòd à tam dignis manibus gemmam repoſcere inurbanum *Carolus* elegantis liberalitatis obſequio fingeret. Ita ſimulatione ſecuritatem firmauit, & aulico dolo, aulicorum artes deluſit. *Sal. Ann. 1540.* Vſque ad ſextum Idus Ianuarij, Sal. An. 1540. Lutetiæ commoratus; Chantillum *Mommorencij* fundum contendit: vnde per Galliam Belgicam, in Flandriam iter proſequentem Rex ad *Fanum* Quintini, Regij liberi *Delphinus*, atque *Aurelianus* Valentianum vſque Hannonianæ ditionis oppidum, honoris ergo comitati ſunt. *Sal. Ann. 1540.* Cæſar vbique à Gallis, ac ſi Rex eſſet ſolemni pompa exceptus, fraternam erga *Franciſcum* ſororis virum amicitiam prolixè adeò oſtentarat; vt ipſe *Mommorentius* promiſſis ſtaturum confideret, & Mediolanenſem principatum *Franciſco*, aut alteri ex liberis condonaturum, vt promiſerat: ſed in ipſo Galliæ ingreſſu, ne quid ea de re, aut de vllo alio maioris momenti negotio, tantiſper dum in Gallia eſſet, ageretur, callido potiùs, quàm honeſto conſilio cauerat; ne coactus feciſſe, & liberalitatem ſuam impoſita neceſſitate obſcuraſſe videretur. *Cæſaris calliditas.* Quum Valentianum appuliſſet, Regij legati vt promiſſum faceret, inſtiterunt: quos ille in aduentum *Ferdinandi* fratris, qui Auſtria profectus in itinere erat, remiſit; interea de Gandauenſibus agendum, quorum vrbem cum exercitu ingreſſus, nouem ſeditionis authores capite pœnas luere iuſſit: paucis poſt diebus, ſexdecim addidit: *Gandaueſes mulctat.* cæteris ea conditione veniam dedit vt abrogatis priuilegijs (id *Pacis* vult ſymbolum libros priuilegiorum comburentis) ſuis ſumptibus ar-



cem ædificarent, præſidioque eidem impoſito, ſtipendium in poſterum exoluerent. His confectis, à Vaurenſi Pontifice iterum de promiſſo compellatus, *ſe nihil promiſiſſe*, reſpondit: Quapropter *Mommorencium* Rex indignatus aula deturbauit, nec quandiù vixit, remiſit. *Mommorentius aula deturbatur.* Quid *Carolus* promiſerit, cum nihil ſcripto mandatum fuerit, non eſt incomperto.

Interea dum in Gallia Cæſar eſſet, cum

Vene-

Sal. Ann. 1540. CCC. LXXXI. *Doloſa Cæſaris legatio ad Venetos.*

Venetis fœdus renouare tentauit, non tam vexandi *Solymannum* voto, quàm eorum vires attenuandi, quòd ſoli per Italiam eſſent, qui Cæſari, ne latè dominaretur, reſiſterent. Regi igitur perſuaſit, vt per honorifica legatione Venetis, ne cum *Solymanno* inducias renouarent, ſuaderet. *Vaſtius* itaquè, & *Hannebaldus*, ille Cæſaris in Mediolanenſi principatu, hic Regis in Gallia Subalpina legatus magno comitatu Venetias ire iuſſi, vt maiorem inter duos hoſce principes amicitiam confirmatam oſtentarent. Ad Caſale maius coeuntes, eadem rate Venetias ſecundo Pado nauigarunt, quibus ob tantorum virorum auctoritatem, qui ſupra veteres legatos non niſi magna de cauſa mitti videbantur, Dux Venetus *Petrus Landus* Buccentauro vectus obuiam proceſſit. In vrbem intromiſſis Senatus datur; *Daualus* natione Italus, & Cæſaris legatus prò vtroquè verba fecit; *reconciliatos protulit Reges, fraternaque concordia in* Solymannum *arma decreta; quibus ſi Italiæ Principes aſſocientur, facilè de barbaro hoſte victoriam promitti: quùm Cæſar ſuis, Germaniæque viribus, & paucis Pontificis auxilijs adiutus* Solymannum *ex Auſtria fugauerit.* Sigiſmũdum *etiam Poloniæ Regem nomen in ſocietatem dediſſe, & omnes regni ſui copias obtuliſſe, eò opportuniores, quòd cum Turcis præliari conſueuerint. Tanti laboris præmium præcipuè ad Venetos futurum cum nonnemo videat, ſperare Chriſtianam Rempublicam, Dei, & ſuam nolle deſerere cauſam.* Ad hæc Princeps reſpondit: *nullo vnquàm tempore à Patrum memoria quicquam Venetæ Reipublicæ glorioſiùs cõtigiſſe, ad quam duo præſtantiſſimi Oratores, vterque inſignis bello Dux à ſummis Orbis principibus aduenerint nuntiantes pacem inter Cæſarem, & Regem, quæ Venetæ Reipublicæ in graui rerum turbine conſtitutæ apprimè ſalutaris eſſe poſſet, ſi ſacrum bellum ſincera & religioſa fide illi ſuſciperent.* Dato reſponſo cœperunt Patres varijs certare ſententijs: minimè credentes velle Cæſarem Mediolanenſi decedere principatu: & *Franciſcum* cum *Carolo* poſſe coire. Hinc miſſis ad vtrumque legatis vt arma in tyrannum capeſcerent, cum inania apparerent promiſſa; *Ludouicum Badoerium* ad *Solymannum* miſerunt, vt pacem quauis

Venetorum reſponſum.

Sal. Ann. 1540. CCC. LXXXII. *Pax Venetorum cum Turcis.*

conditione conficeret, etiam ſi Nauplio, atque Epidauro, quæ duæ vrbes in Peloponeſo ex tot amiſſis, ſolo Veneto nomini parebant, cedendum eſſet; quamuis hoc poſtremum caput in mandatis additum non eſſet, ſed oretenus datum. *Badoerius* Byzantium appulſus cum pacem pecunia redimere conaretur; *Solymannus* eum tanquàm vanum, & mendacem minaciter obiurgauit, ac non aliter ſe pacem daturum affirmauit, niſi eæ vrbes ſibi traderentur, quandoquidem certò ſciret, eius rei tranſigendæ facultatem Legatum habere, literaſque proditorum, facti nuncias è ſinu protulit: Vnde *Baduerius* mortis metu attonitus, vrbes dedidit. Reuerſus tanta inuidia flagrauit, vt exilio, boniſque multaretur; donec conuicta *Maſæi Leonij*, & *Conſtantini Cobatij* decemuiralis Collegij Scribæ, *Franciſci Valerij*; paucorumque aliorũ perfidia, in priſtinum eſt reſtitutus. Refert *Belcarius* proditores illos *à Pellicerio Regis legato pecunia corruptos Senatus Conſultum*, Badoerijque *mandata detexiſſe*, Pellicerium *ad Regem retuliſſe: à Rege* Solymannum *horum certiorem factum fuiſſe quidam non ſine magna coniectura prodiderunt. Ita hi duo principes Venetam immò verò omnem Chriſtianam Rempubl.* Solymanno *mutua ambitione in prædam dederunt. Cæſar ne Mediolanenſi principatu cederet, Rhodum primùm, paucis poſt annis Pannoniam, quæ regno Neapolitano, atque principatu Mediolanenſi longè potior eſt, in* Solymanni *poteſtatem venire permiſit.* Indulgeat Dominus ei, qui *Carolum* bella ſuſcitando inteſtina, à ſacra expeditione euocauit.

Lib. 22. Galli arcana Chriſtianorum Turcis pãdunt.

CCC. LXXXIII. *Guilelmi Geldri cõtumacia.*

Venerat ſub idem tempus *Guilielmus Marcanus* Iuliæ, ac Cliuiæ Princeps, à *Carolo Egmundano* Geldriæ regulo (ita cogente populo) in ſucceſſorẽ aſcitus Anno 1538. cum *Carolus* morti proximus, & Cæſari infeſtus, Geldriam in Gallorum ditionem transferre tentauit, & quòd *Guilielmus* neglecto auguſtali iure vſurpauerat principatum, ac Gallis auxilia ſubminiſtrauerat, Cæſar Geldriæ tantùm præfectura, abrogato Principis titulo, dignum habuit. Princeps verò honoris ſui tenax, prouincialium hac ſuper re voluntatem ſe exploraturum dicens, Cæſaris manibus ſe opportunè eripuit: eum enim adierat,

quia

Sal. Ann. 1540. quia *Franciſcum* cum Cæſare coire crederet. Eadem opinio tenebat Germaniæ Principes. Donec Hagenoam vocatis comitijs, Hagenoæ comitia. vbi & *Ferdinandus Caroli* frater adfuit, patuit nullo modo Cæſarem, & Regem conuenire poſſe, quod neuter Inſubria cedere nollet.

CCC. LXXXIV *Tali itaq; decreto* Peluſius *à* Carolo *ad* Franciſcum *profectus eſt, vt ſignificaret: Cæſarem pacis ſtudio, vtilitati præferre priuatæ*. Carolum Franciſci *filium accepturum in generum, dotalique iure Belgarum facturum Regem, quo beneficio nihil auguſtius exſpectare* Franciſcus *poſſit, quando vtroſque filios regnis geminis, iiſque opulentiſſimis, & ad mutuam opem coniunctis inauguratos habere liceat, ac ſi deinde alterutri proles deficiat, vnus ampliſſimis totius Europæ regionibus potiri queat. Ciſalpinam tantùm depoſcere Galliam; hac, neque ſibi, neque fratri abeundum videri, non enim obſtruendum ſibi aditum ab Hiſpania in Liguriam; aut expeditum in Germaniam venturo iter amittendum; quod ſuæ dignitatis non ſit, ea pro alieno arbitrio vſurpare*. Ad hæc *Franciſcus*, quamuis ſpe concepta deiectus, hilari fronte. *Cæſari, nomine ſuo, gratias referenda*, dixit: *quod ampliora votis, pacis gratia, deferret, neque enim aliud abs ſe poſtulari, quàm vt auito iure, debitis poſſeſſionibus frui liceat, quæ aliter ſibi denegari, niſi cum pace nequeant. Belgij ſe nequaquam appetentem optimo iure* Carolo *debiti*. *Fruatur ipſe ſuis, aliena deferat, hac lege, non alia pacem colendam*. In hac vtrorumque Regum ſententia, admirandum ſanè eſt; rem tantam, quanta eſt Belgicarum prouinciarum poſſeſſio, potuiſſe deferre *Carolum*, vel *Franciſcum* recuſare.

CCC. LXXXV. Hæreticorum augmentum. Pacis expectatione diſiecta, tumidiores facti ſectarij, quòd & ijs ſe adiunxiſſent Principes Pomeraniæ, *Vlricus Vuirtembergicus*, *Robertus Bauarus Bipontinus*, *Comes Naſſouius*, Francofurtum, Campodunum, Hamburgum, Hannobria, atque Auguſta, Eccleſiaſticos poſſeſſionibus deturbarunt; querentibus catholicis, eo dicebant teneri decreto, *quo ſibi religionis cauſa litem nullam intentandam aſſererent, dum futuro concilio hæc controuerſia abſolueretur*. Contra obnitentes Catholici, *Non de religione, ſed bonis iniuria ereptis quæſtionem vrgebant inſtitui*. Coniuratis itaque in eccleſiæ defenſionem viribus, *Heſdo* auctore ſeſe obſtrinxerunt Bauariæ, ac Brunſuici Duces, *Georgius* Saxoniæ princeps cum *Moguntino*, & Salisburgenſi Archiep. Verùm Sanctum vt appellabant fœdus euanuit. Proteſtantes freti abſentia Cæſaris, protectione Daniæ, Angliæ, Galliæque Regum paſſim triumphabant. Ne autem conuenta violare dicerentur, vel cum hoſtibus Cæſaris coire, legationem inſtruxerunt ad *Carolum*, *vt qui à pace Noribergæ conſtituta, ſuis ſeſe partibus adiunxiſſent, eius pacificationis beneficio fruerentur; vtque Spirenſis iudicij ſententias in ſe religionis cauſa natas cohiberet*. Cum Angliæ tamen Rege, poſt turpem à fide defectionem, fœdus aduersùs quemuis ſuæ religionis hoſtem, in primis Romanum Pontificem percuſſerunt; non tamen Regis diuortium adprobarunt; vt nec Rex Lutheranorum dogmata de Miſſa, fide, operibus adprobauit, ne admiſſione alieni ſceleris viderentur ſuum confiteri. Cæſar eorum poſtulata neque admiſit, neque reiecit: vbique diſcrimen regni, timens vel religionis.

(Right margin: Sal. Ann. 1540. — CCC. LXXXVI Fœdus hæreticorum cum Anglo.)

Lutherani perfidi. Lutherani omnia ad caput religionis reuocabant; vnde Eccleſiaſticis bona, quibus fuerant ſpoliati, repetentibus negabant *alia ſe cauſa poſſeſſiones illas vindicare, quàm quòd à maioribus in vſum diuini cultus conceſſæ fuiſſent, ideoque à peruerſis ſacrificulis meritò ad ſe rursùs, verumque Numinis cultum traducendæ fuiſſent, ne Proaui ſuo conſilio, poſteri emolumento, Deus obſequio deſtitueretur*. Sic Acatholici impietatem in pietatem vertentes, ſi qui à Lutherana factione ad antiquam ſeſe religionem recepiſſent, hos ſuas in poſſeſſiones redire in pœnam temeratæ religionis negabant. Ita vnus *Lutherus* cum paucis aſſeclis nouus legiſlator totius Orbis arrogabat reformationem. *Heldus* Cæſaris legatus vt tanta diſſidia quoquo modo componeret, annuit *vt etiam Spirenſia reuocari poſſent iudicia, cauſa tamen priùs cognita, & ante omnia de genere cauſæ decerneretur, Religioſa ne eſſet, an politica?* Verum illi omne ſubterfugientes iudicium, Cæſareum etiam (quamuis binos ſuæ factionis homines Spiræ, cenſerent) cum aliud

Sal. Ann. 1540. aliud non patebat effugium, iudicum cauſabantur iniquitatem. Quo argumento Concilium indictum à *Paulo III.* Pontifice declinabant. Cæſaris, & Regum aſſerendo eſſe conuocare Concilia. In Germania illud expo-
CCCLXXXVIII ſcebāt, vbi totius Chriſtiani cętus vnus apoſtata iudex eſſet. Eorū creuerat audacia morte *Georgij* Saxoniæ Principis, Cæſaris, ac Orthodoxæ religionis amiciſſimo, qui nullis liberis relictis, *Henricum* fratrem, *Mauricium*, & *Auguſtum* nepotes hæredes teſtamento ſcripſerat, ea lege *nè formam religionis immutarent: niſi parerent, ditiones ſuas Cæſari attribuit, donec proximior ex familia conditionem impleret*. Mortuo *Georgio* fratris ditiones *Henricus* inuaſit, & fraterni teſtamenti ſpreta conditione *Lutherum*, vt ibi Saxonicam doctrinam propagaret, accerſiuit. Biennio ante à Proteſtantibus in fœdus *Henricus* receptus fuerat cum filio *Mauricio*; & quoniam tenui fortuna erat, ne quid contribueret, eidem indultum. Opulenta hæreditate auctus, eandem cum cæteris conditionem ſubire coactus eſt. Nummum Iconicum *Henrici* cuſum poſt aditam hæreditatem *vide ſupra n. 380.*

Georgij Saxoniæ mors.

CCCLXXXIX. Hagenoam itaq; cogitante Cæſare vtriuſque partis viros euocare pro Religionis concordia, *Farneſius* à Pontifice ad *Carolum* legatus, quòd *Franciſcum* & *Carolum* aduerſùs *Solymannum*, maiori pacis emolumento ſociandos iure exiſtimaret; neque ſtabile aliquid à perfidis & Deo rebellibus hominibus crederet expectandum, lamentabatur, quòd ſe inconſulto de religione futurus eſſet conuentus, *Quid enim vel ad dignitatem religionis, vel ad Germaniæ ſalutem, vel ad Chriſtiani orbis præſidium auſpicatò conſuli poſſe ſine auctoritate Summi Pontificis? qui rerum ſupremus arbiter eſſet: poſtquàm eximia pietate inſignem ſemper dediſſet operam, vt diſſidentes componeret; nec vnquàm in tantis nauigationum, ac itinerum incōmodis grandæuus ſenex ætati, aut vitæ perperciſſet? profectò malis artibus de pace agi, quando ruente Republica ad confirmandas tantummodò priuatorum opes omnia ſtudia verterentur*. Excuſabat Cæſar, vana ſpe à *Granuellano* ſeductus, poſſe Proteſtantes ad concordiam adduci; & ab eis in Turcas auxilia impetrari. Vnde fruſtra orante *Farneſio* Hagenoam Cęſar comitia indixit.

Farneſij legati Pontif. oratio.

Sal. Ann. 1540.
Quod cum *Farneſius* ſciuiſſet, mox è Belgio concepta abijt indignatione. Venit *Ferdinandus* cum Theologis, & Epiſcopis; Principes Acatholici legatos, & religionis miniſtros miſere. *Lutherus* Vvirtembergæ ſubſtitit, *Melanchthon* morbo per viam detentus eſt, *Bucerus*, *Brentius*, & *Oſiander* adfuere. Fidem ſuam exponere rogati? *Auguſtanam Confeſſionem* decem ante annos vulgatam protulère. Orthodoxi violatam hanc obijciebant tamen vt concordiæ aliquando fieret initium, ſtaret ſaltem decretum in receſſu iſtorum comitiorum, & Noribergæ conditum, atque obtinerent iſtic reconciliationis inchoatæ capita. Contra hæc non ignorantes catholicorum occupaſſe bona, petierunt nouis legibus fœdera renouari, hoc eſt, *vt occupata retinerent, & nondum obtenta occupare poſſent*. Tantæ audaciæ benignè, & moderatè *Ferdinandus* reſpondit, *bona hæc in medio futura, nulli adiudicanda parti, donec de iuſtitia, & æquitate iudex cognoſceret*. Negarunt acquieſcere ſectarij, volentes *priùs eſſe fidei abſoluendam controuerſiam, quàm de bonorum poſſeſſione lis intentaretur*. Contra hæc *Ferdinandus* cum non audiretur, ne ſpem pacis abrumperet, ad XXVIII. Octobris prorogauit inducias, vt Vvormatię noua haberentur comitia, quibus ſe adfuturos ea conditione Sectarij dixerunt, vt *ſi Pontificij iſtic legati comparerent, eos ſe principi loco nunquàm habituros aſſererent*. Iam *Franciſcum* Regem cum Cæſare haud conuenturum intellexerant, idcircò ſe contumaciores præbebant. CCCXCI. Tempus cum aduenisſet, *Nicolaus Perenottus Granuellanus* cum filio *Antonio* Epiſcopo Atrebatenſi, & Hiſpanis Theologis Vvormatiam venit: vbi aderant & ſectarij ſupradicti, quibus acceſſerant *Melanchthon*, & *Caluinus* qui ob flagitium Sodomiæ Geneua eiectus, Argentorati exul annis quinque vixerat. Cæſar Legatum Anglicum, qui ad eadem comitia Pontificis deprimendi gratia adſpirabat, interim detinebat in Belgio. *Granuellanus*, ac *Thomas Campegius*, quem *Paulus* Papa in rebus à fide diſſonis interpellatorem miſerat, cum impedire minimè potuiſſet congreſſum, de pace, deque vniuerſali habendo concilio, quòd

CCCXC. Hagenoæ comitia.

Comitia Vvormatiæ.

Caluini vitia.

Sal. Ann. 1541. quòd Vicentiæ *Paulus* decreuerat, verba fruſtra fecere. Nam Acatholici Concilij, ac Pontificis nomen deteſtantes, ad publicam diſputationem prouocabant, à qua Monachi, & Romanæ gentis homines deberent excludi: ſoli Germani Orbem ſeligerent in prouinciam, & ſoli cæteris legem darent. Generale *Campegio* exhibente concilium, ipſi ad Prouinciale appellabant.

CCC. XCII.

CCC. XCIII. Fruſtra inſudari Cæſar aduertens, datis ad *Granuellanum* literis, comitia ſoluit, Ratisbonæ Menſe Martio, omnium per Germaniam principum conſpiratione, vltimoque conatu reſumenda.

CCC. XCIV. *Comitia Ratisbonæ An. 1541.* Primus omnium Ratisbonam Cæſar venit. Miſſus etiam, admonito Pontifice, cum ampliſſima poteſtate *Gaſpar Contarenus* Cardinalis, literis, ac virtute clariſſimus. Decidendi tamen ne credas facultatem in rebus fidei *Contareno* delegatam, hanc enim incomunicabilem Pontifex poſſidet. Adfuere *Albertus Brandeburgicus*, Cardinalis & Elector *Moguntinus. Salisburgenſis*, & *Bremenſis* Archiepiſcopi, octo per Germaniam Epiſcopi, plures Principes cum comite *Haſſiæ*. Saxo abfuit, *Lutherus* ſubterfugit; ille tamen legatos deſtinauit. *Melanchthonem* etiam licet obluctantem miſit, quòd hauſto iam largiùs *Caluini* ſpiritu iam paci eſſet auerſus. Venit tamen Electore cogente, ſed malis auibus: nam in itinere, cum ad ſuperiorem Palatinatum veniſſet, aurigæ negligentia factum eſt, vt vehiculo, quo vehebatur auerſo, dextra manus oſſiculis quibuſdam quaſſatis grauiter læderetur. Auxit malum chirurgorum error, qui cum luxatam eſſe negarent, negligentia fecit immedicabile vulnus. Quod etſi poſtea ſollicite, etiam adhibito Cæſaris chirurgo, homine *Burgundo* curaretur, vſum manus minimè recepit.

Melanchthonis diſcrimen.

CCC. XCV. Coacto conuentu, *Fridericus Palatinus* Cæſaris nomine, nonis Aprilis orationem habuit, vt inteſtinis odijs *Semotis, contra immaniſſimam Turcarum tyrannidem Europæ imminentem animos, & arma coniungerent: quòd hiſce diſſidijs Reſpublica Chriſtiana concideret. Contra hanc perniciem tot annis, totque remedijs in caſſum Cæſarem laboraſſe, cupere tandem vt quàm ſeriò religionis deciderentur articuli, & pax toto orbe quæſita, feliciter poſſideretur*. Laudarunt Sectarij Cæſaris voluntatem, ſed cum de collocutorum methodo, perſonis, numero ſermo recurreret, eadem contentio recruduit. Vrgebant Lutherani, *vt velut in publico theatro inſtitueretur colloquium, vtq; in eo liberum eſſet omnibus non modò ferre ſuffragium, ſed & palam contradicere; vt Collocutorum ſententiæ integrè per notarios exciperentur*. Cæſar verò illam ſibi nominandi facultatem dari poſtulat; ac obtinet, vt hinc ex catholicis tres *Ioannes Echius*, *Iulius Plugius*, & *Ioannes Gropperus*; ex Lutherani totidem *Philippus Melanchthon*, *Martinus Bucerus*; & *Ioannes Piſtorius*, conciliandi viam inuenirent. V. Kal. Maias conuenerunt, præſidentibus *Federico Palatino*, & *Granuellano*, *Theodoricus Mandeoſchitus*, comes, *Eberartus Rudenus*, *Henricus Haſſius*, *Franciſcus Burcartus*, *Io: Figius*, *Iacobus Sturnius*, tres vtrinque quaſi teſtes adfuere. Colloquutores hortatus eſt *Palatinus*, vt amicè conferrent, & Cæſaris expectationi, quam de illis concepiſſet, ſatiſfacere conarentur. *Granuellanus* iiſdem libellum tradidit à nonnullis viris pijs, doctiſque Cæſari oblatum ad conciliationem ineundam, vt videtur, peridoneum: id illis velut argumentum, in quo ſe exerceant proponi, quod probabunt, authoritate ſua confirment, quod non probabunt, cenſura notent.

Sal. Ann. 1541.

Librum concordiæ Cæſar exhibet.

Libellum hunc ſecretò Cæſar per *Granuellanum* reuidendum Nuntio *Morono*, & Legato *Contareno* obtulerat, vt vnà cum *Ioãne Groppero* perlegerent. Cum hi conueniſſent, Nũtius & Legatus facilè *Gropperum* cognouerunt auctorem, ſed ita docilem vt quæcumque *Contarenus* cenſura notaret, lubens ſubſcriberet. Ita Collocutoribus exhibito, de quibuſdam non magni momenti conuenère, minimè de præcipuis, vt *de Euchariſtia, de Eccleſia, eiuſque poteſtate, de ſatisfactione, de vnitate, & ordine ſacrorum miniſtrorum, de Sanctis, de Sacra Liturgia, de Cęlibatu*. CCC. XCVI.

Liber examinatur à legato Pontif.

In iſtis colloquijs *Melanchthon* reliquis intractabilior ex eo credebatur, quòd à Gallico oratore ſollicitari diceretur ad ſuſcipiendam profectionem in Galliam, quam Anno 1535. cum à Rege per literas euocatus eſſet, in- CCC. XCVII.

Melanchthon à Gallis inuitatur.

Sal. Ann. 1541. aliud tempus ſuſpenderat. Alij certis cancellis à *Luthero* aſſerebant incluſum, quos egredi non poſſet, ita Saxoniæ iubente Electore. Cumque *Melanchthon* Cæſarem ſua aſperitate offenſum intelligeret, literas ad eum dedit, purgandi ſui gratia in quibus tantum gloriatur indulſiſſe catholicis, vt à ſuis accuſaretur. Cæterum eò animi obſtinati fuit, vt cum de auctoritate Generalis concilij quæſtio recurreret, *Catholicorum ſententiam ne quidem in tauro Phalaridis probandam aſſereret*;

CCC.XCVIII. *Melanchthō falſi conuictus.* quoduis ſuppliciorum genus ferendum inſinuans, quàm vt cauſam ſuam Eccleſiæ, vel Generali Concilio definiendam ſubmitteret. In colloquio de *Euchariſtiæ Sacramento*, vbi *Melanchthoni* per Catholicos obiectum fuit, quòd *decimum articulum Auguſtanæ Confeſſionis in poſterioribus editionibus fœde mutauerit* (nam verbum *Adeſſe* ſuſtulerat;& vltimum articulum, quo Sacramentarij damnatur, remouerat) cum falſi crimen negare minimè poſſet, reſtituere coactus fuit cum rubore, quod furtim abſtulerat.

CCC.XCIX. Abſoluto colloquio, quod exeunte Maio factum eſt, liber Cæſari redditus fuit cũ concordatis,& non concordatis; huic Proteſtantes adiunxere formulam prò corrigẽdis abuſibus Eccleſiaſticis, auctore *Martino Bucero*.

CCCC. Ex aduerſo Principes Catholici requiſiti & ipſi ſuam proferre ſententiam, ſe humiliter remiſerunt Pontificio Legato, Cæſarem rogantes, vt ea cum legato diſcuteret, quod ſedulò fecit. *Contarenus* verò perlectis omnibus, quæ Cæſari collucutores obtulerant,

CCCCI. *Contareni reſponſum ſuper librum.* ita reſpondit; *Quia Proteſtantes in quibuſdam dogmatibus à conſenſu Catholicæ Eccleſiæ diſceſſerunt, ad quem paulatim per Dei gratiam reduci poſſint, videri conſultum, ne quid ampliùs de rebus iſtis nunc definiatur, ſed vt omnis cauſa referatur ad Summum Pontificem per Generale concilium, aliave via pro rerum, & temporum conditione, ſecundum catholicam veritatem ad eum modum definiendam, vti toti Chriſtiano Orbi, & nobiliſſimæ nationi Germanicæ expedire fore videbitur*. Ita ſemper ad Oecumenicum concilium ab omnibus prouocatum, tam ijs, qui hoc deſiderarent, quàm qui auerſarentur; quod receptiſſimum in ægritudine remedium reſpuere erubeſcerent: optabant ſyncere Catholici, voce Acatholici; vt in quo, diuerſarum nationum ſententijs damnandos non minùs, quàm *Huſſum*, alioſque olim præuidebant ſectarios. *Sal. Ann. 1541.* CCCCII. *Plurim concilium formidāt.* Gallus hoc ſuo emolumento Principes à *Carolo* diffidere, & vires attenuari cupiebat imperij. Pontifex, ac Cæſar non extra metum: ille, ne Lutherani eum pro Concilij capite negantes; Conſtantienſe decretum de Concilio ſuper Pontificem agnoſcendo repeterent. Hic ne *Franciſco* Gallorum Regi, ſine cuius aſſenſu Concilium difficile ſperabatur, nimium cogeretur tribuere. Hinc ſæpè poſtulatum, ſæpiuſque retardatum hæſit.

Porrò cum Proteſtantes corruptam arguerent Eccleſiæ diſciplinam; CCCCIII. *Cleri reformatio facta à Contareno* *Contarenus* in priuato Epiſcoporum conſeſſu ſeriò, ex voluntate Pontificis admonuit, *Vt vitam ab omni procul cupiditatis, & ambitionis ſuſpicione remotam agerent*. Ab ijſdem rogatus, ſcriptis edere, quæ ore produxerat, exarauit.

CCCCIV. *Sectariorum poſtulata reformatio.* Porrò cum hæc emendatio ſectarijs non placeret, hanc vnam cupientibus legem quę bonorum Eccleſiaſticorum rapinam indulgeret; clamabant, *ex populi conſenſu miniſteria Eccleſiæ diuidenda eſſe, ciuilem cum Eccleſiaſtica Iuriſdictionem ſociandam, vt qui legem non timeret, gladium formidaret: propterea ad populi principes, Epiſcoporum bona cum officio transferenda. Coniuges Eccleſiaſticis dandæ, ne cum meretricibus ſeneſcant. Sacrorum nundinationem, quæ ſimonia dicitur, extirpanda. Cleri abundantes poſſeſſiones in pauperes erogandas iuxta naſcentis Eccleſiæ inſtituta. Puerilem ætatem fundamentis Euangelicæ doctrinæ imbuendam. Facinoroſos ab Eccleſia expellendos. Veterum Romanorum reuocato more cenſores creandos, qui non ſolùm de Sacris miniſtris, ſed & de cæteris omnibus inquirant, noxioſque ſua notent cenſura*. Vno verbo contendebant, vt Pontifice, cum Clero, ſua poſſeſſione deturbatis, *Lutherus* cum nouis profeſſoribus ſuccederet, ac populus crederet, quæ Proteſtantium domini definirent. Hac ſpe Germanos allicerant, *Fridericum Saxonem* præcipuè *Alberto Moguntino* Epiſcopatum Magdeburgicum inuidentem. Hæc reliquos Germaniæ principes deceperat, vt tam lautæ fidei nonnemo

aſſen-

Sal. Ann. 1541. aſſentirentur, vbi ex S. Scripturæ teſtimonio in prædijs Eccleſiæ liceret graſſari pietatis prætextu.

Cæſar quum de concordia fruſtra quæri, & ſurdis fabulam cani cerneret, de protrahenda controuerſia, cogitare cœpit. Mora hæc non ingrata Proteſtantibus erat, qua ſuas hactenùs vires magnopere ſentiebant augeſcere. Præter enim quamplurimas vrbes alij Principes, in quibus Rex Daniæ, ac Vvirtembergicus Smalchaldico fœderi ſe obſtrinxerant, ſpreto Noribergico pacto, vna aſſerentes ſe lege teneri, nempe Euangelio. Indignum cognoſcebat Cæſar totam Eccleſiam vni ſubdere nationi, quæ toti orbi legem daret, exemplo nullis ſeculis cognito. Inflexit tamen eum periculorum à Turca imminentium magnitudo, vt ſibi in hoſtem hæreticorum conciliaret auxilia, inuitus iniuſta concederet.
CCCCV. Publico itaquè cauit decreto, quod *Interim* vocarunt, *Vt diſceptatio omnis de fide, vel ad Generale totius orbis concilium, vel prouinciale Germaniæ deferretur. Quòd ſi Pontifex obluctetur, tunc Statuum Imperij alius indicatur conuentus, in quo de religione agatur, quo tandem ad finem pacis omnia perducantur.* Cætera priuatos ſpectant vt *de Inſignibus*, ſiue *Armis Gentilitijs*, quæ ad hiſtoriam non faciunt. *Cæſaris decretum. Interim dictum.*

Compoſitis vtcumque animis, in Turcas auxilia promiſerunt ſectarij, non tamen ſeruarunt, ad culpam forſan prouocante Cæſaris indulgentia: ſiquidem haud multò poſt *Otto Princeps Palatinus*, ac deinde *Fridericus* Septemuir, vxor vidua *Erici Brunſuicenſium* Ducis, *Melanchthone* ſollicitante, orthodoxam eiurauit religionem. Auſtriacæ etiam ditionis homines clandeſtinis hæreticorum actibus excitati à *Ferdinando* religionis libertatem poſtulabant. Impetrauit hiſce comitijs Cæſar, *vt Sectariorum Proceres à Galliæ Regis ſocietate auelleret; tum vt* Guilielmus Cliuiæ *Princeps, ob occupatam recens Geldriam, quam* Carolus *ſibi vendicabat, reus proclamaretur Maieſtatis. Ne quis Germanus Francorum ſtipendijs militaret.* *Proteſtantium augmentum.*
Hanc Proteſtantium indignationem, ſeuera in hæreticos per Galliam animaduerſione *Franciſcus* prouocaſſe dicebatur, recenti Germanorum edoctus exitio, nè igne, quem in domo accenderat aliena, ſuam combureret. CCCC. VI. *Franciſci rigor in hæreticos.*

SOLYMANNVS HVNGARIAM INVADIT. Anno 1541.

CCCC. VII. DVm Ratiſbonæ haberentur comitia, *Solymannus* magnam Hungariæ partem contra *Ferdinandum* occupauit. Concertatio de hoc regno inde nata, quòd *Ludouico* Rege olim ad Belgradum à Turcis proſtrato, *Vvaiuoda* ope *Solymanni* aduersùs *Ferdinandum* regnum occupauerat, & cum eodem *Ferdinando* pacem omnibus vtilem tandem inierat, quibus vtriuſuè partis oppida reſtituebantur; & *Ioannem* non *Vvaiuodam*, vt ſolebat *Ferdinandus* à vetere Tranſyluaniæ præfectura, ſed Regem appellare tenebatur. Additum erat caput, quod non in publicum euulgatum, ſed metu *Solymanni* in arcano conditum multi Hungarorum proceres ſubſcripſerant, quo cauebatur, vt ſi *Ioannes è vita excederet*, Ferdinandus *tota potiretur Pannonia*.
CCCC. VIII. *Pactum Ferdinādi cum Vvaiuoda* Solymannus enim id regnum vi captum *Ioanni* beneficiario iure conceſſerat. Quum de hac concordia *Solymannum* ſuppreſſo poſtremo capite *Ioannes* conſuluiſſet, probauit ille, & vt difficili, ancipitique bello honeſtè defungeretur, hortatus eſt. At *Hieronymus Laſcus*, qui à *Gritti* cæde in carcerem conditus, & non niſi multis *Sigiſmundi* Regis precibus liberatus fuerat, ideoque ad *Ferdinandum* defecerat, ab eo Byzantium miſſus poſtremam fœderis conditionem *Solymanno* aperuit, haud metitus quantum *Ferdinando* detrimentum nimio *Ioannis* odio inferret. Hinc iratus *Solymannus* ingratum *Ioannem* appellauit, qui muneribus tyrannum delinire coactus, apud Pontificem *Paulum*, Regem *Franciſcum*, & apud Venetos de *Ferdinando* prolixè queſtus, ſuadentibus Hungarorum proceribus, regnum ad externum Principem transferri ægrè ferentibus, quaſi in vindictam, licet ætate prouectus, & frequenti valetudine debilis vxorem duxit *Iſabellam* filiam *Sigiſmundi* Regis Poloniæ, ex qua *Stephanum* ſuſcepit. CCCC. IX. *Vvaiuoda vxorem ducit.* Mortuo *Ioanne*, & ad Albam Regalem ſepulto, cum *Iſabella* arma timeret *Ferdinandi*, legatum cum muneri- *Mors.*

neri-

Sal. Ann. 1541. *Stephanus Hungarorum.*

neribus ad *Solymannum* miſit. Interim *Stephanus* infans Rex coronatur, & acclamatur. Miſit & *Ferdinandus* vt regnum à *Solymanno* impetraret, *Hieronymum Laſcum*, ſed à Legatis *Iſabellæ* præuentus, minimè propitium Turcam inuenit. *Nicolaum* quoque *Salma* ad *Iſabellam* miſit, vt prolatis recentis fœderis tabulis, regnum *Ferdinandi* factum eſſe doceat; filio eius Scepuſianam prouinciam ex eodem fœdere, ipſi amplos redditus, dotemque promittat. *Georgius* Varadinenſis Antiſtes, ac *Petrus Vichius* pupilli tutores à *Ioanne* deſignati, ne cum Regina *Salma* colloqueretur, impedimento erant, & luctum eius obtendebant: at illa tutorum arrogantiam ſupra ſuam auctoritatem id moliri interpretata, *Salmam* ad colloquium admiſit. Mandata explicanti demiſſo vultu benignè reſpondens, totum negotium in *Sigiſmundum* patrem reiecit. Is longinquo bello cum Moſcouitis occupatus, non niſi longo poſt tempore reſponſurus videbatur.

Salma, quæ viderat, ad *Ferdinandum* retulit: *Reginam è* Georgij *Cucullati nutu pendere, illum ſub infantis nomine regnare cupere. Magnates inter ſe partitas prouincias, externi Regis, ac præpotentis dominatum effugere: Pannoniam nonniſi armis vindicandam,*
CCCCX. *priuſquàm Reginæ legati Byzantio redeant, & Turcæ deſcendant in ſuppetias.* Ferdinandus itaque ad fortunam rurſus armis experiundam excitatus, ſub Duce *Leonardo Velſio*, Vicegradum, mox deinde Peſtum, Vacciam, atque Albam Regalem non magno negotio occupauit. Regina ab *Vſtrepho* Illyrici, & *Mahomete* Belgradi præfecto opem initio huius belli implorarat: illis è prouincia ſua iniuſſu Imperatoris exire ſibi non licere dicentibus, per legatos ad *Solymannum* profugit, qui cum ea conditione aſſereret *Vvaiuodæ* donaſſe regnum, vt ad poſteros tranſiret, ſi beneficij memores Turcarum Imperatorem patronum agnoſcerent, munera ad infantem mittens, ſe eius tutelam ſuſcipere declarauit; *Mahometique* natione Dardano, atque *Vſtrepho* Præfectis ſuis, vt in auxilium deſcederent, imperauit. Hæc omnia expedita erant, antequàm *Laſcus* morbo implicitus, Byzantium appelleret.

Ferdinād. mouet in Hungaros

Sal. Ann. 1541. *Ferdinādi legatus à Turcis carceri datur.*

Initio ſatis benignè acceptus, quùm ad *Solymannum* admiſſus liberiùs de Cæſare, & *Ferdinando* loqueretur, in carcerem conditur, ſed aliquantò poſt dimiſſus eſt. *Vſtrephus*, ac *Mahometes* nihil hyemis aſperita-
CCCCXI. tem morati collectis copijs in Pannoniam deſcendunt; tamen quum ibi ſine claſſe quæ tormenta, commeatum, impedimenta vehat, bellum commodè geri non poſſit, Dannubio gelu concreto, ad Tolnenſem ripam conſiſtere coacti ſunt, vbi ob frigoris aſperitatem amiſſo milite: nec tamen Imperatoris iniuſſu redire auſi, extrema potiùs omnia perpeſſuri: adeo ſeuera apud illos militaris eſt diſciplina. Declinante hyeme, accitis ex Illyricis montibus *Martelosijs*, qui feri latrones in ſpeluncis latitant, Pannoniam ingreſſi, Vacciam oppidum nullo præſidio defenſum incendunt: inde Peſtum oppugnaturi progrediuntur. Peſto præerat *Barcocius* Hungarus prætorianæ alæ præfectus: quem plerique alij Hungari Duces cum ſuis alis comitabantur. Aderat *Otho Fotiſcus* cum decem Germanorum cohortibus, qui ſtrenuè vrbem propugnabant. Turcæ cum equitatu abundarent, peditatu laborabant, & ad obſidionem minimè idoneo. Certabatur ſæpius equeſtribus prælijs, in quibus Hungari vt plurimum victores euaſerant. Propugnaculum turris quadratæ inſtar in vrbe altius erectum erat: vnde tormēta Chriſtianorū Turcarum munitiones perrumpebant: contra è Budēſi arce diſploſa interiecto dumtaxat fluuio, Peſtana ædificia demoliebantur. Quum aliquandiù ita certatum eſſet, & Regina *Iſabella* commeatum rariùs mitteret, quòd annona laboraret, equique conceptis antea morbis magno numero quotidie interirent, *Vſtrephus*, ac *Mahometes* traiecto Dannubio, tormentis Reginæ bona fide reſtitutis in patriam rediere: non læui damno ab Hungaris in reditu intercepti. Nuntio ad Cæſarem (qui Ratisbonæ erat) perlato de Turcis repulſis, de Pannonia conſeruanda benè ſperare cœpit; & quia de Turcarum reditu crebri rumores erant: ſubſidio miſſus eſt *Guillielmus Rochandulphus* cum aliquot Germanis cohortibus, Dux ætate quidem prouecta, ſed viridi ſenecta; qui decennio ante Budam infœliciter oppugnarat. Viennam pro-

Solyman. mouet in Ferdin.

Turcæ Peſtū obſident.

Obſidionē ſoluunt.

Sal. Ann. 1541. CCCC. XII. *Budam obſident Auſtriaci.* profectus, ibique muralibus tormentis acceptis, & Bohemorum, Sleſitorum, ac Moldauorum collectis auxilijs, Velſianum auxit exercitum, ac prouiſo in tres Menſes commeatu, ſecundo Dannubio Budam oppugnaturus deſcendit, quod *Velſius* prior Dux ſemper improbarat. In periculum tamen Buda adducta, non dubiè etiam intercipienda, niſi ſemel vi, ſemel inſidijs patefactum in vrbem aditum *Rochandulphus* neglexiſſet; Erat is in ſtatarijs prælijs vir fortis, ac ſtrenuus, ſed vrbibus oppugnandis non ſatis idoneus. Ad montem D. Gerardi collocatis tormentis turrim à *Ioanne* Rege paucis ante annis extructam ita verberauerat, vt mox collapſura videretur. Quia verò ob interiacentem vallem ad inuadendum difficilis aditus eſſet, vel quòd arci parcendum exiſtimaret, quæ à multis Regibus longo iam tempore ædificata, non niſi ingenti ſumptu inſtaurari potuiſſet, tormenta ad Iudæorum tranſtulit ſepulchra. Inde murum ab ea porta ad arcem pertingentem tanta vi tormentorum quaſſauit, vt ad centum & viginti paſſus vix ad humanæ ſtaturæ altitudinem extaret, & breuibus ſcalis facile ſuperari poſſet; magno Budenſium terrore. *Rochandulpho* tamen vel non animaduertente, vel nocte inſtante, occaſione præterita; & Budenſes omnis ſexus accurrentes, & in opus tota nocte incumbentes, nouum intùs aggerem erexerunt: Fruſtra Germanis ſub auroram per ruinas in vrbem irrumpere tentantibus. Primus *Otho Fotiſcus* penetrauit, ſocios intromiſit in domum muro coniunctam; quum ibi vſque ad recentem aggerem diù pugnatum eſſet, Germani & loci iniquitate, & hoſtium fortitudine repulſi cedere, & cadere coacti, fere octingentos amiſère: nec *Perenus*, qui murum inter Sabatinam portam, Horſacamque iuſta ruina proſtrarat, fœliciore exitu lætabatur, minori tamen ſuorum iactura. Inde cuniculis agi cœptum. Sed anticuniculos hoſte opponente, nihil profectum. Potiorem potiundæ vrbis occaſionem *Rochandulphus* prçterijt. Budenſis I. C. *Bornemiſſa Georgio Varadinenſi* infenſus, *Franciſco Reualio* in caſtris Auſtriacis I. Conſulto portulam, qua pacis tempore ad fluuium deſcendebatur ſe adaperturum promiſerat, qua Hungaros Auſtriacos intromitteret. Annuit *Rochandulphus*, ſed quum nocte condicta Auſtriaci Hungari intromittendi eſſent, vel vt cœptæ vrbis laudem ad ſe transferret, vel quòd ſuis Hungaris non ſatis fideret, prò Hungaris quatuor Germanorum immiſit cohortes, Germanorum cataphractorum equitum manu ad viciniorem portam collocata, qua à ſocijs patefacta in eandem irrumperent. *Bornemiſſa* quum Hungarorum loco, Germanos offendit, ſua opinione deceptus, nam Hungaros Budenſibus non infenſos intromittere ſperauerat, portula illa ad Auſtriaca caſtra euaſit. Amiſſo Duce Germani, dolum abeſse ſuſpicantes lentè incedebant, & ſine teſsera, quam poſtulantes Budenſes, nec Germanis redentibus, ad arma conclamant. Germani ſe proditos conijcientes vt citiùs fugerent, abiectis haſtis, poſtremos in manu reliquerunt hoſtili.

Horum certior *Solymannus* cum nouis copijs *Mahometem Dardanum* in Pannoniam vna cum *Mahometo Belgradenſi* legauerat. *Andreæ Auriæ* ingentem claſsem exornanti, *Hariadenum Barbaroſſam* iubet occurrere. *Muſtapha* Nicopolitano præfecto, in *Stephanum Maylatum* arma ſumere, quòd is à *Ferdinando* ſtaret; *Petro Moldano* Valachorum regulo, vt *Muſtapha* adeſset, mandauit. *Moldanus* triginta ſuorum equitum millia *Muſtapha* copijs adiungit; & *Maylatum* perfido dolo in caſtra, publica fide acerſitum comprehendit, ac *Solymanno* deducendum tradit. Aduenientibus Turcis variè ſentiebant Auſtriaci. *Perenus* obſidionem ſuadebat ſoluendam, & in munitiori loco expectanda auxilia. Vicit pertinacia *Rochandulphi*, quòd conſtantis Ducis, exercitū potiùs amittere, quàm pedem referre aſſereret. Caſtris igitur ad Girardi montis radices translatis, qui inter Budam, & caſtra poſitus latam planitiem orientem verſùs reſpiciebat, à fronte foſsa, atque aggere in quo bona tormentorum pars collocata eſt, muniebantur: caſtris ponte iuncta erat parua inſula, ex qua aggere inſtructo, cum muralibus tormentis hoſtiles naues repellere, & planitiem obliquè infeſtare facile erat. *Cepelliam* proximam, ſed maiorem inſulam in qua-

Sal. Ann. 1541.

CCCC. XIII. *Solymannus iterū monet in Ferdinandum.*

Sal. Ann. *1541.* quadraginta mille paſſuum longitudine protenſam Hungaris munire ſuadentibus, renuit *Rochandulphus*, ne viribus inferior, copias diuideret. Pontem potiùs, coagmentatis inter ſe nauibus, Dannubio imponere deſtinabat, vt caſtra cum Peſti mœnibus coniungeret: vbi tantus erat commeatus, vt per totam hyemem ſaturaret exercitum. *Mahometes* ex aduerſo caſtra conferens caſtris, quingentis aut paulò pluribus paſſibus interiectis, aggere, foſſa muniuit. Velitationibus concurſum protinùs, & Germanis ſuperiores Turcæ fuere, eorum equis ad has pugnas ineptis. Tormentis indè potiùs, quàm militum armis pugnatum eſt. Paruam inſulam, Germanis excubias negligentibus cœpere Turcæ, quam Auſtriaca claſſis pari clade recuperauit. Diſpari tamen conditione quòd Turcæ ſaucijs Belgradum remiſſis, nouos & plures ſubmitterent milites; Auſtriacis verò in locum demortuorum ſubmittere non eſſet. In hoc rerum ſtatu *Valentinus Thuracus*, qui cum duobus equitum millibus à parte Turcarum erat, aſſumptis Ianizeris, Hungaros caſtris depulit, & Girardo monte potitus vndique premebat Auſtriacos. *Valentinus Perenum* de *Solymanni* aduentu clam admonuiſſe fertur, *ſe ſuoſque Hungaros è præſenti clade eriperet: Germanos ſuæ pertinaciæ pœnas dare pateretur.* Is ad *Rochandulphum* refert, quo diſcedere renuente, *Salma* ad *Ferdinandum* mittitur. Sed magis imminēte periculo, receſſus indicitur, tenebris ingruentibus. Admoniti Turcæ à duobus Vaſaronibus transfugis ad arma conclamant, in caſtra irruunt Germanorum, vbi excitato tumultu, nullum ducum in tanto tormentorum ſtrepitu audiebatur imperium, ſaucio *Rochandulpho* tabulati fragmento tormenti pila diſiecto. Peſti flammas accenderant, qua properantes Germanorum naues clarè perſpiciebantur. *Caſſonus* Turcicæ claſſis præfectus, occaſione vſus trepidantes adoritur, multas capit, vel demergit. Soli Bohemi, *Othoniſque Fotiſci*, atque *Helchij* fortium ducum Germani pedites pro caſtris dimicantes honeſtam obiere mortem. Peſti tanta conſternatio fuit, vt quùm vrbs facile defendi poſſet, omnes ſtatim profugerint. Viginti hominum mille

CCCC. XIV. *Auſtriaci à Turcis victi.*

cecidiſſe ſcribunt. *Rochandulphus* inuitus à ſuis in nauiculam ſublatus, Comaræ partim vulnere, partim mœrore contabuit. *Solymannus* regni opulentia captus, immemor datæ fidei Buda Reginam cum filio puero vltra Tibiſcum in Lippam abire iuſſit. Ita *Iſabella* quæ *Scepuſianam* prouinciam à *Ferdinando* oblatam dedignata erat, cum proceribus, qui eadem regnandi libidine, ad tyrannum confugere ſuaſerant, meritas impiæ ambitionis dedere pœnas: firmiſſimo Chriſtianorum amiſſo præſidio, quod agrorum vbertate, metallorum copia, & pecorum frequentia, Chriſtianæ fidei fuerat propugnaculum. Clade cognita *Ferdinandus* *Leonardum Velſium*, qui ante *Rochandulphi* aduentum prudentis ducis munere functus erat, & Budæ obſidionem nequaquàm probarat, in Comaram inſulam ad colligendas reliquias miſit exercitus. *Nicolaus Salma* & *Sigiſmundus Litheſtainius* ad *Solymannum* legati fuere cum ampliſſimis muneribus, vt Hungariam ijſdem fere conditionibus, quibus ante *Laſcus*, poſtularent, (oh cęcitas miſerabilis, à Cæſare rogari tyrannum.) Munera addebat, ſine quibus nullus ad *Portam* aditus. Erat præter aureum gemmis diſtinctum poculum, conflata argento machina, quæ admirabili opere, Cœlorum motus, ſyderumque errores, præſertim Solis Lunæque occurſus per ſua temporum ſpatia exhiberet, ita quidem vt ponderibus, rotiſque librata, ſuo ſe motu regeret, tam æquali orbium cœleſtium æqualitate, vt *Solymannus* earum rerum non incurioſus obſeruator, artificij admiratione hæſerit. Frugaliſſimè primùm à Purpuratis excepti ſunt menſa, oryza ſcilicet ac veruecina carne, potu ex fonte miniſtrato. Sic frugalitate ſua noſtri luxus eſt facta reprehenſio. A menſa ad *Solymanni* prætorium ſinguli inter purpuratos duos medij ita deducti ſunt, vt leuatis hinc inde brachijs ad manuum oſcula adhiberentur. Hac honoris ſpetie cautum tyrannis eſt, ne quod malum ab ingredientibus accipere poſſint. Legati, exhibitis muneribus, *ſub ijs legibus* Ferdinandū *regno inaugurari poſtularunt, quibus id* Ioannes *obtinuerat, eò quòd infanti ſuperſtiti multis potior titulis eſſet*; ſed biduo poſt reſponſum accepere.

Sal. Ann. *1541.*

CCCC. XV.

Solymannus Reginam Iſabellam cū puero relegat.

CCCC. XVI.

Munera mittit.

Vt

Sal. Ann. 1541. Vt Ferdinandus *cæteris in Pannonia locis cederet, ac perpetuò obnuntiaret; tum deinde Auſtriam Turcis vectigalem ſubderet; niſi arma cum eis malit, quàm pacem experiri*. Legati indignatione diſſimulata, inducias rogarunt, vt *Ferdinandi* ſententiam explorarent; negauit tyrannus ſpatium, ne vires colligendi hoſtibus indulgeret. Sal. Ann. 1541.

CAROLI V. EXPEDITIO AFRICANA. II. Ann. 1541.

CCCC. XVII. EOdem tempore, quo *Solymannus* in Hungariam, in Italiam Cæſar contenderat, Africanæ intentus expeditioni, vt *Aſanagam* præfectum *Barbaroſſæ* Hiſpaniæ infeſtum littoribus, Algerio, atque ab iſtius maris poſſeſſione depelleret, non ſine Germanorum odio, quòd gentilicijs focis & aris deſertis, ad aliena occupanda tantis terrarum, æquorumque ſpatijs properaret, fugientis potiùs quàm more victoris. Lucam Italiæ vrbem cum veniſſet, *Paulus* Pontifex, & *Andreas Auria* à maritima expeditione deterrebant, quòd autumno ad hyemem inclinante, per difficilis eſſet nauigatio. Cæſar verò (ita interpretatur *Belcarius*) cum tantos belli apparatus, quanti, vt reſiſteret neceſſarij erant, Turca imminente facere non poſſet: præſertim quòd Proteſtantes tardiùs auxilia promiſiſſent, necdum ſatis certa eſſent: nè *Solymanno* cedere, aut eundem timere videretur, in Africam vires ſuas etiam inopportunè conuertit. Nonnihil Papa cum Cæſare de pace cum *Franciſco* egerat ineunda, ſed fruſtra: quamuis *Morinus* Gallorum legatus adeſſet, (violatas à Cæſarianis querens inducias) quia *Rinconius* & *Fregoſius* Gallorum legati, Byzantio à Turca reuerſi, in Pado flumine, diſſimulatis perſonis deprehenſi eſſent (neque enim interijſſe adhuc conſtabat) quæ noui deinde belli occaſio fuit. Non immeritò *Rinconius* dicebatur cæſus, quòd is Hiſpania proſcriptus, capitiſq; in eum pœna iam decreta, tanquam ad hoſtem transfuga eſſet. Cęſar tamē & *Vaſtius* oblato ad purgationem duello, hanc ſuo imperio patratā negabant cædem. Tāto teſtimonio quid apponerent, Gallis deerat, præter violentam ſuſpicionem. Latebāt ſiccarij, conſtabat delictum, latebat auctor.

Diſſuadetur ab Auria.

CCCC. XVIII. *Quæſtio de legatis occiſis.*

Reluctante interim Pontifice Cæſar Genuam petit, vbi cum Italicis copijs ab *Auguſtino Spinola*, & *Camillo Columna* ſubitario delectu conſcriptis, ac Germanorum ſex millibus in onerarias exceptis, e Lunenſi portu *Auria* totam claſſem moderante, ſoluit. Ad Baleares inſulas *Ferdinandus Gonzaga* Siciliæ præfectus cum triremibus Siculis, & onerarijs CL acceſſit; *Mendoſius* & *Ferdinandus Toletanus Albæ Dux*, cum Hiſpana claſſe, & Hiſpana nobilitate, coniungendi apud Algerium erant. Ventorum iniuria, quos *Carolus* aduerſos diętim offenderat, fortunam eripuit; quia nec vnà appulerunt, & hoſtibus militem colligendi ſpatium dedere. X. Kal. Nouemb. ad Algerij littus peruenit, ſereno Cœlo, ſed ex recenti tempeſtate turbido mari, vnde in terram noluit exponere milites adhuc nauſeantes, & madentes, inſtante hyeme. Mendoſiana cum aduenisset claſſis, ſuos in terram expoſuit, Mauris, Numidiſque in noſtros irruentibus facilè repulſis vi tormentorum è triremibus, & lenunculis proximè ad terram appulſis. Primam aciem cum Hiſpanis *Gonzaga*, mediam cum Germanis Cæſar, poſtremam cū Italis, quibus Melitenſes equites admixti erāt, *Camillus Columna* ducebāt; equitibus *Albanus regulus* præerat. Ita incedentes circiter mille paſſus progreſſi ſunt, vbi pernoctarūt, Numidis tota nocte caſtra laceſcētibus, quibus Cęſar aliquot Hiſpanorum cohortes oppoſuit, poſtridie ad vrbē acceſſit. In apicibus montiū conſedere Hiſpani, Numidis repulſis: in medijs collibus inter Germanos Cæſar prætorium fixit: planioribus in locis Itali poſuere caſtra iuxta portam vrbis, quam mare alluit. Fuit *Algerium* olim *Iubæ* Numidarum principis regia, quam *Iuliam Cæſaream* Romani vocabant, aſperis, excelſiſque montibus à tergo, ad Septemtrionē mari cingitur. Inſula haud procul obiecta, & *Barbaroſſæ* ſtudio, continenti adiuncta, portū efficit, nō tamen ſatis capacē, nec Aquilonibus immunē. Aſſurgunt à mari cum domibus mœnia. Littus oblōgū ſed anguſtū. Vicinos colles gradatim in abruptiſſimos montes natura extollit. Incolarū opes, pecus, armēta. Pręerat vrbi *Aſanagas Eunuchus natione Sardus, qui à Chriſtianis ad Mahometana defecerat*, cū Turcis octingentis, pręter quinque millia Maurorū, & mu-

CCCC. XIX. *Claſſis Carolina tempeſtate direpta.*

Sal. Ann. 1541. & multitudinem Numidarum equitum, quos *Aſanagas* mercede conduxerat. Omnia cum ſibi aduerſa Cæſar proſpiceret, cum Deo primùm reconciliationem quęſiuit; Sacra cœna vſus, & vti idem exercitus faceret, imperauit. Cum tormentis vrbem quatere Cæſar deſtinaſſet, minimè Cœlum plaudere viſum eſt. Dum enim tormenta de nauibus aſportantur, tam aſpera, atque importuna, poſt effuſum largiſſimum imbrem, tempeſtas mare terramque occupauit, vt colliſæ inter ſe naues miſerabili interirent naufragio: In terra gelidis aquis à prima noctis vigilia perfuſi milites nec arma manibus regere, nec immerſa cœno veſtigia refigere poterant. Opportunitatem adorti barbari, in tres Italorum cohortes, quæ extra caſtrorum foſſam medio inter portá, vrbemque ſpatio excubabant, prima irruentes aurora, ſagittarum, ac lapidum grandine non leui ſtrage perculere, quòd noſtris ſclopetorum vſu, extinctis pluuia fomitibus, aut corrupto puluere adempto, hoſtes graſſarentur

Pugna cum Barbaris. impunè. Tantam audaciam *Columna* repulit; *Gonzaga* fugientibus inſtandum ducens, *Auguſtinum Spinulam* ad perſequendum cohortatus cum Italis in barbaros fugientes irruens, magna fudit alacritate vſque ad portam vrbis, in quam cum barbaris irrupturi erant, niſi occluſa fuiſſet & lapidum iaculorumque ingenti procella defenſa. Itali verò ſeſe recipientes è muro Sclopetis periti paſſim cæſi fuere. Occaſionem adortus *Aſanagas* cum ſuis alia porta effuſus, quinque ſtudiorum iter non parua Italorum cæde compleuit; erant enim magna ex parte tirones ob præcipitatam Cæſaris profectionem collecti: Soli Melitenſes fortiter reſtiterunt paucis amiſſis ſe ad caſtra recipientes. Accurrerant etiam Mauri, & Numidæ, in quos Germana immiſſa legio parum profuit, quòd & ipſa vexillis, & fugientium trepidatione abrepta, terga verteret; Cæſar contra omnem fortunam ferreus, atque in communi omnium conſternatione imper-

CCCC. XX. *Cæſar militem fugientē reuocat.* territus, diſtricto gladio, vultu ac vocis ſono ad audendum compoſito, *Itane* (inquit) *Germane miles leuem hanc barbarorum manum non ſuſtines?* Nec mora; pudore ſimul atque indignatione concitati hoſtem facile repreſſere, frementem tamen, & muſſitantem mare & Cœlum pro eis in Chriſtianos pugnare. Noua namque procella in oculis Cæſaris naues abſorbebat. In *Noua tempeſtas.* tam ancipiti fortuna fremebat *Auria*, quod damnatos obſeruatione nauigantium, inclinantis Autumni dies, non ſua ſed Cæſaris obſtinatione coactus negligere, in hanc ſe fortunam dediſſet, contra omnem tamen Cœli, mariſque iniuriam adeo infractus perſtitit, vt priuatam illi ſalutis curam ſuadentium voces acerba verborum caſtigatione repudiaret, ac publicæ ſalutis diceret proditores. In altum itaque claſſem ducens, maluit cum ventis decertare, quàm inter ſcopulos certa nece perire. Paucis horis centum quadraginta nauigia, quindecim triremes periere; lenunculi omnes deſiderati, totoque ferè commeatu demerſo, Cæſar equis, qui ſuperfuerant, interfectis, triduò alere militem coactus fuit. Superos auerſos intelligens, ſecurum cogitabat reditum, aſſerens *vnum ſe malle Chriſtianum* *Recedit.*

CCCC. XXI. *ſeruare, quam mille Turcas perdere.* Altera luce, triplici agmine Algerio copias abdu- *Caroli pietas.* xit, ad Matafuſium promontorium accedens, quò *Auria* claſſis reliquias ſubduxerat.

Hic cum nauibus omnes excipi poſſent, iuſſit omnes ad vnum equos in mare proturbari, *quòd hominum aliquantò Cæſari minor, quàm iumentorum habenda ſit ratio.* Die tertiò dimidia Hiſpanorum parte in naues recepta, venti iterum inflarunt mare, vt reliqua pars vix in naues admitti potuerit. Naues quæ maturius anchoras ſoluerant, minus ſubiere diſcrimen; quæ tardiùs tempeſtate iactatæ vix cæteras aſſequi potuerunt. Prima Melitenſium triremis, fractis rudentibus in ſcopulos eiecta, maluit ſe ventis credere, quàm redire. Hanc tres aliæ ſequutæ, rapientibus ventis, Buziam, quæ aliquot ante annis ab Hiſpanis capta fuerat; euaſerunt, Cæſare cum claſſe inſequente. Buziam pauci inſederant Hiſpani à Nauarro quondam relicti, quibus rarus inerat commeatus, quia nil ſoli poſſidebant. Maioris tamen minoriſque pecoris copia tametſi exigua viros recreauit primarios: bona ſpe cæteros impleuerat nauis Lyguſtica

Sal. Ann. 1541. ca commeatu onuſta, ſed dum appropinquabat, illiſa ſcopulis, naufragium fecit. Buziam cum appuliſſet Cæſar, cognito nauium naufragio, quas Algerium præſidio reliquerat, Rhodios, & Siculos miſſionem poſtulantes dimiſit. Ipſe pacatioribus ventis ad Baleares, inde nouam Carthaginem nauigauit, quaſi ventorum triumphator, quos in caput ſuum conſpirantes, tanta vultus, animique conſtantia tolerauerat. Rerum infelicem exitum ſuæ meritò imputabat pertinaciæ, & diuina quodammodo caſtigatum iuſtitia, quòd in Pannoniam opportunas non tuliſſet ſuppetias: Vel nimis tumidũ ſibi ſymbolum erexiſſet cum in Africam ſecundò nauigaret: Columnas ſcilicet in medio mari, quaſi *vt in Cœlo Deus, in terra Cæſar*. Vide nummum n. 427. *Sal. Ann. 1541.*

FRANCISCI EXPEDITIO ITALICA, ET BELGICA. Anno 1542.

CCCC. XXII. Algerianæ expeditionis infelicitas menſe Decembri in Galliam perlata *Franciſco* Regi, belli renouandi occaſionem dedit. Vſque adhuc conſilia in occulto fuerant, in publico arma. *Carolo* contra Turcam abſente, in Italia Veneti, & *Solymannus* dicebantur ſollicitati. *Langæus* inclinatam multorum ſub duro Hiſpanorum iugo fidem oppugnabat minori fortuna, quàm ſolertia: nam detecta Alexandriæ proditio Hiſpanos excitauit, quos induciarum fides ſecuros fecerat. Horum tamen vigilantiam *Langæus* fefellit, cum nocte vna geminas vrbes *Claraſcum*, atque *Albam* adortus, ea celeritate in mœnibus adfuit, vt iam veniſſe Albani ſentirent. *Franciſci* tamen *Landriani* virtus, & *Hieronymi Vidæ* antiſtitis eloquentia profuit, vt illo Duce, hoc monitore inflammatus populus hoſtem propelleret. Solum Claraſcum amiſſum eſt; cuius *Galli Claraſcũ occupant.*

CCCC. XXIII. damnum vt ſarciret *Vaſtius*, minora duodecim Gallo oppida abſtulit. Ita pari clade in Italia certabant. Geminum interim *Franciſcus* coegerat exercitum, quem aſtutè in Italos dirigere iactabatur, ſed in Hiſpanos votum erat. Duobus hiſce exercitibus Duces dederat *Henricum*, & *Carolum* filios; huic Belgium; illi Hiſpania patris obtigerat decreto. *Vaſtius cladem rependit.*

Belgis maius imminebat diſcrimen: iuncto *Guilielmo Iuliæ* principe, cum Gallorum fœderato *Chriſtiano Daniæ* Rege; in Arteſiam etiam *Vandomio* è Morinis regiæ ſtirpis adoleſcente effuſo, *Carolum* Regis filium adiuuantibus. Tribus itaque exercitibus tres adoriuntur prouincias. Rex Danus, Iuliæque princeps *Roſſemium* cum quatuordecim millium copijs, Brabantiæ immiſit, quam ingreſſus, Hoſtratum deditione occupauit; vbi pilarum, & tormentarij pulueris vi ingenti reperta, Antuerpiam occupaturus acceſſit. Ab exploratoribus doctus, *Renatum Aurantium* in ſuppetias Antuerpienſium deſcendere, celeritate viam iuxta Breſcotum præoccupat; cumque ſyluæ ad inſidias opportunæ deeſſent, peditatum medijs ſe campis iuſſit proſternere, ipſe cum equitatus parte, ſe ſpeciem exploratorum præbuit, in quem incedentes Aurantiani, dum cædem vrgent, ſubitaria acies, velut ranę de terra natæ attonitos circumſtetit, vexilla ſpargit, tympana pulſat, equitatus ex victo repentè victor lateribus inſtat, vt nulla ſalus præter fugam eſſet, & clementiam. Per confertos hoſtes *Aurantius* eques cladis ſuæ nuntium Antuerpianis attulit. Apud eos conſultatum agebant viri fortiſſimi *Lucius Vrſulus*, & *Nicolaus Schemerius*, qui in omnem ſeditionem cautè omnia prouiderant. *Trino exercitu Galli irrumpunt.* CCCC. XXIV. *Aurantius vincitur.*

Roſſemius cum vrbi appropinquaſſet, per legatum vrbem dedi poſtulat; Qui cum reſponderent, *præter Cæſarem nullum agnoſcere dominum*, dicente Legato *illum iam à piſcibus deuoratum eſſe*, replicarunt *poſt triduum illum cum Iona reuicturum*. Antuerpianorum animaduerſa conſtantia, dum ſeſe alijs infundit populabundus prouincijs; alter regiorum filiorum *Carolus* adfuit, quem *Claudius Guiſius* Lotharingi Ducis frater ſtipauerat, victorijs in Lutheranos clarus. *Antuerpianorum lepidum reſponſũ.*

CCCC. XXV. Lucemburgũ adortus, ſubitò ſui iuris fecit tanto vicinorum metu, vt plerique Gallis ſe darent. Vnum Iuodium paluſtri foris aditu, foſſiſque præaltis, Germano defenſum milite, *Caroli* diu impetum ſuſtinuit, vt proinde voce *Guiſius*, literis Pater filium reuocaret. Renuit tamen generoſa indoles; & tranſ- *Lucemburgum à Gallis captum.*

Sal. Ann. 1542. tranſlatis in collem proximum tormentis, extremam maluit experiri virtutem, quàm inter victos cedere victor.

Eodem tempore ad Pyrenei radices ſitum Perpinianum licet belli timore ſolutum *Henricus* alter filius infeliciter oppugnabat; Gallorum mora *Albanus* vſus, terra, marique *Mendoſius* militem, bellicumque apparatum vrbi ad omnia imparatæ immiſerant; iamque tota Hiſpania parabantur ſuppetiæ. Turcarum claſſem duce *Barbaroſſa* aſſerunt defuiſſe Gallo, quamuis *Antonius Polinus* Gallorum apud *Solymannum* legatus nihil induſtriæ ad impetrandam omiſerit; & quia Veneti, (quos fœderis participes Turca cupiebat) duriores eſſent, Byzantium *Polinus* repetens, grauiter & penè inſolenter cum *Solymannum* inſtaret, ne *Franciſcum* Hiſpaniæ fines, ſpe adfuturæ claſſis penetrantem, deſtitueret, acerba oratione Eunuchus offenſus reſpondit, *Solymanni amicitiam non eſſe promiſcuam, ſed ad Gallorum tantummodò emolumentum captari. Teſtimonio erat proxima in Pannones* Solymanni *expeditio, vbi prò Turcis nullus Gallus adfuit*. Reſponſum cum *Polino* deeſſet, extremum ſubiturus periculum, ad *Solymannum* ipſum largitione ſibi aditum aperuit, poſtulata renouans. Turca vero compoſitis ad ſimulationem verbis, *bona ſpe eſſe iubet, proximo anno maiorem, quàm poſtularet, ſe immiſſurum claſſem, quæ tarditatem penſaret præteritam*. Hæc in ſpetiem promiſſa, vt Regum ſuo emolumento aleret diſſidia. Quo cognito *Franciſcus* ex Hiſpania in Italiam copias reuocauit, non leui Cæſaris detrimento. *Sal. Ann. 1542. CCCC. XXVI. Galli Turcas euocant in Cæſarem.*

Tantis cladibus afflictus *Ferdinandus* Spiræ comitia indixerat, vt Hungariam, Germaniæ redimeret propugnaculum; vbi non ſine rumore, ac peſſimo exemplo auditi ſunt Gallorum legati, diſſuadentes Germanis ferre in Turcas auxilia. Ingens fuit Germano- *Spiræ comitia.*



rum apparatus, & Heterodoxorum Principum coniurata voluntas. Conſpirauit & Pontifex, tribus millibus miſſis Duce *Vitellio*. Aderat *Mauritius* Saxo non ignobilis miles, & cum *Conrado Haſſo*, *Ioachimus Brandeburgicus* iam Proteſtantibus addictus, totius exercitus Imperator. Ex Germanis ſeptem & triginta millia, quibus acceſſerant Hungari, Stirij, Itali non impari numero. Supremi Ducis mora, periculorum metus hoſti tutiora omnia ad defenſionem permiſerat. In Peſtum itum, initio feliciter pugnatum, quaſſata mænia, *Vitellio* præcipuè rem ſtrenuè agente; ſed vbi irruptione prima cognitus eſt adeſſe hoſtis, nouaque per Drauum immitti ſubſidia, *Ioachimus* receptui canens, nullo facinore edito, plenus dedecore & ignominia copias reduxit; omnibus muſſitātibus, noluiſſe Turcam vincere, nè aliquandò à *Ferdinando* vinceretur.

CCCC. XXVI.

Sal. Ann. 1542. tur. *Leonem* ſibi pro ſymbolo aſſumpſerat *Ioachimus*, ſed non probauit. *Ferdinandus* verò *Bicipitem aquilam* cũ Crucifixi Imagine, quòd ſe ſuaque præpotẽti Deo committeret. Sal. Ann. 1542.

TRIDENTINVM CONCILIVM. Anno 1542.

CCCC. XXVIII. VLtimum moturus lapidem pro pace *Paulus* Pontif. Max. præhabito Cæſaris conſenſu, vulgato per Europam diplomate XXII. Maij, An 1542. Synodum inchoandam decernit Feſto omnium Sanctorum, quo ante quatuor & viginti annos ſuam *Lutherus* Vvittẽbergæ fuerat hæreſim auſpicatus. Circiter Kal. Nouemb. tres legatos Cardinales *Paulum Pariſium* Hetruſcum, *Reginaldum Polum* Anglum, *Ioannem Moronum* Inſubrem miſit. Neque in Cæſare mora fuit, cuius nomine *Granuellanus* adfuit, vrgens aperiri concilium, ratus conſpiratione ſynodica Pontificios à *Franciſci* partibus ad Cæſarem inclinandos, ac proinde acri in Gallorum cum Turcis confœderationem oratione per filium Epiſcopum Attrebatenſem habita, inuectus, qua ſurgentis hæreſis incrementa, & Chriſtianæ Reipublicæ clades in vnum Gallum detorquebat, vt in Cęſaris partes Pontificẽ traheret. Sed vbi Gallorum demerita, & ſui beneficia, Cæſar recitauit, & (nam Nouariam Pontifici obtulerat; *Octauio* Pontificis nepoti Mediceas opes, cum filia ſua in vxorem dederat) *Paulum* inexpugnabilem reperit, fauore in offenſionem verſo, collectam Sacerdotibus Hiſpanis à Pontifice impoſitam, exigi negauit; militem Cæſareum hyberna ſubire in Pontificia ditione paſſus, *Fabritio Columna*, & *Franciſco Vrſino* exulibus remagentibus, vt terrorem Romanis incuteret.

NOVA CAESARIS IN ITALIAM EXPEDITIO.

CCCC. XXIX. *Nuptiæ Philippi cum Maria Luſitana.* QVò verò ſecuriùs in Italiam deſcenderet, non minùs familiæ voluit, quàm regno conſulere. *Philippo* itaque filio XVI. ætatis annum agenti *Mariam* filiam *Ioannis* Regis Luſitaniæ collocat: eidem Hiſpaniæ Regi creato Hiſpanos Sacramentum dicere iubet: Albanum Regulum copijs militaribus præficit. Germanis, qui anno Superiore Perpinianum traiecerant, Hiſpaniæ præſidio relictis, duodecim Hiſpanorum peditum millia; & ſeptingentos equites in Italiam tranſmittit, *Auriana* claſſe. Supra quadraginta nummum aureorum myriades Hiſpani in hoc bellum contulere: magnam vim auri Rex Luſitanus addiderat: fœdus

CCCC. XXX. *Angliſ fœdus cum Cæſare.* cum *Henrico* Angliæ Rege, iuramento, quo ſe Pontifici obſtrinxerat, poſtpoſito, renouarat. Anglus à Gallo abalienatus, quòd *Iacobum V.* Regem Scotiæ, de regnorum finibus altercantem pecunia iuuerat, facile cum Cæſare in gratiam redijt. Tantum poterat æmulatio, vt agnati ſanguinis iura inceſtis nuptijs, & fœdo ſchiſmate religionem temerantem Regem in ſocium admitteret. Haud ingratum fuit *Henrico* fœdus, vnde familiari ſymbolo vſurpare viſus eſt lemma, *Cui adhæreo, præeſt*, vt armato Anglo inter Hiſpanum, Gallumque ſtanti inſcripſerat, arrogantia tamen quàm virtute maiori.

CCCC. XXXI. *Cæſar & Papa Buxeti conuenit.* Inter tot bellorum irritamenta non deſtitit Pontifex pacem quærere. Vix altero apud Cæſarem legato obtinuerat Pontifex, vt ſe conuentum vellet: quòd inutili mora bellum iam deſtinatum protraheret. *Buxeti* Parmenſi oppido conuenere XXIII. Iunij. Fruſtra cum tentaſſet Pontifex, vt bellum auerteret, poſtulauit, priuſquàm abſcederet, *Marinum Grimanum* Cardinalem audiret; quòd ſi ab opinione ſua non recederet, id propalam in Senatu exponeret, vt penès Italos pertinaciæ famam minueret. Arriſit Cæſar, ne temerè videretur arma tractare; & aduocato Senatu *Grimanum* inter eos eloquentia, ac dignitate Principem audijt diſſerentem; ſed nihilo motus eas in *Franciſcum* renouauit querelas, quas ante Romæ, Niceæ quondàm pacem ſuadentibus expoſuerat. *Cæſar pacem recuſat.* Regi tamen *Ferdinando* opibus ſuis ſe adfuturum pollicitus, ne in Hungaria deſertus à fratre, hoſti præda fieret, triginta cohortes in auxilium miſit. Deſperata itaque pace, & Turca imminente, reuocatis Papa legatis Synodum Tridentinam in tempus reiecit opportunius.

Eo-

Sal. Ann. 1540. CCCC. XXXII. *Turcæ in Gallorum auxilium.* Eodem tempore ad Oſtiam Tiberinam ingenti Turcarum claſſe *Hariadenus* appulſus, tantam Romanis trepidationem intulit, vt de deſerenda vrbe cogitarent, niſi *Polinus* Gallorum legatus ſequenti epiſtola conſternatos erexiſſet. *Claſſis* (ita Iouius) *quæ à* Solymanno *ad præſidium Galliæ*, Barbaroſſa *præfecto mittitur, & præſcripto mihi paret, vt nemini, præterquàm hoſtibus noſtris noceat. Itaque edicito Romanis, cæteriſque Pontificiæ ditionis oram incolentibus, vt nihil hoſtile à nobis timeant. Nuſquam enim fidem ab eorum Imperatore præclarè datam Turcæ violabunt, & vos prò comperto habetis* Franciſcum *Galliæ Regem nihil habere antiquius non incolumen modò, ſed maximè florentem, ac ideo ab omni impiorum iniuria defenſam velit.* Nec decepit, nam incolumi ora Romana, littora Neapolitana populatus, Maſſiliam appulit. Vbi nondum expeditis Regis conſilijs, moræ impatiens, Gallorum deteſtabatur fœdera, quòd ſolo nomine certarent.

Nicæam oppugnant Nicæam denique vrbem Sabaudo pignori traditam, & bellorum illic fontem, adiuncta Gallorum claſſe aggreditur, tanta Turcarum induſtria, vt Gallorum opera illis collata vileſceret, atque conuicijs notaretur. Neglecta acceſſit tormentarij apparatus copia, quam Galli mutuari à Turcis coacti, tantam barbaro indignationem conciuerunt, vt receptui canere ſtatim iuſſerit. Eum tamen vili etiam degeneri obſequio *Polinus* *Sal. Ann. 1540.* tantiſper retardare curauit, donec intercepтis *Alphonſi Vaſtij* literis, eiuſque cognito aduentu, trepidans, atque fremens Turca Tolonem vela dederit, vbi magno procerum ſtudio, atque prouinciæ impendio hybernauit. Anno ſequenti, Saniori regis conſilio, miſſione accepta *Barbaroſſa*, Etruſcos, Brutios, Liparam inſulam populatus hoſtibus, atque amicis æquè perfidus, tot Chriſtianos in ſeruitutem abduxit (Gallis nequicquam deprecantibus) vt fame, mœroreque confecti totum Mare, Byzantium vſquè cadaueribus inſternerent. Ita Gallus cognouit qua fama, qua gloria, quo iure immaniſſimi hoſtis præſidia euocauerit. *Vaſtius* vbi cum *Sabaudo* Nicæam ſpolijs, flammiſque deuaſtatam inuiſiſſet, *Simeonis* præfecti collaudata virtute, collectum militem in Monteuici oppugnationem vertit, quo vi & fraude in deditionem recepto, vicina Aſtæ oppida Gallorum armis erepta, ſuæ iterum fecit poteſtatis. Hæc in Italia: CCCC. XXXIII.
Dum in Germania Cæſar, Bonnæ luſtrato milite adiunctis *Aurantij* copijs cum exercitu quadraginta ſex millium, *Duram* mouit Iuliæ oppidum non ignobile, & opera *Guilielmi* Ducis aduerſus omnem vim hoſtilem ſatis munitum. Præter murum cortili ex



latere eductum, foſſa duplici, valloque intra vtramque foſſam ad muri faſtigia aſſurgente cingebatur; quo ſtante nulla vis muro inferri poterat. Occupatio aggeris difficilis erat, quòd propugnaculis ad defenſionem opportunis, tormenta in omnem latum ita explicaſſet, vt aſcendentibus locus non eſſet. Incolæ natura pugnaces primo aduentu Cæſarianorum equitum alam, fugæ ſimulatione in ſiluarum anguſtias deductam magna

Sal. Ann. 1543. gna clade multauerant, occiſis binis præfe-
ctis, & *Zucero* veteri militiæ Duce intercepto. Veteri etiam gloriabantur Romanis à
Ex Hiſt. Iulij Cæſaris. ſe illata clade *Titurio Sabino*, & *Caio Cotta*. Præfectus vrbis *Flattes* nomine per ſubſidiarium militem, idoneam bello armauerat iuuentutem. *Martinum Roſſemium* exploratæ audaciæ, ac felicitatis militem expectabant in ſuppetias, vnde Cæſaris videbantur irridere conſilium.

Pro libertate gloriabantur pugnare, & *Guilielmus* qua potuerat, induſtria excitauerat. Nummum excuſſerat caſtrenſem, in quò *à Centauro abripi patiebatur libertas, fœminæ expreſſa ſimulachro, ne vim vlteriorem pateretur.* Hinc ad Gallos confugerat, Hiſpanorum odio, à quibus velut à monſtris abhorrere dicebant.

Carolus verò celeritate vtendum ratus, Hiſpanis, & Italis ad prima pericula tum corporum, tum animorum agilitate expeditioribus, inuadendæ vrbis negotium dedit. Paulò ante lucem quadraginta maioribus tormentis ad ſept. Kal. Septemb. concuſſus agger, quùm ſatis videretur depreſſus, & foſſæ anterioris aqua vſque ad militum vmbilicum dumtaxat perueniret, Hiſpani, Italique nullo ſigno dato in aggerem conſcenderunt: quum reliqui in armis ſtarent. Multi ex vtriſque è muro à Durenſibus cæſi fuerunt, & *Flattes* præſidij præfectus è domo muro propinqua adorientes ſclopetis, tormentiſque grauiſſimè affligebat. Hanc Magiſtri tormentorum oppugnare iuſſi, tam feliciter egerunt, vt conuulſis, emotiſque tecti fundamentis defenſores omnes vnà domus ruina ſepeliuerint. *Flattes* ipſe inter cæmenta perijt, cuius morte Durenſes exterriti, rari prò muro pugnabant. Hiſpani verò atque Itali animo confirmati Summum murum ſcalis plicatilibus conſcendentes, vrbem ingreſſi, militem, ciues nullo ſexus, ætatiſue diſcrimine trucidarunt; quòd circiter ſexcentos in oppugnatione amiſiſſent, vrbemque direptam mox incenderunt, Cæſare non prohibente, vt ea clade vicini exterriti ad deditionem feſtinarent. Profuit hæc Cæſari acerbitas, vi-
Plurimæ vrbes Cæſari deditæ. cinæ namque vrbes Ruremunda, Iuliacum, Venlona *Caroli* humanitatem quàm arma experiri malentes, venienti aperuere portas. Tempus, quo Dura eſt incendio conſumpta ſequenti comprehenditur Chronodiſticho. *Sal. Ann. 1543.*

DVra InCenſa IaCet, DVra CerVICe rebeLLIs
qVo rVIt, aVgVſtI menſIs & enſIs erat.

Guilielmus ipſe deſperata pace, Venlonę *Carolo* ſupplex factus ſpem ſuam in manu victoris repoſuit. Et licet ad Cæſaris proſtratus tribunal *Brunſuico*, & *Aurantio* deprecatoribus vteretur, hoc vnum à Cæſare habuit, vt in poſterum Geldriæ dumtaxat præfectus Cæſare aſſentiente appellaretur, nomine Principis abſtineret, Gallo amicitiam renuntiaret. *Guilielmi* mater virilis animi fœmina, ignominioſæ ſubiectionis CCCC.
impatiens, indignatione mortem accelera XXXIV.
uit. Seueritatem tamen, noua humanitate *Pax cum Duce Guilielmo.* *Carolus* temperauit, promiſſa *Guilielmo* coniugali fœdere *Maria* filia *Ferdinandi* Romanorum Regis, ſi *Vandomij* Galli Ducis filiæ thalamo obnuntiaſſet, quod libens fecit, Ratisbonæ nuptijs conciliatis, additumque à Cæſare priuilegium, quo fœminæ (inconceſſum hactenus) deficiente virili ſexu, in hæreditatem ſuccederent.

Geldrenſibus ſubactis, & *Martino Roſſemio* cum cohortibus ſuis in militiam ſuam adſcripto, *Roſſemius militiæ Cæſaris adſcribitur.* Landreſium mouit egregio recens opere à Gallo munitum, ipſum aggredi *Gonzagæ* imperauit, quum valetudinis gratia ipſe Querceti ſubſiſteret. Huc alter ex Belgio exercitus, *Areſcotto*, & *Burano* Ducibus; huc etiam *Galoppo* Duce fœderatæ Britannorum aduenerant copiæ, vt tribus locis, trino exercitu ciuitas peteretur. Tur-
ris erat mœnibus adiuncta, in cuius defen- CCCC.
ſione incolæ inſudabant; hancque quatere XXXV.
Cæſar Landreſiū obſidet. fruſtratis tormentorum ictibus, ſine fruſtra *Gonzaga* tentabat. Interea *Franciſcus* ingentibus adeſſe copijs nuntiatur. *Gonzaga*, quem amnis à cœteris diuiſerat, *Areſcotum*, & *Galoppum* in ſuppetias vocat, vt iuncti hoſtibus occurrerent. Renuerunt pertinaces, vſque imperiti, potiùs ad ſe veniret *Gonzaga*, reſpondentes, ipſe licet indigna poſtulantibus, acceſſit. Et ecce *Franciſcus* inſtructo exercitu, pugnæ aleam potiùs ſubiturus, quàm vrbis periculum deſertu-

Sal. Ann. 1543. *Landreſio Rex ſuppetias fert.* ferturus. Stabat diſtributus in aciem Cæſarianus miles, ſed loco immobilis Gallorum expectabat incurſum. Tum Rex *Briſaccum*, & *Decarſum* equeſtris armaturæ duces in hoſtem deſtinat, qui velitationibus tanquàm iuſto certamini præluſuri eum occupet, ipſe interim dextro cornu latiùs explicato, commeatum ſenſim, nouumque vrbi præſidium impunè infert. *Gonzaga* verò quòd *Roſſemius*, ac *Mauricius* cum copijs non aduenifſent, diſcrimini militem exponere minimè ducens, prælium inire non auſit. Rex voto potitus, Caſtrocameroceſtrum redijt, nouoque auſu, peneque temerario ſubſtitit, hoſti pugnam facturus. Adfuit feſtinatò Cæſar, & pugnæ auidiſſimus, caſtra caſtris obiecit. Minoribus ſæpiùs certatum prælijs, amne prohibente nè Cæſariani totis caſtris pugnarent: cuius tranſeundi conſilium cum in diem ſequentem remiſiſſet Cæſar, *Franciſcus* contentus, quòd Landreſium exemiſſet periculo, motis ſecunda vigilia caſtris, tacito abitu, omnes *Sal. Ann.* 1543. fefellit, cum ignibus, impedimentiſque nonnullis relictis, exercitus ſpetiem hoſti faceret excubanti. Expectatione deiectus Cæſar, Cameracum abijt, & per vrbis Pontificem qui è Croia familia erat, Regem ſimulat conſilium cœpiſſe occupandæ vrbis: propterea Cameracenſes arcem extruerent, qua libertatem ſuam tuerentur. Hanc illi nimium creduli ſuis ædificarunt impenſis: ædificatæ Cæſar præſidium impoſuit, cui Cameracenſes, quamuis Cæſari ſacramentum dicant, ſtipendium pendere coacti fuere. Cameracenſes cùm *Carolus* ad Gallum propendere ſuſpicaretur, libertate ſpoliauit. Vrgente poſtea hyeme, in hyberna dimiſſo milite, *Ferdinandum Gonzagam* ad *Henricum* Angliæ Regem legatum miſit, vt eum ſequenti vere in Gallum incitaret. Ipſe Spiram ad indicta Germanis abijt comitia.

CCCCXXXVI. *Cameracum occupat Cæſar.*

SOLYMANNI IN HVNGAROS EXPEDITIO. Ann. 1543.

CCCCXXXVII. INter *Caroli*, *Franciſcique* diſſidia, *Solymannus* auſpicia obtinendi Pannoniam vrgenda ratus, gemino adfuit exercitu. Alterum Duce *Amurathe* Valponij muris admouit, quod cum vim Turcarum non ferret, deditione tranſijt incruenta. Soclenſes vbi obfirmatiùs reſtitiſſent, Hungaricæ nobilitatis virtute defenſi, vltimo fortunarum ac vitæ diſcrimine multati ſunt. Altero exercitu, *Solymannus* ipſe iuncto ſibi *Amurathe* Strigonium primò, deinde Albam Regalem fortiſſima regni munimenta aggreſſus eſt, ſed impari culta præſidio, ferocem Barbarorum impreſſionem effugere non potuerunt. *Torniellus* cum paruis, quos *Ferdinandi* auſpicijs collegerat, hoſtem videre non audens, vrbes aliquot muniuit præſidijs: Sera *Ferdinandi* auxilia ſolertia præueniente Turcarum. Primis itaque Pannoniæ potitus vrbibus Buda ſcilicet, Strigonio, & Alba Regali, ijſque nouo opere in omnem Chriſtianorum impetum præmunitis, toto orbi metuendus eſſe cœpit.

An. 1544. CCCCXXXVIII. *Vaſtius victus.* Non propterea *Carolus* & *Franciſcus*, de pace cogitabant. *Franciſcus Borbonius* Anghianus Dux prope Padum *Vaſtium* vicerat; is propè Dorthonam *Petrum Strozzam*, qui in gratiam *Franciſci* ſuis ſtipendijs militem ex Italia coegerat. Ceſſerat tamen *Anghiano* inutilis victoria, *Pirrho Stipicciano* Cariniani præfecto *Anghiani* eludente obſidionem. Ducibus verò vrgentibus Gallis, ne ab obſidione *Anghianus* recederet, victoriæ fructum amiſit. Si enim victo *Vaſtio* in Mediolanenſem irruiſſet principatum, vt *Anghiano* in votis erat, vel Cæſarem è Gallia euocaſſet, vel Mediolanum ipſe occupaſſet. Cariniani obſidio ſuorum ducum repetita conſilio, *Vaſtio* tempus dedit cogendi militem, & ſibi vnius oppidi eripuit expugnatione triumphum. Nam fame fatigatus *Pirrhus* honeſtis conditionibus, Cariniano ceſſit.

SPIRAE COMITIA. Ann. 1544.

CCCCXXXIX. IN Ianuarium currentis anni tranſlatis comitijs, quæ Spiræ Nouembri præterito celebrari debebant, adfuit Cæſar. Proficiſcentem conuenit *Alexander Farneſius* Cardinalis de pace verba faciens, ſed fruſtra. Omnes Electores, quòd raro accidit, & ferè om-

Sal. Ann. 1544.

Cæſaris oratio in Franciſcũ

omnes principes huic conuentui interfuere X. Kal. Mar. ſermonem fecit in *Franciſcum* Gallorum Regem, *quo conſpirante cum* Solymanno *Chriſtiani nominis accerrimo hoſte, tot cladibus fatigata fuerit Chriſtiana Reſpublica, de qua actum fore, ni Germani Principes, quibus primùm barbarus imminet, ad defenſionem coeuntes, arma ſumant. Domeſtico bello implicitum, minimè potuiſſe accurrere* Ferdinando, *vnde Pannonia fidei propugnaculum hoſti ceſſerit. Nicæam Allobrogi Ducis, Imperij clientis gemina petitam claſſe Turcica & Gallica,* Franciſci *perfidiæ, & impudentis temeritatis extare teſtimonium, non in occulto, ſed palam, nec longè ab oculis Summi Pontificis, Gallos & Turcas vna menſa, vna domo, iſdem armis, atque conſilijs ad imperij & Eccleſiæ ruinam coire.*

Gallorum legatus exclusus comitijs.

Non latebat *Franciſcum* Principum indignatio, propterea legatos *Ioannem Bellaium* Cardinalem, *Franciſcum Oliuarum* miſerat, excuſandi fęderis Turcici gratia, à quibus præmiſſus fecialis, & à *Caroli* miniſtris exceptus, vix incolumis euaſit. Nam cum ſolemni veſte indutus Regis litteras ad Cæſarem, atque Imperij ordines ſcriptas *Granuellano* offerret, iuſſus redire domũ, & ne quis cum illo communicaret adhibita cuſtodia: quatriduò poſt grauiter increpitum in magnum capitis periculum incurriſſe ſcribit *Belcarius*. Quòd cum Rege Germaniæ hoſte ius Gentium in Germania non eſſet communicandum. Cæſarem litteras eius neque velle, neque recipere debere, vnde cum litteris remiſſus re cum Principibus Imperij nõ communicata.

Excuſatio Galli de fœdere Turcico.

Reuerſi legati orationẽ belli, fęderumque cũ Turca defenſoriam typo vulgarunt, qua friuole *Turcam aduerſùs* Sabaudum *ferebãt adhibitum, quòd Rex maternam hæreditatem ſibi debitam conſequi non potuiſſet; in Cæſarem deinde conuerſa arma ob legatos contra ius gentium trucidatos. Cum Turca ſe, publicæ quietis cauſa, non minùs, quàm, Polonos ſociari potuiſſe. Abrahamum, Dauidem, Salomonem, Machabæos, ac poſtremò etiam Chriſtianos principes Conſtantinum, Honorium, Theodoſium, alioſque diuerſæ religionis Duces fœderibus ſibi armorumque auxilijs habuiſſe ſocios, neque hoc à quoquam criminidatum.* Fridericum II. *Sarracenorum humeris, in Italiam contra Pontifices reportatum. Non tam abs Rege Gallorum inuitatum Turcã, quàm aduerſùs* Auriam *vltra proceſſiſſe.* Polinum *adfuiſſe, cauiſſeque ne quid noxæ Chriſtianis inferret. Nihil Regem hiſce bellis, niſi iniquè adẽpta repetere, quibus ſi potiri queat, arma illum aduerſùs Germaniæ hoſtes, periculis ſumptibuſq; ſpretis, vltro lubẽtemque ſociaturũ.*

Sal. Ann. 1544.

CCCC. XXXX. *Quanta Carolus indulſerit Proteſtantibus.*

Parum profuit fabula hæc, Germanorum irritatos animos, *Carolo* omni induſtria, atque libertatis indulgentia ſibi conciliante. Querentibus Catholicis reſpondebat, *vt prædonibus equum ſibi ereptum viator permittit, nè vitam cum equo extorqueant, ita Proteſtantibus ſe dare, quod retinere non poſſet.* Ergo Danum hactenùs à fide orthodoxa, & Cæſare ad Galli partes tranſgreſſum, ſibi autoratum recepit: dotalem pactionem Saxonis cum Cliuenſi principe, obductam eius ſororem *Sybillam* ratam habuit: vt ſi illi proles maſcula deeſſet, ex hac talis in hæreditatem ſuccederet. *Eleonoram* filiam *Ferdinandi* fratris, Cæſare conſentiente, primo Saxonis filio deſpondet; ea conditione, *ſi antequam nuptiæ celebrentur, de religione conuenerint.* Hæc tamen cautio paucis communicata eſt, vt Lantgrauium, cæteroſque proteſtantes celarent. Qua beneuolentia vel ficta inclinatus Saxo, *Ferdinandum* Romanorum Regem ſalutauit. Et quanquàm duplicatum tributũ & in Turcicum, & in Gallicum bellum pendere pergraue erat, tamen Imperij ordines in Gallicum, ſemeſtre ſtipẽdium in quatuor equitum, peditum quatuor & viginti millia decreuerunt, vt hoſte depulſo domeſtico, facilius Turcicum gererent;

CCCC. XXXXI. *Auxilia Cæſar mittit Ferdinando in Turcas.*

Huius pecuniæ partem *Ferdinando* fratri, vt vicina Turcis loca muniret *Carolus* cõdonauit; grauiſſima cõſtituta pęna in Germanos, qui Gallo militarẽt. Et quoniam de religione controuerſiæ in tãtis bellorum perturbatiõnibus tractari commodè non poſſent, in proximum conuentũ menſe Decembri celebrãdum reiectę fuere. Interim conciliandis reliquis Proteſtantium X. Iunij decretum eſt:

Decretum de religione.

vt Auguſtani edicti leges vſque ad Œcumenicum, vel nationale concilium, vel his deficientibus, ad nationalem Principum conuentum ſuſpenſæ hereãt, vbi virorum doctorum iudicio de religione conſulatur, quæ ſuo interim

Sal. Ann. 1544. *pede, citra litem ob bona Eccleſiaſticorum occupata, & imperialis iudicij interminationem ſubſiſtat: at promiſcuè adhuius iudicij ſubſellia vtriuſque religionis viri idonei Spiræ recipiantur. Ludi magiſtri quoque, & Eccleſiaſtæ Proteſtantium admittantur, prouentibuſque tam hi, quàm Eccleſiæ olim attributis non fraudentur. Goslarienſis, quoquè & Mindenſis proſcriptio ad futurum ſuſpendatur conuentum.* Repugnabant huic decreto magnoperè Catholici, ſed cum Archiep. *Colonienſis*, & *Monaſterienſis* Antiſtes inhærendum cenſerent, Cliuenſis quoque ac Badenſis Cæſaris arbitrio rem deferrēt, profeſſi denique ſunt, *non aſſentiri ſe quidem poſſe, nolle tamen Cæſari ita ſtatuenti reſiſtere.* Cum verò Proteſtantes cauſam *Henrici Ducis Brunſuicenſis*, recens poſſeſſionibus ſuis, ob cauſam religionis potiſſimùm deiecti, hoc eodem decreto includi poſtularent, *Carolus* tāquàm pacis ſequeſter principatum ad futuræ deciſionis tēpus occupauit. Hunc abſente Cæſare, *Henricus* redimere conatus: per *Landgrauium Haſſiæ* deiectus amiſit, ipſe cum filio *Carolo* in captiuitatem abſtractus. Cœptum eſt hoc bellum Anno 1542. vt ex Caſtrenſibus nummis. Sal. Ann. 1544. CCCC. XXXXII. *Cauſa de Henrico Brunſuicenſi.*



Pontifex porrò violatam Eccleſiæ iuriſditionem non diſſimulandam ratus, ſeuero diplomate XXIV. Auguſti exarato, Cęſarē ſanctè corripuit, & minaci Pōtificię indignationis fulmine conterruit. CCCC. XXXXIII *Cæſarem acriter monet Papa.* *Chriſtiane* (inquit) *fili, ſalutem & Apoſt. bened. Ex edicto Maieſtatis tuæ acta tui conuentus Spirenſis cognouimus, de quibus cum noſtram ſententiam diſſimulare paternus amor erga te non patitur, tum verò officij & muneris à Deo nobis per Chriſtum commendari ratio in cura vniuerſalis eccleſiæ, vt apertis verbis te admoneam, compellit. Nec verò parum nos ad hoc mouet graue ſeueritatis diuinæ in Heli ſacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentiùs tractantem, & ad eorum errata conniuentem extat ſeuera illa Dei in hæc verba ſententia.* Quia indigna nouerat agere filios ſuos, nec corripuit eos, iccircò non expietur domus eius victimis, atque muneribus vſquè in æternum. *Hæc quidem Dei ſententia fuit, quam ſtatim liberorum primùm, deinde ipſius Heli repentina & violenta mors conſecuta, hincque poſteritatis à Sacerdotio repulſa verbum Domini verum & ratum fecerunt.*

Nos verò, fili, cùm à Te indigna quædam decreta in Conuentu Spirenſi ex ipſis actis animaduerterimus, indigniora verò deſignata eſſe, & talia, quod ſi propoſitum exitum, quod Deus auertat, conſequantur, non ſolùm Te in certiſſimum animæ ſalutis periculum adductura; ſed Eccleſiæ paci atque vnitati, cui ſuper omnia ſtudere debemus maiorem, quàm qua hactenus laborauit, perturbationem ſint allatura; nolumus ſanè permittere, quin Te, à Deo nobis honore, & amore Primogeniti commendatum, his noſtris literis de tanto tuo & Eccleſiæ periculo admoneremus. Quanquam quidem Te, non vt Heli filios admonendum duximus, quos deprauata voluntas & conſuetudo peccādi indociles propè ad rectam diſciplinam reddiderant; ſed vt eum

potiùs,

Sal. Ann. 1544. potiùs, qui multorum annorum curſu nō abiijt in conſilium impiorum, quo maiorē in ſpem venimus non fruſtra nos admonitione paterna apud Te vſuros. Omnia verò, fili, in eo ſunt, ſi ab vnitate Eccleſiæ Te abduci non ſinas, à conſuetudine Maiorum tuorum religioſiſſimorum Principū non recedas; ſed eundem vt debes morem in omnibus, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam, ordinem, & inſtituta pertinent, obſerues, quem multos annos ſumma cum pietatis animi tui ſignificatione edidiſti. Is verò eſt eiuſmodi, vt quoties de his, quæ ad religionem pertinent, diſceptatur, ad ſedem Apoſtolicam iudicium referatur, nihil illa inconſulta ſtatuatur. Tu verò nunc, fili, cùm vel de Concilio generali, tanquam de remedio omnium opportuniſſimo afflictis Eccleſiæ rebus, & ipſius inprimis Germaniæ mentionem facis, vel de Nationali, cuius etiam meminiſti, vel de futuro ad proximum autumnum Imperiali conuentu, in quo de Religione, ceteriſque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis; ita agis, ita ſtatuis, vt ſupprimas eius vbique nomen, cui diuina & humana iura, approbante tot ſeculorum conſenſu, ſupremam cùm cogendi Concilia, tum ſtatuendi de his & ordinandi quæ ad Eccleſiæ vnitatem vtilitatemque ſpectant, autoritatem dederunt.

At verò, neque hæc ſola ſunt, in quibus conquerimur, Eccleſiæ & Maiorum abs te morem atque inſtitutiones diuinas minimè ſeruatas fuiſſe; ſed alia præterea, & ea quidem non pauca peracti iam conuentus decreta leguntur, quæ maximè, & pietatem lædunt, & omnem legum ordinem confundunt. Nam quod Laicos de rebus ſpiritualibus iudicare vis poſſe, neque Laicos modò, ſed nullo diſcrimine Laicos, & damnatarum hæreſum aßertores; quod de bonis Eccleſiaſticis, eorum futuris controuerſijs ſtatuis, quod eos, qui extra Eccleſiam ſunt, & per Edictum tuum pridem damnati, honoribus priſtinis in iudicijs ac tribunalibus reſtituis, atque hæc pro tua, & imperatoria poteſtate facis, minimè approbantibus ceteris, qui in antiqua & ſancta obedientia perſeuerant. Quid tandem horum, cum diuinis inſtitutionibus ac legibus, quibus perpetuò Eccleſia eſt gubernata, conuenit; quæ omnem potius diſciplinam, omnem ordinem, ſine quo nullus hominum cœtus regi poteſt, ab Eccleſia prorſus tollunt? Hæc verò, quò magis ab omni recta diſciplina & conſuetudine Maiorum ſunt aliena, eò minus nobis perſuadere poſſumus è tuo ipſius ſenſu illa vnquam emanare potuiſſe; ſed eandem pietatem animo tuo ſuppreſſam quidem ad tempus malorum conſilijs, qui huic ſanctæ ſedi rebelles ſunt, putamus. Id verò eos impetraſſe tantò magis dolemus, quantò id Tibi & Eccleſiæ, niſi citò ad teipſum redeas, maiori damno, & detrimento fore, nobis maximè eſt perſuaſum. Sal. Ann. 1544.

Facti poſtea indignitatem ſequentibus Pontifex monſtrauit argumentis. *Specioſum correctionis titulum, quam in eccleſiaſticis repoſcebant Hæretici non magis poſſe placere Deo, quàm cum Oza abſentibus Leuitis labanti in curru Arcæ Domini profanas manus; aut Dathon, Core, & Abiron Moyſis & Aaronis ſeſe admouerunt officio, quos omnes repentina morte dehiſcente terra hauſtos accepimus. Laudabile eſſe incenſum adolere Domino, ſed hoc Oziæ Regi, quantumuis pio, ſibi tamen præter vſum arroganti quod ſacerdotis erat, impune non fuiße. Si quid minùs à ſacerdotibus actum, ſtare iudicem illum, qui dixit. Ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum de manu illorum? Regibus, Imperatoribus haud iudicium competere, ſed patrocinium erga Sacerdotes, quod in Conſtantino, Carolo Magno, Theodoſijs Deus illuſtribus ornauit victorijs; non ſic in Mauritio, Conſtante II. Philippo, Leone, alijſque Orientis Imperat. ignominioſè vitam claudentibus; tum etiam in Henrico IV. Friderico II. Occidentis Imperat. factum, quorum ille à filio proprio captus, hic etiam interemptus. Infelices Iudæos reſpiceret in ſpreto Chriſto; & Græcos in Chriſti ſpreto Vicario. Cuius tamen auctoritas illis oppreſſis, hodie perpetua ſucceſſione floreat, & conſeruetur. Orat proinde* Carolum, *monetque tanquàm filium præ omnibus dilectum amantiſſimus pater, vt exemplo Conſtantini imperio non minùs, quàm virtute Magni, iudicium de rebus ſacris Sacerdoti relinquat, neque tot nouis edictis ſacros lædat canones. Abrumpendam hæreticorum temeritatem, negandum quod concedi nequit; ne in has Pontificem compellat anguſtias, vt ex auctoritate ſibi cœlitus tradita cogatur agere, quàm vel conſuetudo, vel natura, aut voluntas ferat.*

Hæc cum ad *Lutherum* perueniſſent, fe-

Sal. Ann. 1544. CCCC. XXXXIV rina percitus rabie, conuicia omnia quæ excogitare potuit, in Rom. euomuit Pontificem. Vulgauit librum, cui titulus. *Aduersùs Papatum Rom. à Sathana conſtitutum.* Figuram adiunxit, Papam in ſede decumanis aſini auribus præditum, quæ diuerſa dæmonum obuallarent monſtra; alij cor vorarent, alij fune in barathrum traherent. Alibi eundem porcæ mammoſæ impoſitum ſiniſtraque oletum præferentem, dextera populum benedicentem exhibuit. Secus pius, ac religioſus Cæſar non ſurda aure, grauem excepit orationem Pontificis. Excuſabat ſe *neceſſitate magis, quàm voluntate ad eiuſmodi abſtractum edita. Patienter tuliſſe, quod emendare non potuit. Saxonico laxaſſe habenas equo, cui deinde capiſtrum queat reperiri; dilata non data poſſeſſione bonorum, vt in Turcam ſibi armis iungeret, quos religione non poſſet. Opportuniori tempore cognoſceret paſtor, quòd oues ipſe errare non permiſerit, ſed longiori licet tramite in ſemitam ducere veritatis. Quanta fuerit in ſedem Apoſtolicam reuerentia, locus dabit, ac tempus.*

Lutheri tumida ſcurrilitas in Papam.

Cæſar patienter fert monentem Pontificẽ.

Sal. Ann. 1544.

CAESARIS IN GALLIAM EXPEDITIO. Ann. 1544.

CCCC. XXXXV. Compoſitis Spiræ cum Principibus rebus, in Galliam exercitum Cæſar traduxit. Comitabantur *Roſſemius*, *Guilielmus Furſtenbergus* Gallicæ dudum aſſuetus militiæ, *Mauritius* Saxonum, & *Albertus* Brandeburgi princeps præter Italos, Belgas, Hiſpanoſque Duces, qui lectiſſimis copijs, & tormentorum aderant apparatu. Quanto ardore præſentem *Carolus* ſuſceperit expeditionem, numima oſtendit Augurale.

Quæ ſui quondam iuris fuerant, primùm oppida aggreſſus, Lutzenburgum nuper ab *Aureliano* occupatum, egregioque munitum opere obſidet. Septuaginta æneis tormentis Galli inſtruxerant oppidum, ſed cum impari annona ad ſuſtinendam diuturnam oppugnationem, occaſione vſus *Carolus*, per *Furſtenbergum* Maio Menſe XV. obſidionis die, inopia potiùs quàm vi, ſuæ fecit poteſtatis. Comertium ſolo tormentorum apparatu ita exterruit, vt quatridui terrorem vix tulerit. Ad famam victoriæ, tota trepidauit Gallia; ſola ſeges adhuc immatura videbatur poſſe morari *Carolum*, qui veteri frumento inſtructum exercitum Lignio adduxit; cuius muris vi tormentorum quaſſatis, exterriti defenſores ſe arbitrio tradidere victoris. Hinc caſtra Sendiſirium producta; dum in Picardia *Anglus* cum ſeptuaginta, aut octoginta peditum, equitum viginti millibus irrueret, vt vnà inde Lutetiam in *Franciſcum* tranſirent. Sendiſirio *Landa* præerat, Landreſij propugnatione contra Cæſarianos nobilitatus. Magno ardore incœpta oppugnatio, vt paucis horis quaſſatis mœnijs, bina ſub turribus propugnacula, trecentorum paſſuum ſtrage corruerent. Poſtulantibus Hiſpanis oppidi inuadendi poteſtatem, negauit *Gonzaga*, vt paucis ante exploraret, quàm pleno agmine tentaret ingreſſum. Cum qui exploratum miſſus, ſublato vexillo ad murum contendit; hunc reliqui ſigniferi, ne minori viderentur gloria certare, per foſſas conſequi enitebantur; ipſi tandem Duces, nè ſuis periculo deeſſent, accurrerunt, ſed grandi periculo; nam libratis ex occulto tormentis ſupra quingentos ceciderunt Cæſarei. Clade minimè Germani territi, foueas & ipſi ſubiere iniuſſi, non meliori tamen fortuna. *Chiroſa* qui inauſpicatæ expugnationis auctor fuerat, ad Gallos fugit. Re infeliciter geſta; cuniculis agere decreuit ſed fruſtra, donec *Landa* tormenti ictu ſublato, & tormentario puluere deficiente, poſt duodecim dierum inducias, quibus Regem fruſtra expectarunt, deditio Cæſari facta eſt. Sendiſirio potitus *Carolus*, ad ipſa regni viſcera, Lutetiam mouit. Aſpernectum itaque oppoſitum deſtinato itineri oppidum progreſſus expugnauit, magna militaris annonæ præda ditatus. Tunc Rex ex altera *Matronæ* ripa ſeſe Cæſari obiecit, vt ei tranſitum intercluderet. Gemino pondere premebatur Gallia, non minùs amico quàm hoſtili. Regius excurrebat miles, ne quid hoſti ad vſum ſupereſſet. Cæſareus, ne quid inimicis reliqui faceret. Aduentantis Cæſaris rumor tanto terrore Pariſios impleuit, vt de deſerenda vrbe incolæ cogitarent, & iam ſibi ſalutem fuga quæſirent. Vnus *Caracciolus*, impiger iuuenis, quamuis religioſus in ordi-

Lutzenburgo occupato, Cæſar varias vrbes expugnat.

CCCC. XXXXVI *Sendiſiriũ Cæſar occupat.*

Lutetiam mouet.

Pariſienſiũ timor.

Sal. Ann. 1544. ordines ac ſigna diſtributum populum erexit, & armorum ſubſidio recreauit, Regis maxime propinquantis accepto nuncio. Inter tot rerum diſcrimina, (nam ab vna Cæſaris victoria, totius Galliæ videbatur pendere fortuna) *Furſtenbergi* captiuitas in *Carolo* ardorem pugnæ reſixit. Vadum exploraturus, ad *Matronam* ægreſſus, in manibus hoſtium peruenerat.

CCCC. XXXX VII. Pacem vrgebant Pontifex, & Galliarum Regina, *Caroli* ſoror, vno *Henrico Delphino* reclamante, quòd ære deficiente Cæſareus exacerbatus miles, annoneque incómodis afflictus, Gallorum ſubduceretur victoriæ. Veriſſimilia hæc quidem, non tamen Cæſarem, aut Regem mouerunt, vt ille pugnam ſubterfugeret, hic quæreret. Regni alea ex vno ſuſpenſa prælio, vtrumque ſuſpenſum tenuit. Duciſſa *Stampenſis*; quæ formæ gratia, *Franciſcum* Regem moderabatur, odio *Dianæ Pictauienſis*, quæ *Henricum Delphinum* poſſidebat, ad pacem Regem incitabat, ſæpiùs cum *Carolo* altero Regi filio collatis conſilijs, vt hunc Belgio à Cæſare donatum in æmulam extolleret. Spe itaque & metu hinc inde concitato, blanditijs ſuis fœmina potens pacem ſuaſit. Conuenère primùm inter Vitriacum, & Catalaunum à Cæſare *Nicolaus Perenottus Granuellanus*, ac *Ferdinandus Gonzaga*, à Rege *Claudius Annebaldus*, ac *Franciſcus Chemanſius*, qui poſt longas diſceptationes, his con-*Pax inter Cæſarem, & Regem Gallorum* ditionibus fœdus iniere. *Pax Madritana, conſecutaque fœdera in partibus vim ſuam obtinerent, quibus omni in regnum Neapolitanum, Siciliam, Ducatum Mediolanenſem, Comitatum Aſtenſem, Flandriam, Arteſiam, vicinaque loca iuri cedere Rex iuſſus eſſet, ſuis deinde ſtipendijs Cæſari aduersùs* Solymannum *equites ſexcentos, ac dena peditum millia iungeret. Cæſar ad maiorem initæ pacis ſtabilitatem* Carolo Aureliano *Duci aut filiam ſuam cum dotali totius Belgij hæreditate, aut* Ferdinandi *fratris natam, Mediolanenſis principatus dote locupletatam ſe nuptui traditurum promiſit: ea tamen lege, vt Mediolanenſis, Cremonenſiſque arces donec maſculam ex his nuptijs prolem* Aurelianus *ſuſciperet, Cæſariano tenerentur præſidio:* Carolo *Allobrogo cuncta, quæ illi à Gallis ablata fuiſſent, redderentur. Regi nihilominùs occupatas arces retinère liceret, quamdiù Mediolanenſis, ac Cremonenſis à Cæſare poſſiderentur. Si* Aureliano *filia Cæſaris nubat, Aurelianenſium, Boiorum, Engoliſmenſium, Caſtri Heraldi principatus vſque ad centum librarum Turonenſium millia annui prouentus,* Aureliano *in patrimonium detur: ſi ſupra commemorati principatus eam Summam deductis impenſis, non conficient,* Alenconius *principatus addatur. Filiæ Cæſaris, ſi viro ſuperſtes erit, donatio propter nuptias quadraginta librarum Turonenſium millia annua producitor:* Ferdinandi *filiæ ad triginta. Cæſari viciſſim Rex iuri, quod in regnum Neapolitanum, aut in Mediolanenſem principatum, ſi Flandricæ prouinciæ* Aureliano *darentur, cederet. Occupata intra aut trans Alpes poſt factas (auctore* Paulo *Pontifice) inducias, mutuò reſtituerentur.* Inſperata pacis tranquillitas miro Europam impleuit gaudio. Ab hiſce factionibus vt citra ignominiæ notam diſcederet *Carolus*, in cauſa fuit, vel ſors Cæſari propitia, vel *Aureliani* fatum, quem *Aureliani mors.* non ſine veneni ſuſpicione à proxima manu ex æmulatione præparati, mors ſuſtulit immatura. Huic fœderi *Henricus* acceſſit Rex Angliæ, ea conditione vt Bononiam Picardiæ vrbem ab eo occupatam, Gallus pecunia redimeret.

Pace conſtituta, de Tridentino Concilio *Concilium Tridentinum An. 1545.* ſeriò cogitare ceperunt, datis à Pontifice ad omnes Europæ proceres literis, vt Epiſcopi omnes conuenirent, Theologi Pariſienſes, & Louanienſes proponenda in Concilio dogmata conciperent. Ne in VVorma- CCCC. XXXX VIII. tienſibus comitijs quid orthodoxæ aduerſum religioni, in gratiam Proteſtantium *Comitia VVormatia.* concederetur, *Farneſium* Cardinalem legauit. Adfuere Cæſar, & *Ferdinandus*; Principes nonniſi per legatos, obfirmato animi propoſito nec quicquam Cæſaris poſtulatis concedendi. Tridentinum auerſabantur Concilium, & ſubſidia in Turcam negabant, niſi priùs religionis eis libertas à Cæſare fieret. His animum confirmauerant, præter *Franciſcum VValderum* Monaſterij *Epiſcopi apoſtatæ.* epiſcopum, *Fridericus Palatinus*, & *Hermannus Archiepiſ. Colonienſis* Electores, hæreticorum partibus recens additi. *VValderus* Ana-

Sal. Ann. 1545. Anabaptiſtarum victoria clarus, nupero decoratus Sacerdotio, iunctis armis vnà cum *Haſſio* in *Henricum Brunſuicenſem* ſibi inuiſum conſpirauerat ex *Haſſorum* conſortio velut œſtro hæreſis percitus, poſt Oſnabrugenſem, & Mindenſem Diœceſim (quibus etiam præerat) Acatholicis permiſſam, Monaſterienſibus, repugnante Capitulo, Lutheranos conceſſit præcones. *Ludouicus* verò *Palatinus* fratris nuper defuncti ſucceſſor, iam vetus *Melăcthonis* diſcipulus erat. *Vbius* Coloniam auocato *Bucero*, inuitis Canonicis, Maiorum cum tentaret irridère ſtatuta, nec conſilijs, vel minis ab inſtituto deflecti poſſet, Cæſar & Pontifex deſperatis remedijs, altero poſt anno, ei in Archiep. Sede *Adolphum Schavvenbergicum* ſuffecere. In comitijs cum nihil Cæſar proficeret, ne irreconciliato *Solymanno*, rebuſque ad bellum immaturis, Proſtetantes ad arma incitaret, in aliud colloquium religionis remiſit diſſidium.

Pontifex verò Romæ priùs Iubilæo publicato, quo totum Orbem ad ſuperos pœnitentia placandos inuitabat, vt felicioribus auſpicijs Patres ordirentur Concilium, tale dedit initium. Cardinales legati, vnà cum Epiſcopis habitu indutis Pontificio, Theologis, clero populoque ab Eccleſia SS. Trinitatis ad principem vrbis Baſilicam proceſſere, vbi à Cardinali *Montano* ſolemni ſacrificio, implorata Spiritus Sancti gratia, *Muſſus Bitontinus Epiſcopus* eleganti, piaque oratione, *quibus de cauſis vrgeretur concilium* edocuit. Sub hæc tria lecta diplomata, *de Concil. j Inditione, de Legatorum deſignatione, de Concilio inchoando*. Cæſaris etiam ſcriptum à Mendozza oratore perlectum. Vltimo in genua prouoluti, recitatis precibus, in proximam Epiphaniam, quæ erat Ianuarij 7. Anni 1546. primam indixère ſeſſionem.

Proteſtantium Comitia. An. 1546. Proteſtantes verò, & ipſi coacto Francofurti conciliabulo, *de Brunſuicenſis belli ſumptibus, cuius principatus Ducem* Henricum *poſſeſſionibus eiectum religionis cauſa vinculis cum filio detinerent, de auxilijs in Cæſarem Archiep. Colon. ſufficiendis, de prorogando* Smalchaldico *inter Sacramentarios, & Lutheranos inito, de repudiando denique Tridentino Concilio ſtatuerunt.*

Cæſar ſeditione cognita, vltimo decreuit tentare conatu, an Ratisbonenſi comitio concordiam ſuadere poſſet. Repugnabant Tridentini Patres, hoc ſuæ aduerſari exiſtimantes auctoritati. Ratisbonæ adfuere octo ex Catholicis, totidemque Achatolici, ſed tardi, & difficiles, quòd quotidianis incrementis pertinaciam alerent. *Martinus Bucerus* Alſata ex monacho quondàm Dominicano apoſtata, & maritus, ex Lutherano deinde Zuinglianus in capite præſidebat. Primo collocutionis die, *Maluenda* proteſtante ſe priuatum inſtituere colloquium, & interrogante an *Bucerus* in Confeſſione Auguſtana perſiſteret, diù cunctatus, reſpondit *ſe aduerſarias illi damnare ſententias,* quamuis & in concionibus, & in ſcriptis, ac in diſcipulis erudiendis non ſolum à Lutheranis alijs, ſed à ſeipſo diuerſus appareret. Nam Germaniam totam peruagatus, inter Sacramentarios Lutheranos, atque Catholicos medius, in Angliam denique delatus, poſt quinquennium iudaizans mortuus ſcribitur. Hoc itaque in colloquio cùm de iuſtificatione fidei ſermo recurreret, ſolaque incredulitas reputaretur ad culpam, iuxta Auguſtanæ confeſſionis defenſorem, adulteria Proteſtantium ſanctiora erant eleemoſinis Romanorum, cum hæ, non illa ad crimen imputarentur. Hanc confuſionem erubeſcentes Acatholici principes, iuſſerunt, ne quid eis inconſultis, vt potè Germanæ Eccleſiæ Pontificibus ſtatueretur. Ex aduerſo cum vetuiſſet Imperator quicquam à conciliatoribus vulgari, ante exitum; Lutherani doctores inter Saxum & ſacrum conſtituti, turpi ſubterfugio receſſere.

Sal. Ann. 1546. CCCC. XXXXIX. Comitia Ratisbonæ.

Buceri effigie vide infra nu. 453.

Buceri error abominandus.

Diſſipato conuentu, ſuperuenit Cæſar, cuius auctoritas vnà & Romani Pontificis vilebat. Indictis comitijs, adfuere *Mauritius Saxo,* Ericus Brunſuicenſis, *Io: & Albertus Brandeburgici*, Epiſcopi aliquot; Proteſtantium ſoli oratores, potiùs exploratores comparebant. Cæſar, audito ſacro, curiam ſubijt, & cum conciliandæ pacis rationem quæreret, reſponderunt Catholici, *Vnicum ſupereſſe Concilium, iam Tridenti inchoatum*. Tum Legatus *Campeggius* omnem lapidem mouit, vt ad illud Proteſtantes prouocaret. Hi verò contra ſentiendi, ac vi-

Bellum in Proteſtantes.

uendi

Sal. Ann. 1546. CCCC. XL.

uendi libertatem, nil admittentes, recuſarunt. Cæſar omni ſpe fruſtratus, ad arma ſe conuertit. Heterodoxis ſciſcitantibus, *In quem arma dirigeret?* reſpondit, *Nihil ſe moliri, niſi ad publicum Germaniæ bonum, violatas leges rebellium audaciam vindicaturum: huic qui ſocius opinioni acceſſerit, illum ſe omni beneuolentia complexurum; ſecus qui fecerit, in hunc tanquàm rebellem arma expediri.* Nullus erat legatorum, qui in ſectarios fulmen dirigi non ſentiret; nullus verò qui ſentire propalam oſtenderet, ne reitatem, vel vindictam proderet.

Mors Lutheri.

Armorum ſtrepitum mors *Lutheri* præuenit pridie Kal. Mar. cum à lauta menſa benè cœnatus potuſque ad lectum diuertiſſet, neque grauius ægrotare à domeſticis ante, quàm mori compertus eſſet. Quid ſenſerit de fide? ipſi neſciunt ſectarij à ſeipſis diſſentientes. Originem perfidiæ *Luthero* nemo negat, à quo hoc vnum diſcerint, *à Romana diſſentire Eccleſia*, cum cœteris (Manichæi ſint, vel Montaniſtæ, Donatiſtæ, Neſtoriani, Valdenſes, ac huius farinæ homines) *non diſcrepare*.

CCCC. XLI. *Ortus Io: Auſtriaci.*

Naſcitur eodem anno, quo *Lutherus* obijt, *Ioannes Auſtriacus* ex *Carolo* Cæſare patre, matre *Barbara Blomberga* Ratisbonenſi, forma ac genere iuxta nobili, cum hæc ad *Carolum* inducta vt mœrorem cantu alleuaret, & viduus eſſet, *Iſabella* coniuge ante annos ſeptem amiſſa:

Caroli continẽtia.

namque ea viuente, ſeruaſſe *Carolum* perquàm ſanctè coniugalem fidem fama eſt. Quàm verecundus fuerit, ex eo habes, quòd infantem impleto nondum anno, matri abreptum, ne quid in ea vrbe reſciretur, *Aloyſio Quiſciadæ* Imperatoriæ aulæ præfecto, quem arcanorum rigidum obſeruatorem expertus erat, in Hiſpaniam tradidit deferendum; vt à coniuge *Maria Viloa* educaretur: caueretque, ne cui mortalium pateret pueri pater. Indoles verò, quæ veluti ignis diù latere nequit, quid grande arguebat in puero. Alter *Cyrus* inter paſtores, cum æqualibus pueris nonniſi militaribus ludis videbatur certare, nec deſiſtere, vſque dum de victoria ſecurus. Admonitus *Aloyſius* mitioribus puerum artibus imbuere, vt ſacrum ordinem poſſet initiari, tentauit; ſed violenta eruditio, & indoli aduerſa erat.

Carolus verò non multò poſt fato concedens, extremo illo tempore, *Philippo* Hiſpaniæ Regi ad ſe accerſito, *Ioannem*, qui apud *Aloyſium Quiſciadam* educabatur, eodem ac *Philippum* natum patre renuntiauit (quod vſque eo omnibus celauerat) proinde auocaret ad ſe puerum, eaque haberet caritate ac germanum fratrem. Paruit *Philippus* ſed duos poſt annos à Cæſaris obitu, quo interim *Carolus* filius Hiſpaniæ princeps adoleſceret. Tunc agniturus fratrem Valliſoletum profectus. Eo ex Villagarſia *Aloyſium* cum *Ioanne* iubet occurrere cum venatorum turba. *Aloyſius* inſtructa venatione, equum ſuperbè phaleratum inſcendit: *Ioannem* vulgari iumento inſidentem poſt ſe ducit, venatorum globo immixtum. Cumque prope Regem acceſſiſſet, ex equo repentè deſilit, idemque vt faciat, *Ioanni* committit. Paret ille; ſimul *Aloyſius* ante eum prouolutus. *Porrigat* (inquit) *oſculandam manum mihi celſitudo tua. Noui quid habeat veneratio hæc mea; mox à Rege intelliges. Nunc equum, inſtratum tibi hoc ornatu ſcande.* Reſtitit attonitus puer, equum tamen ſubijt, manum tradidit: Suſpenſis admiratione adſtantibus, & ad metamorphoſim intentis. Cum ecce in conſpectum venit *Philippus* Rex cum venatorum turmis: illicò *Ioannes* ad pedes, præeunte *Aloyſio* ſe demittit, Regem de genu veneratur. Tum Rex manu puerum attollens, *de patre?* interrogat. *Aloyſium* volebat annuere *Ioannes*, ſed hærebat. Tum Rex equo depoſitus, *Macte* (inquit) *generoſe puer*. Carolus V. *Imperator, qui Cœlo degit, vtriuſque noſtrum pater eſt*. In quæ verba puerum fraternè complexus, in equum repoſuit; feſto interim clamore latè perſonantibus campis, Procerumque plauſu, fauſtum nouo Regis fratri certatim gratulantium. Rex ipſe dicere ſolitus, *Nunquàm ſe iucundiorem venando prædam, quàm eo die retuliſſe domum*.

Famian. Strada li. 10. de Bello Belgico.

Sic agnitus *Ioannes* Auſtriacus, quem propiùs alij cum *Carolo* patre conferebant. *Vtrique eundem natalis ac propè mortis diem ſimiles terra, marique, in Mauros, inque Turcas expeditiones: idem Tunetanum regnum ab vtroque ſubactum: & Muleaſſem Regem à* Carolo *in poſſeſſionem regni reuocatum.*

Sal. Ann. 1546.

tum, eiecto Hariadeno; à Ioanne *Regem Amidam Muleaſſis filium ſed patris expulſorem, eodem regno expulſum, ac* Mehemette *impoſito, inter captiuos, ac ſpolia relatum. Plura patrem bella confeciſſe, nam & plures vixiſſe annos: filium, vna victoria nauali, numerum alterius adæquaſſe. Quod ſi penes hunc rerum arbitrium fuiſſet, regniſque, & exercitibus vnus imperaſſet; haud dubiè claritudinem patris aſſecuturum. Addebant & illa, quamuis pleraque inania, & comparantibus quæſita. Vtrumque iiſdem officiorum artibus ſuſtentaſſe ſuorum ſpes: ſed oblatis illum prælargè titulis nobilitatem amplificaſſe: hunc militum virtutem immodicis, quòd alia non ſuppeterent, verborum præconijs detractoque interdum ſibi pileo, aut pugione donare præſenti alacritate ſolitum: certè gregarium quemque nomine compellando, memoriam loco muneris promptam habuiſſe. Ab vtroque inducta ad corporis cultum aliqua, & præcipuè ornatum capitis immutatum. Primum* Carolum, *quum ad imperij coronam capeſſendam veniret in Italiam, minuendo capitis dolori cæſariem depoſuiſſe: exemplo ab aulæ primoribus certatim recepto: ac more, qui per ea, retroque ſecula tantopere vigebat, alendæ comæ, imitatione vnius, apud omnes abolito. Et primum quoque* Ioannem *Auſtriacum, quòd ad læuam temporum partem, erectum natura capillum haberet, omnem à fronte crinem reuocare manu cœpiſſe: quòdque placeret illud porrectæ frontis additamentum, inde vſum deriuatum eſſe retorquendi, ſuſtinendique capillamenti, adeo vt qui eo ſuggeſto capitis vtuntur, vulgo geſtare Auſtriam alicubi dicantur. Denique & in poſtremo vitæ actu ſimilitudinem patris optaſſe Auſtriacum: vtque ille abdicatis regnis, in Diui Iuſti ſolitudinem abdiderat ſeſe; ſic ipſum paucis ante obitum menſibus decreuiſſe, inter Serrati montis Eremicolas ei demum inſeruire Domino, qui (vt aiebat) plura, quàm* Philippus *frater & poſſet, & vellet, quod vnicone pietatis ſtudio, an rerum improſperè ſuccedentium tædio meditaretur, haud facilè ſeparauerim. Illud ego in* Ioanne *Auſtriaco, citra omnem patris comparationem, non omiſerim: Munditiem animæ, cuius amorem à puero indiderat educatrix Vlloa, vſque adeo coluiſſe per omnem ætatem, vt nullam paulò grauiorem noxam, Deique offenſam apud ſe ferre diutiùs poſſet; atque ideo bis ſingulis menſibus (quod illi perpetuum fuit) conſcientiæ labes ſollicitè confeſſus excuteret, animo vere principe, qui turpiſſimæ ſeruituti nequiret inſueſcere. Immo nec expeditionem aliquando ſuſcepit, aut ſigna cum hoſte contulit, quin ante præliarem diem, accuratiſſima confeſſione, Dei clementiam propitiauerit. Quod ſanè ſtudium ſui, in Principe viro, cui ab ætate, à forma, ab armorum imperio ſumma licentia; tanto quis, opinor, pluris æſtimauerit, quanto rarior in caſtris hæc pietas, quantoque huiuſmodi circumſpectio minus ſolitaria, nec ſine multarum comitatu virtutum eſſe conſueuit. Hoc porrò ſi quis ad militares viri laudes adiungat, ad bellorum varietatem, quibus antequam intereſſet miles, præfuit Imperator: ad altitudinem animi, quo nullum genus hoſtium vel numero maius, vel fama inſuperabile vnquam expauit: ad præliorum felicitatem, in quibus perpetuò victor, victus certè nunquam diſceſſit; profectò* Ioannem *Auſtriacum magnos inter, fortunatoſque armorum Duces iure adnumerauerit.*

Sal. Ann. 1546.

Ad Tridentinum reuertamur Concilium, in quo *Morum emendationem*, quorum corruptela erat præcipuum ſectarijs defectionis argumentum, in primum, Cæſar vrgebat. Ex aduerſo Pontifex *fidem Orthodoxam*, aiebat, *formandorum debere eſſe morum principium*. Fuitque accerrima hæc inter Pontificem & Cæſarem dimicatio, donec commiſſa ſynodi, quamuis inuito Cæſare, quieuit, *vt quæſtio fidei morum reformationi præcederet.* CCCCLI. *Contentio inter Papã & Imper. de modo procedendi in Cõcilio.*

CAESARIS EXPEDITIO IN PROTESTANTES. Ann. 1546.

CCCC. LII. Proteſtantium contumaciam *Carolus* debellaturus, à diuiſione incepit, ne Principum, omniumque vrbium arma vno impetu prouocaret. Nonis Iulij, *Hermannum* Vbiorum Archiep., Pontificio fulmine deturbatum, diſſimulata offenſione, literis ſeriò hortatus eſt, *Ne quem aduerſariorum partibus ſe adiungeret, ſtaret prò inuiolata in Cæſarem fide, niſi parem cum hoſtibus fortunam experiri malet.* Paruit ille, nolens *Proteſtantes diuidit.*

Cæ-

Sal. Ann. 1546. Cæſaris indignationem ſubire. Alias ad Noribergæ, Argentorati, Auguſtæ cæterarumque vrbium coniuratarum proceres; & Ducem *VVitembergicum* literas dedit, quibus eos armorum metu abſoluere conabatur. Eiſdem rationibus Heluetij per legatos à fœderatorum partibus auocati: Vrbes tamen Smalchaldico fœdere ſociatæ, quarum ſex præcipuæ erant *Auguſta, Vlma Argentoratum, Francofurtum, Lubecca, Hamburgum*, & *Brema* nequaquàm obtemperarunt, ſed reſponderunt, *Gratum eueniſſe ſibi, quòd intelligant Germaniæ ſalutem curæ eſſe Cæſari; orare etiam, vt hæc ipſi voluntas perpetua eſſe velit, neque intempeſtiuo armorum remedio corrumpatur. Dolere magnopere repertos in Germania, qui Cæſareæ auctoritati auſu refractario illudant, obſequiorum immemores: neque exiſtimare eiuſmodi ſuæ religionis aſſertores ſcelere obſtrictos teneri. Per ipſos ſanè hactenus non ſtetiſſe, quò minus tentata ſæpius pacis conſilia, eo, quem ſperaßent, exitu concluderentur. Pontificis illud iure imputandum ad ſuas rationes obſtinatis. Poſtremos Ratisbonæ aduerſarum partium congreſſus, abſque fructu dißolutos, quod ad Tridentini Concilij Proceres diſceptatio religionis reiecta ſit; vt ſi illis Ariſtarchis, tanquam ſolùm oculatis, tot populorum caußa ſubijcienda eſſet, & Germano credenda ſint, quæ Italo libuerint. Quod verò Eccleſiaſticorum poſſeſſiones à nonnullis ſuorum occupatæ, atque in alios Reip. Chriſtianæ aptiores vſus conuerſæ ſint, id & Cæſarem iam pridem edoctum, & Spirenſis decreti auctoritate ab ipſo indultum. Nulla ſe violare iudicia, ſed emendata etiam cupere, malignitate quorundam in foro Spirenſi peruerſa; nihil optare, niſi quod cum ſumma æquitate ſit coniunctum. Mirandum verò eſſe, ſi qui ſuarum partium homines, tam audaces ſuique diſſimiles reperti ſint hactenus, qui dignitatem imperatoriam ac libertatem Teutonum oppreſſum, aut etiam imminutum eant. Calumniam hanc eſſe Romæ natam, vrbe optimis ſemper conſilijs inimiciſſima. Palàm atque in luce, alia longè conſpecta ſuorum in Cæſarem Germanoſque ſtudia. Quot in Turcam Gallumque ſuppeditata eſſent auxilia, tot extare ſuæ voluntatis ac fidei erga Imperatorem monumenta. Proinde æquum ſe iudicium non modò non declinare; ſed orare etiam; vt innocentiæ ſuæ, contra aliorum maleuolentiam liuoremque tuta eſſe poſſit defenſio. Indicta ſeſe caußa, belloque, communi gentium iure, nunquam denunciato, malè ad ſupplicium depoſci. Valerent aliquid cùm præſentia, tum antiqua parentum ſuorum in Auſtriacæ familiæ homines congeſta beneficia ad recentem inuidiam, indignationemque ſopiendam. Exigeret cum animo ſuo Cæſar præſentem Germaniæ faciem Turcicis bellis exhauſtam, imminentemque tot vrbibus, populiſque, ſi inteſtina ſeditione agitetur, vaſtitatem. Nihil deinde ſpei neruorumque ad externos hoſtes, virtute priſtina, depellendos reliquum fore. Quæ ſi leuia Cæſari non videantur, ne tam facili aduerſariorum impulſu in tranſuerſum belli ſenſum à pacis conſilio abripiatur.* Sal. Ann. 1546.

Principes verò præcipuè *Philippus Haſſiæ*, & *Ioannes Fridericus* Saxoniæ Principes vulgato Apologetico, docebant *bellum adumbrata quidem rebellionis ſpetie, quæ nulla eſſet, reuera religionis per Germaniam naſcentis opprimendæ gratia ſuſcipi; vt nimirum ſoluto Germanorum fœdere, alios poſt alios opprimat, & ſibi victoriam facile, illis ſeruitutem inſtruat. Vbiorum Archiep. exemplo eßet, quem Pontificia auctoritate Cæſar ſua eiecerat Sede*. Illo etiam vtebantur obfirmati animi decreto, quo Auguſtæ diſertis quondam verbis exclamauerat Cæſar, *ante ſe opes, vitamque cum ſanguine profuſurum, quàm ſerpentem in Germania laturum hæreſim*. Sua erga Cæſarem merita Saxo prædicabat; *Federicum* patrum ſuum à Septemuiralibus electum Cæſarem ſe abdicaſſe, vt in *Carolum* transferret imperium, exprobrabat. Negabant Cæſari ius eſſe vllum imperij ordinem indicta cauſa proſcribere, aut externum in Germaniam militem Principibus inconſultis euocare. At Cæſar accerſitis Ratisbonam tribus Hiſpanorum millibus, qui poſt Gallicum fœdus in Lotharingia hybernarant, & in Hungariam miſſi fuerant, quinque Germanorum additis, ac ſeptingentis equitibus, quanquam viribus longè inferior, XIII. Kal. Aug. *Saxonem*, & *Lantgrauium* proſcribit, ea lege vt proſcriptorum bona publicentur, & primo occupanti dentur. Cauſas proſcriptionis rebellionem ob-

Proteſtantium Apologeticum.

CCCC. LII. *Saxo & Lantgrauius proſcripti.*

Sal. Ann. 1546. obtenait, quòd eius edictis ſemper parere recuſarint. Externos Reges aduersùs ipſum incitarint (Gallum intelligebat & Anglum) & quod prorsùs impium eſt, *Solymannum* clam in Hungariam euocarint. Triduo poſt *Gerardum Valduuicum* Byzantium remiſit, vt cum *Solymanno* paciſceretur inducias.

CCCC. LIII. *Cæſaris fœdus cum Papa.* Paulò ante, fœdus cum *Paulo* Pontif. percuſſerat, Cardinale Tridentino interprete, ea conditione, vt menſe Iunio proximo *Carolus* exercitum cogat, Tridentino aduerſantes Concilio comprimat, nullam cum his pacem agat, *quæ Romanæ Eccleſiæ aduerſetur decretis, Pontifex viciſſim præter centum nummorum aureorum millia* (quæ iam Venetijs depoſuerat) *centum altera ibidem deponat, quæ in nullum alium, quàm in huius belli vſum expendantur: ſi nullum bellum erit, vtraque recipiat. Addat pecunijs duodecim millia Italorum peditum, equites leuioris armaturæ quingentos, ære ſuo & ſcribendos, & ſex menſibus alendos. Denique indulgeat dimidiam ex Hiſpania prouentuum Eccleſiaſticorum partem, ex Cœnobiorum verò poſſeſſionibus venditis ad* 500. *aureorum millia, in eiuſdem belli vſum traducat; ea tamen conditione, vt è ſuis poſſeſſionibus tantumdem cœnobiarchis oppignoret* (Pauli *arbitratu*) *quantum ſufficiat: quod noui exempli res fuit.* Tanto apparatu videbatur in ſectarios abundè prouiſum; quo tamen longè ſuperiores fuiſſent, niſi priuatis odijs diſtracti, aut ſpe præmiorum illecti, nonnulli Cæſarem ſecuti fuiſſent. Pauci cum eo ſentiebant. Præter Regem *Ferdinandum*, Bauarus, ac Cliuenſis Duces; ex vrbibus Moguntia, Treuir, Metæ, Aquiſgranum, Colonia. Tantillum cenſebat militem Imperator; cum Auguſtani ſimulatione depoſita, viginti duas cohortes, quas vrbi defendendæ ſcripſiſſe iactauerant, decem Vlmæ ac VVitembergæ cohortibus, magniſque equitum ſociant copijs. Hi viginti, & octo bellicis inſtructi tormentis

CCCC. LIV. *In Cæſarẽ mouẽt Auguſtani.* *Fieſſa* poſito ad Lycum amnem oppido, caſtra caſtris obijciunt; Miles verò Cæſareus longè impar Tirolim conceſſit. Occupata *Fieſſa*, validoque munita præſidio, propiùs Alpium fauces Italis præcludendas ſectarij feſtinant. *Cluſa* mox, atque *Erebergo* arce *Ferdinandi* in Alpium exitu potiti præſidioque firmatis, Oenipontem pergunt (ſolis namque duabus hiſce ſemitis in Bauariam, vbi tum Cæſar erat, aut ſecundo Oeno per Copſtęnum aut per medias Alpes ſiniſtrorſum iter eſt.) Cum *Franciſcus Caſtelaltus* Oenipontis præfectus coactis duodecim peditum millibus, præſidio Oeniponti impoſito, anteuertens, itinerum intercepit anguſtias. Hoc aduerſarios deiecit, & ab Alpibus dimouit. Tunc quadringenti Hiſpanorum Copſtęnum adorti, felici inuaſère ſucceſſu, non leui oppidanorum clade. Ita via Italis facta non multò poſt adfuturis. Conſultiùs egiſſent ſectarij, ſi imparatum milite, ac commeatu Cæſarem Ratisbonæ aggreſſi eſſent, præſertim in vrbe ſibi religione deuincta, & ad longam obſidionem minimè inſtructum. *Sal. Ann. 1546.*

Heddecus interea VVirtenbergenſium ductor Dilinga deditione accepta, vicinos òmnes in terrorem adduxerat, vt *Eiſtetenſis* Pręſul legatione miſſa pacem emeret oblatione commeatus & tranſitus per agros ſuos. Non impari induſtria *Schertelium Auguſtanorum* præfectus Donavverdam inuadit, vi ſua, an hoſtium diſſimulatione? non ſatis liquet. Hic moranti *Schertelio* iunctæ ſunt fœderatorum copiæ, Ducibus *Saxone*, & *Lantgrauio*; quì gloriabantur prò Germanię libertate pugnare vt ex nummiſmate infra habes num. 456. *Vide num. 456.*

Octoginta millia peditum, & decem millia equitum numerabant cum centum machinis tormentarijs Bellum indicendum cum Cæſari, more maiorum cenſerent, de literis inſcribendis inter vtrumque diſceptatum. Derogato Imperatoris titulo *Carolo* de *Gandauo* ſcribendum aſſerebat *Saxo*; Solum cum caſtris exuendum titulo obſtabat *Lantgrauius*, ne reliqui Principes intempeſtiua læderentur arrogantia. Quod cum minus probarent cæteri, placuit tandem eum ſalutare tanquàm Cæſaris locum obtinentem. Per nobilem itaque adoleſcentem, ac tubicinem Cæſari ad Landishutum caſtra habenti bellum indicunt; cauſas epiſtola ſagittæ cuſpidi alligata ſignificant, *quòd indicta cauſa illos proſcripſerit: quòd cum* Solymanno *inconſultis Imperij ordinibus inducias fecerit: quòd non rebellionis, ſed religionis cauſa, quam*

Proteſtantium copiæ. *Audatia.* *Bellum indicunt.*

1546. *Ann. quam illis ante liberam reliquerat, hoc bellum excitarit, vti fœdus cum Pontifice declarabat percuſſum.* Ferdinandus Toletanus Albæ regulus, reiecta epiſtola, tabulas proſcriptionis dedit adferendas: cruce dignos increpans tales eſſe legatos, niſi in Cæſarem incidiſſent, cuius erat, clementia certare. Nondum Cæſari ex Belgio, & Italia aduenerant copiæ: expectabantur ab Auſtria tormenta, quæ in via eſſe acceperat, ſed hoſte impediente, non adfutura, niſi magno temporis, itinerumque diſpendio. Tantam oc- *Sal. Ann. 1546 CCCC. LV. Cæſar in magno diſcrimine.*



caſionem vel ad intelligendum cæcitas, vel ad audendum timor, aut *Caroli* fortuna præterijt. Cæſaris fama trepidationem incutiebat, vbi non erat timor. Cautio ſuperuacua victoriam perdidit, Cæſarem ſaluauit. Reinam igitur oppidum Bauariæ ad Lycum, non procul Donauerda ſitum Cæſarea cohorte defenſum occupant; inde Landishutum mouere cogitant, vt viam ab Oeniponto Ratisbonam ducentem interciperent, & militem Cæſare prohiberent. Exploratum conſilium *Carolus* celeritate præuertit. Quatuor Germanorum millibus, ac Hiſpanis tercentis ad Ratisbonę præſidiũ relictis, cum reliquo milite Landishutum currit, auxiliares copias quãtapoteſt euocat feſti-

Zzz 2 na-

Sal. Ann. natione. Fœderatis præerant Principes, & *1546.* Duces facile nouem. Duo Saxonici: Quinque Brunſuicenſes, Anhaldinus & Dux Luneburgicus, quibus acceſſerant decem Germani comites. Viribus ita pollebant, vt cum eis congreſſurum *Carolum* nemo crederet. Ea tamen fuit pugnandi alacritas, audendi virtus, vt caſtra caſtris obiecta iuxta urbem, hoſtium expectaret aduentum.

CCCC. LVI. *Suppetias barbarorũ recuſat Carolus.* Tanto in diſcrimine Catholici Principes otioſi exitum ſpectabant. Inuicti Cæſaris ſoli barbari ſtudioſi, obtulere ſuppetias. Ab ipſo Boryſthene tres Tartarorum duces quatuor millia equitum, totidemque Arabum à Tuneto Rex vltrò in ſubſidium obtulit, quibus neglectis ſua ipſe virtute *Carolus*, ac Deo fretus, nullum in ſummo periculo timoris dedit argumentum. Sollicitatus à coniuratis VVilhelmus Dux Bauariæ quamuis Romanæ deuotus Eccleſiæ, vt ex numiſmate patet, noluit nocere, neque prodeſſe. Cum tamen Bauari ſalus, à victoria *Caroli* penderet, quo victo vel hæreſim, vel bellum ſuſcepturus erat. *Palatinus* denique ſeſe Proteſtantibus adiunxit. *Franciſcus* Gallorum Rex, *Solymannus*, Anglorum Rex *Henricus* in Cæſarem prouocati, fœderis iuſiurandum obiecere.

Confœderati qui iactabantur *pro libertate pugnare*, (vt in Numiſmate *Io: Federici Saxoniæ* videre eſt, cuius lemma, *libertas Germaniæ prò vera religione*) vbi *Carolum* opportunis caſtris ad Landishutũ præcurriſſe intelligunt, nec facile Ratisbonam omni inſtructam apparatu occupari poſſe, vtramque occaſionem deſidia amiſere. Horum aciem, aduentantibus ex Italia copijs, cœpit Cæſar contemnere. Selectiorem nunquàm ſpetie ac iuuentute militem, æſtate illa ex Italia veniſſe memorant. Præter equites leuis armaturæ mille, decem millia peditum ſub ſignis numerabant. His *Octauius Farneſius* Cæſaris gener, Pontificis nepos, egregij animi iuuenis, militiæ expertiſſimos ducebat ſocios, *Vitellios*, *Sabellos*, *Sfortias*, *Vrſinos*. Hos ſubſecuti ex Neapoli & Inſubria veterani roboris ſex millia Hiſpanorum ſub *Philippi Lanoij* Ducis auſpicijs. Quibus auxilijs *Carolus* confirmatus, hoſtem Ratisbonam lentè progreſſum, motis repentè caſtris præoccupare ſtatuit. At illi alio conſil a Cæſaris ſpectare rati, Saxoniæ metuere cœperunt. *Sal. Ann. 1546.* Federis argumentum caſtrenſis eſt nummus *Pauli III.* Pont. & *Alexandri* Cardin. *Farneſij*, quem legauit *Paulus* veluti inſpectorem conſiliorum Cæſaris. In nummo *Iuuenis eſt Ganymedi ſimilis, lilia permiſſu Iouis humectans*: cum inſcriptione, *Dos Iouis exhilarat*. Lilijs inter ſpinas enaſcentibus, confertur Eccleſia; quam Syrio preſſam æſtu frigida fouet, ac refocillat Pontifex: copias Cæſaris augendo, pecuniam ſubminiſtrando; vſurpatis Agamemnonis apud Homerum verbis: quibus Teucrum ſub ſcuto Aiacis latentem, & Troianos ferientem, compellat; In nummo *Octauij* arx, qua annuit nullum caſtrum tam eſſe munitum, cuius porta virtuti non pateat.

Stratum itaque ponte Danubium tranſgreſſi, intelligunt Cæſarem Ratisbona iter Ingolſtadium deflectere. Mutato igitur hoſtes conſilio, Ratisbonam magna iam parte copiarum nudatam contendunt (inſtigante *Bucero*) vt à Donauerto, & Neoburgo Cæ- *Buceri effigiem vide n. 507.* ſarem auerterent: qui ſubſidiario milite ad vrbem deſtinato, aſtum præoccupauit hoſtilem, fixis ad Ingolſtadium caſtris, vt vrbs ipſi, ipſe vrbi contra hoſtilem impetum auxilio eſſet. Oppidum à tergo erat, ſiniſtrum latus flumen, paludeſque tuebantur; à fronte ac dextera lata ſeſe effundebat planicies. Quam ſubitaneo vallo circumduxit vt hoſtium irruptionem ſuſtineret. Aduentantes ſectarij protinùs incredibili tormentorum vi in caſtra Cæſaris detonarunt, mille & noningẽtis globorum excuſſis: Tantam tempeſtatem Cæſarianus miles, Imperatoris verbo, ac præſentia animatus ſuſtinuit, vt quem iuſſus occupauerat locum deſerere nemo viſus ſit. *Carolum* Cœlum ſer- *Caroli periculum.* uauit, cum excuſſa tormento Sphera, atque ad eius pedes decidua, eodem veſtigio, quo deciderat, humo præter omnem conſuetudinem obruta ſepeliretur. Leuioribus poſtea prælijs decertarunt, in quibus Itali, Hiſpanique ſuperiores erant. Cæſar caſtrenſibus munitionibus eò ſenſim progreſſus erat; vt caſtra caſtris admoueret, & liberum frumentandi aditum hoſtibus intercluderet. Quo & alijs incommodis circumuenti ſectarij

Sal Ann. 1546. CCCCLVII. *Burenus.*

ctarij licet numero ſuperiores, communi ſententia diſcedendum ſtatuerunt. Et ecce *Maximilianus Burenus*, qui deluſo obſiſtente ad Rheni oram *Aldenburgio* decem millia peditum, equitum quatuor millia tranſmiſerat, quibus Itali, Hiſpanique Anglo in Gallum nuper tranſmiſſi ſe adiunxerant, ſex millia fuiſſe traduntur opportuna Cæſari auxilia: Moguntinum Pontificem illi fidam nauaſſe operam rumor erat. Inde iunctis ſibi *Schamburgij*, ac Suartzeburgij copijs iter ad forum Francorum direxit. Venienti inſidias *Rubemburgus*, atque *Oldemburgus* inter vepreta ſtruunt; ille deprehenſis, exercitum ſubſiſtere imperat: tormenta campeſtria infronte collocat, in hoſtes exonerat. Vbi aliquandiù pugnatum eſſet, nemine prohibente, iter inſtitutum perſequitur, & ad Miltemburgum caſtra fecit: vbi oppidani apertis portis eſculenta pretio paranda obtulerunt. Linxam progreſſus, nil hoſtile paſſus, liberè abijt. Appropinquantem cum Proteſtantes intelligerent, obuiam miſerunt. Ille verò monente Cæſare Ratisbonam iter flectens, tutò Ingolſtadium XV. Kal. Octob. peruenit, & in proxima ſilua conſedit. Poſtridie manè venienti Cæſar cum primarijs gratulabundus occurrit, honorificentiſſimè excipit, quòd tantum iter, ex quo Aquiſgrano mouerat inter ſiluas, montes, fluuios, paludes, inter ipſos hoſtes cum exercitu, armis, tormentis, cæteriſque rebus caſtrenſibus grauis quatuordecim diebus emenſus eſſet.

Paucis diebus militi longo itinere malè affecto ad vires inſtaurandas conceſſis, Neoburgum vbi tres cohortes *Lantgrauius* præſidio reliquerat, Cæſar petijt, oppidumque tormentis pulſauit: quum nulla auxilia præſto eſſent, ciues ac præſidiarij milites deditionem fecerunt. Nordlinga, Donauerda, Tilinga, Lauinga, atque vicina oppida Cæſaris fortunam ſequuta, ſe in eius dedère poteſtatem. Superato Prentio amne, non ſemel pugnandi copiam fecit, quam nunquàm experiri ſunt auſi. Cumque aſperior iam vtroſque hiems ad hyberna prouocaret, noluit *Carolus* mediam belli abrumpere fortunam. Metatis ad Lauingam caſtris, hoſtes ea rerum inopia, ac deſperatione preſſit, vt poſtquàm de pace Cæſarem fruſtra tentaſſent, ſeptimo Kal. Decemb. bipartito exercitu, altera pars quæ fœderatarum vrbium erat, regiones ſuas per hiberna inſideret, ac defenderet. Altera Saxonis, atque Haſſij auſpicijs ducta in Franconiam, grandi Cæſaris incõmodo ſecederet, vbi Rotenburgum poſſidebant. Sed Boſſinga, Nordlingaque in itinere Cæſar obtenta, Rotenburgum præuenit, & obtinuit quamuis ab orthodoxa fide alienam vrbem. Sectarij impedimentis in confœderatorum propugnaculis relictis, domum quiſque ſuam, ad hiberna contenderunt. Non otioſi tamen: Plura Saxo recuperauit adiutore *Alberto* Comite *Mansfeldio* cognato ſuo, quę *Ferdinandus* cum Hungaris, & Bohemis inuaſerat poſtquàm in Sudetis montibus præſidium Septemuirale fudiſſet. *Inſpice caſtrenſem Ferdinandi nummum*. Tanta tempeſtate perculſos ſubditos Electoris in fidem receperat *Mauritius Saxo*.

Sal. Ann. 1546.

Caroli cõſtantia.

Cogit hoſtes recedere.



Attritis ſine pugna hoſtibus, tanta Cæſari auctoritas, tantaque fœderatis vrbibus trepidatio, vt certatim per legatos veniam implorarent etiam initæ coniurationis primipilares *Vlma* & *Auguſta Palatinus*, ac *VVirtenburgicus* Principes (quorum ille veneranda iam aſperſus canitie, non ſine lacrymis ad pedes Imperatoris prouolutus ia-

CCCC. LVIII. *Palatini & VVirtiberg. Cæſar indulget.*

Sal. Ann. 1546.

iacuit) Cæſar grauiter increpitum, quòd beneficiorum acceptorum immemor apud ſe aliquando educatus, & affinitate iunctus (neptem enim illius ex ſorore *Chriſtierni* Daniæ Regis vxore in matrimonium duxerat) hoſtibus auxilia miſiſſet; ea tandem conditione in gratiam recepit. *Vt fœdus perpetuum cum domo coirent Auſtriaca, irrito omni pacto cum quouis hominum genere inito; nullam deinde ſocietatem, niſi Cæſarea auctoritate probatam iniret.* Ioannem Fridericum *Saxonem, &* Philippum *Haſſiæ tanquàm patriæ hoſtes publica conteſtatione damnent. In ſubditos alterius, præterquàm Cæſaris, ſtipendia mœrentes pœna æquiſſima animaduertant. Denique in vrbes municipia, atque arces præſidio imperatorio opportunas, militem admittant.* Vnde *Auguſta* Schamburgij, Vlma Naſſauij, *Francofurtum* Burani cohortibus eſt tradita. Adiecta his legibus multa pecuniaria. *Vlma* centum aureorum millibus *Francofurtum* viginti, *Memminga* quinquaginta, aliæ vrbes pœna alia defectionem luerunt. *Auguſta* centum ac viginti aureorum millia dependit. Pleræque vrbes duodecim tormenta bellica adiecère. Ita ſemeſtri bello medias inter hiemis iniurias podagræ dolores, vitæ diſcrimina patiens & inuictus, victor ſine pugna de hoſtibus triumphauit, & ita fregit, vt qui triumphum cęcinerant ante victoriam, & titulo priùs quàm armis exuerant Cæſarem, modò ſupplices veniam rogarent.

CCCC. LIX. *Saxo libellum famoſum edit in Mauritiũ*

Ioannes Fridericus Saxo magna ex parte à *Mauritio*, & *Auguſto* conſanguineis in Saxonia Ducibus, bonorum expoliatus, poſtquàm ſibi eos reconciliare fruſtra tentaſſet, in nomen ipſius edito famoſo libello, ſummæ homines condemnabant perfidiæ, quia aduersùs conſanguineum prò religione certantem, eiuſdem religionis viri arma tuliſſent. Occurrit his *Mauritius* ſummo ſe Imperatori obſequentem dicens, *arma ſe defendendæ Saxoniæ ſuſcepiſſe, ne in exterorum principum manus, proauum ſuorum hæreditas deuolueretur. In hoc bello nullam de religione, ſed de imperio contentionem à Cæſare ſuſceptam, in libertate illius nec ſibi, nec alijs hactenùs ab Imperatore quicquam eſſe imminutum.* Cauebat namque Cæſar religioni conſulere, ſed alio titulo: vnde imperata eſt bonorum reſtitutio, ſed vi decretorum in Auguſtano, ac Spirenſi comitio, iam aliàs factorum.

Sal. Ann. 1547.

CCCC. LX. *Bona ſua recuperat.*

Saxoniæ Elector vbi *Mauritium* ſibi conciliari fruſtra tentauit, ſe cum exercitu quatuordecim millium in Miſniam effudit, nec minori celeritate, quàm felicitate amiſſa recuperauit, exceptis Lipſia, & Dreſda opportunis vallata præſidijs, quin & *Mauritium* magna ſuæ regionis obtenta parte multauit. Cæſar autem in auxilium *Mauritij miſſo Alberto Brandeburgico*, dum is audacia, quàm conſilio melior, occupata Rochlitia, cum cœlibis vitæ fœmina, *Haſſi* Sorore inter choreas, & epulas deliciatur, à *Friderico* quem doloſè euocauerat fœmina, circumſeſſus, inde in aperto campo animosè magis, quàm prudenter prælium ſubit, pleriſque ſuorum aut fuga, aut cæde amiſſis, viuus ab hoſtibus intercipitur, & Gothæ, fortiſſimo Saxoniæ includitur munimento.

Vincit Albertum Brandeburgicum.

CCCC. LXI. *Bohemos concitat.*

Saxo vt vires augeret, *Thumſerno* legato in Bohemiam miſſo, populos in *Ferdinandum* antiqua Huſſitarum labe pollutos, facile religionis ſpetie ad tumultum concitauit. Hi indictis comitijs, *Gaſparem Pflugium* genere inter ſuos potentiaque facile principem ſummæ rerum præficiunt, verbo quidem vt contra externum hoſtem ſe defenderent, reuera in *Ferdinandum*.

CCCC. LXII. *In Saxoniam Cæſar mouet.*

Quibus à *Carolo* exploratis conſilijs, ad *Ferdinandum*, & *Mauritium* Ægram Saxoniæ, Bohemiæque finitimam vrbem cum parata militum manu properat, eluſis inſidijs, quas in ſiluis accolæ parauerant ſeditioſi: Nec diu moratus, poſt Ægræ celebratum Paſcha, magna celeritate in Saxoniam ducit, vt hoſtem aperto campo deprehenderet, priuſquàm vrbium fortiſſimis ſe vallis includeret. Hærebat ad Miſenum Elector (illuſtre ad Albim oppidum) nuper *Mauritio* ademptum, vbi Bohemorum operiebatur auxilia. Cæſar continuato decem dierum itinere, vbi vnum diem militi recreando indulſiſſet, Saxonem intelligit ad alteram Albis ripam conſedere, in loco opportuno, & aggreſſoribus difficili. Tranſitum cum *Albano* reliqui diſſuadebant Duces, ſolus Cæſar iniqua etiam conditione pugnare ducens, priuſquàm hoſtis viribus incaleſceret, vel in tutum euaderet, tranſitum

tum

Sal Ann. 1547. tum tentari imperauit. Pons itaque inſtructus, & diligenti exploratione ab *Albano* vadum repertum, illac pediti, hac equiti decretum iter, hoſte impediente, quem obiectis tormentorum globis, & plumbea ſcloporum grandine Imperatorij milites ripa cedere coegerunt. Nauium defectu, cum pontem toti inſternere flumini Cæſar non poſſet, rem penè incredibilem, Deni ex Hiſpanis depoſitis veſtibus, Albim natando ſuperant; gladioque quem ore geſtabant, armati, eiectis defenſoribus naues deſtinatas hoſti ſubductas, ad ſuos perducunt incolumes, quibus pediti inſtruxere pontem. Cæſar quodam ruſtico duce, rapaci fluuio, & natante equo, ſuperato, alteram ripam tenuit, Hungarico iam equitatu, cum Sclopetarijs inſeſſoribus in hoſtem præmiſſo. VVitenbergam properabat Saxo, eo ordine, vt equitatus pars poſtremos tueretur, & hoſti ſeſe obijceret. Moram hoc Cæſarianis, Saxoni impetum augebat: nihilo tamen ſegniùs fugientibus cataphracto equite inſtabat à tergo Cæſar, qui dum obuiam *Crucifixi* imaginem impij militis glande conuulſam cerneret, plenum impietate facinus deteſtatus, eleuatis in Cœlum manibus, *Si volueris* (inquit) *mi Deus, illatam tibi iniuriam poteris hodie vlciſci*. Nec multo poſt hoſtem conſecutus *Albanus*, dum hunc Saxo facile ſe compreſſurum exiſtimat, Cæſarem quoque conſpicit approperantem. Vtrique cum ſe Syluæ, cui aderat, beneficio non imparem crederet, aciem, tormentaque aduersùs hoſtem diſpoſuit. Ducebat is peditum ſena, equitum tria millia. Cæſar verò equitum quatuor millia, omni poſt ſe peditatu æreiſque machinis relictis, quòd ea feſtinatione, qua ad hoſtem ſiſtendum opus, promoueri non poſſent. Duplici ſuos acie diſtribuerat Cæſar, Germanæ militiæ more neglecto, quo equites anguſta fronte aciem in latius corpus effundunt. Stabant enim in fronte agminis ſepteni deni ſenſim acie velut in cuneum deficiente, vt maiorem numero ſuorum multitudinem hoſtibus obijceret. Vtrumque ſimul in hoſtem agmen ire non poterat, paludoſi loci vligine præpeditum. *Albano* cum *Mauritio* pugnam exorſis, Cæſar ſubſecutus tanta vi in hoſtem

CCCC. LXIII. Carolus ſe Chriſto vindicem offert.

infeſta intulit ſigna, vt nemo aduerſariorum equitum loco conſiſteret. In fugam præcipites peditatum omni præſidio nudarunt. Subſtitit hic quidem, quòd ſalutem non haberet in fuga. Acerrimus conflictus fuit, nam Sclopetis rem pedites agentes, mox in Syluam ſe abdentes, identidem exilientes equitem fatigabant Cæſareum. Circumuenti tandem penè ad internecionem cæſi fuiſſent, niſi nox interueniſſet. Pugnatum VIII. Cal. Maias: pugna nouem horas ab vndecima matutina ad Veſperam continuata. Captiui tanti, vt vnus, vicenos traheret, Cæſar ad quatuor millia paſſuum hoſtem perſecutus fugientem, cum ſuos victoriæ nixos fiducia, vagari conſpicèret, inſequentes ad ſigna conuocat, ne incautos obijceret diſcrimini, & in victoria occumberent. Dum ſpolia recenſet, de capto Saxonum principe *Friderico*, nuntius ſuperuenit, magno nationum ſtudio hanc ſibi intercepti Ducis laudem vindicantium; in quibus ſex Hiſpani, vt cœteris numero, ſic fortuna potiores videbantur; Hi *Electorem* equo inſilientem ac vulnere in mala læua accepto perſtrictum adducebant, qui vbi in conſpectum Cæſaris, *Albano* præeunte veniſſet, nudata chirothecis dextera, cum ex equo venerationis cauſa vellet deſcendere, ſtare Cæſar iuſſit. Tum Saxo; *Tibi me clementiſſime Cæſar dedo, atque permitto*. Cui Cæſar *me nunc Cæſarem clementiſſimum appellas? at paulò ante me* Carolum *Gandauenſem, qui me falsò inſcriberem Imperatorem tu, atque Haſſus appellare ſolebatis: dignum tua temeritate exitum offendiſti: ego te, vt dignus es, excipiam*. Eum *Ferdinandus* acerbiùs obiurgauit: *nouum Bohemorum fœdus obiecit: ſe, ac liberos è regno pellere, fortunis omnibus ſpoliare conatum eſſe*: Cladem hanc pauci ex hoſtibus ſubterfugierunt, ſoli quadringenti VVitembergam confluxerunt, impedimentis omnibus amiſſis. *Erneſtus Dux Brunſuicenſis* cum alijs inferioris fortunæ bellatoribus interceptus eſt. Ex Cæſarianis ſoli quinquaginta periere. Die certaminis infectum ſanguine vultum Sol induit; Saxonia non modò & Germania, ſed & Gallia, Angliaque ſemotis regionibus ſpectaculum admirantibus, vt à pleriſque exi-

Sal. Ann. 1547.

CCCC. LXIV. Saxones vincit Cæſar.

Io: Frider. Saxo captus à Cæſare.

Prodigia cladem nuntiant.

CCCC. LXV. Nota Solis moram

Sal. Ann. 1547. exiſtimaretur, ſubſtitiſſe defixum inter aſtra
Solem; repetito Gedeonis miraculo, ne vi-
ctoriam Cæſaris, properata nocte interci-
peret. Sic *Auila* & *Illeſca* referunt; quanti
faciat? poſteritas pendat. Pugnæ die Aqui-
la exercitum inumbrauit Cæſareum; Lupus
in milites de Sylua effuſus, diſcerptus eſt.
Solet Cœlum ſæpè aliquo futurorum præſa-
gio homines erudire. Supra vires humanas
CCCC. LXVI. *Symbol. Cæſaris.* Cæſar ipſe victoria cognita, Caij Iulij vſur-
patum Symbolum, *Veni, Vidi, Vici*, mo-
deſtè inflexit, *Veni, Vidi, at Deus Vi-
cit*. *Thumſernus* cum ſubſidiarijs Bohe-
morum copijs, qui iam aduentarat, au-
dita clade, retroceſſit. Biduò in campo
Saxo capite damnatur. victoriæ Cæſar commoratus, mox occupa-
ta Torga, VVitembergam IV. Non. Maij
circumſedit, triduò poſt *Saxonem capite
mulctandum* pronuntiauit; ſeueræ ſententiæ
certior factus *Ioachimus* Brandeburgenſis
Septemvir ſtatim Cæſaris properauit in ca-
ſtra, & vt mitiùs cum Saxone ageret, Fe-
derici *huius patris ſuffragio* Carolo *delatum
recenſebat imperium: victoriam cum militi-
bus eſſe communem; ſolius Imperatoris eſſe
clementiam, qua potiùs quàm crudelitate Ger-
maniam ad officium reuocandam*. Cæſar vel
ea oratione mitigatus, vel natura miſericors,
CCCC. LXVII. *Saxo hæreſim abiurare renuit.* ſententiam mitigauit ea conditione, vt vni-
uerſali promitteret ſtare Concilio, cui per-
tinaciſſimè ſubſcribere Saxo noluit, ante vi-
tam, quàm hæreſim deſerturus: alia tamen
quantumvis acerba Cæſaris imperata acce-
pit. Primum *Septemuirali dignitate abſtinere
iuſſus ipſe cum hæredibus ſuis Arcibus omnibus,
& oppidis, armis, omnique bellico apparatu
exutus eſt, nonnullis per Turingiam locis ad vi-
tæ neceſſitatē relictis*. Albertum Brandeburgi-
cum *coactus è carcere in priſtinum ſtatum re
ſtituere, & fœderi in Cæſarem ſuſcepto renun-
tiare. Bona eius inter* Ferdinandum, *ac* Mau-
ritium *pro meritis diſtributa. In hunc collata
Dignitas Electoralis cum onere aliquo auri &
argenti conferendi liberis* Friderici. *Ipſe ca-
ptiui ſpetie Cæſarem ſequi iubetur*.

Saxonia Principis ſui Sacramento ſoluta
in Cæſaris venit poteſtatem. *Philippus Lant-
grauius* ſupererat, qui ne fortunarum ſimul
& vitæ diſcrimen ſubiret, per *Mauritium*
& *Brandeburgicum* veniam impetrauit, ar-
cium demolitione, ac bellico apparatu vltra *Sal. Ann. 1547*
Cæſari delato. Pacis fuere leges: *Lant-* CCCC.
grauius arces, ciuitates, caſtella ſine vlla LXVIII.
conditione Cæſari dedat, munitiones omnes *Lantgrauius Haſſiæ in deditionem acceptus.*
*demoliretur, Zephenhemo aut Caſello exceptis,
quorum alterum ad ſui cuſtodiam reſeruaret;
nullas in poſterum vrbes, vel caſtella niſi Cæ-
ſare permittente muniret. Supplex Cæſari ad-
uolutus veniam deprecetur. Decreta Cæſaris
pro Repub. facta obſeruaret. Decretis Senatus
Spirenſis bona fide pareret. Auxilia in Tur-
cas cum reliquis Principibus faceret. Omnia
fœdera in Auſtriacam Domum, præſertim*
Smalchaldicum *reuocaret: nullum fœdus dein-
ceps inſcio* Ferdinando *iniret: epiſtolas ad
quoſuis ſcriptas Cæſari redderet: hoſtes Cæſaris
non admitteret: reos Cæſaris ne tueretur: eius
copijs per ſuas prouincias aditum liberum da-
ret ſuppeditato commeatu: in populum ſibi ob-
noxium, ſi in Cæſarem arma ſumeret, vltimo
ſupplicio animaduerteret. Qui in armis erant,
ni intra XIV. dies arma ponant; eorum bona
Cæſari adiudicentur.* Henricum Brunſui-
cenſem, *eiuſque filium è cuſtodia ſoluat, pa-
trimonio reſtituto, damno dato reſarcito: cen-
tum quinquaginta nummum aureorum millia
intra quartum menſem Cæſari dependat: quic-
quid Pruſſiæ magiſtro, alijſque Principibus vi
ademiſſet, reſtitueret: captiuos ſine multa di-
mitteret*. In hæc legum capita iurauit *Phi-
lippus* vnà cum liberis, totaque patriæ nobi-
litate, ac plebe; *Brandeburgico*, *Mauritio* ac
VVolfango Palatino fideiubentibus. Pactis
cum adiectum fuiſſet, *Cæſaris vnius eſſe, ſi
quid controuerſum inciderit, pacis capita in-
terpretari*, noua ſuſpicione grauioris mali du-
bius hærebat; apertè etiam reluctatus, cum
Attrebatenſis Epiſcopus omni illum metu
abſoluere conaretur, ſi Tridentino pareret
Concilio. Quam conditionem cum *Haſſus*
auerſaretur, *Mauritius*, ac *Brandeburgicus* *Conſpiratio Mauritij Saxoniæ.*
ſtipulata manu clam fidem dedere; hoc ſe
velle illum timore abſoluere, quòd neque
ipſi eſſent adprobaturi Concilium. Vrgen-
te tandem Epiſcopo Cæſaream indignatio-
nem, his conditionibus ſubſcripſit. *Libe-
ri, pij generalis Concilij decretis, quo non mi-
nùs caput, quàm membra reformentur, ſe pa-
riturum; vbi* Mauritius *&* Brandeburgenſis
facturi eſſent. Sub hæc ad *Carolum* addu-
ctus,

Sal. Ann. 1547. ctus, ſupplex ad genua Cæſaris deuolutus, non erigitur, priuſquàm *Guntherodus* ſubmiſſa oratione prò *Philippo* veniam deprecatus eſſet: ac deinde *Seldus* Orator Cæſareus Imperatoris expoſuiſſet clementiam in peſſimè meritum clientem. His expoſitis, ſeſe *Philippus* actis gratijs, ſed nullius iuſſu pedes erexit, cui neque dexteram, nec aliud amoris ſignum Cæſar dedit. Quod nil aſperiùs elati animi principi accidere poterat.

CCCC. LXIX. Albanum deinde cum Electoribus cæteris ad cœnam euocatus adijt; vbi poſtquàm horas aliquot inter epulas, luſumque abſumpſiſſet, à *Mauritio*, ac *Brandeburgico* intelligit paratam ſibi eſſe cuſtodiam, quamuis illis reluctantibus. Excanduit tum præferox princeps, *priuatam, publicamque ſibi violari accuſabat fidem, eorum dolo ſe ad eam perductum infelicitatem, quæ morte eſſet inhoneſtior.* Huius conſilij ſe inſcios iuramento affirmarunt Principes, ſuamque apud Cæſarem interceſſionem polliciti. Quod poſtridie ſedulò perſtiterunt, acerbo etiam ſermone, cum ſe perfidiæ argui quererentur. Negabat Cæſar falli fidem, cum de perpetuo carcere cautum eſſet, non de temporanea cuſtodia, qua abire, rebus non expeditis, haud poſſet. Euerſis igitur, *Philippi* mandato, Haſſiæ arcibus, æneæ machinæ, quingentæ numero, Cæſari delatæ, argentique mulcta exſoluta, quam ex *Haſſo* alijſque Lutheranorum ad ſexties decies centena aureorum millia aſcendiſſe ferunt: vt eis, quibus nudabat hoſtes opibus, ſeipſum Cæſar armaret. Nec tamen ſperata *Philippo* libertas, Principibus obteſtantibus, poterat extorqueri; adeò *Carolus* ferocem auerſabatur *Philippum*, vel etiam formidabat. Hinc quem rebellantium primum agnouerat, vltimum in libertate decreuerat.

CCCC. LXX. *Bohemi dediti Ferdinando.* Cæſaris felicitate Bohemis deterritis; appropinquanti Regi *Ferdinando*, vltrò aperuere portas Pragenſes. Pro eis *Auguſto* fratre *Mauritij* intercedente cum filio *Ferdinandi*. Rigidis tamen plectuntur legibus, conuulſis priuilegiorum, fœderumque ſigillis, bellico inſtrumento in arcem deducto, auctoribus rebellionis carceri addictis. In *Caſparis Phlugij* archiſtrategi caput aureorum quinque millia percuſſori conſtituta. *Sal. Ann. 1547.*

Tantæ victoriæ ſuſpice teſtimonia, nummos caſtrenſes, votiuos; triumphales. Primus eſt *Chriſtophori* Cardin. *Madrucij* cuſus ſub initium *Smalcaldici* belli, quùm *Carolus V.* ad Pontificem legaſſet *Madrucium* euocaturum promiſſa contra Euangelicos auxilia. Phœnix eſt, cui ſimiles viri ſtrenui, qui armis, & curis ſe quaſi comburunt; ſed ea nominis gloria, quæ ſeræ viuat poſteritati.

Secundus, eſt Cæſaris cuſus in caſtris? Tertius eſt *Nicolai* Baronis *Madrucij* (quem *Carolus* VVitebergæ præpoſuit, Saxonæ deuicto) cuſus ab eodem *Madrucio* in honorem Cæſaris. *Sunt ipſi, Gigantum inſtar, Principes Proteſtantes; qui Saxis ingentibus collectis, Cœlum conſcendere, deque Sede ſua Iouem* (hoc eſt Cæſarem) *deturbare conantur.*

Quartus, & quintus triumphales ſunt eiuſdem Cæſaris, confecto in Proteſtantes bello; In altero eſt *Aquila Orbi inſidens* oleam pacis morigeris porrigens; fulgura verò rebellibus, ſub inſcriptione *Suum cuique*, præmium ſcilicet vel pœna.

In altero *Carolus* ſub imagine Herculis claua *Saxonem* contundens: *Lantgrauio* ſub typo *Satyri* ad arborem alligato: vnitis ciuitatibus, quas *Hydra* repreſentat, fruſtra renitentibus.

Sextus eſt *Reinhardi* Comitis *Solmenſis* caſtra Cæſaris in bello *Schalmaldico* ſequentis, quamuis Proteſtantium religioni addictiſſimi; vel quia Imperatorem potiùs, quàm Principum caſtra ſequi maluit; vel quia Imperatorem de ſe meritum honeſtè deſerere non poſſet; vel quia ſanctiora ea arma ſtatueret, quæ ſeditionis, ac rebellionis labe carerent; & aduersùs Principem non niſi patientia certandum. Septimus eſt *Henrici* Ducis Brunſuicenſis Cæſarianorum copiarum Præfecti in obſidione Bremenſi. Arcus eſt cum ſagitta in

Sal. Ann. 1547. Cœlum deſtinata . Extollitur namque viri fama ad aſtra vſque: ſed arcus intentione, certaque ad ſcopum collimatione eſt opus ei, quem Sal. Ann. 1547.



multis gloria terris
Tradat, & omnes, fama per vrbes
Garrula laudet, cœloque parem
Tollat, & aſtris.

CCCC. LXXI. *Neapolis hæreſi obruuntur.* Interim Germaniæ Proteſtantibus echum Neapoli repoſuerat *Bernardinus Ochinus* Senenſis origine, profeſſione Monachus, officio Generalis Capuccinorum (ad quos ex ordine Obſeruantium tranſierat) Sermone potens, ſed à *Ioanne Valdeſio* Iure Conſulto Hiſpano, Lutherana ſcabie correptus, eandem auditoribus ex ſuggeſtu aflare cœperat. Fauebat propoſito *Petrus Vermilius*, poſtea *Martyr* dictus, gente Florentinus, ordine Clericus Regularis. Nouitati vt occurreret *Petrus Aluarez* ProRex, annuente *Carolo* tribunal *Inquiſitionis* erexerat. Sed in fortunas non in religionem vulgus cum ſuſpicaretur magiſtratum erigi, tanto repentino concitatur tumultu, vt ProRex cum vitæ diſcrimine iurare teneretur, de Inquiſitione nil cogitandum. Rè ad Cæſarem delata, vrbs XII. Auguſti iuſſa eſt arma in ProRegis manu conſignare, iteratoque Sacramento obedientiam addicere, & pro mulcta centum aureorum pendere millia. *Ochinus* Romam euocatus ad dicendam cauſam, *Petri Martyris* conſilio vnà cum Scorto Geneuam conceſſit. Ipſe etiam *Martyr* moniali copulatus, in Angliam ſub *Eduardo* venit, Oxonienſis Accademiæ ſtudijs auctorati, in qua *Martyr* tanquam inter ſtellas Luna minores, media hæreſum nocte excelluit. *Ochinus* ſub regnante *Maria* in Poloniam eiectus, Sanctiſſimæ Trinitatis hoſtis, polygamiæ amicus mirabili metamorphoſi à Iudaiſmo ad Chriſtianam religionem moriẽs rediјſſe fer-

Sal. Ann. 1547.

fertur. Obierat iam *Henricus* Anglorum Rex ſanguinarius, immanis, planè tyrannicus. Omnes propemodum Angliæ principes crudeliter occiderat: eorum principatus nouis hominibus dedit, quos etiam non minùs crudeliter trucidauit, vt populum inuſitatis vectigalibus affligeret,

CCCC. LXXII. *Mors Henrici Anglorũ Regis.*

Eduardum filium ſucceſſorem habuit, quem iuſſit catholicè educari, ſibi tamen Eccleſiæ retento primatu, ne filius patrem erraſſe redargueret. *Eduardus* verò Herfordiæ comes tutor *Eduardi* regis, Zuingliana infectus hæreſi, fauente *Cranmero Archiep. Cantuarienſi*, & Regem, & regnum eadem lue infecit, quod *Henricus* hactenùs cauerat, ſolius primatus arrogatione à catholicis diuiſus. Quãquàm *Cromuelli* perditiſſimi hominis conſilio monaſteria, eccleſias, martyrumque ſepulcra ſpoliauerit, effoderit; regioque ærario, æſtimatis totius Angliæ poſſeſſionibus, pluſquàm tertiam bonorum partem regio fiſco vindicauerit. Obijt innumera procerum, nobiliumque cæde purpuratus, ex quibus Cardinales duo, Archiepiſcopi tres, Epiſcopi XIIX. Abbates XIII. Sacerdotes D. Decani XXX. Canonici LXXIV. Theologi L. Duces, Marchiones, Comites XII. Barones XXXIX. Nobiles CCCXXXVI. præter reliquam multitudinem; Ipſe denique ſicca, (*Maßenius* ſcribit) quod ſtupendum eſt, morte defunctus, ambiguo inter pœnitentiam, & pertinaciam exitu, poſt Sacramenta ritu catholico reuerenter ex genibus ſuſcepta.

Lib. V. in Vita Caroli V.

Quum enim Miſſam celebrari iuſſiſſet, ſub vnica ſpetie communicaturus, de cathedra in qua ſedebat, aſſurgeret, vt genibus in terram defixis, Saluatoris noſtri corpus adoraret. *Zuinglianus* quidam qui adſtabat diceret, poſſe in tanta infirmitate ſedentem communicare, reſpondit: *Si me non modò vſque ad terram deijcerem, ſed & ſub ipſam terram demitterem, nec ſic quidem ſatis honori huic Sanctiſſimo Sacramento mihi viderer delaturus.* Inſtãte mortis articulo, pateram vini albi popoſcit, hiſce prolatis *Amici perdidimus omnia.* Iuſſerat paulò ante aperiri, & purgari Eccleſiam fratrũ S. Franciſci, quæ poſt euerſionem monaſterij ad eum vſq; diẽ clauſa erat, voluitque in ea Miſſam celebrari, eamque Parochialem fieri. Ad quam ſolemnitatem congregato populo, frendentibus, ac rubore ſuffuſis ſectarijs, Ep. Rocheſtrenſis, collaudata Regis pietate, qui in tot confuſionum pelago, renaſcentis eccleſiæ voluerit noua videre germina, ad continuanda antiquæ religionis exercitia populum inflammauit. Protulit deinde literas Regis, quibus iubebat perpetuo eccleſiam illam hac inſcriptione notari: *Eccleſia Chriſti ab* Henrico VIII. *Angliæ Rege fundata.*

Sal. Ann. 1547.

Franciſcus illius obitu, quem nouo aduersùs *Carolum* ſibi deuinxerat fœdere, non leuiter turbatus, & ipſe non multo poſt pridie Cal. April. occubuit. Epitaphium ei inſcripſit iure *Forcatulus* CCCC. LXXIII. *Mors Franciſci Gallorum Regis.*

Mars, Phœbus, Pallas Regi ſtatuere ſepulchrum,
Cum quo ius, carmen, fortiaque arma iacent.

nam magnus toga, ac Sago Princeps totius Europæ ſortitus eſſet imperium, niſi eodem tempore illa *Carolum* habuiſſet. Quantus ſanæ fidei cultor fuerit, argumento ſit per Galliam Orthodoxa Religio abs Rege conſtanter defenſa: tum inſignis illa demiſſio, quùm captus à Ceſariano milite, & templum ingreſſus, dum fortè verſiculum illũ pſalmi Sacerdotes canerent, *Priuſquàm humiliarer ego deliqui*, has velut Cęlo emiſſas voces accipiens, exclamauit. *Ita eſt Domine, deliqui & meritò humilior.* Ad Cæſarem regrediamur. *Franciſci humilitas,*

Paulus Pontifex vbi illam Cæſaris de vtroque hoſte cognouiſſet victoriam, poſt Deo vota ſoluta, in frequenti Cardinalium Senatu *Carolum Maximi*, & *Fortiſſimi* titulis ſalutauit. Rebellionis titulo profundo conſilio hactenùs ſectarios debellauerat, nunc fractis eorum anteſignanis, hæreſim ipſam aggreditur. Timebat hactenùs omnium ſimul inimicitias concitare, quorum Duces neque in vinculis à perfidia recederent. Igitur conciliandum ſibi ante omnes *Mauritium* ratus, hunc in caſtris ante VVitembergam loco *Friderici* patruelis ſui, Electorali dignitate, & Saxoniæ poſſeſſione cumulat. Quæ poſtea in Auguſtanis comitijs inauguratio perfecta eſt, non ſine admirabili *Friderici* conſtantia, qui ex appoſita cu- CCCC. LXXIV. *Mauritius Saxo Elector inauguratur* CCCC. LXXV. *Friderici Saxonis conſtantia.*

Sal. Ann. 1547. ſtodiæ ſpecula ritum omnem obſeruabat. Deinde cum eo, atque cum alijs Principibus actum, vt ſua catholicis bona redirent, Eccleſijs, ariſque reſtitutus cultus. Poterat *Carolus*, priuſquàm *Mauritium* inſigniret, Romanæ obſtringere religioni; maluit tamen fidem ſeruare, noui belli periculo, quàm perfidia meritum fallere.

Comitia Auguſtana. Ad pacem itaque ſtabiliendam Vlmam comitia indixit, quæ morborum diſſoluta contagio, Auguſtam Cal. Septemb. tranſlata. Adfuere Septemviri omnes, *Ferdinandus* cũ vtroq;filio *Maximiliano* ac *Ferdinando*: Cliuenſis Princeps *Guilielmus*, *Henricus* Brunſuici Princeps, *Maria* Cæſaris ſoror; & Cardinales legati Pontificis. Comitiorum exordio Cæſar per eum, qui à ſecretis

CCCC. LXXVI. *Caroli ſtudium pro concordia religionis.* adſtabat, ſui votum aperuit. *Sine Religionis concordia non poſſe coire Germaniam. Ad hanc ſemper inſudaſſe. Comprimendam vulgi temeritatem, nefas cuique eſſet arbitratu ſuo nouæ religionis leges fingere. Tanto periculo vnum extare remedium, hoc eſt totius Europæ Concilium, quod Procerum Germanorum voluntate recens fuerit apertum, ad cuius arbitrium humana, diuinaque ratio ſuadebat accedere.* Publico conſilio priuatam addidit admonitionem, qua impetratum eſt, *vt Palatinus, Saxoniæ Electores, ciuitatum legati Concilij decretis ſeſe obſecuturos promitterent.* Plerique verbo promittebant, animo diſſentiebant.

Tridentini Patres cum peſtilentiæ ſuſpi-

CCCC. LXXVII. *Concilium Bononiam tranſlatũ.* cione Bononiam ſeceſſiſſent, ne tranſlationis, & loci prætextu ſectarij minimè liberam ſynodum accuſarent; Cardinalem *Madruccium* Cæſar Romam miſit, qui Concilij reuocationem, totius Imperij nomine poſtularet. *Interea ne ſuſpicarentur in fraudem Romanæ libertatis, prò electione noui Pontificis (ſi ſtante Tridentino Concilio* Paulum *mori contigeret)* Carolum *aut ſucceſſorem moliri velle, iurare Cæſarem ſe non obſtiturum, quo minus Romæ antiquo more Patres liberè exequantur.* Quod præſtitit; nam *Montanum* quamuis grauiſſimè ſibi aduerſantem in tranſlatione Concilij, in Pontificem eligi paſſus eſt. Alterum poſtulatum Cæſaris erat, *vt Pontifex legatum in Germaniam mitteret, plena inſtructum poteſtate, qui regulam viuendi conſtitueret, vſque dum Tridentinum haberetur Concilium.* Negauit *Paulus* tranſlationem Concilij, ſed vt inuidiam in alios deriuaret, ex Cardinalium ſentẽtia ad Bononienſe concilium remiſit decretum. Non latebat *Paulum*, vt & Concilij præſides, *Mendozæ* Cæſarem imperaſſe, vt niſi Pontifex concilij tranſlationi annueret, vitioſum argueret Bononienſem conuentum: *Sal. Ann.* 1547. *Cæſar petit Tridentum transferri.* Sed minimè moti, tranſlationem negarunt, *priuſquàm Epiſcopi, qui Tridenti ſubſtiterant, ſe præberent obſequentes. Deinde exploratum volebant Patres an Proteſtantes obedientiam laturi eſſent Tridentino Concilio.* Tertio *libertati tam ſingulorum, quàm vniuerſorum Patrum cautum velle, vt omnibus eundi, & recedendi maneret arbitrium.* Quarto *Abſoluendi Concilium poteſtas patribus integra maneret; nec ſingulari arbitrio protrahendum.* Hæc adprobante Pontifice, *Mendoza* illegitimum Bononienſem cœtum accuſaturus erat nomine Cæſaris, niſi intercedente Decano, purpuratiſque diſtuliſſet, donec Cæſari communicata ſententia, eiuſdem voluntatem cognoſceret. Rem geſtam cum Cæſar accepiſſet Auguſtæ, fremuit; quòd hiſce dilationibus mora reſpirandi daretur, ſectarijs: apud quos minimè valebat Cæſar inermis. Hac tergiuerſatione Papa Placentiam nuper in Cæſaris poteſtatem infelici *Petri Aloyſij Farneſij* exitu redactam, *Quam nociua fuerit mora Pontificis.* denuò obtinere ſperabat, qua fiducia *Fabium Mignellum* ad *Carolum* legarat, qui ex Placentiæ reſtitutione ſpem transferendi faceret Concilij. Cæſar verò, repetita *Pauli* cantione, reſpondit: *priuata publicis miſcenda non eſſe, turpeque videri, venalem facere æquitatem.* CCCC. LXXVIII. Diſſidium fouebant Galli, Bononiam Epiſcopis ſuis miſſis, vt Patres illic in figendo Concilio ſtabilirent, & Cæſarem victorijs Proteſtantium Gallo formidandum, nouis implicarent inimicitijs. Mutuis ſeſe petebant querelis Pontifex, & Imperator. Is Pontificem accuſabat, quòd in *Andream Auriam* Architalaſſum ſuum per *Fliſcanos* conſpiraſſet. Pontifex Cæſarem, *Cædes Petri Farneſij.* quòd in *Petrum Farneſium*, vt Placentiam eriperet Eccleſiæ. In vtrumque ſuſpicio *Ludouicus Fliſcus* Lauiniæ comes, & *Andreas Auria* æmulatione certabant. *Farneſijs*

ſeſe

Sal. Ann. 1548. ſeſe adiunxerat *Fliſcus* ob priuatas iniurias *Auriæ* ſuccenſis, quorum viribus *Auriam* ſperabat opprimere, & Genuam ad Gallos traducere. Fefellit tamen coniuratio, nam *Aloyſius* ob ſua ciuibus inuiſus flagitia, X. Septemb. à coniuratis propria in arce trucidatus, miſerè perijt, in eius necē conſpirante *Ferdinando Gonzaga* Inſubrum ProRege. Cadauer ex arcis muro ad ludibrium ciuibus gratiſſimum pependit. Extractum denique per vias, omni plebis affectum contumelia, ſunt qui negant ſepulturæ traditum. Vrbs à *Gonzaga* immiſſo præſidio, cum reliquis oppidis ad Cæſaris fidem tranſijt. Indignatus propterea *Paulus* occaſionem quærebat in Cæſarem. Eius indignationem

CCCC. LXXIX. *Gallus ſollicitat Papā in Cæſarem.* minimè negligendam ratus *Henricus* Gallorum Rex, *Franciſci* ſucceſſor, miſſo legato, qui ſuam indicaret à morte patris electionem, & obſequium erga Romanam Sedem (cuius primogeniti, & defenſores ſemper extitiſſe gloriabatur Francorum Reges) Pontificem prenſare nitebatur, vt quamuis decrepitum ſibi in Cæſarem concitaret. Pontifex Gallorum fauore audentior factus, Germanis Epiſcopis (*qui reſtitutionem Tridentini Concilij vrgentes, & niſi id concederet, alia via minabantur rebus Germanicis*

Papa negat Concilium reuocare Tridentinum. *conſultum iri, quaſi de alio per eos congregando Concilio annuerent*) reſcripſit, *Concilium non ſua, ſed Patrum voluntate Bononiam translatum, non niſi eorumdem volantate reuocandum eſſe. Quibus verò legibus ad reditum ſe offerant, Mendozæ non latere. De alio verò ineundo Concilio, quod ipſi annuunt in calce literarum, hoc minimè formidandum Romanæ Eccleſiæ, quæ ſua in petra collocata, nullum hoſtium impetum reformidat. Illorum magis ſortem dolendam eſſe, qui tam fluxa fide, cupiditatibus ſuis velint Eccleſiam deſeruire. Rogare proinde vt à Conciliabulis ſe abſtineant, nec diuerſa ab Eccleſiæ dignitate conſilia ſuſcipiant.*

CCCC. LXXX. *Cæſaris proteſtatio cōtra Concilium Bononienſe.* Cæſar verò procuratoribus Bononiam miſſis, Concilium vt illegitimum denuntiare non dubitauit. Venere *Franciſcus Vargas* Caſtellani Fiſci procurator, cum *Martino Soria Velaſco* XVI. Ianuarij ad Concilium admiſſi, Cæſaris exhibuere literas *ad Conuentum Bononienſem*, poſtulantes ſcribas, ac teſtes ſuos, inuſitato more, introduci. Ij diu duo diſceptatum eſt, ea tandem conditione admiſſi, *ne cum Cæſar ſanctam hanc ſynodum iniuria* Conuentum *appellat, huius ignominiæ diſſimulatio quicquam ſynodo præiudicet*. Exordiente itaque *Varga* hac præfatione. *Adſumus hic legitimi Cæſaris Procuratores*, Montanus præſes interponendo ſubiunxit: *Adſum & ego verus indubitati Pontificis legatus, vnaque adſunt legitimi, & Oecumenici Patres.* Tūc *Velaſcus* oblata in ſcriptis proteſtatione nomine *Caroli V.* Imp. cœpit dicere, quòd Carolus *velut procurator & aduocatus Eccleſiæ ſupplicaſſet Rom. Pontificem prò conuocatione Concilij vniuerſalis in loco ad tollenda ſchiſmata, quæ Chriſtianam conturbabant religionem. Cognita iuſta ſupplicatione electum eſſe Tridentum velut Italiæ, Germaniæ, Galliæ conterminum, & omni nationi vicinum; & hoc omnium conſenſu. Idem fuiſſe legitimè inchoatum, quamuis religionis negotium frigidè ſuſceptum. Cum legati tumultuosè, inſcio Pontifice, nullo conſulendi ſpatio dato de translatione Concilij retulerunt ad Patres, ita vt pridiè propoſuerint, poſtridiè decreuerint, perendiè diſceſſerint cum multis patribus, quamuis plures Epiſcopi magnæ fidei, & auctoritatis viri contra fuerint proteſtati: eodem tempore, quo de hoſtibus Eccleſiæ reportata victoria, Germani promiſerant omnes venire Tridentum. Propterea cognita periculoſa translatione rogat Sanctitatem Summi Pontif. iubeat patres redire Tridentum; aliàs ſolemniter proteſtatur de nullitate conuentus: & licet huic proteſtationi Bononienſis conuentus deludendo reſponderit, & reſponſum Sanctitas V. confirmauerit, iterum Cæſar proteſtatur factam translationem cauſam fore vltimi excidij religionis Catholicæ: quia tot impenſæ, labores, bella ſuſcepta euaneſcerent, & anſa hoſtibus daretur dicendi translationem factam ſine cauſa, & præcipitem prætextum fuiſſe diſſoluendi Concilium. Febres, aeris vitium nullam fuiſſe vanæ formidinis cauſam diſcedendi inconſultis Pontifice, & Cæſare, qui tantum laborauerat prò concilio conuocando. Bononiam elegiſſe in medio Italiæ, quamuis imperio ſubditam, hoc eſſe turbare concilium, & omnia perdere; quia eò certè non ſunt adituri Germani. Propterea proteſtari damna omnia, tumultus, diſſi-* *Sal. Ann.* 1548.

Sal. Ann. 1548. *diſſidia, clades, populorum excidia, religionis pericula quæ inde euenire poſſunt, Beatitudini ſuæ non Cæſari imputanda.*

Proteſtationem poſtea in acta referri poſtulanti, reſpondit Montanus *mortem ſubeundam potiùs, quàm pati, vt Magiſtratus ciuilis Concilium cogat, transferat, regat. Cæſarem eſſe Chriſtianæ Eccleſiæ filium, non Dominum: ſe, ac ſocios paratos eſſe, Deo, eiuſque Vicario rationem reddere: curaturos propterea, vt tam inopinatæ proteſtationi breui reſpondeatur.* Verum procuratores, hac non expectata, diſceſſerunt.

Dum hæc Bononiæ agerentur, Auguſtam venit legatus *Sigiſmundi* Polonorum Regis *Stanislaus Laſcus* aduersùs *VVolfangum Melchingum Magiſtrum ordinis Teutonici*. Hic in comitijs Spirenſibus eo Magiſtratu per Cæſarem inſignitus fuerat, & in *Alberti Brandeburgici* proſcripti locum ſubrogatus; quia is à fide catholica, & Imperij iuriſdictione quam aliàs inter Principes receptus agnouerat, ad *Sigiſmundi* Regis clientelam hactenùs controuerſam, & frequentibus bellis diſceptatam ttanſijſſet, atque vxore ducta, ſub Regis Polonorum tutela, hæreditarium vindicaſſet ducatum, iniuria totius Theutonicæ nobilitatis, quæ eiuſce ſucceſſionis capax erat.

CCCC. LXXXII. *Lis de Magiſtratu Ordinis Teutonici.* Polonicus itaque Orator poſtquàm conteſtatus eſſet, Romano ſe Imperatori, Principibus non vt iudicibus, verùm vt amicis conciliatoribus, omni obſeruantia dignis hanc controuerſiam exponere, dixit primò, *Pruſſiam Teutonico ordini à Regibus Poloniæ ea lege conceſſam, vt aduersùm Chriſtiani nominis hoſtes eorum opera vterentur. Sed illos violatis pactis ab hoſtibus in Dominos arma vertiſſe. Ita indignè inter Dominos, & clientes varia ſorte certatum, donec* Caſimirus *eoſdem ad obſequium redegit. Hoc* Sigiſmundum Caſimiri *patris ſucceſſorem ab* Alberto *Pruſſiæ Magiſtro iure exegiſſe, recuſantem armorum ſubegiſſe potentia vſque dum in fidem, ac clientelam Regis conceſſerit. Vnde manifeſtum ſit iure belli, vi pacti Pruſiam licet Germanæ quondàm Nobilitati conceſſam, Polonis deberi. Nam quòd turbæ contentioneſque obortæ ſint, Magiſtrorum culpæ imputandum, qui arma in barbaros vertenda (cuius auxilij gratia à Polonis recepti fuerant) Summa ingratitudine in caput Dominorum conuerterint, nec Polonis, nec Germanis fidi. Expertos illud* Maximilianum *auum* Cæſaris, & Fridericum *eius patrem; quorũ ille promiſit nullo ſeſe auxilio Ordini adfuturum: hic etiam arma contra illos Hungaroſque fęderato ad eorum oppreſſionem* Caſimiro *Regi ſociauit, denique, &* Sigiſmundum, Cæſarem, Ladislao *Regi aduerſus eodem ſuppetias tuliſſe. Quare vt priſcorum ratio habeatur, Albertuſque proſcriptionis ſententia abſolutus, Pruſſia ſecurè Polonorum tutela fruatur, id* Sigiſmundum *Regem obnixè contendere. Non deficere Orbis loca à barbaris occupata, in quibus Theutonicus ordo ſua arma conuertat. Sperare etiam* Sigiſmundum, Dantiſcum, & Eluingam *vrbes, quæ iuris Polonici ſunt, ad imperij conuentus non euocandas, vt ſua libertate fruantur, paxque inter Imperium, & Poloniam firma conſiſtat.* Sal. Ann. 1548.

Hiſce occurrit nomine Theutonicorum *VVolfgangus* Pruſſiæ magiſter. *Quadrigentis fere ab hinc annis* (inuictiſſime Cæſar, Ordineſque ampliſſimi) *Theutonicæ nobilitatis ordo aduerſùs barbarorum irruptiones non ſolum à Cæſare, & Pontifice, ſed & Mazouiæ Duce in Culmenſem agrum admiſſus ea lege eſt, vt Pruſſos Chriſtiani nominis hoſtes propulſarent, earumque regione potirentur. Donationem* Fridericus II. *Imp.* Hermano *Salico Ordinis Magiſtro Ann.* 1226. *confirmauit, qua freti, 53. annorum ſpatio, Pruſſiam ſibi addixere, arcibus ad Germaniæ nobilitatis perfugium conſtitutis. Manſit penès nos inuiolata poſſeſſio ſeculis proximis, armorumque ſubſidia Polonis aduersùs* Lituanos *amici tulimus: donec hi Polonis ob electum ex* Lituanis *Regem ſociati, in nos ſuæ fęlicitatis auctores tela verterunt, eo tamẽ exitu, quo magnam Lithuaniæ partem amiſere, quam tamen cum ex Concilij Conſtantienſis decreto noſtraque beneuolentia recepiſſent, obliterata breui beneficiorum memoria, repetitis bellis compenſarunt. Pax iterum compoſita ſub* Ladislao *Rege omni iure Pruſſiæ Poloni renuntiarunt; iureiurando impoſito ab Epiſcopis, & Ordinibus regni non parituros ſe Regibus, qui Pruſſiæ Magiſtro bellum hoc nomine inferrent. Iusiurandum hoc quouis decennio innouandum decreuere: decretum*

Sal. Ann. 1548. *tum ducentis ſigillis conſignarunt. Tanta tamen fidei obligatione poſthabita, coniurati in Magiſtrum Pruſſi* Caſimirum Sigiſmundi *Regis patrem habuerunt in partes. Quorum armis vexatus Magiſter* Ludouicus Erlinſinus, *cum aliter Pruſſiam retinere non poſſet, fiduciario illam Clientis iure, (nullo tamen Cæſaris, nec Pontificis interueniente conſenſu) coactus admiſit. Hinc* Fridericus Saxo, *&* Albertus Brandeburgicus *Ordinis Magiſtri pactis ſtare recuſarunt, donec hic à Romana religione, & imperij protectione deficiens, ad* Sigiſmundi *clientelam, defectionis ſuæ tuendæ gratia, tranſiret. Ex his manifeſtæ falſitatis hoſtis conuincitur: neque enim arma à Germanis vnquàm ſumpta, quàm ad propulſandam iniuriam; neque Cæſar vnquàm contra Germanicam nobilitatem pronuntiauit. Fruſtra nobis exprobatur quòd Oriente, ac Bohemia pulſi ſimus, quia illic Turcarum, hic Huſſitarum furori impares ceſſimus. Eant verò Poloni, & à Moſcouitis ſibi erepta rediment. Nobis iniuria, & violenter oblata reſtituant. Ita facturos æquitas Imperialis promittit Comitij.*

Rationibus vtrinque auditis, delecti ſunt iudices, qui aduersùs Polonos, & *Albertum* pronuntiarunt. Obſtante tamen *Sigiſmundo* executioni non eſt datum decretum; ſed breui Rege defuncto, *Sigiſmundus* filius ſucceſſor, & *Ferdinandi* gener pacem cum Auſtriacis coluit.

CCCC. LXXXIII *Moſcouitarũ fraus.* Adfuit ijſdem comitijs *Ioannis Baſilij* Magni Ducis Moſcouiæ legatus fœdus cum *Carolo* in Turcas expoſcens, ac prò Orthodoxæ religionis concordia Romanos exquirens Theologos, qui Moſcouitas latinis ritibus, & Iure Conſultos, qui in politicis barbaras gentes erudirent, cum architectis, fabriſque, ac omnis generis artificibus, & obtinuit ſupra tercentos, qui cum Duce legato Lubecam ad claſſem conſcendendam perueniſſent, detineri Imperator iuſſit, monitus ad euertendum hæc noſtrorum opera imperium barbarum Ducem machinari. Nec latuit alijs euentibus fraus.

Hæc *Carolo* agente Auguſtæ; *Mendoza* Romæ Cæſaris nomine in purpuratorum Senatum coram Pontifice eandem ferè proteſtationem renouauit, quam *Velaſco* Bononiæ tulerat. Indignatus Pontifex ad Cal. Feb. *Mendozæ* reditum imperauit, acuratoque deinde ſcripto, quod *Reginaldus Polus* elaborauerat, proteſtationi reſpondens: *Rem peſſimi exempli nec niſi ab Eccleſiæ perduellibus attentatam hactenus, ad incredibilem animi ſui dolorem perueniſſe. Illam ſe voluntatem attonitum obſtupuiſſe in Cæſare, Pontificijs nuper copijs ad victoriam, hoſteſque religionis comprimendos opportunè vſo, adeoque nunc diſpari gratia reſpondente. Mitigatum tamen hunc ſuum dolorem, vbi ex mandati formula* Mendozæ *tradita comperiſſet, non ad Pontificium Senatum, ſed Patrum Bononienſium pertinuiſſe.* Mendozam *verò prætervectum mandati limites, nec leuem Cæſareo modeſtiſſimi Principis nomini ignominiam irrogaſſe, idcirco nec exiſtimandum, Cæſarem hac de re iudicium ſententiamque Pontifici de manibus extorquere ſtatuiſſe; ſed integrum huius rei arbitrium ſibi relictum eſſe, irritum verò* Mendozæ *conatum, nec agendi facultate præditi, nec æquum poſtulantis. Quod ad negligentiæ ſibi impoſitæ culpam attinet, illam luculentiſſimis factis abs ſe abundè refutatam, toties ſuppeditata pacis conſilia, arteſque omnes ad Europæ tranquillitatem poſſidendam adhibitas, criminationi iſti reclamare. Concilium per ſe multò ante Tridenti poſtulatum, quàm permiſſum à Cæſare, nunc cum bellis interturbatum ſubſtiterit, diſceptandum prudentibus relinquere: Pontificijs an Imperatorijs armis, ſuis emotum ſedibus fuerit? Nihil in ſe moræ ad reſtituendum Tridenti Concilium futurum, modò citra Apoſtolicæ poteſtatis detrimentum, iure, non violentia, diſceptetur. Mirari verò, atque etiam amplecti illam Germanorum voluntatem, ad neglectum iam ante Concilium aſpirantium; ſed quod vnius ciuitatis Synodo hoc deſiderium affigi patiantur, extra commendationem, ſuſpicioni etiam obnoxium videri. Cogitandum eodem morbo Danos, Gothos, Britannoſque teneri, quorum tamen finibus nemo facilè Synodum includat. Eam rem exemplis, veterum aduerſus hæreſes, Conciliorum, iam diu probatam, ſe tamen migrationem illam Patrum ad leges moremque Eccleſiæ expendendam prudenti exactoque quatuor virorum, Bellai, Brugenſis, Poli, ac Creſcentij iudicio delaturum, quibus ſi quid erroris in Concilij tranſportatione apparuerit, facturum, vt propediem Tridentum reuocetur,* Sal. Ann. 1548.

inter

Sal. Ann. 1548. *inter hoc temporis, vtrimque acquieſcendum. Ne tamen Germanorum ſaluti defuiſſe videatur, ex Cæſaris ſe voluntate legatos ſubmiſſurum, qui gentis infirmitati opportunis remedijs ſubueniant.*

Ita infelici diſcordia victoria euanuit, quam in proteſtantes Cœlum obtulerat. Noui tamen Schiſmatis tanto peioris, quanto Duce Cæſare futuri dubitaretur timore, pietas Cæſaris, & fidei conſtantia Romanos liberauit. Deſperato Concilio, Epiſcopis Tridenti immorantibus minimè inſiſtendum *Carolus* ducens, vt ſectarios ad concordiam reduceret, tres Theologos *Iulium Pflugium*, Naumburgæ Epiſcopum, *Michaelem Heldingum*, *Moguntinum* Electoris Vicarium, & *Ioannem Agricolam Iſlebium*, qui duodeuinginti annos, vnà cum *Melancthone*, ac *Brentio* Saxonicam doctrinam defenderat, Brandeburgici nunc Principis concio-

CCCC. LXXXIV. *Liber Cōcordiæ examinatur.* natorem acciuit, & librum *Concordiæ* dictum tradidit examinandum. Hi, Electore Brandeburgico medio, & pacis ſequeſtre, ac Cæſari apprimè fauente, ea fide, ac induſtria ſubiere laborem, vt exceptis *communione ſub vtraque ſpetie, & ſacerdotum coniugio*, controuerſiæ omnes ſopitæ eſſent. *Carolus* vbi librum hunc auctoritate illa triumvirali collectum expendiſſet, Romano Pontifici diiudicandum obtulit. *Paulus* per Cardinalem *Sphondratum* reſpondit; *quòd Sacerdos ſacris initiatus, vxorem ducat, vt populus ſub vtraque ſpetie communicet, contra* Patrum *eſſe decreta: Concilium vniuerſum duntaxat, aut Rom. Pontificem id poſſe permittere: cæteris Chriſtianis hæc permittenda non eſſe: Lutheranis, ſi qui ad antiquum Chriſtianorum conſenſum redeant, indulgeri poſſe*. Et quia vſque ad definitionem Generalis Concilij,

Interim dictus. quid *interim* credendum, liber ille formulam daret, *Interim* eſt appellatum. *Carolus* priuſquàm comitijs exhiberet librum, *Mauritij* animum priuatim explorandum accepit, ne publica reclamatio ſeditionem excitaret. *Moguntinus*, & *Brandeburgicus* Electores nauarunt operam, iubente Cæſa-

CCCC. LXXXV. *Eū Mauritius accipere renuit* re, ſed fruſtra mouere lapidem. Excuſabat ſe *Mauritius*, quòd annuente Cæſare, ſubditis fidem dediſſet, *in religione nil innouandum, ipſis inſcijs*. Carolus ipſe beneficiorum memoria tentauit *Mauricium* ſed incaſſum. Nam iuſiurandi religionem, quò ſe ſubditis aſſerebat obſtrictum, obijciebat. Sal. Ann. 1548.

Melancthonem etiam, quem virum doctum, & publicæ tranquillitatis amatorem publicabat, ſuis ſubductum manibus, timore periculi à Cæſare imminentis aſſerebat. Exemplum tamen libri poſtulauit, quem Theologis ſuis *Crucigero Maiori*, & *Pfeffingero Zvvicauiæ* examinandum tranſmiſit. Hi Cellæ conuentu habito, vnà cum *Melancthone* ex latibulis euocato, reſponderunt *Imperatoris librum probari non poſſe, quòd vera falſis confunderet; Cæſari ipſos aſſentiri nec poſſe, cum longè ab ipſo diſſentiant*. XV itaque Maij conuocatis Comitijs librum expoſuit *Interim* valiturum, vſque dum haberetur Generale Concilium. Sed primi Catholici librum recuſarunt, quorum conſtantiam laudauit *Carolus*, quòd auitam religionem tuerentur incorruptam. Proteſtantibus poſtea ſuaſit, vel Catholicis ſe adiungerent, vel librum ad normã fidei reciperent, donec quid ſentiendum à Generali Concilio decerneretur. Et protinùs librum legi imperauit.

Hoc audito, triplici ordine Electores, CCCC. LXXXVI.
Principes, Legati ciuitatum ſeparatim, ex more ad deliberationem ſeceſſere. Acquieſcendum cenſebant Ordines, ſolus *Mauritius* hæſitabat, ſuamque propediem Cæſari pleniùs voluntatem expoſiturum dicebat. Ponè conſultationem congreſſi ordines, *Moguntino* principi reſponſum comittunt. Is poſt actas Cæſari gratias, omnium & publico nomine, libro præſtat aſſenſum, petito exemplo. Typis vulgari Cæſar iuſſit latinè, atque Germanicè ſub hoc titulo. *S. Cæſ. M. declaratio, quomodò in negotio Religionis per Imperium, vſque ad definitionem Concilij, viuendum ſit*. Ore omnes conſentiebant, plerique corde diſſentiebant; *Io Brandeburgicus*, *VVolfgangus Bipontinus*, & filij Saxonis captiui vnà cum parente negarunt, ſalua conſcientia Cæſareo poſſe aſſentiri decreto. Acceſſit *Mauritius* proteſtatus ſine ſuorum conſenſu, non poſſe prò alijs fideiubere. Excanduit *Carolus*, ſed ad meliorem frugem compoſitus, *Mauritio* abitum indulſit, omnem ad ſuorum reconciliationem induſtriã pollicenti. Tentauit *Mauritius* fide, & diligen-

Sal. Ann. 1548.

& proceribus ſuis, qui deinde Pegauiam, poſt Cellam, magno contentionis ſed nullo concordiæ emolumento, denique Lipſiæ, ſub ancipiti loquendi apparatu, parùm aut nihil ab Auguſtano *Caroli* libro diſſentire

CCCC. LXXXVII. *Interim Lipſienſe.*

profitentes, nouum typis *Interim* ediderunt, quod *Lipſienſe* eſt appellatum, ſed neque in hoc conuenere ſectarij. *Oſiander* in Pruſſia, *Muſculus* Bernæ, Halæ *Brentius* diuerſi diuerſas excitarunt ſectas. *Melancthonem Flaccius Illyricus*, Magiſtrum diſcipulus extrema cum ſuis maledicendi rabie ad miſerum vitæ tædium adigebat. Fauebant Melancthoni *Maior*, *Pomeranus*, *Pfeffingerus*, *Greſerus*, *Camerarius*. Flauio *Ambſdorffius*, *Gallus*, *VVigandus*, *Merlinus*, peculiaribus

CCCC. LXXXVIII. *A Papa damnatur* Interim *Germanorum.*

& hi opinionibus ſuffulti. *Oſiander* ab vniuerſis implacabili odio diuulſus, ſolus ſibi ad *Lutheri* ingenium ſapere videbatur. Talem exitum habuit inter Proteſtantes *Interim* Auguſtanum: Nec diſſimilem inter Catholicos, prohibitos à Summo Pontifice adhærere, qui ad Cæſarem datis literis, querebatur, *quòd non modò regionum, ſed & religionum nouam credendi induceret metaphorſim, quæ Catholicis diſpliceret, nec placeret hæreticis*. Damnatum itaque librum, legatos miſit, qui de manibus catholicorum extorquerent, Epiſcopos Tridenti ſubſiſtentes admonerent, *ne ſchiſmatico adhærerent conciliabulo, ſe Eccleſiæ Romanæ adiungerent. Monachos monerent, clauſtralem ſequi innocentiam: lacticinia in quadrageſima indulgerent: vtriuſque ſpetiei laicis Euchariſtiam ſed priuatim concederent, ſi tamen Eccleſiam errare, in perceptione vnius non contenderent: bonorum eccleſiaſticorum raptores à fructuum reſtitutione abſoluerent, modò proprietatem reſtituerent*. Parum profuit Pontificis diligentia. Indignabantur Catholici, & Proteſtantes locum Concilio iam deſtinatum negari, euocari Bononiam quaſi in carcerem, vbi ad nutum Pontificis cuncta procederent. Inuſitato more concilium protrahi, cum Orbis penè totus in præceps rueret; muſſitantibus etiam amicis, diſciplinæ timore, quæ in capite priùs exercenda eſſet, Concilium protrahi. Et niſi ſuo *Interim Carolus* laſciuienti libertati frenum impoſuiſſet, iam tota Germania iaceret errore conuulſa. Ciuilem poſtea reparari curauit diſciplinam, Primorum Cæſarum digeſtis legibus, ſub titulo *Reformatio Politiæ Imperialis XXXVII. capitibus diſtributa*.

Sal. Ann. 1548.

CCCC. LXXXIX. *Cæſar comicè illuditur.*

His curis immorantem Cæſarem irridebant ſectarij, & dicterijs mordebant. Cum *Ferdinando* cœnanti, venere laruati hiſtriones, quorum primus *Reuchlini* nomine à tergo ſignabatur; Mutam gerebat perſonam, quæ faſcem lignorum collegerat ex lignis, & quiſquilijs malè cohærentibus, quem in medium atrium proiecit, ac velut officio functus, receſſit. Subijt alter ſub larua *Eraſmi Roterodami*, qui in eo totus erat, vt faſcem ſolutum componeret, & curua rectis conciliaret, quòd fruſtra labore conſumpto indignantis more receſſit. Subſequitur monachus *Lutheri* præferens vultum, titiones geſtans ardentes, quibus diſtortos ſtipites admoto igne ſuccendit, & abijt. Mox Imperatorio venit hiſtrio ornatus paludamento, *Carolo* non diſſimilis, qui vt incendium opprimeret, ſtricto cœpit fodicare gladio, ſed quanto violentius mucronem adegerat; tanto acrius flammas concitabat, iccircò irarum plenus ſe è ſcena proripuit. Venit vltimus ſub perſona *Leonis X.* (ſub quo primum Lutherana hæreſis exarſit) & incendio territus, dum remedium circumſpicit, amphoram aqua plenam infuſurus, inobſeruato vas oleo refertum affudit, & cum oppreſſurus videretur, ignem inflammauit. Non obſcura fabula erat. *Reuchlinus* veterum diſciplinarum excitator *Melancthoni* dicebatur inſuflaſſe vera falſis miſcendo. Studuerat *Eraſmus* verum à falſo ſecernere, ſed fruſtra. *Lutherus* incendio omnia vetera, nouaque ſuſtulit, ſua & inaudita proprio Marte repoſuit. *Leo* Pontifex, & Cæſar, ille anathemate, is gladio incendium magis incitauit, quàm oppreſſit. Dum hæc Au-

CCCC. XC. *Cæſar cogitat imperium à fratre in filiũ transferre.*

guſtæ; *Maximilianus* filius *Ferdinandi* in Hiſpaniam contenderat, vt *Mariam* Cæſaris filiam in vxorem acciperet, eiuſque nomine regna adminiſtraret: quia Cæſar *Philippum* filium tunc XXI. annos natum ad ſe vocare ſtatuerat, vt ſibi in imperio ſurrogaret; Non aliter credens Hæreſim per Germaniam, & Francorum æmulationi reſiſtere; ni totius Europæ Dominium ſub vno coiret,

Sal. Ann. 1548. quo ſolùm nexu credebat Turcarum poſſe infringi potentiam. *Maximilianus* vt ingenio, ætate, ac beneuolentia florẽtiſſimus erat, facilè Hiſpanorum animos captauit. *Philippus* verò *Maximiliano* vno minor anno, Hiſpanica maieſtate grauis cum in Germaniam appuliſſet, haud parem beneuolentiam vel exhibuit, vel accepit. Viros Principes quòd nudo ſibi pateretur adſiſtere capite, & à familiaribus moneretur, humanitatem æmulari paternam; acutiùs, quàm modeſtiùs reſpondit: *Patrem ſuum fuiſſe Principis filium, ſe verò Imperatoris*. Habes hic nũmos *Augurales* cuſos durantibus Auguſtanis Comitijs. In primo vnà ſtant *Maximilianus*, & *Maria* coniuges; *Carolus V.* & *Philippus* pater, & filius, de quibus concinnè Pſalmiſta: *Eccè quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum*. In altero eſt *Carolus V. Ferdinandus*, & *Maximilianus*. *Sal. Ann. 1548.*

Philippi grauitas.



In tertio *Veſtalis virgo thus caſtè, ſuppliciterque in ara ſuccendens* ſub inſcriptione *caſtè, & ſuppliciter*. Quòd *Deus caſta mens ſit, & caſta velit mente vocari: vt in ordinibus vitæ alijs, ita pio legitimoque in primis coniugio*. In quarto gemina litera MM non tam *Maximilianum*, & *Mariam* annuit, quàm arctum, & indiſſolubilem amorem coniugij. Cui omnia contingunt felicia, ſi adſit *concordia*.

CCCC. XCI. *Bureni mors.* Annus clauditur 48. morte *Maximiliani Egmondi Buræ comitis*, ægritudine contracta in Anglicana legatione, quam prò Cæſare obierat. Ab *Andrea Veſalio* medico horam mortis edoctus, minimè turbatus, inſigni conuiuium apparatu inſtrui iubet, omnique gaza, ac ſuppellectili argentea expoſita, amicos vocauit, menſæ aſſedens munera diſtribuit, imminente mortis diſcrimine nihil commotus, velut ad meliores epulas tranſiturus, *Vale* dixit. In lecto, velut ad quietem compoſitus, hora prædicta, ſacris priùs Chriſtiano more receptis expirauit. Vnicam reliquit heredem *Annam* filiam *Guilielmo* iunctam *Naſauio Aurantio Principi*, rebellium poſtea in Belgio primipilari.

An. 1549. Philippus inauguratur Louanij. Ineunte anno 49. ad patrem Bruxellis agentem venit ex Germania *Philippus*, magna pompa exceptus, vt ſoli Antuerpienſes vltra centenna, ac tricena nummum

au-

Sal. Ann. 1547. aureorum millia expendiſſe dicantur , cæteris ciuitatibus prò facultate ambitioſè æmulantibus , & Louanij inauguratur . Anno exeunte , moritur *Paulus* Pontifex Roman. Mortis cauſam naturalem ſi quæ-
Pauli III. Pont. mors ras ? duos & octoginta annos natus erat . Violentam ? Immoderatam parentum curam . Amiſſa Placentia , cum Gallis fœdus inierat , & Parmam pro *Paulo* altero nepote , (cui *Diana* vxor erat notha *Henrici* Gallorum Regis) petebat excluſo *Caroli* genero *Octauiano* . Indignatus is literas ad Pontificem dedit , in quibus , niſi Parma ſibi redderetur , Cæſaris opibus ac clientela eò minabatur irrumpere . Has vbi Pontifex inter Quirinales hortos obambulãs accepiſset , dolori , ac indignationi obortæ impar , animo linquitur , & per horas quatuor , vt mortuus iacuit . Inſperatum vulnus erat ab ea inflictum manu , quam ſupra meritum amauerat , & ſupra ſortem armauerat . Agnouit , ſed poſtquam factum immedicabile vulnus : Vnde exclamaret moriens . *Si mei non fuiſ-*
Iulij III. creatio. *ſent Dominati, immaculatus eſſem* . Sufficitur ei Cardinalis *Montanus* nomine *Iulij III.* , tanto maiori omnium admiratione , quòd quem Galli tanquàm à Cæſare auerſum vnicè ſpectarent , quia eo auctore Concilium non fuiſſet translatum Tridentum , Cæſar factione ſua Pontificem diceret . *Coſmus Florentiæ Dux* eò Cæſarem inflexerat, vt Tridentinos patres protinùs ab obitu *Pauli* Romam deſtinaret , ne diuiſa videretur tentaſſe concilia , vt ibi in electionem Pontificis , cæteris excluſis , coirent , & ſuo arbitratu Pontificis electionem vſurparet . Errore itaque cognito dum Papa Concilium Tridentum reſtituere parat , nouis implicantur Reges diſſidijs . Parma , cui ex *Gonzagæ* conſilio inhiabat Cæſar , fuit lapis offenſionis , & pe-
CCCC. XCII. tra ſcandali . Prò *Octauiano Farneſio* arma
Nouum bellum pro Parma , inter Cæſarem & Gallum. corripit Rex Gallorum *Henricus* , Synodum primò prò viribus impedire conatus , miſſo legato, qui Tridentinam Synodum vt Oecumenicam ſe non agnoſcere teſtaretur . Hæc in Italia : dum in Germania 6. Cal. Iul.
Auguſtæ comitia vocatis Auguſtam comitijs , ſpe concepta concordiæ , adfuit Cæſar cum Septemviris *Moguntino* , ac *Treuerenſi* , quibus denique Colonienſis acceſſit . Ex Principibus *Gulielmus Bauarus* , & *Henricus Brunſuici* Dominus . *Sal. Ann. 1547.* Euocauerat *Philippum* ex Hiſpania filium , vt excluſo *Ferdinando* fratre , ſucceſſorem haberet in imperio . Sed cum Electores ſentiret aduerſos , ab incœpto deſtitit . *Actum de acceptando Tridentino Concilio* , quod *Mauritius* ſe admiſſurum dixit , *ſi temporum ſuperiorum decreta , ſeu minùs æqua ad nouum examen reuocentur . Auguſtanæ confeſſionis miniſtri non ſolum in partem diſputationis , ſed & ferendi ſuffragij in concilio admitterentur ; neque Pontifex ibi tanquàm caput præſideat, nec iureiurando ſibi Epiſcopos adſtrictos retineat ; ſed libera maneat cuicumque dicendi facultas* . Hanc conteſtationem publicè factam cum *Saxo* in actu referri peteret , obſtitit *Moguntinus* , veluti proximis Auguſtæ decretis repugnantem . Sic ea *Mauritij* exceptio habita eſt ſine cæterorum præiudicio , & quæ conſenſum recipiendi concilium non retardaret . Inſtante itaque Cæſare, Tridentum Pontifex Concilium reſtituit , vt furentem , vbique con-
ciderct hæreſim . In Belgium irrepenti pro- CCCC. XCIII.
tinùs *Carolus* occurrendum ratus , *Inquiſitionis* admiſit tribunal , delatori hæreticorum , *Inquiſitionis tribunal in Belgio.* vbi digna probatione niteretur, ingenti conſtituto præmio : reis bonorum omnium amiſſionem , extremumque in viuo rogo deſtinauit ſupplicium, ſed pœnitentia mitigandum . Decreti terrore nouatores , aut fuga ſubducti ſunt , aut ab audacia reuocati . Non ſic in Germania : quorum contumaciam cum decretis , nec proſcriptione comprimere poſſet , ferro tentare decreuit . Cædit primò Brandeburgenſes auſpicijs *Georgij* *Bellum in Magdeburg.* *Megelburgenſis* vaſtato agro , non tamen obfirmatos in perniciem animos ad obedientiam reduxit . Bellum decernitur , Ducibus *Mauritio Saxone* , *Brandeburgenſi* Septemviro cum *Alberto* patruele , & *Henrico* Brunſuicẽſi. Difficile eſt hic iniuriam euitare *Caroli* , exercitum ſuum comittentis *Mauritio* homini hæretico , & ab eo humanam expectare fidem , qui diuinam exuerat : niſi aduertas , ab Ordinibus Imperij expetitum fuiſſe *Mauritium* , & à Cæſare probatum , *Belcarius lib. 25. nu. 29.* vel diſſimulatum , ne auxilia reuocarent . Magdeburgum itaque *Mauritius* obſidet ; ſuburbium , quod nouam vrbem nuncupabant,

Sal. Ann. 1550. bant, occupat, ſed flamma exhauſtum. Alterius ſuburbij domos incendio cõſumpſere Magdeburgenſes, ne quid inde emolumenti ad hoſtem perueniret. Mutuis cladibus per annum pugnatum eſt, alternante fortuna, dum producta in alteram hyemem obſidione, ſe ad obſequium Cæſaris ſubmiſerę, ijs legibus, vt bona reſtituerentur eccleſijs, Eccleſiæ catholicis. Imperatori tormenta

Magdeburgio dedit.

xvj ac centum aureorum m. li. a mulctæ nomine penderent. Bremæ, Argentinæque maturiùs reſipiſcentis mitior conditio fuit. In vtraque catholicæ religionis reſtituta exercitia Acatholicorum manu, quamuis maluerit *Mauritius* vinci ſine dedecore, quàm vincere cum honore. Hæc anno 1550. vel 1551. potius, ſi nummis caſtrenſibus fides, quos ſupra habes n. 490. *Sal. Ann. 1550.*

EXPEDITIO III. CAESAREA IN AFRICAM. Ann. 1550.

CCCC. XCIV. Mortuis *Horuccio*, & *Hariadeno Mytilenis* fratribus piratarũ omnium facile principibus; *Dragutes* humili vico, Rhodi inſulæ natus (qui longo tempore, ſub *Hariadeno* meritus, magnam virtute, & nauticæ naualis peritia in eo mari famam conſecutus erat) infeſtam negotiatoribus Italiæ & Africæ oram aduerſam tenebat. Ante decennium Cæſar *Andreæ Auriæ* negotium dederat, vt prædonem perderet: & *Ianetinus Auria* à patruo in barbarum miſſus, ea diligentia, ac felicitate vſus erat, vt ad Giralatam iuxta Cæsiæ littus in Corſica ſecurum ſtationem habentem oppreſſerit, & cum tredecim triremibus captum in catenas coniecerit. Nummum habes caſtrenſem, *n.* 490. *in quo triremis ſub lemmate. Non dormit, qui cuſtodit.*

Draguté Auria caput.

Tulit indigne veteranus prædo à tyrone ſe circumuentum, indignationem auxit contumelia illi à *Ianetino* illata: ſed quadriennio poſt, cum *Barbaroſſa* in prouinciam veniſſet, & Tolonium cum Turcica claſſe appuliſſet, *Andream Auriam* patruum *Ianetini* exorauit, vt accepto lytro *Dragutem* manumitteret; *Auria* vt furentem barbarum deliniret, dedit. *Dragutes* verò ſeu pudore, ſeu recenti iniuriarum memoria inflammatus, eo capitaliora contra Chriſtianos odia & inimicitias poſtea exercuit: ac mortuo *Hariadeno*, Leptim (nunc Mahamadiam dictam) Numidarum vrbem vi ac fraude occupat, quam opibus viribuſque egregiè inſtructam, tanquam latrociniorum ſedem, & prædarum aſillum per Hiſpaniam, & Siciliam exercendarum conſtituit. Neapolim vſquè excurrebat, direptis in ora Calabriæ vicis; capta etiam Rhodienſium triremi, quæ nuper Guleta ad lucrinum lacum appulerat. Quibus iniurijs irritatus Cæſar, *Ioanni Vegæ* Siciliæ, & *Petro Toletano* Neapolis ProRegi, denique *Andreæ Auriæ* claſſis ſuæ præfecto viros, naueſque iuſſit inſtruere. Hi adulta iam eſtate Lepti inſtructam claſſem circumfudère, muriſque vrbis, terra marique vi tormentorum quaſſatis, irruente milite ciuitate potiuntur. Melitenſes equites primi fuere, qui neglecta cadentium ſtrage, per ſuorum hoſtiumque cadauera, interiori vrbis pomerio potirentur. Exemplo incitati Hiſpani, & ipſi occupatis vallis, conglobatos in foro Afros aggreſſi, non inulta cæde, Ianizeros octingentos occiderunt, ſex millia hominum in ſeruitutem abduxerunt. Expiato vrbis templo, Chriſtoque reddito, bis mille; ducentorum Hiſpanorum ſunt relicti præſidio. *Dragutes* facti pœnitens ad *Solymannum* confugit. Ad Auguſtana regrediamur comitia,

vbi diplomate Pontificio de Concilij inſtitutione perlecto, omnibus Imperij ordinibus mandauit Cæſar, ad Concilium pergerent; Cautum omnibus fide publica eſt de via, loco, officioque in ſententia dicenda liberè obeundo. Concilium quamuis ſectarijs non arrideret, dicendi tamen non diſplicuit libertas. Mandauit *Mauritius*, vt *Melancthon* cum ſectarijs *ſcriptum aliquod breue, dilucidum concinnaret, quo fidei complecteretur articulos Concilio exhibendum.* Fecit ille tanto plauſu vt & Flauiani, ac Brentiani accederent, & Auguſtanæ Confeſſionis repetito titulo vulgarunt. Quo verò *Mauritius* ſuorum argumenta fortiora redderet, & Concilium, Cæſaremque incautum opprimeret, *Henricum* Galliæ Regem ſuæ aſciuit conſortem audaciæ. Annuit Gallus, qui Parmam aduersùs Cæſarem, & Pon-

Anno 1551. Comitia Auguſtana.

CCCC. XCV. *Mauritij fœdus cum Henrico Rege Gallorum.*

Sal Ann. 1551. Pontificẽ ſuis occupauerat Pręſidijs. Belli origo ea erat: Quod in gratiam *Iulij II.* Cæſar *Maximilianus* Parmam & Placentiam *Petri* addixerat patrimonio. *Leoni X.* munus confirmauit *Carolus*; iure beneficiario poſtea ſub *Paulo III. Farneſijs* munus obuenerat. Sed quòd nouarum rerum ſtudioſus *Petrus Aloyſius* contra Cæſarem, coniuratione ſublatus, Placentiam reliquerat Cæſari. Ne & Parmam occuparet, immiſſo præſidio cauit Pontifex. *Octauius* verò *Farneſius* filius *Aloyſij*, nepos Pontificis *Pauli* cum Romæ ab auo offitij ſpetie detineretur, & Parmam fruſtra imploraret; primùm Cæſaris, dein. de defuncto *Paulo*, poſſeſſionem, quam auus negauerat, inſperata *Iulij*, quantumuis alieni ſanguine, voluntate redemit. Cumque inconſultò *Henrici* patrocinio ſe dediſſet, Gallico accepto præſidio, Cæſaris atque Pontificis indignationem ſubijt. *Carolo* iure formidante, ne ſpetie tutelæ Gallus Inſubribus immineret. Tentarunt Veneti, ac *Coſmus* Dux Florentiæ rem componere, & à Cæſare tandem impetrarunt, vt Parma & Placentia ad Eccleſiam redirent, Farneſijs rebellibus excluſis, quibus Parmæ loco Camertium principatus obueniret. Abnuit *Octauius* cum Rege, ſociatis ſibi *Eduardo* Anglorum Rege, & *Solymanno*, qui ad vexandam Siciliam. Cæſaris ditionem ter centum, ac viginti nauium claſſe *Sinanum Baſſam* legauit. Iuſſit Gallus *Polino* Architalaſſo ſuo, *Draguto* piratarum principi ſuas adiungere triremes. Fecit, & fortuna adiuuante fraudem, Tripolim Mauritaniæ vrbem allapſus, *Franciſcis* vbique ſignis elatis, prò amico in portum admiſſus, *Dragutum* cum Turcis in vrbem intromiſit, qui mox exuta larua, vrbem cæſo occupauit præſidio. Eodem penè tempore onerarias Belgarum vndecim naues mercibus onuſtas pacis fiducia *Polinus* intercepit. In Gallorum triremibus Reginam Scotiæ extare *Polinus* ſignificauerat Belgis, qui nil hoſtile metuentes, dum more nautico tormentis plaudunt, Gallica claſſe intercepti, deditionem facere coacti ſunt, & humanitatis officio perire dum Galli perfidia triumpharent. Pontifex verò fœdus Gallo Turcicum deteſtatus (nam barbarus non tam Siculum infe-

Bellum Gallorũ in Cæſarem occaſione Parmæ.

CCCC. XCVI. *Gallorum fœdus cum Turcis.*

Tripolim Duce Gallo Turcæ capiunt.

Galli dolosè naues Belgarum intercapiunt.

ſtabat mare, quàm Hungariam, & Tranſiluaniam animoſior repetebat) ſub pœna anathematis, *Henricum* tam indignæ ſocietati Chriſtiano indignæ principi renuntiare iuſſit. Conabatur Rex culpam in Cæſarem amouere: ſed vetera cum Turcis Gallorum fœdera; noua *Aramontij* legatio, crimen latè vulgabant, vt regij obmuteſcerent defenſores. *Henricus* Pontificis libertate offenſus, aſcitis Sorbonæ Theologis, & Epiſcop. Galliæque poſt eiectos aula, Cæſareos, Pontificioſque legatos, vetuit pecuniam pro beneficiorum diplomate impendi ſolitam, in poſterum dari. Sunt qui ſcribant, ad augendum Pontifici terrorem, de ſummo Eccleſiæ Patriarcha in ſuis regnis conſtituendo conſilia egiſſe ne ad peregrini antiſtis arbitrium, geſta ſua moderari cogeretur. *Sal. Ann. 1551.*

CCCC. XCVII. Hiſpaniarum interim Princeps *Philippus* potiundi imperij ſpe deſtitutus (*Maximilianus* namque ex Hiſpania aduolauerat, *Caroli* arcano detecto) Maio exeunte, ſe in Hiſpaniam recepit. Auguſta decedentem *Maximilianus* comitabatur, vt relictam in Hiſpania coniugem, iam altera prole fecundam ſecum in Germaniam traduceret; Turcarum irruptionibus ad defenſionem Hungariæ reuocatus, quas in ſubſidium *Iſabellæ* reginæ viduæ, & *Stephani* pupilli Regis imperauerat *Solymannus* in *Georgium* monachum, modò Cardinalem. Is ex tenui Dalmatarum nobilitate, humile puer in aula *Ioannis* ſortitus officium, mediocri literarum imbutus ſtudio, D. Benedicti aſceterio adſcriptus fuit, & Sacerdos initiatus. *Ioannem* in Poloniam ſequutus exulem, fidelem & vtilem nauauerat operam, nam eius induſtria *Solymannus Ioannem* regno reſtituit. Hinc gratus *Ioannes* regni quæſtura, & Varadinenſi Epiſcopatu, moriens denique tutelæ filij *Georgium* præfecit. Fortis, felix, ſed infidelis, & inconſtans tutelam geſſit; nam modò *Solymanno*, modò *Ferdinando* adhærens, cui adherebat, fortunam inclinabat. A morte *Ioannis*, ne Budam occuparet *Ferdinandus*, aſcito *Solymanni* milite defendit, ſed Turcarum fructu, quorum in manibus coactus *Georgius* Budam relinquere, (Regina cum filio ſuo in Tranſiluaniam relegata) ſua eſt deluſus perfidia. In

Georgij Monachi vita, cædes

Tran-

Sal. Ann. 1551. Tranſiluania poſtea ita arcana dominationis moderatus eſt, vt Reginam cum filio in ſeruitute poſſideret. Tyrannidem Monachi exoſa Regina, ad *Solymannum* confugit, *Georgius* ad *Ferdinandum*, cuius milite quãuis tenui (quòd Proteſtantium bellis *Ferdinandus* eſſet implicitus) aduersùs Turcas ſæpè felici Marte pugnauit; eoque Reginam adegit, vt pactis conditionibus Tranſiluaniam *Ferdinando* cederet, Archiepiſcopatu Strigonienſi, cum ampliſſimis reditibus in *Georgium* collato, quem Cardinalitia à Pontifice impetrata purpura auxit. *Solymannus* verò quamuis Perſico bello implicitus, *Io: Mariam Maluctium* legatum *Ferdinandi* vinculis tradidit, *Mehemethum Baſſam* validis inſtructum copijs in Tranſiluaniam miſit, vt Reginæ prouinciam gladio redimeret. Poſt diuerſa oppida deditione recepta, Lippam vrbem occupauit, inde Tibiſcum obſidione circumdedit, ſed rigore hyemis ingruente caſtra ſoluit, & in hyberna conceſſit. Aucto interim *Ferdinandi* milite, *Io: Baptiſta Caſtaldus* Caſſani Marchio, vnà cum *Georgio* Cardinali, Lippam recuperaturus mouet. *Vlamanus* Turcico præerat præſidio ſex mille hominum, qui tanto ardore & animi obſtinatione pugnauit, vt ei ſoli tercenti, & quinquaginta milites validi ſupereſſent. Coactus cedere deditionis pacta exigebat honeſta. Annuebat *Georgius*, ſed milite reclamante Cæſareo, quòd *Vlamani* obſtinatione plurimi Germanorum cecidiſſent, Turcis alimenta exhibuit, & Ducem quo in tutum ſe reciperent. Inde Auſtrijs ſuſpectus, accuſatur apud *Ferdinandum* nocturna cum Turcis miſcuiſſe colloquia, & fœdus occultè percuſſiſſe: eoque viuente, nullam ſperaret *Ferdinandus* in Tranſiluania pacem. His auditis *Ferdinandus* reſpondit: *curaret Caſtaldus occupata propugnare, fortiter agere, de Cardinali eſſet in arena conſilium.* Credidit *Caſtaldus* reſponſum hoc capitalem eſſe ſententiam in *Georgium*, vnde immiſſis ſicarijs, in arce Bintio interemit. Indignæ mortis Romam fama perlata, tam in *Caſtaldum* quàm in *Ferdinandum* diras Pontifex deuouit. Deprecantibus *Ferdinandi* legatis, & quibuſdam Cardinalibus, decretum ſuſpenditur: quando potiùs ſuppellectilis deprædandæ, quàm proditionis cauſa à *Caſtaldo* occiſum *Georgium* ſuſpicio eſſet. Locus, vbi *Georgius* occubuit, Eccleſia fuerat, quam recens *Georgius* ad amænitatem habitationis demolitus, in commodum verterat particulare, Abbate loci fruſtra reclamante, & Dei vindictam implorante. Re cognita, *Solymannus* Baſſam *Mahometem* validioribus inſtructum copijs remiſit in Tranſiluaniam ſpreto tributo vicenum millium ſcutatorum quod obtulerat *Ferdinandus* Mauritiano bello implicatus. Vnde Tranſiluania ſine præſidio facilè occupata, *Iſabellæ* ac *Ioanni Sigiſmundo* vt clientibus fuit ex cautione reſtituta; *prouiderent, ne in hanc ditionem penetraret hæreſis, quæ ſubditorum erga Dominos fidem ſubuerteret.* Sed iam irrepſerat *Petri Petrouitij* fiducia, qui libertate Lutherana illectus, *Sigiſmundi* protectorem agebat.

Sal. Ann. 1551.

CCCC. XCVIII. *Excommunicatur Ferdinandus.*

Tranſiluania Iſabellæ redita.

MAVRITII IN CAESAREM EXPEDITIO. Ann. 1551.

CCCC. XCIX. Variè, varijſque de cauſis dilatum Tridentinum Concilium ad XI. Octobris diem, cum tandem adire Proteſtantium Principes Cæſar compelleret; *Mauritius* in omnem tergiuerſandi occaſionem intentus, vſque dum Gallorum adeſſent auxilia, Cæſari ſignificauit, minùs ſuorum ſecuritati conſultum eſſe, niſi vltra Cæſaris datam fidem, & Patrum in Concilio daretur. Si quidem in Conſtantienſi ſynodo *Ioannes Hus* cum ſuis flammis abſumptus fuerat, quia per Synodum eis cautum non fuiſſet, quamuis *Sigiſmundus* Imperator ſecuritatis literas dediſſet. Vnde & in præſenti cauſa paria metuenda eſſe.

CCCCC. *Turbat Concilium Rex Gallorum.* Venit etiam Tridentum Abbas *Amiotus*, Abbas *Belloſanus*, qui nomine Gallorum Regis *Henrici* Cal. Septem. in Patrum conſeſſu *ad Tridentinum conuentum* inſcriptas exhibuit. Ægrè tulere Patres *conuentus* titulum. Conteſtabatur in epiſtolis *Pontificem cum Cæſare ad priuatum commodum moliri Concilium, ſeque in Parmenſium tutela ab ijs impediri, adeoque nouis bellis Europam inuolui, per quæ Gallorum Epiſcopi intereſſe haud poſſent. Concilium hoc nequaquàm Oecumenicum*

Sal. Ann. 1551. *nicum fore, neque ei obſtrictam iri Gallicanam Eccleſiam. Teſtari propterea, conſilia, remediaque Maiorum in re ſimili adhibita, ſibi etiam prompta eſſe.* Reſpondit Synodus ea, qua decet grauitate. Proteſtantibus poſtea immunitatis ſyngrapham, cum omnibus, & ſingulis clauſulis indulſit, ſed quia *quantum ad ipſam Synodum ſpectat, diceba-tur dari libertas*, captioſam hanc formulam nonnulli dixerunt; quaſi ius Pontifici reſeruaretur animaduertendi in ſectarios. Sed cum ab ipſo Summo capite congregatam cum omni, & plenaria poteſtate ſynodum memorarent; propterea nihil iuuare ſubterfugium; alia cunctatione decreuerunt Cæſari, atque ſynodalibus illudere; alios poſt alios ablegando, ſed profanos legatos, qui explorandi gratia accederent. *Ioachimus* Elector Brandeburgicus primus fuit, qui legatum mitteret *Chriſtophorum Straſium* I. C. Is cum tribus Electoribus Eccleſiaſticis, mandatum attulit, quo omne proteſtabatur Pontifici deferre obſequium, & in omnibus ſe Concilio ſubmittere. Tridentini Patres magna ſe cum voluptate audiſſe reſpondent, quòd *Synodo ſe Princeps omnino ſubmittat*. Verum hæc ab adulatione magis, quàm veritate profecta, eſt qui Brandeburgenſem inſimulet; quia à morte *Ioannis Alberti*, qui Magdeburgenſem tenebat Archiepiſcopatum, *Fridericus* Electoris filius à Collegio fuerat poſtulatus, ſed à Romanis non adprobatus, quia Saxonicæ religionis ante fuerat Elector, nunc verò prenſando Patres, nihil reliqui faciebat.

CCCCC. I. *Brandeburgicus Concilium petit.*

CCCCC. II. *VVirtenberg. negat obſequium Pontifici.* Venerunt poſtea *Chriſtophori* Ducis VVirtenbergici oratores, ſed ne quam viderentur Romano Pontifici venerationem deferre, Cæſaris conuenere legatos, ac priuſquàm ſuæ poteſtatis exhiberent literas, in priuatam Theologorum diſceptationem cum Brandeburgicis ſeſe intulere. Nam cautum erat, ne quid ad publicam Concilij diſquiſitionem produceretur, quin priuatis ante Theologorum ſtudijs diſceptatum fuiſſet. *Mauritij* expectabantur legati, ante quos in ſpeciem pacis ſuos præcedere reliqui Proteſtantium paſſi erant, vt *Mauritio* tempus eſſet arma expedire, & Cæſarem proditionis ignarum occupare, cuius doli

CCCCC. III. *Mauritij perfidia, vt Cæſarē intercipiat.*

Sal. Ann. 1552. fama iam Tridenti percrebuerat: vnde Electores datis ad Cæſarem literis, vt ſibi in *Mauritium* conſuleret, orarunt. Sed tantam dabat *Carolus Mauritio* fidem, vt vana hæc commenta negligere eos iuſſerit, & cœptis inſiſtere iuſſerit. Inſidias vt tegeret *Mauritius*, Oratores Tridentum proficiſci iuſſerat, hi VII. Ianuarij Ann. 1552. Tridentum ingreſſi famam diſſiparunt vulgatæ perfidiæ. Ad Cæſaris legatos admiſſi, more, excuſatione propoſita, *prorogationem petierunt Concilij, vt omnium eſſet nationum Concilium* (quod obluctantis Galliæ inſerebant) *Præterea ne Pontifex ibi ſupremi Præſulis auctoritatē vſurparet, ſed Concilio ſubmitteretur. Epiſcopis iuramentum remitteret. Omnium in ſynodo eſſent liberæ voces, & ſuffragia, decreta hactenùs à Tridentino Concilio, tanquam S. Scripturæ aduerſa, iuſto iterum ſubijcerentur examini.* Tanta impudentia offenſi Oratores Cæſaris, ni à Pontifice præmoniti fuiſſent, vt quidquid ſalua fide poſſent, hominum infirmitati ad ſalutem indulgerent, acre erant daturi reſponſum, animaduertentes poſtulata hæc cum nuper Auguſtano admiſſo decreto pugnare, & ad deſtruendum potiùs, quam adſtruendum Concilium excogitata eſſe. Poſtulatis itaque per Oratores Cæſareos ad Patres relatis, reſponſum eſt, *cautionem ſecuritatis petitam libenter indulgere Patres, eorumque gratia ſuſpenſum iri Concilium; cætera non vno momento, ſed ipſa in ſynodo definienda.* Dum hæc Tridenti agitarentur, & inutili cunctatione ſectarij Concilium protraherent, alios *VVirtenbergicus* legatos cum Theologis, inter quos *Io: Brentius* Tridentum deſtinauit (*Brentij* effigiem habes n. 507.) *Mauritius* etiam ſuis, qui Auguſtæ ſubſtiterant, inter quos *Melancthon*, præcepit, vt ſe quamprimùm, licet nondum acceptis ſecuritatis literis, eodem conferrent, & in omnibus ſe remittere. Iam enim cum ſuis, & Galliarum Rege in procinctu erat ad Cæſarem intercipiendum, quem obſequij ſpecie Oeniponte detinere curabat. Noua tandem inſtructi belli à *Mauritio* fama Tridentinos ita terruit, vt Treuirenſis Archiep. morbi ſimulatione, ad tutelam ſuæ Diœceſis illicò ſe ſubduxerit, ibi *Ambroſio Pelargo* Theologo Domi-

CCCCC. IV. *Proteſtantium poſtulata.*

Fugiunt Patres.

Sal. Ann. 1552. CCCCC. V. *Auguſtam occupat.* Dominicano ſubſtituto, promouendi Concilij gratia. Cumque in dies belli fama increbeſceret, receſſerunt etiam *Moguntinus*, & Colonienſis XI. Mar. Nec longè adfertur, Auguſtam tertio Aprilis, & obſidionis die à *Mauritio* occupatam, iamque miles ad Alpium fauces occupandas aduentare, Epiſcopi omnes fugere cœperunt, & de ſuſpenſione Concilij *Pighinus* legatus decretum edidit.

Tunc à *Mauritio* ſe deluſum agnoſcit *Carolus*; hunc vt falleret, Magdeburgum Cæſaris auſpicio vicerat, ſed clam in ſuam fidem receperat; *Haſſos* ſibi Sacramento obligauerat; *Henricum* Gallorum Regem medio *Alberto* Brandeburgico, ea lege in ſocietatem admiſerat, vt octoginta aureorum millia in ſingulos menſes penderet alendo Germano militi, ipſeque proprio etiam exercitu Lotharingiam inuaderet, omni militari apparatu imparatam, aggreſſoribus præmium. *Mauritij fœdus cum Gallo.* Expectabat *Mauritium* Oenipotente *Carolus*, vbi in *Landgrauij* libertatem, ſpem fecerat (quòd nuper miſſis legatis Proteſtantes orauerant.) Iamque vt *Carolum* ſecuriùs deciperet, aliquos *Saxo* præmiſerat, qui hoſpitium venturo præpararent; ipſeque viam lentè ingreſſus; ſpeciem ſecuturi præferebat. Cumque ad militarem expeditionem eſſent omnia parata, repentè iter relegens cum *Alberto Brandeburgico*, duobus *Landgrauij* filijs, *Megelburgi*, & *Pomeraniæ* Ducibus, liberarum vrbium legatis, ac *Salernitano* Principe, recens Toletani ProRegis iniurijs prouocato, octo & triginta peditum, & quatuor equitum millia, Vere ineunte, in *Carolum* duxit. *Ciuitates occupat.* Noriberga, Nordlinga, Donavverda, Auguſta venienti patuit, nouumque è Proteſtantibus ſenatum accepit, vbique Romana Religione profligata. Paulò ante quàm Auguſtam *Mauritius* appelleret, literas ipſe ac *Brandeburgenſis* ad Imperij ordines ſcripſerant, quibus belli cauſas ſignificabant. *Pulchrum quidem*

CCCCC. VI. *Belli cauſas exponit* (aiebant) *atque omnibus gratum eſſe nomen pacis, ſi quod promittit, præſtet: ſi verò mendax, bello eſt aperto deterior. Religionis concordiam cum ex Apoſtolorum ſcriptis habere enixè curauerint, & hoſtes ſæpe ſpem fecerint in publicis, & priuatis colloquijs, ſemper euerterunt, prohibita Auguſtanæ religionis formula, etiam ante Pontificij Concilij decretum.* Sal. Ann. 1552. *De* Lantgrauio *alteram eſſe expoſtulationem, qui totos iam quinque annos præter Cæſaris promiſſa in cuſtodia detinetur, quamuis pactioni per eius liberos, nobilitatem, populum ſubſcriptæ ſatisfecerit, mulctam pecuniariam dependerit, tormenta bellica cum omni inſtrumento tradiderit, arces demoliri curauerit,* Henricum Brunſuicenſem *cum filio liberum dimiſerit, non adhuc libertati reſtituitur, ea familiæ calamitate, vt liberi bonis exuti priſtinam tueri non poſſint dignitatem graui præiudicio propter ſpem ſucceſſionis, & pacta quæ mihi intercedunt cũ eius familia.* (verba ſunt Mauritij) *Sed id ſupra omnia cõſiderandum, quod ad communem Germaniæ pertinet libertatem. Ciuiles cauſæ etiam maximis de rebus nõ ad Imperij conuentus, ſed ad paucos Spirenſes Senatores ex induſtria ſcelectos referũtur. Imperij ſigillum ad alienigenas transfertur: Summa conſiliorum ab vno pendet, qui nec gente nobilis, nec origine Germanus, nec cum imperio coniunctus eſt* (Antonium Granuellanũ Atrebatenſem Pontificem Cæſaris Cancellarium intelligebat) *Contra patriæ priuilegia externus miles in Germaniam immittitur, qui populum rapina exhauriat, libidine inquinet. Regum legati ad publicos imperij non admittuntur conuentus, quorum fœdera cum Romano imperio ſemper fuere ſanctiſſima. Aduerſùs hãc Monarchiam pro patriæ libertate* Mauritius *cum ſocijs arma ſuſcipit. Si quis aduerſabitur, numero eſto inimicorum. Nec vitio vertatur, ſi nimia Eccleſiaſticorum immiruatur potentia, nam primi Epiſcopi his malis dedere cauſam. Eorum tamen collegia, quæ nobilitatis cauſa inſtituta ſunt, non abolenda cenſemus: maneant in ſuo gradu, modò vitia intoleranda tollantur.*

Religionis hic (ne mireris) ſi parciùs videas vſurpari nomen. Arcanum eſt, ne Orthodoxos per Germaniam principes ad eius defenſionem prouocarent: tum ne Gallorum Regem ab hoc fœdere excluderent, cuius opibus ac armis fuciebantur. Gallus etiam cauſas ſuſcepti belli & ipſe expoſuit. Duo cum Regem ſpectent, Religionis cura, & populorum ſalus; quo minus perſequi officium poſſim, Cæſaris obſtant

ma-

Sal. Ann. 1552.

machinamenta in Aquitania excitato tumultu in Angliam legato miſſo, qui Regis tutores ad arma in me capeſcenda excitarent. Sic quòd *Chriſtierna Franciſci Lotharingi* Ducis vidua nomine Bareſis principatus fidem mihi negaret, vt ſuperiores fecerunt *Lotharingiæ* Duces. Hæc omnia aſtu & fraude non contentus, vi inualuit aperta, *Farneſijs* fœderatis indicto bello, oppugnata Mirandula, quam in Galliæ Regum clientela agnouit. *Acceſcere adhæc Germanorum principum quæſtus iuſti, & graues, nos pro veteri neceſſitudine, & amicitia rogantium, vt in communi cauſa coniunctis opibus publicum periculum propulſare velimus. Palam enim quòd Cæſar Belli Turcici ſpetie, ac refrenandæ rebellionis duriſſimum Germanis iugum imponat, vt eorum viribus eneruatis Galliam inuadat, & imperium diu meditatum totius ſumat Europæ. Nam quàm iniqua ſit domus Auſtriacæ cupiditas teſtantur imperij ditiones Vltraiectenſis, Leodienſis, Cameracenſis, nunc tributariæ factæ Auſtriacæ familiæ. Domus Burgundica quæ à maioribus meis deducta Auſtriacis opes, & lumen intulit. Treuiris, Menapijs, & Virtembergicis poſſeſſionibus imminère quis non videt; & Heſſi fines ab Hiſpanis tam diu inſeſſos, & vaſtatos quis ſine lacrymis poteſt intueri? Triſtè ſpectaculum, & cæteris exemplum eſt, vt in commune conſulant, & maturè occurrant. Quis verò tribunal illud poſt debellatum* Saxonem, & Heſſum *perfidioſè captum*, Spiræ *erectum ſine horrore recordari poteſt? ad quod veluti in carcerem principes rapiebantur, & tanquàm in macello pecudes mactabantur? Ne concordia itaque auitam perderent libertatem, mecum renouato fœdere arma impendere decreuerunt. Nec priuatæ defuerunt iniuriæ; quas diſſimulare amicæ gentis caritas, Gallici decor nominis non patitur. Nondum enim oblitus ſum, quàm indignè* Vogelsbergus *vir nobilis, virtute nobilior, ab amico ſumma perfidia circumuentus poſt crudeliſſimos cruciatus, capite damnatus fuerit, quia mihi militauerit. Hoc ſtante pace inter me, & Cæſarem fas ne erat?* Ringrauium, Recrodum, Rifebergum, & Schiertelium *prætereo, quòd mihi militarent, inſidijs petitos. His de cauſis arma ſumpſi, nec aliud ſpero emolumentum, teſtor Deum, quam Germaniæ dignitatem,* Heſſi *libertatem. Nemo bellum horreſcat, nam nocentes appetam, innocentes protegam. Eccleſiaſticos in tutelam recipio; ſalua erunt bona eorum: & de Eccleſiæ ſperent vnitate, quia ad hanc tendimus.*

Sal. Ann. 1552.

Huic libello in fronte præfixerat vſurpatum olim à Iulij Cæſaris percuſſoribus ſymbolum, *pileum decuſſatos inter pugiones*, libertatis gladio vindicandæ imaginem. *Saxo* verò Batenam in ſymbolo erexit monſtrum maritimum, quam nautæ ita dolo ſoleant eludere, cum viribus eam ſuperare non poſſint. Dolia, pilas belluæ objiciunt, vt dum circa hæc vires vanè exercet, elabi poſſint. Ita *Mauritius* diſſimulauit, legatos mittendo, promittendo, vſque dum rebus ad bellum paratis, ſe hoſtem Cæſari obiecit, vbique conſpirantibus Proteſtantibus, præcipuè *Petro Martyre* qui in Anglia erat.

A calamo ad ferrum excitati, Danubium *Mauritius*; Moſellam Rex & *Albertus* vendicabant, magnis vtrobique ſucceſſibus. *Annæus Monmorantius*, (qui ob ſuſpectam *Franciſco I.* Regi fidem, quòd ab Hiſpania vſquè per mediam Galliam, tutum ad Belgas *Carolum* Cæſarem traduxiſſet, ſexennio latuerat) nunc quaſi poſtliminio reuocatum ab *Henrico II.*, graui prudentia, & ſolerti fide (quam profitetur in ſymbolo) Rex titulo ſubſidij ex alto venientis, vt libertatem Germanis reſtitueret, miſerat, Tullum, Virdunum, ac Muſſipontum imparatas à milite tenuit vrbes, Metim ciuium, & artis robore munitiſſimam aſtu ſubijt. Nam cum ſolùm geminæ cohorti aditum, & prò oblato ære alimenta ſibi præberi poſtulaſſet, receptus Idibus Aprilis porta miles dimoueri non potuit, ciuibúſque factione inter ſe diuiſis, alijs in Cæſarem, alijs in Gallum propenſis, ac *Lenoncurtio* denique Epiſcopo ſuadente, vrbe tota admiſſus eſt. Rex Ionuillæ feſto Paſchali celebrato, vbi de ſucceſſu intellexit, cum alio exercitu

Sal. Ann. 1552.



CCCCC. VIII. *Henricus Rex Gallorũ Nanceium occupat.*

Nanceium Metropolim deſtitutam pręſidio, & terrore priùs, quã armis oppugnatã ſubijt, caputq; gentis *Carolum* nouennem, ex *Franciſco* non ita pridem defuncto relictum, puerũ *Chriſtiernæ* matris, *Caroli* Imperatoris neptis fruſtra querentis, obnitentiſq; à gremio auulſit, atque in Gallias ad *Claudiæ* filiæ ſuæ nuptias educandum tranſmiſit. Hinc Rex

ſine

Sal. Ann. 1552. ſine certamine victor, Tullum, Virdunum, demum Metas ingreſſus, magnificè exceptus, ædem adijt Pontificiam. Vbi in loco excelſo ingens Aquilæ effigies cum Herculis columnis erecta erat, ſub lemmate *Vltra*. (Hanc in Cæſaris gratiam Mediomatrices erexerant) *Henricus* deiecto ſymbolo, tres Lunæ creſcentis ſemicirculos appēdi iuſſit, dicterio addito, *Dum totum compleat Orbem*. Pauloque infra adſcripſit, *Henricus Galliarum Rex Sacri Imperij protector*. Hæc poſterior Inſcriptio (ait Belcarius) *nimis ſuperba, & magnis impenſis empta fuit, nec quicquam Regi, aut Galliæ profuit, ipſis etiam Germanis irridenda: qui ſuum Imperium omnibus Chriſtianis prouincijs, atque regnis imperare, nedum quemquam propugnatorem agnoſcere volunt: ita Regum aulæ adulatoribus abundant, quibus nihil non impune licet*. Vide n. 507. Hac ſorte lætus, Ciſrhenanæ Ger- *Sal. Ann. 1552.*

Hanc vide n. 507. Gallus irridet Cæſaris ſymbolum.



maniæ occupandæ animum adiecit, vt Reno, aliiſque fluuijs diſtingueret. Miſſo igitur *Rheingrauio* locorum gnaro ad Treuiros expugnandos, cum imparatos minimè offenderet, Argentoratum mouit. Ciues alieno periculo cautiores facti, cum defēſionem paraſſent; Hagenoam flexit, & VVeiſſeburgum nō magno inuaſit impendio. Nummos hic habes votiuos, & triumphales *Henrici*.

Non minor fortuna erat *Mauritianis*, occupata Auguſta, ad Superioris Germaniæ ciuitates, vt intra Aprilis menſem accederent, ſcribunt: Vlmenſibus, qui nouem paſſuum millibus Auguſta diſtant, vt ſe CCCCC. IX. *Mauritij res proſperæ.*

Sal. Ann. 1552. ſocios profiteantur, imponunt: recuſantibus trecenta numum aureorum millia indicunt, & circumſeſſa vrbe, agrum depopulantur. Inde ad præcludendas ſubſidiario ex Italia Cæſaris militi Alpium fauces (quod ſuperiori bello neglectum) progreſſus *Mauritius*, haud leui Cæſarianorum clade Erebergum fortiſſimam ad Lechum flumen arcem obtinuit. Inde iam Cæſarem Proteſtantes ſe Oeniponti tenere incluſum rati, literis pridie Cal. Iunij Auguſtæ vulgatis, præſente *Fraxineo* Galliarum Epiſcopo, & Regis legato decretum vulgarunt, dicentes *tuendæ religionis, libertatiſque Germanorum cauſa ſe potiſſimum arma ſumpſiſſe, ideoque velle, ac iubere, vt exules ab Eccleſijs miniſtri, iniuriaque cum ludi magiſtris pulſi, ſuum in locum cæteris amotis reſtituantur, iuxtaque Confeſſionem Auguſtanam ab vtriſque populo, ac iuuentuti tradantur, ne Pontificio Idolo locus ſit.* Ita bellum gerebat *Mauritius*, vt tamen pacem reſpuere non videretur, ad eam inuitatus à Rege *Ferdinando*. Ita ſibi conſultum volebat, ne inclinante fortuna, parem cum *Ioanne Friderico* exitum ſortiretur. Et quia ſaluo Cæſare, omnem victoriæ curſum ducebat incertum, Oenipotem maturauit ad eum opprimendum, tanta vſus celeritate, ac belli diſſimulatione, vt ſui aduentus famam præiret. Mauritiani militis ſeditio Cæſari profuit, ne interciperetur. Cum Oenipontem ducere *Mauritius* vellet, milites recuſarunt, niſi ſtipendium extra ordinem ob captam arcem penderetur. Hic
CCCCC. X. *Mauritij diſcrimen.* *Mauritius* cum inter alios vnum præ alijs clamoſum comprehendi iuſſiſſet, cæteri pœnam commilitonis ad ſe pertinere exiſtimantes, illicò arma capiunt, & non ſolum haſtis, ſed etiam manuarijs tormentis Ducem petunt, vt vix fuga ſe tanto periculo exemerit. Compoſito vtcumque tumultu, Oenipontem ducit; Cæſar vbi de improuiſo eorum aduentu cognouit, quamuis aduerſa valetudine, & pluuioſo ac nimboſo Cœlo, per noctem lectica vectus, ad tædarum lumen cum *Ferdinando* fratre, qui nuper Lincio venerat, & omnibus qui aderant Principum legatis, cæteroque aulico comitatu, magna trepidatione Oeniponte diſcedit, relictis impedimentis, & per Alpes, quibus Tridentum itur, itinere primùm facto, mox ad læuam flexit, ac Villacum ſumma celeritate contendit, vtique miſerabili ſpectaculo; nam inter eundum videre erat, nobilitatem illam victricem per vias lubricas, & propter imbres continuos luto corruptas, equorum penuria ſumma cum difficultate, pedibus incedere, lapſantibus vbique ferè veſtigijs, & permiſtos heris, ad ludibrium lixas mutua opera ſe erigere, æquata omnium per fortunam conditione: Antequam Oenipotenti diſcederet, *Ioannem Fridericum* Saxonem liberauit, prærepta hac hoſti gloria, ne coactus potiùs, quàm ſponte captiuum dimiſiſſe videretur. Contra Saxo, qui à Cæſare potiùs, quàm à *Mauritio* fortunam expectabat, nec ſua poterat repetere ſpolia, niſi ſibi ereptam Electoralem dignitatem *Mauritius* exueret, profugi Cæſaris maluit ſequi veſtigia, quàm victoris beneuolentiam experiri, & illius captiuus, quàm huius libertus videri. Oenipontem conſecutus *Mauritius* inſtructam Cæſari cœnam, deſertamque properantium metu reperit, qua ipſe cum omni relicto à Cæſare aulæ, bellique apparatu potitus eſt. Ad cubile accedens *Caroli* en inquit, *Grandis Aquilæ nidum, quam ſi intercipiſsē quibus loris includerem, non haberem. Res Ferdinandi* (cui paucorum adhuc dierum tenebatur inducijs) ciuiumque intactas reliquit. Villacum cum perueniſſet Cæſar, obuium habuit Senatus Veneti oratorem cum equitatu venientem, & milite, quem ſcribi, & augeri Senatus iuſſerat. Hos motus Cæſar veritus, ne fortè cum hoſtibus Veneti conſpirarent, ſedem mutare cogitauerat, ni à Veneto monitus, arma hæc prò tutandis finibus, ac pro ipſo contra *Mauritium* ſummiſſa.

Sal. Ann. 1552. Caroli diſcrimen. *Fuga.* CCCCC. XI. *Io: Frider. Saxonem liberat.*

Inter tot victoriarum curſus *Mauritius*, non deſtitit fortunam, virtutemque Cæſaris reuereri, ſuæ metuere. Ex pari illū emerſiſſe periculo ad tantam viderat fœlicitatem, affluere ſenſim ex Germania, Italiaque militem, *Fridericum* ex hoſte captiuo amicum ſubito, ac hoſpitem amiſſæ haud dubiè inhiare dignitati. Suos ſe hoc bello inimicos in libertatem aſſerere, ac ferrum ſtringere auctoris in iugulum retorquendum. Indictis itaque ex *Ferdinandi*, & *Mauritij* conſenſu CCCCC. XII. *Mauritius ad pacem inclinat.*

Sal. Ann. 1552. ſenſu Paſſauiam comitijs in ſeptimum Kal. Iunij ad Regem interim literæ à Palatino, Moguntino, Treuirenſi, VVirtembergenſi Eluienſi proferuntur, quibus ne vltra progrederetur, orabant. Eodem tempore à *Mauritio* etiam literæ ad Regem offeruntur, quibus quid Lincij inter ipſum & *Ferdinandum* actum eſſet, exponebat, & Regem in actione comprehenſum, aiebat, rogans vt quibus conditionibus cum Cæſare paciſci vellet, explicaret. Regium animum perculit Germanorum repentina mutatio; facilè namque erat cognoſcere, eos à fœdere inito recedere. Paſſauium vbi *Mauritius* appulit in conſeſſu, vbi *Ferdinandus*, Cæſaris legati, *Albertus* Dux Bauariæ cum alijs Principibus, Epiſcopis, ciuitatum legatis, queſtus ſuos copioſiùs renouauit. Poſt *Mauritium*, Baionæ Epiſcopus *Fraxineus*, orator Gallicus ad alēdas belli faces, plurima congeſſit, exorſus *ab antiqua Gallorum, Germanorumque concordia, vita, morumque ſimilitudine qui veluti fratres amicè coibant. Vnde cum* Francones *in Galliam tranſijſſent, vnum factum eſſe imperium; quod vbi ad Germanos deinde translatum eſſet, neceſſitudinis ac ſanguinis fœdere* Saxones, *alijque Cæſares à Francorum Regibus oriundi antiquam amicitiam ſancte colebant. Hinc Galli Germani Domi, foriſque præ cæteris floruere gentibus, & Pannonibus, Bohemis, Polonis, Danis dedere legem; ac Aſiam, & Europam de Turcis clariſſimas tulere victorias. Incidiße tempus quo Cæſares hoc nomine indigni veterem illam coniunctionem neglexerint, & domi inglorij, foris fuerunt infelices, quam aliquot poſt ſeculis* Luceburgenſes *principes, Imperatores ve renouarunt.* Albertus Auſtriacus *nullis* Bonifacij VIII. *Rom. Pontif. precibus ac promiſſis incitari potuit, vt* Philippo Pulchro *Gallorum Regi bellum inferret.* Sigiſmundus *Imperator cum* Ludouico XI. *amiciſſimè vixit. Vnde temerè harum nationum diſcordiam foueāt* Caroli *familiares.* Franciſci, Henrici *pro Germanicæ libertatis vindicta adhuc rubricata ſanguine vigere geſta, vt ſuam omnem communicarint fortunam, fœdere vtrinque confirmato cum* Mauritio *præcipuè, ne cum hoſte paciſci ſine Regis liceat aſſenſu.* Mauritium *nihilominus ad Regem ſcripſiſſe ſpem magnam* ex Linciano *colloquio conciliandæ pacis apparere: orare proinde, vt qui cum Cæſare paciſci velit, exponat. Id quamuis Regi præter ſpem acciderit, pacis tamen ſtudioſum non repugnare, ſi Germanæ Reipublicæ antiqua forma inſtauretur: & vetus Galliæ cum imperio amicitia coeat. Quoad Cæſarem, cum multa quæ Regis erant per vim occupauerit, & litem alienam ſuam fecerit: dum Romani Pontif. iuuandi ſpetie, violato fœdere bellum incœperit, viam primus ſatisfactionis aperiat. Regem enim licet cauſæ, & viribus non diffiſum haud tamen a pace alienum.*

Conuentus Paſſauij.

CCCCC. XIII. *Galli oratio qua pacem turbat ex Belcario.*

Sal. Ann. 1552.

Cum in armis plus ſibi emolumenti collocatum *Henricus* videret, omnia mouebat, vt pacem turbaret. Neque Cæſaris indulgentia, vel Germanorum ſuffragatio trium Epiſcopatuum, Tulli, Virduni, Metenſiſque, quos occupauerat poſſeſſionem, indulgere poterat. Vim itaque ſibi potiùs, quàm pacem expectandam ratus, bellum vndique vrgebat. Non pauci enim Germanorum Principes intellexerant ſeruitutis initium ab oblato deduci patrocinio libertatis. Gallus porrò quamuis pacem reſpueret, è Germania in Lotharingiam deduxit militem, vel Germanorum precibus, qui eum rogabant; aut armorum ex Belgio ſuis prouincijs incumbentium metu.

CCCCC. XIV. *Maria Belgij gubernatrix in Gallos mouet.*

Iam enim *Maria* Hungariæ Regina Cæſaris ſoror, Belgij gubernatrix exercitum delegerat, in quo tria equitum, peditum duodecim millia eſſe ferebantur. Hi *Erneſto Mansfeldio*, ac *Martino Roſſemio* Ducibus Campaniam latè populabantur. Comitijs etiam Aquiſgrani inſtitutis vicinos inuitauerat Principes ad communem tutelam. Acceſſerat Leodienſis, Colonienſis; Cliuenſis ſe per literas excuſauit. Gallus quo ſuis ſubueniret, hac ceſſit interpretatione. *Libertatis Germanis reſtituendæ cauſa ſumpſiße arma, ea reſtituta ſecedere.* Tripartito itaque exercitu per Alſatiam, ac Lotharingiam in Belgium flectens, in itinere Atenæum recipit, Rodemacram expugnat, Iuodium apud Lucelburgicos quamuis *Petro Erneſto Mansfeldio* comite fortiſſimè propugnante vi obtinet, & *Robertum Marcanum* quod caſtrum Bullionis, quantùm videbatur impenetrabile, regionis caput occupaſſet, du-

Gallus quædam loca Lucelburgi occupat.

cem

Sal. Ann. 1552.

cem Bullionium pronuntiat. *Roſſemius* poſt exciſam Picardiam, cum impar regijs ad tutiora redijſſet, *Henricus* exercitum hoc itinere morbis, rerumque penuria vehementer attritum, denique Iulio exeunte, in hiberna dimiſit.

Alberti Brãdeburgici furor militaris.

Interim *Albertus Brandeburgicus* ob proſcriptionem ſui ab imperio furore ſuccenſus, tanquam erumpens ex orco furia, ſacra profana igne, milite, ferro vaſtabat. *VVolfgangus Melchingus* Magiſter Ordinis Teutonici vt æmuli ſui in Pruſſia fulmen euaderet ſoluta pecunia, ſe exemit. Noribergenſes quòd in fide Cæſaris perſiſterent poſt vicos centum, caſtella, villaſque facilè ſeptuaginta, ac ter mille ſiluarum iugera incendio amiſſa, pacem ab eo redimerunt ducentorum aureorum millium pretio. Herbipolenſem, & Bambergenſem quòd Romana ſtarent fide integri, duriſſima pactione ſubegit. VVormatiam, Spiram ſuæ fecerat poteſtatis, duodecim aureorum millibus ab illius principe extortis, & Catholicorum vbique cultu profligato. *Moguntinus* Elector merſis Rheno belli tormentis, in remotiora loca ſeceſſit. De fœdere demum certior factus *Albertus* Paſſauij inito, implacabili catholicæ religionis odio, illo comprehendi nolens ad oppugnandum Francofurtum redijt: conditiones opulentas à Rege aucupabatur, cuius inſignia eius milites in vexillis ferebant; & quas vrbes capiebat, Regis nomine ſe capere iactabat. Hinc Moguntiæ, ac Spiræ naues vino, triticoque onuſtas incendit, quo difficiliorem tranſitum Cæſari redderet: inde Treuiros petijt, & deditione accepit, vbi Monaſteria omnia, atque Eccleſias ſpoliauit. Vrbs ipſa, appropinquantibus Cæſarianis, ſeſe grandi pecunia incendio ſubtraxit.

CCCCC. XV. *Pax inter catholicos & Proteſtantes.*

Pax interim in Paſſauienſi conuentu, magno catholicæ fidei detrimento ſancitur *vt intra dimidij anni ſpacium comitia haberentur, vbi ſub præſidio Cæſaris pertractaretur qua via, nimirum ſeu Generali, ſeu Nationali Concilio, aut Colloquio, vel communi etiam Imperij conuentu, Religionis ſopiatur diſcordia. Decidentium par numerus eſſet ex vtraque Religione delecti cum mandato deliberandi: & hoc abſque Electorum Principum præiudicio. Interim non Cæſar, non Electores, non S. Imperij Status propter religionem vi factove quempiam ex Auguſtanæ Confeſſionis Statibus bello petere, vel inuadere, vel damnum inferre, vel contemnere poſſit; ſed ſuæ religioni, fideique quietè, & pacificè ſtare, credereque ſinant. Quicquid in comitijs à Cæſare, & Principibus ordinaria via ſtatueretur, in poſterum ab omnibus ſeruaretur. Prætor Cameræ Iudicij, cæterique iudices omnibus non attento cuiuſnam ſint religionis, neceſſarias, & legitimas ferant ſuppetias: formulam in primis iuſiurandi* Deum, & Sanctos, *aut* Deum, *& Sancta Euangelia liberam permittendo. In ſuffragijs quoque dandis æqualitas ſeruaretur. Auguſtanæ quoque Confeſſionis conſortes à Cæſareo Cameræ iudicio non excluderentur.* Quibus omnibus à *Ferdinando* ſubſcriptis, Lutherana ſecta refloruit ſed in diſcordiam; Nam & in hodiernum diem diſſonant Proteſtantes.

CCC CC. XVI. *Carolus mouet in Gallos.*

Inita pace Auguſtam *Carolus* venit, Hiſpanorum, Italorum, Bohemorum, Germanorumque metuendo exercitum collecto, dimiſſoque *Ioanne Friderico* Saxone, contra Gallum ad repetendam Lotharingiam pergit. *Henricus* Rex Galliæ hac veluti belli denuntiatione ſibi facta, Mediomatricibus præſertim, qui primi hoſtibus occurrebant, prouidendum ducens, inſignem belli ducem, cui ob rerũ geſtarum gloriam, & natalium ſplendorem faciliùs obedirent, *Franciſcum Lotharingum Guiſanum* regulum delegit, qui *Caroli* impetum ſuſtineret. Cæſar enim, qui propter infeſtam valetudinem de abdicando iam imperio cogitabat, & in ſolitudinem veluti ad vnicum ſenectutis ſuæ perfugium abire deſtinarat, hanc ſuis imponere coronidem anhelabat triumphis, vt res humanas in poſterum tot, tantiſque clarus deſpiceret victorijs, & regnum poſſet ambire cœleſte? Tantas itaque comparat copias, quantas antea numquàm niſi fortè aduersùs *Solymannum*, vt timeri meritò deberet.

Metim obſidet.

Metas itaque opere, & milito firmiſſimas, cum octo peditum, & tria equitum millia ſub *Guiſij* recenſerentur imperio, XXII. Octobris, mouere cœpit, vt illius expugnatæ terrore, reliqua haberet obſequentia. Hoc conſilio *Albertum Bran-*

debur-

Sal. Ann. 1552.

deburgicum hoſtem ſuum iuratū, Lotharingiæ finibus cum *Aumalio* fratre *Guiſij* inhærentem, à Gallis ad ſe traduxit. Is ſtipendiorū inter Gallos rigidus exactor, cum non omnia ex voto obtineret, gratiā Cæſaris iterum aucupari feſtinat. Tribus milliaribus ab vrbe cū diſtaret Metenſi, & alēdo exercitui ſemel, atque iterum commeatum à *Guiſio* petijſſet, & impetraſſet, cum tertio idem flagitaret; ſe excuſauit *Guiſius*, dicens, tā vicino hoſte annonam ex vrbe aſportandā non eſſe, vtilius fore, ſi in Sequanos tranſiret, commeatu abundātem regionem, & ibi venienti hoſti incommodare poſſet. Conditionē accepit *Albertus*, & viæ indicem popoſcit: mox mutato conſilio, in Moſellam tranſmittere decreuiſſe, ſe refert; petitque à *Guiſio*, vt traducendis copijs pontem ſterni, & è ſuis captiuos, qui detinebantur in vrbe, liberari iubeat. Quod additum, vt diſſidio colorem quæreret. Cum nauigia inquiri iuſſiſſet *Guiſius*, nullos ex *Alberti* militibus in vrbe captiuos eſſe reſpondet. *Albertus* tunc *Guiſium* ad colloquium poſcit. Excuſauit ſe is ob ſibi vrbis demandatam cuſtodiam, *Albertum* vt in vrbem iret, inuitauit. Ille quaſi venturus, præmiſſis ſemper pluribus è ſuis; ne tandem *Guiſium* in ſui ſuſpicionem adduceret, & fidei ſpecimen daret, petit, vt ad leuandum exercitum tempore tam pluuioſo grauiora impedimenta ſibi in vrbe deponere liceret: quod & perbenignè cōceſſum. Albertinis interim exire iuſſis, qui iam quadringenti, ſpetie alimenta parandi, in vrbem confluxerant; propoſitoque rerum venalium extra vrbem foro, ſecuritati conſultum. Cum hac via non procederet, rurſus de captiuis eſt renouata querela; ſed à *Guiſio* nil reſponſum. *Alberti* dicitur fuiſſe conſilium, aut comeatu vrbem exhaurire, aut *Guiſium* capere, ſi ad colloquium exijſſet; aut per ſuos portam occupare potuiſſet. Habebat *Albertus* in exercitu ſexaginta duo vexilla, quæ in quatuor legiones diſtribuerat: ac XXII. præerat *Iacobus Auguſtanus*. XVI. Altemburgi Comes. XII. *Riſebergus*, & *Ioachimus Caluicius* totidem. Mille, & ſexcenti equites cum triginta tormentis ſubſequebantur. Comitabantur eum Dux Bipontinus Liechtembergæ *Lantgrauius*, & *Ludouicus* Oe-

CCCCC. VII. *Albertus Brandeburg. ad Cæſarem tranſit.*

tingenſis comes à Cæſare proſcriptus. His viribus potens operam ſuam ſuperbè venditabat *Albertus*, quo cariùs eam diſtraheret. Dolo porrò *Alberti* cognito, *Aumalius* frater *Guisij*, qui Gallicas ducebat copias, abeuntem inſequitur *Albertum*. Sed is, licet numero longe impar, & peditatu iam per Gallos corrupto, ſtipendiaque poſtulante, deſtitutus, equitatum tanta pugnandi alacritate impulit, vt ruptis, profligatiſque ordinibus, *Aumalium* tribus vulneribus ſaucium interceperit, & tanquàm victoriæ monumentum *Carolo* ſtiterit, non ſine grandi defectionis premio, nam vltra preteritorum veniam Cæſar tranſactionem quantumvis iniquam cum Bambergenſi, & VVirceburgenſi Epiſcopis factam confirmauit, Pannonicam ei militiam remiſit, inſuper in eius gratiam *Ludouicis* patri, & filio Oetingenſibus comitibus à ſe proſcriptis, *Alberto* item *Mansfeldio*, & filijs culpam indulget: quo cognito *Riſebergius* ad Gallos tranſiuit. Parum tamen *Carolo Albertus* profuit. Centum millia peditum, equitum duodecim millia in caſtris Cæſarianis fuiſſe perhibent. Centum & quatuordecim machinis cœpit mœnia quatere, tanto tonitru vt tridui itinere ſtrepitus audiretur. Nullibi Cæſar maiori vi, nullibi minori fructu inſudauit. Propugnantium non impar virtus, mœnium propugnatione, & in hoſtes eruptione. Pari marte vt *Carolus*, & *Guiſius* dicerentur pugnaſſe, & nullus vinceret, Cœlum obſtitit, quùm hieme ingruente ſæuiſſima, & niuium imbribus *Carolum* eò adegit, vt cogeretur vel obſidionem ſoluere, vel militem perdere, iam tertia parte conſumptum. Aduersùs Cœlos Cæſar pugnauerat. Is igne, imbre illi, vt illudentes deluderent *Carolum*, qui quaſi ſuæ fortunæ artifex, director, & cuſtos, non ſecùs atque antiqui egregiarum artium artifices, quùm ad ſummum ſuæ artis gradum perueniſſent, dijs eiuſdem inſignia conſecrare, nec in poſterum artem ipſam exercere conſueuerant. Hic autem pius Imperator, non artis inſignia, ſed ſuæ infirmitatis conſcius Deo Opt. Max. conſecrare voluit. Cum, iam nominis, famæque ſuæ celebritate vtrumque ſeſe polum compleuiſſe exiſtimaret: vt Meti ſubiugata felicem labo-

Sal. Ann. 1552.

Aumalius Albertus capit.

CCCCC. XVIII. *Obſidionem Cæſar ſoluit.*

Sal. Ann. 1552. laboribus ſuis finem imponeret: & Hercules veluti alter has ad columnas clauam ſuã deponeret, leoninam ſuſpenderet. Verùm vt arcana Dei conſilijs ab humanis ſunt longè diuerſa: ſic hunc fortiſſimi Imperatoris conatum ſummus ille rerum moderator, & Dominus non adprobauit, & vt diuina dumtaxat in poſterum meditaretur, quodammodò monuit. Agnouit *Carolus* manum Dei, & ſuæ conſcius audaciæ, quòd ſecurior quàm par erat, viribus confiſus humanis, gloriam fuiſſet aucupatus inanem. Anno itaque (vltima Decembris die) ante vrbem concluſo, obſidione ſoluta receſſit, *Sal. Ann.* 1552.



CCCCC. XIX. Metis appenſa fortunæ meta. Non paucos ferro, frigore, morbo afflictos ante vrbem diſcedens reliquit, quos ea humanitate intra mœnia excepit *Guiſius*, vt ad amicos ſe veniſſe crederent. Is perſolutis Deo gratijs, Lutheranos qua potuit diligentia, exuſtis publicè per carnificem libris, tota vrbe perſecutus eſt, ne eos fouere Galli viderentur, maiori tamen aſtutia, quàm religione. Nam Deo Germaniam vlciſcente, hæreſis, quam Gallus per Germaniam fouerat, eò inualuit, vt regnum, regiamque ſedem penè occupaſſet, niſi *Alexander Farneſius* è Belgio ſuppetias ferens, Pariſios ab interitu vindicaſſet. Quo conſilio ſi *Henricus* Gallorum Rex *Carolo* per Germaniam adhæſiſſet, nec Gallia, nec Germania tam turpi conflagraſſent incendio.

SOLYMANNI NOVA IN HVNGAROS EXPEDITIO. Ann. 1552.

CCCCC. XX. ASſueta Germania Gallis Turcas fœderatos timere; ſtrepente in Lotharingia *Henrico*, in Pannonia *Solymannus* fremuit. Segadinum felici marte occupauerant Auſtrij, hoc forſan tempore ſpem concepit *Ferdinandus* recuperandi Pannonias,

Sal. Ann. 1552.

nias, vt ex nummo videre eſt ſupra n. 518.) Sed dum arcis obſidioni palantes adſunt, per *Alim* Budenſem præfectum magna clade cęduntur, quinq; naſorum millibus Byzátium miſſis, ad victoriæ trophæũ. Is ille, qui quondam Chriſtianorum preputia cum 40. vexillis ad *Solymannum* miſerat. Victoriæ ſubinde vſus fama, Veſpimium non magno molimine intercepit, pręſidiarijs metu potiùs, quàm vi deditis. *Solymannus* hac occaſione excitatus, *Mahometem*, & *Achmetē* præfectos octoginta mille militũ inſtructos copijs ſubmiſit, qui Temeſuarium fortiſſimũ cum vrbe munimentum iuxta fines Tráſiluaniæ adflumen Temeſum poſt grauiſſimam oppugnationem, deditione cœpere. Præfecto quoque eius *Loſontio* perfidè trucidato, vt Chriſtiani diſcant aduersùs Turcam vel mori, vel pugnare. Armarat militem ſuum ferro *Ferdinandus* non animo; Venientis Turcæ nõ erat, qui ſuſtineret aſpectũ. *Caſſanus Baſſa* (cuius effigiē habes n. 518.) cum 5000. equitũ millibus à *Mahumethe Baſſa* ad Lippę obſidionē miſſus, cũ arcem flãmis inueniſſet corruptã; munitiones tamen non omnino deſtructas, igne prorsùs extincto eas inſtaurauit. Sed paulò poſt *Io: Baptiſta Caſtaldius* cruenta expugnatione redemit, vt ex nũmo triũphali, quē ſupra habes n. 518. Nemine itaq; reſiſtente, vbique barbarus vagabatur; donec gemino præſidio Hungaria leuari cœpit. Hinc *Mauritij*, & Germanorum (inita pace) accurrentium (huius expeditionis vide monetam ſupra n. 518.) Hinc ſingulari Agrienſium virtute, qui in vrbe, nec ſitu, nec arce munita ſub fortiſſimis præfectis *Stephanis Dobone* vno, alteroque *Neſqueio* honeſtè mori, quàm turpiter viuere maluere. Feminæ ipſæ, quaſi

CCCCC. XXI. prò catulis leænæ pugnarent, præcipites irruebant in hoſtem. Cum à *Mahomete* deditionem per tubicinem iuberentur, nutu non voce reſpondent, erecto in pinnis muri feretro; ſepulchrum ſcilicet optare potiùs, quã captiuos viuere. Diſpoſitis itaque 50. machinis, per vndecim dies torquentur muri, quaſſantur aggeres. Inde ter vna die impetum faciente hoſte, nequaquam animo conſternati propugnatores, barbarum, ac ferocientem hoſtem repulere, octo millibus Turcarum cæſis. Oppugnationem renouat barbarus, animum Chriſtianus inſtaurat, & victor triumphat non ſine grandi fœminarum honore. Quarum vna, quæ coram matre, & marito pugnabat, cum occiſo marito, à parēte moneretur, vt corpus tolleret, & ſepulturę mãdaret: *Nõ hoc* (inquit) *illa, o Mater: non Deus ſinat, vt vir inultus terra condatur: pugnam petit, non exequias*. Mox arrepto demortui enſe, & clypeo, medios ruit in hoſtes, nec priùs à pugna deſtitit, quàm plurimis Turcarum victimis mariti manibus parentaret: demumque ſublatum in ſinum cadauer, ipſa in templum intulit, & honorificè tumulandum curauit. Alia fuit ex primarijs matronis, quæ grande ſaxum capiti impoſitum geſtans, cum ad ruinam properaret, tormenti ictu capite truncata eſt. Filia, quæ matrem ſequebatur, ſublatum ſaxum, & vt materno adhuc cruore fluebat, in confertam abiens Turcorum multitudinem murum ſubeuntium proijcit duorum cæde, plurium vulnere; quo exemplo cæteræ excitatæ tantum animi addidere ſuis, vt eruptione facta hoſtem repellerent, & duo tormenta clauis configerent, & arrogantiam *Mahometis* adeò fregerint, vt tot virorũ victor, fœminarum hic denique virtute inferior, X. Cal. Nouemb. confuſione, atque indignatione plenus ceſſerit, & locum dederit *Mauritio* Saxoniæ Electori, qui vi fœderis cum *Ferdinando* percuſſi in Pannoniam deſcenderat, ſed magno nomine, nullo ſucceſſu. *Caſtaldi* conſilium erat, dum Agria obſideretur, *Mauritius* ab vna, ipſe ab altera Turcicum inuadere exercitum. Non probauit conſilium *Mauritius*, prælij aleæ rem tantam comittere nolens. Scripſerant interim ad *Ferdinandum* regni Proceres, vt ſibi de pace cum Turcis agere liceret, quam interuentu *Halis* regij cubicularij facilè à *Solymanno* impetrari poſſe ſperabant. Annuente *Ferdinando*, ſuſcepit *Halis* negotium, intra octo dies promiſſo reſponſo.

Agria fortiter ab Hungaris propugnata.

Fœminarum fortitudo.

De pace cum Turcicis Hungari agunt

CCCCC. XXII. Dum hæc agerentur, in Mæſia ſuperiore noui motus excitantur. *Mirces* in ea prouincia erat, qui *Radulfo* legitimo hærede depulſo, Turcarum fauore imperium vſurpauerat: *Radulfus*, cum modica ſed lecta familia *Caſtaldo* militabat, à quo aduersùs tyrannum impetrato auxilio, equitum,

Radulfus regno paterno reſtituitur.

Sal. Ann. 1552.

tum, 1200. peditum 1100. in *Mircem* mouet. Is cognito periculo, ſumma diligentia, octoginta millia hominum congregat, & triginta machinis ſecum adductis ducit in hoſtem. *Radulfo* non plus duodecim armatorum millia erant vltra attributas auxiliares *Caſtaldi* copias. Cauſæ tamen, & virtuti ſuorum confiſus, aleam non detrectat. In duo agmina diuiſum militem vehementi oratione cohortatus, tanta ſpe impleuit, vt non expectato ſigno in Turcas, qui in Mircini exercitus fronte ſtabant, impreſſionem fecerint, & perturbauerint. Quo facto tantus terror hoſti iniectus eſt, vt cum putarent *Caſtaldum* cum toto exercitu adeſſe, ſolutis ordinibus fugerint, & fuga in ſuos, qui poſt terga ſtabant, reuoluti omnem exercitum diſſoluerint; quod vbi aduertit *Radulphus* ſucceſſum vrgens cum ſuis in confuſum equitatum tanto impetu inuehitur, vt *Mirces* tantę ſuorũ cladi ſuperſtes, & ipſe fugeret. Victor *Radulfus* Tergouiſtiam prouinciæ regiam petit, qua potitus cum *Mircis* theſauris, quæ ducentis aureorum millibus æſtimabantur, legatos ad *Caſtaldum* miſit, qui pro immiſſis auxilijs gratias agerent. Vaſracłij conuentum agebat *Caſtaldus*, dum *Halis* longè diuerſum ab ordinũ expectatione, & voto reſponſum *Solymanni* tulit, Porrectis literis *Andreæ Batorio* inſcriptis, quibus mandabatur, vt *Ioannes Sigiſmundus* in regnum reſtitueretur paternum, & ni parerent, talem expectarẽt pœnam, vt lapis ſuper lapidem non relinqueretur. Hoc mandato perculſi adſtantium animi (*Batorius* aberat, morbo impeditus) ac rerum nouarum ſtudio excitati, parum abfuit, quin in *Solymanni* ſententiam abirent concordes. Dilato tamen reſponſo, *Caſtaldus* qui Albæ Iuliæ hiemabat, certior factus accurrit protinùs, & in cõuentum intromiſſus ea die, qua de reſponſo ad *Solymanni* poſtulata deliberaturi erant, habita ad Prouinciæ Ordines oratione, eos à tam fœdo propoſito dehortatus, oblatis *Ferdinandi*, ac Cęſaris fratris viribus, vt in fide manerent, tantum profecit, vt in *Ferdinandi* præiudicium nihil decernerent, ſed datis ad *Solymannum* literis, orarent, vt tributo viginti mille aureorum accepto, pacem daret. His *Alis* cognitis, cum aliud impetrare non poſſet, accepto tributo Conſtantinopolim redijt. Tam malè adminiſtratæ Reipublicæ culpam *Caſtaldus* in *Mauritium* detorquebat, qui non ſolum nulli vſui in bello Pannonico fuerit, ſed totum regis, ac prouinciæ ærarium exhauſerit, pecunia omni, quæ præſidiarijs deſtinata erat, in *Mauricia-ni* exercitus ſtipendium conſumpta. *Mauritio* contra dictitante, *Caſtaldi* auaritia ac rapacitate factum vt alienatis Prouincialium animis, ipſe in Pannoniam fruſtra deſcenderit.

Solymanni mandatum de reſtituẽdo Io: Sigiſmundo.

CCCCC. XXIII. *Caſtalldi facundia*

Sal. Ann. 1552.

CCCCC. XXIV. *Mauritij, & Caſtaldi exprobratio.*

CCCCC. XXV. *Turcarũ claſſis in Neapolim*

Dum hæc in Pannoniam moliretur *Solymannus*, Turcarum violentiã Italia non euaſit. *Salernitanus* Princeps, à *Petro Toletano* ProRege *Caroli* grauiter offenſus cum Gallo Rege in eos conſpirarat, eique ſuaſerat facile regnum Neapolitanum occupari poſſe, ſi cũ *Solymanni* claſſe, iuncta ſe ductore Gallica, ſociatis viribus rem agerent. Pręſto fuit Turca, Gallo rogante, miſſa ſub *Dragutis*, & *Sinanis* imperio potentiſſima claſſe, quæ tempeſtiuè in Tyrrhenum mare deſcendit, proſperaq; nauigatione ſuperato Meſſanẽſi freto *Andream Auriam* in Proregis ſubſidiũ properãtem intercepit, ac ſeptem ex quadraginta nauibus captis, merſiſque duabus, in fugam auertit animis parem, ſed viribus longè imparem. Verùm cum *Salernitanus* Gallica XXV. triremium claſſe, qua aditum proditione ſperatum facturus credebatur, ſerius Maſſilia ſoluiſet, Turcæ vicinis mari oppidis captis, ſuccenſiſque, prę da captiuiſque onuſti Chiũ in hiberna abiere, *Salernitani* Principis exprobrantes ignauiam. Oh cęca mortalium ambitio, quæ ipſos Chriſtianiſſimos reges impellit, vt in Chriſti gregem trifauces euocent Cerberos, & totam ſpolient Africam monſtris, Chriſtiano ſanguine ſaturandis.

Auria à Turcis victus.

SENENSIVM TVMVLTVS. Ann. 1553.

CCCCC. XXVI.

MVſſiponto in Lotharingia per *Egmondanum* comitem occupato; in Belgium hybernatum Cæſar miſerat militem. Interim Dux *Vendomius* Picardiæ gubernator hiemis beneficio per congelatas paludes cum pyria tormenta *Heſdino* admouiſſet, & *Croio* filio *Reuſſi* comitis deditionem extorſiſſet: *Carolus* repoſiturus cladem, exercitum *Croio* Duce Terouanam Morinorum ad Liſam flumen

vrbem

Ann. 1553. vrbem obſidet, nec infelici conatu *Bignicurtius* expugnat, *Croio* ad patris funus diſcedente, & Cæſare iubente, funditùs euerſſam ſolo æquat. Chronographicum vrbis excidium duobus hiſce excipe verbis

DeLetI MorInI.

Emanuel ſubinde *Philibertus* Sabaudiæ Ducis filius, in locum *Bignincurtij* ſuffectus,
CCCCC. XXVII. *Philibertus Sabaudus Hiſdinum capit.* quia Cæſariani aulici ægrè parerent, Hiſdinum oppugnare cœpit, quod primo impetu capit. Sed in arce fortiſſima vis maior adhibenda fuit: hanc tamen, & ignivomis machinis, & cuniculis periclitantem certis legibus dedere Franci. Puluis tormentarius fortuito igne correptus magnam arcis partem, & Francos cum *Horatio Farneſio*, magnæ expectationis iuuene, qui Regis *Henrici* notham in vxorem duxerat, in auras euibrauit. Toties itaque captum atque amiſſum Heſdinum, Cæſar euerti iuſſit, aliud inter propinquas paludes excitaturus. Nil vltra tentauit Allobrox, quòd iam LXX. peditum, & XII. equitum millia *Henricus* in armis haberet. Tanto exercitu Bapalma, & Cameracum tentantur ſed fruſtra, aucto citra Schaldim Cæſariano exercitu, vnde abſque vllo emolumento Galli in hiber-
Grandis Gallorum exercitus. na diſceſſerunt, quaſi ad pompam non ad pugnam fuiſſent egreſſi, Gallorum more, *quorum primus belli impetus heroum dicitur, progreſſus virorum, fœminarum exitus.* Exitus acta probauit. Cæſaris namque aduentantis licet podagrici ſolo nomine territi, receſſerunt.

CCCCC. XXVIII. *Senenſiũ motus.* Hæc in Belgio, dum in Italia Senenſes Cæſaris clientes, ob ſuſpectam *Coſmi* Florentini Ducis potentiam, admiſſo in vrbem præſidiario *Caroli* milite ſub *Iacobo Mendoza*, dum is in gratiam vulgi patritios grauiùs premit, arcemque vrbi imponere feſtinat, qua imperaret ſecuriùs, Senenſes ſeruitutis metuentes, clam Gallos implorant, vt iugum excuterent, vel mutarent. Medio itaque *Turnonio* Cardinali, ſciente Rege, Italos Duces *Nicolaum Vrſinum* Petiliani comitem, *Marium* comitem *Sanflorum*, & *Hieronymum Piſanum* ijs conciliat, qui egregia cum Senenſibus ſimulatione à *Mendoza* poſtulant: vt quando *Dragutus*, & *Salernitanus* Turcica, atque Gallica claſſe imminerent, conſcribendi militem ad tuendos portus, ipſis copia fieret. Indulſit *Gonzaga*, *Sal. Ann. 1553.*
non in tempore monitus à *Coſmo* Florentinorum Duce, hos in ſuum caput parari. Vnde octingentos ab eo auxilio miſſos in vrbem accipiente *Mendoza* (per auerſam Senenſes portam ſex millia fœderatorum admiſere) qui alijs facilè eiectis, & vrbem occuparunt: Cæſarianis Orbitellum munitiſſimum Senenſium caſtrum ſe recipientibus. Hæc anno præterito. Præſenti ineunte, *Petrus Toletanus* ProRex Neapolis, Senenſem agrum CCCCC. XXIX.
armatus ingreſſus, Florentiam adijt viſurus *Petri Toletani mors*
filiam *Eleonoram*, quam *Coſmus* in vxorem habebat, ibique morbo correptus obijt. Locum tenuit *Garſias* eius filius; ſed antequam ad exercitum accederet, Romam vt *Iulium* Pontificem adoraret, Hiſpanica oſtentatione diuertit: centum enim comites fuſco holoſerico, centum albo, centum croceo indutos ad deoſculandos *Iulij* pedes ſecum adduxit: inde ad exercitum regreſſus, iunctis ſibi ex Inſubria *Gonzagæ* copijs, arces oppidaque Senenſium non pauca expugnat: eius verò felicem victoriarum curſum *Dragutus* Calabriæ illapſus, auertit ad regni Neapolitani defenſionem. Auerſo *Garſia*, Senenſes omni arte, pueris, fœminiſque operi incumbentibus, ſeſe muniunt; dum *Thermæus* Gallorum ductor *Draguto* iunctus Corſicam (vt eò ſe Galli tuti reciperent) occupat, ſed breui perdidit. Nam Ianuenſi pecunia ſubducto *Draguto*: vel à *Solymanno* ob ſeditionem Byzantium reuocato; *Auria* cum claſſe ſuperueniens, tota inſula *Thermæum* deiecit. Ducta in vxorẽ *Roxolana* ſeruili concubina *Solymannus*, eiuſdẽ impulſu *Muſta*- CCCCC. XXX.
pham ex *Circaſſa* concubina filium natu ma- *Solymannus filium trucidat.*
ximum, gratiſſimum ſubditis, in caſtra acceſſitum, coram ſe in tentorio trucidari mandarat, ſublato primùm *Hebraimo* Baſſa, quamvis Mahometano Pontifici ſe iureiurando *Solymannus* obſtrinxiſſet, ne quicquam grauiùs in eius vitam comittere, nam ab eodem Pontifice *Roxolanæ* pecunia corrupto, deceptus dormientes non in viuorum, ſed mortuorum numero eſſe, *Hebraimo* dormienti guttur abſcindi mandauit. *Giangirus*, ſiue *Ziangirus Gibber*, vbi mortem fratris accepit, dona quæ de *Muſtaphæ*

Sal.Ann. 1553. CCCCC. XXXI. ſpolijs pater ad illum miſerat fortiter, ac ſumma indignatione receſſit, exclamans, *O immaniſſime parricida, neque enim iam te patris nomine dignabor, quid autem refert an filius patrem, an pater filium perimat? Accipe tu ipſe theſauros, abutere vt velis. Etiam ne in animum tuum inducere potuiſti, vt talem filium Othomanicæ familiæ vnicum decus, qualem in eadem alterum numquàm futura ſecula videbunt, in tuo conſpectu crudeliter trucidari iuberes? ego verò* Gibber, *nec tantis vt* Muſtapha *præditus dotibus, ne idem exemplum in me edas, alacriter prouidebo*. Nec plu-
Giangiri fortitudo. ra effatus, in gladium incubuit, & ex vulnere reuolutus, ſupinus iacuit. Nullo tamen inter motus exemplo *Mahometem* nepotem ex *Muſtapha*, vxoria dementatus ſuſtulit adulatione. *Selimo* deinde in *Baiazetum* fratrem collidente, quòd huic licet natu minori *Roxolana* ſceptrum, illi *Solymanus* deſtinaret: reuocauit *Dragutum*.

CCCCC. XXXII. *Alberti ſæuitia.* Interim pactis ſtare recuſantes Norimbergenſes, Herbipolenſes, ac Bambergenſes ad Imperiale Spirenſis Cameræ iudicium prouocauerant *Albertum Brandeburgicum*. Is verò conflata repentè militia, ſpretiſque arbitris, quos Cæſar delegerat; & pecunia quam Epiſcopi offerebant, in illorum ditiones effuſus, occupatis Bamberga, ac Schvveinfurto, cœtera per Franconiam vaſtat, cæſis, quas *Ferdinandus* ſubmiſerat, copijs. Fœderati Principes, quibus inuaſionis periculum imminebat, iubente Cæſare, militem colligunt, Ducibus *Mauritio* Saxoniæ, & *Henrico Brunſuicenſi*, ille collectas copias Norimbergenſibus, Franconibuſq; ſubſidio mittit. Hic Mansfeldicum militem, ſub imperio *Philippi* filij ſui in inferiorem Saxoniam deſtinat (*Philippi* nummum cuſum ante pugnam ad Viſurgim commiſſam vide infra *n.* 539.) Franconiæ tunc inhærebat *Al-*
Philippi Brūſuicen. nummum vide n.539 *bertus* in *Franciſcum VValderanum* Monaſterienſem, aliorumque locorum Epiſcopum ſuæ quondam cum *Lantgrauio Haſſiæ* captiuitatis auctorem, & ſub Catholici Epiſcopi titulo cum imperioſa concubina, quæ domi foriſque omnia regeret, nefariè verſantem quem non vna clade, atque ingenti ære multauit, donec profugus Antiſtes, ſuiſque ingratus, VVolberæ patrio in ſolo, Idibus Iulij, morti ſuccubuit. Poſt hæc cum *Sal. Ann. 1553.* Brunſuicenſis miles in Franconiam ſocijs opitulatum iſſet; *Albertus* inferiori ſeſe infudit Saxoniæ, & *Erici* Gotingæ Principis milite auctus ingentim paſſim inferebat damna. Donec *Mauritius*, & *Henricus* con- CCCCC. XXXIII.
iunctis viribus in agro Hildeſienſi ſeſe obie- *Mauritius victor,*
cerunt, vt in Saxoniam vlteriorem cogitan- *moritur.*
ti viam præcluderent. Iam enim Viſurgim traiecerat, nihil hoſtem veritus, quem contractis nondùm auxiliaribus copijs, faciliùs primo calore frangendum ſperabat. Parum tamen ſobrio conſilio, vt *Alberti* mos erat, prandium multo vino diluere, etiam nunc ſuos milites liberali hauſtu ad pugnam prouocatos, in *Mauritium* ducit, miſſa denunciatione, *ſi quid animi ſupereſſet, in aciem prodiret?* Hac prouocatione *Mauritianus* miles irritatus, non expectatis *Lantgrauij* copijs, die ix. Iulij, in Principem exit furibundum. Tanto odio vtrimque concurſum, vt ad lanienam viderentur erumpere. Victoria primùm anceps, ad *Mauritium* tandem vergere cœpit, quam dum ardentiùs, inſtando proſequitur, ſecundum ilia glande traiectus, ſua poſt biduum morte concluſit, vltimumque hoc habuit vitæ ſolatium, quòd vicerit, moriens. Peditum hoſtilium vexilla LIV. equitum XIV. oblata dicuntur ſpiranti: qui datis ad Herbipolenſem literis, languida adhuc manu commonuit; prouideret, *ne de caſſibus impunè elaberetur fera*. Succeſſorem habuit *Auguſtum* fratrem. Cæſari non ingrata victoria fuit, quod vno conflictu aliena manu, de gemino hoſte triumpharet. Mortuo *Mauritio*; fœderati *Henricum Brunſuicenſem* ſuffecerunt qui *Carolo*, & *Philippo* filijs in hoc bello orbatus fuerat. Nummus extat triumphalis *Henrici*
Henrici n. 539. in quo *Fortunæ* exhibetur *Brūſuicen.*
imago; ſed Deū *Fortunæ* Directorem lemma *nummum vide n.539*
annuit. Maluit tamen *Auguſtus* cum *Alberto* religionis cauſa paciſci, quàm vnà cum *Henrico* licet victore decertare. Quod & de reliquis Proteſtantibus ſperabat, vt fœdere ſoluto, catholici denique ad faciliorem ſibi ruinam paterent. Tentauit hoc literis ad Noribergenſes datis, incuſans, quòd Epi- CCCCC
ſcopis adhærerent non ſine religionis exci- XXXIV.
dio. Sed illi inaudita territi crudelitate (nam *Crudelitas Alberti.*
im-

Sal. Ann. 1554. immaniſſimus prædo cum *Alſtorfi*, & *Lauſi* incolas, homineſque ex agris cum liberis pecoribuſque profugos incluſiſſet, igne diuerſis locis, præcipuè ad portas, ne qui euaderent, ingeſto, miſerabili omnes incendio conſumpſerat) cum nil mite ſperarent, noluerunt recedere. Brunſuici erat *Albertus* vrbe religionis ſtudio, ſibi amica, & *Henrico* auerſa, vbi collectis è fuga reliquijs, nouiſque raptim ære rapto collectis, tanquam ex ſilua Leo nouis inhiabat prædis. Sed cum ſuis obſtante *Henrico*; ſuam redire eſt coactus in caueam. Ibi noua eorum ope ſuffultus, qui catholicos odio habebant, ad Turingiam ſe vertit, beneuoleque Vinariæ à *Ioanne Friderico* Saxone, V. Octob. exceptus veluti Lutheranæ religionis reparator. *Henricus* verò Brunſuico relicto, quam obſederat vrbem, *Albertum* inſequitur fugientem, qui ad Saxonem profugus, Gothæ arci ſe incluſit. Populantem militem *Auguſtus* ære coercuit, & commeatu deliniuit. Inde in Franconiam excurrens, Bambergam hoſtili obſidione liberauit: *Hoſium* (cum *Ferdinandi* militem extra mœnia reperiſſet vagantem) inſequutus, cum eo arcem ſubijt, & occupauit. Ad quem cum oppidani, ſui Ducis præſentia læti confugerent, ipſe immiſſo milite trucidauit. O fœra Africana crudelior. *Liechthefelſum* Bambergenſis
CCCC CC. XXXV. *Albertus proſcribitur.* ditionis oppidum interea obſidebat *Henricus*, quo obtento, Colembachium, *Hoſium*, Biruthum, diruit. Sexta denique Decembris die, quando ipſis Calendis *Albertus* ab Imperiali camera proſcriptus fuerat, & tanquam publicæ quietis perturbator, bonis exutus cum proſcriptionem ſuam armis oppugnare non poſſet, tentauit ſcriptis. De Cæſaris gratia cum non deſperaret, Norimbergicos iudices vt patriæ proditores perſtringebat, quòd ſuperiori bello Regi contra Cæſarem opem tuliſſent. Non ceſſabat tamen (acceptis prò *Aumalio* redimendo ſexaginta aureorum millibus,) militem per Saxoniam cogere. Cum his ſumma celeritate, Schuinfurtum IV. Id. Iunij petit, & cum octingentis equitibus, & ſeptem peditum vexillis ſub noctem oppidum, qua parte non erat obſeſſum, ingreditur. Cum ibi omnia ad extremas anguſtias redacta offendiſſet, in arena conſilium cœpit, triduo namque poſt, direpto oppido, eductis circiter decem, & octo præſidiariorum, tam equitum, quàm peditum ſignis, ac tormentis, ſummo ſilentio ſtationibus crebris ad portarum ſtationes relictis noctu egreditur, & Kitzingam versùs iter inſtituit. Albeſcente die, cum fugam cognouiſſent fœderati, pars in oppidum ruunt, in ijſque *Brunſuicus*, & quod *Albertinos* fugerat, rapiunt, oppidum incendunt: pars fugientes inſequitur, quos tardiùs propter tormenta incedentes, adſecuti ſiſtunt. Nec certamen ille detrectauit, ſed acri commiſſa pugna, cum toto ſuperueniente exercitu, ſe imparem tantis videret armis, monitis ſuis, vt quiſque ſibi conſuleret, periculo ſe ſubducens, tranato flumine Kitzingam peruenit, impedimentis amiſſis. Fama cladis Blaſſeburgum terruit, & octauo poſt die, ſe *Ferdinando* dedidit, quod vltimum fuerat *Alberti* propugnaculum. Ita omni ditione exutus, in Galliam ad Regem confugit, vbique terribilis, & metuendus. Noua meditabatur conſilia homo ferox, animo corporeque validus, ætate florens, complere haud potuit, morte præuentus, annos natus XXXIV.

Sal. Ann. 1554. CCCC CC. XXXVI. *Aumalius liberatur.* *Alberti dolus.* *Ad Gallum confugit.*

NVPTIAE MARIAE ANGLAE CVM PHILIPPO HISPANO.

CC CCC. XX XVII. NOſtro non contenta Bellona in Orbe faces accendere, toto etiam diuiſos ab Orbe tulit Britannos. Pridie Nonas Iulij moritur *Eduardus VI.* Rex Angliæ, qui nõdũ XVI. ſuæ ætatis annũ compleuerat, tabifico veneno Nortumbriæ reguli opera adminiſtrato: *Mariam Susfolciam Henrici* ex ſorore proneptem, teſtamento regni hæredem reliquit: tametſi *Mariam*, & *Helizabetham* ſorores *Henricus* pater illi ſubſtituerat: ſed quòd iam pubes eſſet, ſe poſſe teſtari, & regno prouidere dicebat: præſertim quod de ſororum natalibus non leuis dubitatio eſſet, quod cum Londinenſi conſule cæteri conſiliarij probabant. Quarto poſt *Eduardi* obitum die *Susfolcia*, & quidem inuita Regina pronunciatur. Tulerunt id iniquè viri nobiles ſimul, & populus non ſolum

Mariæ

Sal. Ann. 1554. CCCCC. XXXVIII. *Mariæ* ſtudio, verùm etiam Northumbriani odio de morte Regis ſuſpecti, qui hoc tetro facinore regnum in ſuam familiam tranſtuliſſet; nam *Guilphordus Dudeleus* eius filius *Susfolciam* vxorem duxerat. *Maria* interim in Nortfolciam confugit, opem ab optimatibus, & Cæſare implorans: Cæſar è Flandria auxilia mittit, quamvis Northumbriani tranſitum prohiberent, & vt *Mariam* comprehenderent, vigilarent. In hoc Northumbrianus Londino ægreditur; illico Optimates ad *Mariam* confluunt, *Susfolciam* in cuſtodiam tradunt. Rumor cum in Northumbriana caſtra perueniſſet, ferè omnes ab eo deficiunt, quin etiam Cantabrigiæ captum, VIII. Cal. Auguſti Londinum adducunt: XI. Cal. Septemb. capite mulctant: *Maria* inauguratur. Poſtea conuentu habito, *Catharinæ Arragoniæ* cum *Henrico VIII.* Angliæ Rege coniugium ratum habetur: diuortium improbatur. *Mariæ* (cui velit) nubere Anglo, vel externo optio datur. Eius matrimonium cum *Philippo* filio impensè Cæſar ambiebat, quo ſe & pecunia & milite inſtructiorem redderet. Initur tandem opera *Reginaldi Poli* Cardinalis, tametſi eundem ad ſe accedentem in Germania ſubſiſtere voluerat, ne fortè ſibi, & Anglus, & *Mariæ* cognatus obſtaret (nam regij ſanguinis princeps, & nondum Sacerdos nuptias ipſe *Mariæ* ambire potuiſſet: Coniugij pacta fuere, *vt nullus Anglorum in regno, niſi Anglus natus ad munus publicumue dignitatem admitti poſſet. 2. Ne Regina ex Anglia, niſi ipſa rogante abduceretur, neue filij ex illius matrimonio ſuſcipiendi, niſi probantibus ex neceſſitate ac legitima cauſa Anglis, è regno diſcederent. 3. Nihil in publicis, priuatiſque iuribus, priuilegijs, ac conſuetudinibus regni immutetur. 4. Nihil huius connubij ratione fœderi inter Anglos, Galloſue facto derogetur. 5. Si Regina prior ſine liberis vita decedat, nullum* Philippo *ius in regnum maneat; ſed intactum Anglis relinquatur. Sin* Philippum *mors præripiat,* Mariæ *ſuperſtiti dotis nomine quotannis LX nummum millia numerentur.* Has conditiones quamvis difficiles admiſit *Philippus*, quòd ſperaret initis nuptijs, facile Anglos ad mitiora inflectendos. *Lamoralis* igitur *Egmondij* comes è Belgio *Philippi* nomine cæremonias impleuit; & nocturno epulo affuit; donec *Philippus* 80. triremium, & 40. onerariarum nauium claſſe Hamptonium Angliæ portum 19. Iulij teneret. Quinto poſt die Regina adit. Vbi cum diplomate Cæſar publicè eidem Regis Neapolitani titulum conſignaſſet, ne inferioris dignitatis ad Reginam accederet, XXV. Iulij, per Epiſcopum loci ſolemnibus Anglorum cæremonijs copulantur. Abſoluto ſacrificio, proclamatum à Legatis triplici lingua, Anglica, Francica, Latina connubium, & coniugibus panis nauticus cum vino Hippocratio præbitus, ex quo omnes ordine proceres hauſere. Placuit Anglis *Philippus*, quòd pleroſque Hiſpanorum in Belgium ablegaſſet, publicumque miniſterium ab Anglicis Reginæ miniſtris admitteret: ſed quòd tecto Hiſpanicorum Regum more Principes exciperet, dimitteretque, indignantibus ad hunc faſtum animis, vt Germanorum nuper ita & nunc Anglorum gratiam detriuit. Menſe tandem Decembri cum è Brabantia *Polus* Cardinalis appuliſſet, totius conuentus conſenſu in priſtinum locum atque hæreditatem reſtituerunt, vnde ab *Henrico Octauo* pulſus erat. Quinto poſt die de religione reſtituenda catholica cum ſermonem feciſſet, Angli fidem, & religionem ceu ſubuculam mutare ſoliti (nam ſub *Henrico VIII.* ex catholica ſchiſmaticã, ſub *Eduardo puero* Zuirglianam, ſub *Maria* rurſùm catholicam, ſub *Elizabetha* tandem Caluiniſticam incredibili leuitate profeſſi) formulam conceperunt, quã à Rege, Reginaque petunt, vt *Poli* auctoritate cum Deo Opt. Max. ac Romano Pontifice eius Vicario in gratiam redeant, ſe pœnitere quòd impijs decretis aſſenſerint, quæ nunc reſcindi, & in gratiam ſuſcipi enixè poſtulant. Quibus *Polus* benignè annuens, peregit. Duo adſunt hic nummi: *Mariæ* votiuus; *Philippi* triumphalis. Illa, auita religione reſtituta, hæreſi profligata, Cæcis viſum, catholicis libertatem, & quietem reſtituit.

In altero *Philippus* Bellerophontis imagine repreſentatur: quaſi chimæram vicerit, hoc eſt trinam in Anglia coniurationem indagarit: irrita eorum conſilia fecerit: magno Angliam periculo liberarit. Gallorum irru-

Margin notes: *Maria Susfolcia Regina.* — *Quibus conditionibus Maria nubat Philippo.* — Sal. Ann. 1554. — CCCCC XXXIX. *Fides Catholica in Anglia restituitur.*

Sal. Anni 1554. Sal. Anni 1554.



Sal. Ann. 1554.

IRRVPTIO GALLORVM IN BELGIVM. Ann. 1554.

Sal. Ann. 1554. CCCCC. XXXXI.

ANglicis rebus implicito *Carolo*; Belgio inhiabat Gallus, vt verbo monſtrauit, & facto. Verbo, quum pro ſymbolo *Halecem* aſſumpſit, cuius frequens eſt in Belgio captura. Hoc ſibi annulo cingit, & ſubharrat. In pala annuli adamas eſt, ſymbolum infracti animi quem palmæ ramus, vt victoriam denotat laurus. *Henricus* itaque copioſo milite, auroque tempeſtiuè inſtructus Gallorum more, qui in celeritate ſanè ſortem aucupantur, CCCCC. XXXX. Mariæburgum, à *Maria* ſorore Cæſaris, Belgij gubernatrice excitatum aggreditur, ac XVI. Cal. Iulij, Præfecto largitione corrupto obtinet. Hinc Orchimontem, Villarium, Bouiniam, Dionantum, ac Mariæmontium, delicijs Reginæ conditum inuadit, exſcindit, ac miſerabili paſſim, quà Cæſaris iter eſſe poſſet, vaſtitate omnia complet: Donec Valencenam inter, ac Queſnoum hærentem Cæſareus Duce *Sabaudo* acceſſit exercitus non ſine clade Francico illata equitatui. Pariſios itaque relegens *Henricus*, non minori Atrebates vaſtauit incendio quàm Hannoniam. Figit demum ad Rentiacam arcem caſtra; quam dum oppugnat; Cæſar eſti morbo fatigatus, ſuperuenit, acie Belgarum inſtructus, & dum pro obtinendo colle vtrimquè certatur, Cæſarei inſidijs obruti in Svvartzenburgica Naſſauicaque legione haud contemnendam cladem accipiunt. Ingraueſcentibus verò tenebris vterque ſe in caſtra recepit. Mox *Henrico* Pariſios reuerſo, *Emmanuel Philibertus* (qui in Pedemontana regione *Carolo* Duci parenti ſuo ſucceſſerat) tranſmiſſo Somona flumine, qui à Picardia Atrebates ſeparat, vt parem Gallis vaſtitatem rependeret, Dampterram, Durium, Machium, Mentenanum, Fanum, Riquerij, aliaque in comitatu Fani D. Pauli capit, incendit. Denique *Heſdino* remiſſo, militẽ in hyberna dimittit. In obſidione *Heſdini* cuſus dicitur *nummus* in quo *Elephas* ſub lemmate *infeſtus infeſtis*: Elephantis enim natura eſt, ſi prouocatus graue cum Dracone, Rhinocerothe, grandioribus alijs animalibus bellum gerere: erga debiliora mitis adeo placidique eſt ingenij, vt gregatim occurrentia proboſcide leniter ſegreget, ne forſã imprudens proterat. Sic *infeſtus infeſtis Sabaudus*, turpe ducens lędere nõ leſus.

Sabaudus Gallos cadit.

Sabaudi nummum vide n. 539

Feliciori Marte in Italia Cæſariani pugnarunt Duce *Iacobo Medicæo Marchione Mariniano*, Is iunctis cum *Ioanne Luna*, & *Madrutio* copijs Moncarolum, & Moncatinum Senenſibus eripuit: inde Senis militem admouit, vbi *Henrici* Regis Gallorum nomine præerat *Petrus Strozza* nobilis Florentinus, & Mediceorum hoſtis iuratus; qui viribus non impar *Mariniano* militi, vt obſidionem auerteret, Oliuetum Foianum inuadit. (Caſtrenſem *Strozzæ* nummum ſupra habes *n. 539.*) *Marinianus* ne leuioribus hiſce expeditionibus copias perderet cum *Strozza* marte decernere ſtatuit, eo demum euentu, vt gemino afflictum prælio, ad Chianam vallem poſtridie Auguſti, ad Martianum deinde III. Nonarum, cum ſex millium Gallorum iactura ipſe *Strozza* Lucignanum cum paucis euaſerit. *Marinianus* ad cœptam obſidionem redux, Senas arctiſſimè cinxit fame potiùs quàm ferro expugnandam ducens. Nam *Monlucius* præclarus in vrbe Gallorum Dux cum priùs vltima experiri, quàm vrbem dedere decreuiſſet, imbellem turbam, ne fortium alimenta conſumeret, vrbe expulerat. Quæ cum neque à *Mariniano* reciperetur, miſerabili ante foſſas vrbis ſpectaculo conſumpta eſt. Aduersùs vim ita *Monlucius* prouiderat, vt vbi proſtratis ab hoſte muris pateret aditus, nouis iterum vallis, ac foſſis præcluderetur. Ab Auguſto in alterum annum exacta hicme longa trahebatur obſidio, nec in ſuppetias accurrente Gallo, ad obſcęnos cibos, & deſperationem obſeſſi reciderant: Qui tandem vndique fatigati, X. Cal. Maij *Mariniano* ea conditione ceſſere, ne Cæſar arcem ſine ciuium conſenſu extrueret, milite tamen muniret, Senatum conſtitueret. Excedentibus itaque Francis, duo Hiſpanorum millia recepta ſunt; *Marinianus* cum reliquis ad occupanda cætera prouinciæ caſtra ægreſſus, portum Herculis tenuit. Senenſes cum intellexiſſent vrbem in poteſtatem *Coſmi* Ducis Hetruriæ, annuente Cæſare venturam, ita animo fuere perculſi, vt omnis ætatis homines, relicta patria cum Gallico præſidio exierint. Huc facit nummi emblema.

Senæ captæ à Mariniano.

Coſmi nummos vide n. 539.

Sal. Ann. 1555. ma. Offert *Coſmus* obſeſſis Senenſibus pacem, ſi eam velit; exitium, ſi repudiarint. Illius *olea* hieroglyphicum: huius clypeus, thorax ferreus, haſta. Alter *Coſmi* nummus memorialis eſt ob inſulam *Iluam* ab eo munitam contra Turcarum incurſiones. Cuius gratia *Carolus V.* & *Philippus* Senenſem vrbem *Coſmo* commendarunt, vt oram illam ab inundatione Turcarum defenderet. *Hoſce nummos habes ſupra n.* 539.

CCCCC. XXXXII. *Hiſpanorum res parum felices* In Inſubribus *Ferdinandus Gonzaga* ad Cæſarem profectus non tam purgandi ſe à calumnijs malè adminiſtratæ prouinciæ, quàm vt inſidias euitaret, quæ ei in dies parabantur ob mortem *Aloyſij Farneſij*, honorificè à Cæſare exceptus, ſucceſſorem habuit *Ferdinandum Toletanum* Albæ regulum, ſub quo res parum proſperæ Hiſpanis fuere, amiſſo *Vulpiano*, & *Melcaluo*. Moritur hoc anno *Iulius III.* Rom. Pontifex, locumque fecit *Marcello Ceruino*, qui XXII. ſuæ electionis die, & ipſe obijt. Sufficitur *Io: Caraffa*, qui quòd *Adriano*, *&* *Marcello* ſuæ ætatis Pontificibus ominoſum vidiſſet, non mutare ex priſca conſuetudine nomen (quo abiecto ſanguinis, & cognitionis videntur curam deponere) *Pauli IV.* nomen aſſumpſit. Interim in Germania. Profligato *Alberto*, cæteriſque rebellionis primarijs domitis per *Henricum Brunſuicenſem* ſtrenuum Catholicæ fidei propugnatorem (quamuis occulto Dei conſilio, degener à parentis virtute filius *Iulius* ex Colonienſi canonico, viuente patre, ad hæreſim prolapſus totam regionem hæreſis labe polluerit) *Ferdinandus* Rex ad ſtabiliendam pacem iuxta Paſſauienſe decretum, Comitia Vlmæ primùm, quò nulli venère, Auguſtæ poſtea Cæſaris ad ordines miſſo decreto indixit, quę à Nonis Februarij Anni 55. cœpta, ob Principum cunctationem in VII. Cal. Octob. producta fuere. Ibi *Ferdinandus* nomine Cæſaris exponit, *neminè latere quanto ſtudio Cæſar, vt religio conſtituatur, laborarit: cum ex religionis diſcordia omnes prouenerint calamitates. Hæ controuerſiæ poſſe componi vel æcumenico concilio, quod bis Tridenti cæptum, aut nationali, aut doctorum colloquio, quod initum ſæpius, & nihil profectum. Oecumenica igitur ſynodo denuò experiundum videri; ne fortiſſima Germanorum natio ſuo concidat gladio, & in ſua viſcera ſæuiat.*

CCCCC. XXXXIII. Pax Paſſauienſis. Sal. Ann. 1555. Comitia Auguſtæ.

Sal. Ann. 1555. *De Pace Paſſauienſis comitij legibus non ſatis conſultum videri, vt infelici interea multorum rebellione compertum. Propterea de tributis, de moneta, alijſque ad politiam ſpectantibus prouidēdum. Aloyſius Lippomanus* Veronenſis Antiſtes, qui legati Romani loco erat, libello oſtendit, quæſtiones fidei ad tribunal ſpectare Apoſtolicum; ſed fruſtra, cum Proteſtantes Pontificem accuſarent auctorem diſſidij, & à capite eſſet incipienda correctio. Decretum tandem Paſſauienſia pacta continuanda. Contendebant Proteſtātes, vt cuiuis liberum eſſet ad ſuam religionem trāſire. Pontificij contra, ciuitatibus, quæ ante ſeptennium decretum Auguſtanum recepiſſent, ac Romanę religionis miniſtris id minimè cōcedendum volebant, quod ſi quis Epiſcopus, Abbas, vel præfectus ad Auguſtanos deficeret, alteri eius locum ſurrogando bonorum poſſeſſio à primo abdicanda, ſecundo adiudicaretur. Hæc diſceptatio diu exagitata, tandem VII. Cal. Octob. concluditur. *Ne vlla iniuria, vel moleſtia in bonis, & perſonis inferatur Auguſtanā religionem profitentibus. Iura eis omnia Sacra, & ciuilia inuiolata ſtabunt. Si quid controuerſum incidat via iuris decidatur. Ab hac pace ſecludantur qui neutrius religionis fuerint: Si qui Eccleſiaſticorum à veteri religione decedant, bona Eccleſiæ remaneant; nulla tamen notentur infamia. Occupata ante Paſſauienſem tractationem ab Auguſtanæ confeſſionis hominibus tutò poſſideantur, dummodo immediatè ea non ſpectent ad imperium. Aduerſus Auguſtanam religionem nulla ſit Eccleſiaſtica iuriſdictio; in cæteris ſaluum maneat erga eccleſias ius Antiſtitum. Antiquæ religioni addictis fas ſit, cenſus, decimas ſub quacumque ſeculari poteſtate conſtitutas exigere, ſaluis tamen ijs, quæ parochijs, ſcholis, hoſpitalibus eius loci olim deſtinata ſunt. Controuerſiæ ab arbitris citra ſemeſtre decidantur. Neutra partium vi aut fraude religionem mutare ſuadeat: nec quiſquam mutantis patrocinium ſuſcipiat, niſi illud iure, vſuque firmatum ſit. Si quis alterius religionis aliò migrare velit id bonis commodè venditis, liceat: idem, & mancipijs, ſi pretium ſoluant. Hæc pax ſtet, ſiue ſequatur, ſiue*

Sal. Ann. 1555.

ſiue non ſequatur religionis concordia. His pactis comprehendantur nobilitas, & liberæ ciuitates, quæ vtramque religionem admiſerunt.

CCCCC. XXXXIV *Ferdinandus plangit dũ Paſſauienſi paci ſubſcribit.*

Paſſauienſis dicta eſt hæc pax à loco vbi cœpta. *Ferdinandus* Rex illacrymans ſubſcripſit. *Carolus* numquàm ſignauit. *Otho Truccesſius* Auguſtanus Ep. & Cardinalis, quòd in magnum Catholicæ religionis detrimentum cederet, vulgata proteſtatione XXIII. Martij apertè contradixit. Romanus PP. vir ſeuerioris ingenij, & Auſtriacis aduerſus grauiter queſtus eſt, quod Cæſar in aliena meſſe falcem poneret. Neque ad mitigandum eius animum Cæſareus Orator quicquam valuit, licet neceſſitate adductum diceret *Ferdinandum* ſectariorum viribus longè imparem. Conſilio proinde non armis ad veritatem eſſe flectendos. Nonnulla Regem conceſſiſſe, ne illi raperent vniuerſa. Documento fuiſſe *Carolum* penè oppreſſum etiam in victoria. His occurrit Pontifex, diſcrimen Cæſaris Deo vindice inflictum eſſe, vt *Caroli* audaciam corriperet, religionis ſibi arcana vſurpantis.

CCCCC. XXXXV. *Pontifici pax diſplicet.*

Indignationem Pontificis auxit ſuſpitio quædam inſidiarum, quam ex occultis literarum notis ſibi Pontifex imaginatus, Cardinales Cæſareos cuſtodiæ incluſit, & cum *Henrico* Gallorum Rege Neapolitanam expeditionem meditante fœdus percuſſit, eo pronior, cum primùm intellexit Cæſarem velle ab adminiſtratione imperij ſecedere. Iam dudum animo cœptum conſilium, poſt glorioſam Europę datam pacem, depromere Cæſar ſtatuerat. Sed hac deſperata, viribuſque ſenecta ſuccumbentibus, latere diutiùs noluit. Hoc verò erat, depoſitis Imperij, ac regnorum honoribus de vita beata conſulere eamque aſſequi benè moriendo. Prò diſciplinæ cathedra remotum, ac ſolitarium Hiſpaniarum angulum delegerat, vt ante octennium Auguſtæ poſt victoriam de Proteſtantibus reportatam, in teſtamento à ſe condito prodiderat: & *Franciſco Borgiæ* à ſe ad religionem diſcedenti, collaudato eius conſilio, tanquàm latens animi decretum, ſub ſilentij religione communicarat. Euocatum itaque ex Anglia filium, die Octob. XXV. *Bruxellis* in pleno procerũ conceſſu, *Velleris Aurei* à *Philippo Bono* inſtituti Equeſtris Ordinis Principem, (quæ domus Burgundicæ prærogatiua eſt) creauit. Præter proceres, & legatos plurimos, aderant Rex Bohemiæ *Maximilianus*, Dux Sabaudiæ *Emmanuel*, ſorores *Eleonora* Galliarum Regis, & *Maria* Hungariæ, viduæ. *Maria* Regina Bohemiæ, *Chriſtierna* Dani Regis filia, Lotharingi Ducis vidua. Medius horum *Carolus*, & *Philippus*. Iubente Cæſare exurgens *Philibertus Bruxellius* conſiliarius, ſequentibus Cæſaris conſilium aperuit. *Nondum ea eſt ætate Cæſar, quæ rebus adminiſtrandis per ſe ſit inidonea, ſed morbo articulari, crudeliſſimo ſæuiſſimoque, cuius immanitati nullæ vires diu reſiſtere, nec medicina valet, oppreſſus ſuccumbit: tanto dolore quòd ſibi dilectum populum deſerere coactus ſit, vt aere commodiori ſuæ conſulat ſaluti. In hoc rerum diſcrimine, vnum eſſe ſolatium* Carolo, *quòd* Philippum *cariſſimum filium ætate, conſilioque firmum, Hiſpanico iam ante probatum regimine, Angliæque regno nuper vtriuſque gentis emolumento auctum relinquat: Huic omnem conferre poteſtatem, vt populi iuramento ſoluti, in poſterum renouato Sacramento vnicum, & ſolum,* Philippum *Dominum agnoſcant. Labores ſuos, ac rerum diſcrimina, quæ tot vicibus, ſuæ vitæ periculo prò eorum impenderit ſalute, gratis accipiant. Si in quo peccauerit, indulgeant, rogat, neceſſitatis enim non voluntatis fuiſſe ſentiant.* Pax *cum ei in voto fuiſſet, nec aſſequi potuerit, Deum enixè rogare, vt hoſtes ad æqua inflecteret, & tanti mali auctorem ſuæ plenitudine poteſtatis auerteret. Rogare, vt eadem fide, conſtantia, quam opibus, conſilioque refertam patri præſtiterant, erga filium profiteantur. Gratias agere quod ſæpe pecuniarum etiam indebita largitione exhauſti ærarij vires ſuppleuerint; Quæ vniuerſa ea animi gratitudine recolere, quæ par eſt Principi, qui populum rexerit patrio potiùs, quàm dominico imperio, cum ad* Belgij *tutelam ſæpe Hiſpanicum atque Italicum aurum impenderit. Deſcendens itaque eas in partes, vbi oculos fugiat humanos, ab amatiſſimo, & chariſſimo populo id exoptare, vt Religionem, atque Iuſtitiam cordi haberent, quæ veluti Reipublicæ fulcra ſi neglecta ſint, cum eis regnum* con-

Pontificis fœdus cum Gallo.

CCCCC. XXXXVI *Caroli abdicatio.*

Sal. Ann. 1555. Philippus Aureo Velleri donatur.

Oratio Philiberti.

Sal. Ann. 1555.

Alberti tyrannidẽ innuit.

concidere, opus eſſe. Fidelis namque Principi eſſe non poteſt, qui infidelis eſt Deo. Sic Princeps qui Deum non timet, neque iuſtitiam, quæ regem à tyranno ſecernit, diligit. Exemplo eſſet vicinorum de religione diſcordia, qua graſſante, veluti ad lanienam populi expoſiti, Principum ſuorum ſitim, ſuo ipſi haud potuerunt explere ſanguine. Hæc inter alia *Bruxellius*, cuius orationem excipiens *Carolus*, in pedes ſtans, dextera ob imbecillitatem Scipioni, ſiniſtra humero *Guilielmi Naſſauij* Aurantij Principis innixus, membranula (in qua capita eorum, quæ in Senatum referre ſtatuerat, continebantur) longinquo morbo affectam memoriam adiuuante, in hanc

CCCCC. XXXX VII. Caroli V.

perorauit ſententiam. *Abdicationis cauſas à* Philiberto *accepiſtis: quædam adijcere iubet affectio. Annus 40. iam efluxit a. 5. lapſi Ianuarij die, quando hoc loco ab auo Cæſare Maximil. quindecimum ætatis ingreſſus annum, vobis moderandis ſum initiatus: moxque in ſequenti anno* Ferdinando *Catholico auo materno vita functo, Hiſpanis præeſſe iuſſus; Biennio poſt ob obitum Maximil. imperium accepi, vt aduerſus Turcarum tirannidem regerem. Sed anno ætatis XIX. Imperator factus Romanorum, inter duos repentè ſcopulos, Germanorum hæreſim, & vicinorum Principum inuidiam me hærere conſpexi. Horum cupiditate velut ventis agitatus, tempori quandoque cedere duxi, vt fortior inſurgerem. Quantum laboris impenderim, paucis includam. Nouem in Germaniam, ſeptem in Italiam, ſex in Hiſpaniam, quatuor in Galliam, duæ in Angliam, totidemque in Africam, denique in* Belgium *decem profectiones, & plerumque ab armato ſuſceptæ. Mediterraneum ego mare octies Hiſpanicum teremenſus ſum... Pacem quæſiui, ſed non inueni; Has inter curas quaſſatum corpus cum inualeſcente ægritudine par diu ſuturum vix mihi videretur, priuſquàm Germaniam poſtrema profectione ſubirem, priuatam eligere vitam meditatum habui, niſi & filij ætas immatura, & afflictiſſima Chriſtianæ Reipub. imago me deterruiſſent. Pro viribus curare, ſedulam compendi operam, perfeciſſem Deo annuente, ni Rex Francorum Germanis immixtus diſſidijs obſtitiſſet. Germaniæ me non defuiſſe, Metenſis expeditio teſtatur, quando ne hoſtis firmaretur, iniquo licet tempore, non militi nec expenſis peperci, quo vrbs, dignitaſque ſua imperio inuiolata conſtaret. Re infecta retroceſſi, ne vos deſererem, hoſtem tamen ſuis ferocem ſucceſſibus ſi non infregi, retardaui, ſuamque in Franciam reieci, Martis aleam detrectantem. Feci, quod Deo permittente, conceſſum eſt; Homines ſua cupiditate bella prouocant. Deus victorias ex arbitrio diſpenſat. Eius beneficio ſæpè vici. Nunc imbecillem me agnoſcens, ne ingratus videar, fortiori pondus Reipublicæ offero. Accipite itaque pro ſene iuuenem, pro imbelli fortem, adiungite ei concordiam veſtram, in foro iuſtitiam, religionem in templo, ſic Deo cari, fideles Principi, vbique terrarum victores arma geſtabitis. Poſtremum hoc; & maximè neceſſarium inſculpite monitum; hæreſum ſcintillis occurrite ne ſumptis viribus incendium omnem eludat induſtriam. Si quid ego in hoc peccaui? veniam rogo. Profiteor tamen me ſcienter nulli iniurium fuiſſe: & meæ imbecillitatis hoc vnum ſolatium. Tu vero fili, pro tantis in te collatis regnis, quæ non à natura, ſed à genitoris viuentis liberalitate agnoſcere debes, hoc vnum poſco, vt ſubditos tuos in filios ſuſcipias, ſic enim te ſuſpicient vt patrem. Poteram regum more, cum natura ſeneſcere; ſed morti ego hoc beneficium præripui, vt te regnantem inſpicerem; & quomodò rependas, cognoſcerem. Ampliſſima regna, ditiſſimas prouincias do tibi, eas quomodò feliciter regas imponam:* Time Deum, ſubditos ama. *Hiſce ſeruatis, formides neminem, ſed cuncta proſpera, & ſperare, & aſſequi fas credas; Non enim fallitur, qui potentes de ſede deponit.* Exclamationem hanc cum lacrymis terminaſſet, vniuerſus cætus in lacrymis, ac ſuſpirijs profuſus tanti Principis querentes fortunam, non pauca etiam videbantur indignatione commoti, quod fato præcurrens, eos voluntate potiùs, quàm neceſſitate deſereret. Vim inferre cogitabant, ne recederet, ſed ducem quærebant. Quod cum præuideret *Iacobus Maſius* Antuerpienſium ſyndicus, vir eloquens, pro Ordinibus Belgicis in hunc ferè modum reſpôdit: *Nequaquàm fugere Imperatoriam Maieſtatem, quàm officioſos, quàm promptos, quamquè fideles vſque Belgas habuerit; idcircò non ſolum admirari omnes, ſed etiam pertur-*

Maſij reſponſio.

Sal. Ann. 1554. bari, ſe; flagrante Francico bello, *patrocinio S. Ma. priuari. Poſtquam tamen ita Imperatori videatur, eos vtcumque recreari auctoritate chariſſimi filij, nec vnquam Belgas, licet diuturnis depreſſos bellis, defuturos, quin patrono* Philippo *filio clientes ſint officioſiſſimi*. Tum honeſtiſſimè aſſurgens Cæſaris ſoror Regina *Maria Tota* (inquit) *mente in hanc curam incubuiſſe ſeſe, vt Deo, fratri, populo in gubernatione, religionem, fidem, iuſtitiam exhiberet, quæ Deo gloriam, fratri honorem, populo pacem ſeruaret. Quòd ſi minus vſpiam lapſa præſtitiſſet, orare errati veniam, dum ſe fratri comitem in Hiſpaniam vellet eſſe futuram*. Tum conſurgens è ſede *Philippus*, atq; ad patris pedes prouolutus, eiuſque exoſculatus dexteram, *indignum ſe tanto munere* *Philippus gratias agit.* profitebatur, *nolle tamen firmatæ adeo, Sanctæque ipſius voluntati obluctari, ideoque Belgarum imperium, gratijs, quibus par eſt, maximis acceptare facturumque, ne quis in religionis auitæ cura, ac iuſtitiæ adminiſtrandæ ſtudium requirat*. Pater ſic iacentem amplexus, cœleſtemque illi opem impoſita capiti manu, precatus, planctu intermanante, omnium lacrymas excuſſit. Tum *Philippus* iteratò Patris manum exoſculatus, aſſurgit, & ad Belgarum ordines venerabundè conuerſus, *Sal. Ann. 1554.* *Vellem* (Gallicè loquutus) *me aut Francica, aut Belgica adeo lingua eſſe promptum, vt meum erga Belgarum populos affectum, & propenſiſſimum amorem diſerta coram oratione proſequi liceret. Vices meas* Antonius Perenottus Granuellanus *Ep. Atrebatenſis implebit*. Quod parata ipſe præſtitit facundia. *Carolus* paulò poſt cedit *Philippo* regna omnia hereditaria, neque ex tam amplis terrarum prouentibus aliud ſibi, quàm centum aureorum millia ſecreuit, quibus ad vitæ neceſſitatem, & liberalitatem in miniſtros, & egentes vti poſſet. Romanorum ſupererat imperium, quod legatione ad Germaniæ Principes miſſa, *Ferdinando* fratri reſignauit. CCC CC. XXXX VIII.

Iſabellæ Reginæ Hiſpan. mors Hanc abdicationem impellente *Iſabellæ* Reginæ matris morte *Carolum* feciſſe dicunt. Hæc ab obitu mariti, mœrore confecta, & ratione deſtituta, in quadam turri vitam traduxerat, felibus colludere ſolita. Morti proxima, quaſi ex delirij experrecta letargo, nō alienam ſe oſtendens ad Sacramentorū vſum, iuſſit ſibi Apoſtolicum ſymbolū recitari, cui & ipſa quedā ex Nicæno adiecit, & Crucifixi imaginē deoſculata, extremæ Vnctionis expiata Sacramento, obdormiuit in Domino.

INDVCIAE INTER HISPANOS, ET GALLOS. Ann. 1556.

CC CCC. XXXXIX ANno quinto ſupra quinquageſimum huius ſæculi, cum in Belgio mutuis finibus tam Galli, quam Cæſariani operam darent, Mariæburgo, & Maſeriæ aduersùs *Martinum Roſſemium* propiùs imminentem *Henricus* Gallorum Rex prouiderat; *Sabaudo* poſtea accedente, Chiueiam arcem quadrato vallo cum ampliſſimis propugnaculis inſtruxere Belgæ, inde nouum oppidum, quod Carolomontum à Cæſare dixere excitarunt, vbi *Roſſemius* Porroię Dominus, fortiſſimus multiſque expeditionibus celebratus miles, peſte ſublatus, *Guilielmo Naſſauij* Aurantij Principi locum fecit. Tertium denique, poſt Fagnolium caſtellum occupatum, dirutumque, excitarunt ingenti curſum opere oppidum, quod *Philippi-Villa* eſt nuncupatum. Hiſce præſidijs Hannoniæ Namurcique terminos aduersùs hoſtem muniuit. Et hæc Gallorum ſpectante exercitu, fruſtraquè obnitente abſoluta fuere. In mari tamen clades non contemnenda Belgas affecit. CCCCC. L.

Pugna naualis Ex Hiſpania redibant duæ, & viginti Flandricæ onerariæ naues pretioſis mercibus onuſtæ. Normani rei nauticæ periti ſſimi (qui bello vrgente ſemper exploratorias naues in illo anguſto inter Hiſpaniam, & Galliam freto habent) certiores facti, his cum vndeuiginti nauibus, ſex caraſcopijs ad Douerum Angliæ portum occurrunt, & quàm celerrimè, vt tormentorum fulmina vitarent, ad manus veniunt: ac quindecim hoſtiles harpagonibus, & manibus ferreis cum ſuis colligant. Normanorum agiliores erant; Belgarum altitudine, & ſtructura maiores. In ſex horas cōflictatum attroci pugna, ignis tandem in puluerem tormentarium iniectus ſex Flandricas, totidem Normanas abſumpſit. Quinque à Normanis ſuperſtitibus Diepam perductæ, quod illorum fuit in calamitate ſolatium. Reliquæ harpagonibus fractis,

in

Sal. Ann. 1556. *Induciæ inter Gallos, & Hiſpanos.*

in Hollandiam euaſere. Hinc itaque atque inde feſſi animi, *Philippus* regno ſuſcepto, cum de pace cum *Henrico* Gallorum Rege conuenire non poſſet, inducias compoſuit quinquennales Nonis Februarij An. 1556. ea lege, *vt ab hoc die quinquennio integro omnibus vtrorumque Regum ditionibus, terra marique vis omnis bellumque abſit. Neuter alterius hoſti opem præſtet. Poſſeſſis in præſens quiſque inſiſtat, acquieſcatque. Liber mercatoribus ſaluuſque vtrimque commeatus conſtet, & priſca ſolùm vectigalia ſoluantur. Pulſis vltrò citròque ad ſua reditus pateat, etiam aduerſæ partis militiam ſecutis. Rebelles tamen exuleſque Neapolitani ac Siculi his legibus non fruantur, vti nec* Albertus Brandeburgicus. *Induciarum harum violator morte plectatur, ſingularium tamen hominum iuribus his inducijs non derogetur. Duci Sabaudiæ nulla in poßeſſis etiamnum vis inferatur, nec Franci ad Indias occidentales, belli mercaturæue gratia ſine Cæſaris, ac* Philippi *Regis conſenſu, nauigent.* Eleonoræ *donationes mortis cauſa à* Franciſco *Rege maritoque factæ ab* Henrico *filio præſtentur.*

CCCCC. LI. *Inducias Papa turbat.*

Inducias turbauit P. P. *Paulus* ob proſcriptos ex regno Neapolitano *Caraffas*, & à Columnijs Cæſari inhærentibus agnatum interfectum. Ducem Ferrariæ, Venetoſque ad cōſpirationem incitabat. Sua hos prudentia abſtraxit; illum minùs cautum in caſſes deduxit. Cæſar vt *Farneſios* ſibi conciliaret, iiſdem Placentiam pleno iure reſtituit, *Coſmum* Florentiæ Ducem Senarum donauit imperio. Ad Gallos conuerſus Papa legauit *Carolum Caraffam* Cardinalem recens creatum nepotem ſuum, ſpecie pacis, & Concilij reſtituendi, quo nomine, & Cardinalem
CCCCC. LII. *Rebibam* ad Cæſarem ablegat, ſed cunctanter immorari iuſſum itineri, dum à *Caraffa* nepote arcana cum Gallo perficerentur. Dederat Papa *Carolo* galerum, qualem Romani Senatores olim geſtaſſe traduntur, enſemque dedit, quos Regi offerret, vt maiores ſuos imitatus, Romani Pontificatus tutelam ſuſciperet. *Caraffa* cum ad Regem appuliſſet, publicè Regi poteſtatem de pace concilianda exhibuit, priuatim de bello, quod neſcio qua induciarum deluſione cum Pontifice amplexus eſt, vt communi Eccleſiæ Patri, & capiti fas eſſe crederet, in diſcrimine ſubuenire. Arcanum tamen diù latere non potuit, quia Pontifex à milite cogendo, firmandiſque regionibus non abſtineret; vndè futurum bellum ſuſpicarentur Hiſpani, *Ferdinandus* Dux Albæ ad *Columniorum* defenſionem à Cæſare miſſus, poſt fruſtra imploratam pacem, iam expeditioni accinctus, ne mora victoriam perderet, *Pyrrhum Loffredum* vltimò deſtinat, iubetque per Cardinales Pontificem ſollicitare, ſed euoluto quatriduo, quò arma mouere *Ferdinandus* decreuerat, vrbe exiret, digreſſus cauſam ſilentio præteriens. Non ſeruauit mandata *Loffredus*, ſed à Pontifice deluſus, & retentus, vbi bellum increbuit, carceri datur. Iuſta legatorum pœna, cum ſuorum excedunt mandata. CCCCC. LIII. *Albanus* itaque primo impetu occupato Ponte Corui, Columniorum oppidis recuperatis, iteratò, ſed fruſtra Papam ad pacem prouocat. Decem & ſeptem millium conſtabat exercitus Pontificius, quo non obſtante, Verulum, Babucum, Alacrium, Terracinam, Acutium, Fumam, & Anagniam expugnauit *Albanus*. Timebat Romæ Pontifex, ſed cum Galli dicerentur vicini, pacem renuebat. Hinc *Albanus* Præneſte Valerij vico, Tybure, Segnia, Ardea, Porciliano, Aniatibuſque potitus, Oſtia Romanorum portu occupato, Vrbem fame præmere aggreditur. Eam expugnare potuiſſet, ſed ob reuerentiam Pontificis, & vetera infelicitatis exempla abſtinuit, Cardinalis itaque *Caraffæ* gratia inducijs quadraginta dierum pactis, exercitu per vrbes occupatas deſtinato, inſtante hieme, Neapolim ſe recepit. Religioni hoc indulgens, vt cum Cardinales Cæſareos in captiuitatem adductos, & Cæſaris famam ſuggillatam, quaſi veneno Pontificem tollere tentaſſet, vindicare poſſet, ſeceſſit.

Albani progreſſus in Pontificios.

CCCCC. LIV. *Imperio ſe abdicat ſubſtituto Ferdinando.*

Iam ad Germaniæ Principes legationem miſerat *Carolus*, qui reſignationis tabulas exhiberent, vt *Ferdinando* veluti Romanorum Regi parerent. Inde cum ſororibus *Maria*, & *Eleonora* Reginis *Carolus* è portu Zelandico ſoluens, filium *Philippum* ampliùs CCCCC. LV. non viſurus, tam amantiſſimis verbis Catholicam religionem, eamque in ſuis regnis illibatè tuendam hortatur, vt lacrymis inter-

Religionē commēdat Philippo.

Sal Ann. 1556. tercipientibus vocem, orationem abrumperet: cautela prò Belgis placidè gubernandis addita, *ne externorum iugo premerentur*.

CCCCC. LVI. *Galli in Italiam irrumpunt.*

Dux interea *Guiſius* Decembri menſe ſuperatis Alpibus, Inſubriæ armatus incubans, oſtendit non Pontificis ſed Gallorum gratia in Italiam deſcendiſſe. Occupata à Gallis Valentia, trepidauit Mediolanum, vbi *Madrucius* Cardinal. Trident. præſſidebat, ſed ad defenſionem parum inſtructus. Pontificias copias ducebat *Hercules II.* Dux Ferra- *Sal. Ann. 1556.*









riæ, & *Cornelius Bentiuolus* ex Bentiuolorum familia, qui olim Bononiæ Principes extiterant. Habet Hercules *Rhinocerontem* cum inſcriptione, *vrget maiora*. Quemadmodum enim Rhinoceros Elephantem ſibi hoſtem eligit, omnium quadrupedum maximum, ſpretis minoribus animalibus, victoriam ab illis partam ignominioſam potiùs, quàm glorioſam ducens: ſic Hercules non niſi arduas res vrgendas exiſtimabat.

Habet *Bentiuolus* Orientem Solem, Lucifero præeunte, innuens ſe in procelloſa vitæ nauigatione, diuinæ prouidentiæ nauem committere. Terris itaquè Eccleſiaſticis *Hercules* iuſſus adſiſtere, *Briſaccus* cum parte copiarum aduersùs Mediolanenſes relictus, rapinam potiùs, quàm bellum tractauit. Italorum cum viginti millia, totidemque Gallorum in *Albanum* ducerentur, ipſe domi ſedens, expectabat ab occaſione conſilium. *Caraſſa Paliani* Dux cum *Petro Strozza* recuperata Oſtia, cætera *Columniorum* inuadebant oppida, minimè tamen concordes, qua via Martem promouerent. Cunctatio hæc Gallos perdidit: nam *Farneſius* Dux Parmæ quem Inſubribus *Philippus* præfecerat, Ferrariæ Duce deuicto, eius militem in ſua caſtra traduxit. *Albanus* viginti circiter millium exercitu ſpectandus, ad Turturetum *Guiſio* ſe obijciens, quotidianis eum velitationibus fatigabat, numquam tamen aperto Marte voluit pugnare, quòd Gallos ſola cunctatione vincere decreuiſſet. Dimiſſis tandem Regnicolis, ipſe Truento amne traiecto, Pontificiam ditionem populatur, *Guiſio* pari vaſtitate inſequente, vt iam amicum iuxta, & hoſtem ad ſuorum excidium ſe Pontifex cerneret euocaſſe. Ipſe Pontifex in *Albani* manus ceciſſet, niſi Deus falſa defenſionis imagine

CCCCC. LVII.

Pontificis diſcrimen.

Alba-

Sal. Ann. 1557.

Albanum deluſiſſet, quum XXVI. Auguſti noctis ſilentio mœnibus vrbis incubans, muros non conſcendit, cum poſſet. Non deſtitit tamen *Albanus* rogare pacem, quam *Guiſio* ſuadente, Papa recepit. *Guiſium*, in Gallias reuocauerat *Henricus*; quod cum *Caſpar Colignius* Duacū pridie Epiphaniȩ fraude infelix tentaſſet, Lenſium incendio dediſſet: irritatus *Philippus*, *Maria* Anglorum in ſocietate belli adducta, ingenti vtriuſque gentis conflato exercitu Galliam præmerent. *Sabaudo* illa Duce Sanquintinium in viſceribus Galliæ obſidentem: Galli, Duce *Philippo*

Monmoratij, & Egmōdani effigies habes ſupra n 556.

Monmoratio à periculo vindicare conantur, Hinc pugna, X. Auguſti, ſed Gallis improſpera, amiſſo apparatu, præcipuiſque belli

CCCCC. LVIII. Ducibus vel cæſis, vel interceptis, cum ipſo *Monmorantio*. Cæſorum tria millia, interceptorum quatuor, *Philippo* ſuperueniente Rege vrbs XXVI. Auguſti deditionem fecit.

Gallos vincit Philippus. An. 1557.

Victoriæ triumphalem nummum habes *ſupra n. 556*. Hoc prælio Gallorum eſt inclinata fortuna; Cum formidaret *Henricus*, ne Pariſios *Philippus* duceret, extrema virium colligens, Gallicam nobilitatem vocauit ad

CCCCC. LIX. ſigna, Pariſienſem populum in legiones partitur. *Guiſium* ex Ital a reuocat. Heluetios, Germanoſque quanto poteſt numero, conſcribit. Scotorum arma in Anglos concitat. In quos Angli *Penbrocho* Duce ducentes, victoriam retulere.

CCCCC. LX. Interim in Hiſpaniam Laredum oram

Caroli pia verba ad Deum, cū in Hiſpaniam deſcendit.

Cantabriæ appulſus *Carolus*, vbi diù expectatam terram attigiſſet, in genua prouolutus, eam tanquam breui ſubiturus corpore, libauit oſculo. *Salue* (inquit) *exoptata Mater, nudus ego quondam de vtero matris prodij, tu rurſus nudum me recipies*. Tum depromptam è ſinu auream Crucifixi imaginem exoſculans, inquit: *Te Duce toties, Chriſte, cum hoſte feliciter congreſſus, triumphos reportaui; quidquid inde decoris, tibi auctori ſubmiſsè refero; vtque anima mea breui ex hoc corpuſculo migratura, felicem exitum, vt nunc corpori tribuiſti, dare precor, etiam digneris, obſecro*. Vix abierat à Claſſe Cæſar, cum mare, quod eum placido hactenus ſinu tulerat, repentè intumeſcere, tantaque collidi inter ſe vehementia naues, vt confracta, qua vectus fuerat, prætoria, vndis hauſta ſubſideret, quaſi vltimo honoratiſſimoque pro

Sal. Ann. 1557.

CCCCCC. LXI. ferentis Cæſaris vecturam, officio perfuncta. Promouit hic Burgos, vbi comitatum imminuit, munera diſtribuit. Nec latet inuida maledicentium vox aduersùs *Caroli* maieſtatem, quòd hic ferè nudus profugerit, vt nec illi ſoluenda eſſent promiſſa ſtipendia. Nimis etiam iniurioſum illud *Philippo* cri-

Maris triumphus erga Cæſarem.

CCCCC. LXII. minantur, quòd monente *Grauellano anniuerſarium hunc eſſe diem, quo pater* Carolus *regnis ſe abdicaſſet*, excepiſſe Philippum, & *anniuerſarium quoque eſſe, quo facti pœnituiſſet*. Obtrectantium ſunt fabulæ; cum ex deſperatione inclinatæ fœlicitatis potiùs *Carolum*, poſt duram ad Metas repulſam, quàm virtutis, & ſalutis quærendæ ſtudio, ceſſiſſe adſtruunt imperio. Vel cum maiori ambitioni adſcribūt vt gloriam quam imperando deſperarat, non imperādo occuparet raritate facinoris, à Regibus imitandi. Pietatis vbique cultus, ac humana ſpreta Maieſtas

CCCCC. LXIII. grandioris regni, & non mortalis cupidum *Carolum* repræſentat. Vallisol.tum lectica vectus, in frequenti Procerum Senatu abdicationem regni in *Philippum* ſolemni ritu iterauit.

In Eremum pergit.

Tum inuiſendi *Caroli* ex primo *Philippi* coniugio nati cupidus aliquantulùm ſubſtitit, ſuamque cum amplexibus indolem inſinuare conatus Monaſterium inde D. Iuſti Eremitarum D. Hieronymi inter ſolitudines Extramaduræ ſitum petijt, vni Deo animam daturus. Sepulchrum ibi habuiſſe fertur *Sertorius* fortiſſimus Romanorum Dux, dū Syllana proſcriptione damnatus, latebras quæreret. Situs non minori vallium quàm collium amœnitate ſpectabilis, domum excipiebat nuper inſtructam, quæ ipſo Cæſare archytecto, ſex vel ſeptem conſtabat cellulis, quarum circuitus non vl.ra viginti pedes, Inde aſpectus, egreſſuſque patebat in hortulum fonte irriguum, citris, limonijſque conſitum, paradiſum diceres voluptatis, vbi tot regnorum Dominus, & gentium imperator fortiſſimus hybernaret. In Superliminari Domus *Carolinam* euoca inſcriptionem, *Non plus vltra*, vbi metator ille caſtrorum ſibi ſtatiua poſuit, vt poſt tot gentium victorias, Cœlum ipſum lacrymis, & pœnitētia expugnaret. Ex ſexaginta cum ſecum duxiſſet ſocios, duodecim in vſum do-

me-

Sal.Ann. 1557.

meſticum ſelectis, cæteros remiſit; & vno ſolum equo ſeruato, quo nonnumquàm ad vicinas ſiluas, animi gratia ferebatur. Alimenta adeo frugalia voluit, vt ex centum ducatorum millibus, qui ex annuo cenſu obueniebant, vix quatuor ab ipſo millia inſumerentur; reliqua in vſum pauperum, matrimonia virginum impendit.

CCCCC. LXIV. *Occupatio Caroli.*

Præcipua illi occupatio fuit in pſalmodia matutino tempore euoluenda, quod etiam inter grauiſſimas bellorum curas ſeruauerat. Mathematicis viſus eſt aliquando indulgere vnà cum *Ianello Turriano* illarum rerum peritiſſimo: qui poſt mortem *Caroli* ab hac ſolitudine reuerſus, Tagum amnem ex Tolletana valle in montem traduxit mirando artis ſpectaculo, non ſine *Caroli* laude; cuius ingenio tantum opus promotum creditur. Inclinata poſtea ætate eum ad maiora ſtudia euocante, in expiandis iuuentutis noxijs incumbens, ſæpè ſæpius cum crederetur in horto, coram Sacerdote prouolutus reperiebatur, vt mentem mundaret, ac cœleſti epulo reficeret, quandoque licet ieiunus non accederet, Pontifice diſpenſante ob ſtomachi imbecillitatem.

Flagellis caſtigat corpus.

Flagellis corporis voluptates caſtigare ſolebat, vt ſuo ad præterita vitia caro cruore rubeſceret; Extat adhuc flagellum, quod *Philippus* filius patrio reſperſum ſanguine moriturus *Philippo III.* filio ſuo, cum auitæ virtutis commendatione tranſcripſit.

CCCCC. LXV. *Renuit ſe conſilijs immiſcere humanis.*

Exoratus à *Philippo* poſt victoriam ad S. Quintinum de Gallis feliciter reportatam, quid agendum conſulere? Reſpondit *gratum ſibi eſſe nuntium, nec improuiſum, quòd Deus temeratores Sacramenti hac ſoleat pœna punire. Conſilium quod à ſe poſceret, id minimè in præſenti, nec in futurum exquirendum. Aulicorum audiret rationes, ad Deum poſtea confugeret, cuius arcana ſequi credimur, cum plurium opinionem ſectamur.* Ita & nolens, optimum dedit filio conſilium.

Solitudine delectatur

Ea ſolitudine adeò delectabatur, vt dicere ſoleret, ſe, reſignato imperio, plus voluptatis in ſua monaſtica ſolitudine vna percepiſſe die, quàm ex omnibus ſuis victorijs, & triumphis, quibus præcæteris fœlix eſt habitus. Sic mortuum Mundo *Carolum*, adhuc tamen prò Summo Imperatore Roma tenebat; quia Pontificis non adfuiſſet conſenſus: Quaſi eo inuito, homo mori non poſſet.

Sal.Ann. 1557. CCCCC. LXVI. *Etiam abdicato Imperio, Cæſar dicitur à Romanis Naſſauij lapſus.*

Legati cum in Germaniam appuliſſent, & mortuis pluribus Electoribus non poſſent haberi comitia, otioſi ibidem ſubſiſtere vſquè in annum ſequentem, non ſine *Naſſauij* Principis inter agnatos hæreticos diuerſantis exitio, qui vt rem nouam, & ſæculo inauditam in patriam reportaret, hæreſim tulit ſibi, agnatis, amicis, & inimicis.

Electorũ mors.

In fata conceſſerant *Fridericus* Palatinus Elector, auitæ religionis euerſor coram Deo rationem rediturus. *Ioannes Auguſtus* Archiep. Treuirenſis, & *Adolphus* Archiep Colon. Hiſce funeribus impedita comitia, anno poſtea ineunte ſexto ſupra quinquageſimum *Ferdinandus* Ratiſbonæ coegerat, vbi ad finiendas per imperium religionis controuerſias aut nationali ſynodo (vniuerſalem abhorrebant) aut Doctorum colloquio, aut comitiorum ſententia *Ferdinandum* vrgebant Proteſtantes, quòd vbique numero ſuperiores ſe futuros ſperarent.

CCCCC. LXVII. *Diſputatio inter Catholicos, & Proteſtantes.*

Ferdinandus Romam rei neceſſitate præſcripta inter vtriuſque religionis duodenos viros admiſit colloquium, XIII. Martij celebrandum Anno 1557. Pontifex quamuis improbaret factum, miſit tamen *Petrum Caniſium*; Huic acceſſere *Delphius* ſuffraganeus, Argentinenſis, *Fridericus Staphylus* ex heterodoxorum caſtris traductus, & duo Theologi Louanienſes. Nam *Gropperus*, Colonienſis illud Eccleſiæ lumen vt accederet, quantumvis orante *Caniſio*, induci non potuit, quòd in opprobrium potiùs, & confuſionem, diſceptationem futuram crederet. Is anno LIX. Romam euocatus ad purpuram, hanc ſupplex euitauit, eodemque anno ad pretioſiorem purpuram euocatus, obdormiuit in Domino, ibidem iuxta *Adrianum* Pontificem ſepultus. Ex altera parte duodecim Proteſtantium delecti ſunt; præſide diſputationi per *Ferdinando* dato *Iulio Pflugio* Epiſcopo Naumburgenſi, iuſſique ante omnia de modo procedendi diſceptare, volebant Confeſſioniſtæ Auguſtani per ſolam S. Scripturam procedere, quæ in dubiæ interpretationis locis, per loca non dubia exponenda eſſet. Reliqua à Scriptura non definita, ad placitum crederentur,

Iuſſi

Sal. Ann. 1558. Iuſſi edere exemplum, quo articulos ſuos contra Romanæ fidei decreta probarent: cum de originali peccato, quod in concupiſcentia ponunt, id conarentur, repente non ratione tantùm, ſed & opinionibus ex S. Scriptura hauſtis viſi ſunt inter ſe pugnare. Quod Catholicis iam erat præuiſum. Tum *Iulius* à Proteſtantibus quæſiuit. *Cum hæc religionis conciliatio, vi pacis, inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis homines inſtituta ſit, ante omnia declarent, cæteros ne ſectarios, vt Zuinglianos, Anabaptiſtas, Adiaphoriſtas, Oſiandriſtas, alioſque ab Auguſtanis diſſentientes ipſi damnent, ſolique Auguſtanæ Confeſſioni inſiſtere decreuerint?* Expauit Proteſtantium cœtus cum audiſſet hunc ſermonem. Cœperunt contrahere humeros, inter ſe conferre ſermonem, diſſidere, contendere, vt iam ſolius ſcripturæ teſtimonium ad litis deciſionem ſatis non eſſet. *Schnepfius*, *Strigelius*, & *Stofelius* à filijs *Friderici* miſſi, & cum eiſdem *Morlinus*, & *Sacerius* re maturiùs deliberata ſtatuerunt, reliquos ſectarios à Confeſſione Auguſtana diſſentientes eſſe damnandos, & ſe damnare. Septem reliqui, vt *Melancthon*, *Brentius*, *Bullingerus*, *Illyricus*, & qui ab *Auguſto* fuerant miſſi negarunt eos damnari poſſe, priuſquàm cauſa cognoſceretur, vnde *Auguſtanos* à ſe reiecerunt, quòd ab eis diſſentientes reijcerent. Hinc magna Proteſtantium diſcenſione, & rubore diſſolutum colloquium. *Sal. Ann. 1558.*

GVISIANA EXPEDITIO. Ann. 1558.

CCCCC. LXVIII. Quieſcente Italia, nouo per *Henricum* exercitu *Guiſius* inſtructus, vt negligentiæ maculam in Italia contractam, facinore aliquo compenſaret, ipſis Ianuarij Calendis, Caletum Anglorum in Belgico portum aggreſſus, ſeptimo oppugnationis potitur die. Anglos *Philippus* præmonuerat, & ad auertendum periculum, ſuum etiam obtulerat militem; ſed Anglis ſuſpectum auxilium cum eſſet, locum hoſti præ amico reliquerunt. Securitas munitiſſimi loci fiducia Anglos perdidit, in quo *ſe Galliam compedibus conſtrictam Anglicæ tenere*, aut, vt alij *claues Galliæ ex angulo ſe ferre ſuſpenſas* iactabant; quemque *Eduardus III.* Rex anno penè integro terra, marique preſſum expugnarat, *Guiſius* ſeptem dierum opus confecit. Guina haud multò poſt ad deditionem coacta, Hama ab Anglis derelicta, *Guiſius* per Arduennam deflectens, fortiſſimum ad Moſellam propugnaculum Theodonis villam occupauit. *Thermeus* verò Galliæ Mareſcallus, qui cum parte exercitus Caleto relictus erat, non infelicibus auſpicijs Dunkercham expugnauit, Hiſpano ferè dormiente. Experrectus tandem *Philippus*, *Sabaudum* in *Guiſium*: Comitem *Lamoralem Egmondanũ* in Thermeum deſtinat, ipſe cum maioribus copijs, vbi res poſceret, acceſſurus. CCCCC. LXIX. *Galli victi à Belgis.* Prope Adam fluuium haud procul Grauelinga *Thermeum* cum offendiſſet *Egmondanus* præda grauem, intercluſo itinere, ad pugnam coegit, licet relictis ipſe à tergo bellicis tormentis, nudam hoſtibus cogeretur aciem obijcere. Fortiter vtrinque concurſum, & dubio Marte dimicatum; donec caſu allapſæ duodecim naues Anglicæ, cum Gallos pugna illic arctari intelligeret, re *Egmondano* ſignificata, tantam tormentorum grandinem è nauibus proiecere, vt in fugam protinùs ſe Galli conijcerent. Cecidiſſe eo in prælio ſcribuntur vltra 1500. Gallorum. Capti Duces, inter quos belli huius faces, ac tubæ *Thermus*, ac *Villabonius*. Victoriæ ſymbolum eſt *luminare magnum* roſeis quadrigis inuectum. *Titanes* ſunt bello fortes, ac clariſſimi viri, ſuæ famæ radios longè, latèque proijcientes. Pulchrè hinc Rex Latinus apud Maronem *lumina* tot cecidiſſe ducum conqueritur.

Profligatis Gallis *Henricus* quantis potuit copijs ſubuenit. Ex aduerſo *Philippus* triginta peditum, equitum millia quatuordecim Dorlanum, velut oppugnaturus ducit, cum *Henricus* haud procul Ambiano caſtra teneret. Ibi mutuis velitationibus tres menſes cõſumpti; dum de pace ageretur, quem mors *Mariæ* Angliæ Reginæ diſtulit. *Eliſabetham* filiam *Henrici* ex *Bolena* ſuffecerunt, cũ qua ne rurſum ſociaretur *Philippus*, ſpem *Philippo*, & *Sabaudo* honeſtæ pacis, & nuptiarũ fecit. Occupato ſceptro *Eliſabetha* legationem ad Romanum Pontificem miſit, quam *Paulus* inopportuno rigore negauit agnoſcere, quia eius natales ceu illegitimi fuiſſent à Romana CCCCC. LXX. *Mariæ Angliæ Reginæ mors.*

Sal. Ann 1558. mana ſede damnati. Quo caſu in hæreſim Anglia prolapſa, adhuc implicata ſedem non agnoſcit Romanam.

Hæſerant vſquè adhuc in Germania otioſè legati. Electores minùs fauebãt *Ferdinando*, quòd poſt vicinam *Caroli* mortem, abſq; *Sal. Ann. 1558. Abdicatio Caroli à Septemviris probatur.*



largitionibus, Electorum plauſum, Pontificis conſenſum habiturus erat. Die tandem Februarij 24. auditi ſunt (qui Mathiæ Apoſtolo ſacer, & *Carolo* ſẽper propitius) Cæſaris renũtiatio recepta eſt, imperiumque ſolemni cęrimonia in *Ferdinandum* translatũ Anno ætatis 55. Reclamauit Papa, quia Electores ob violatam religionẽ, Electoratu cecidiſſent; & quòd *Carolus* inſcio Põtifice non potuiſſet ſe imperio abdicare. Hinc *Martinus Guſmanus* Romam à *Ferdinando* miſſus legatus, prohibitus Romã ingredi; & *Philippi* orator *Ioannes à Figeroa* (qui Produx Mediolanenſis in Gallos ſtrenuè arma geſſerat, Inſubria profligauerat. Suſpice nummum triumphalem) in hac cauſa excluſus fuit. Quamvis poſt trimeſtre *Caroli* obitus nũtius adeſſet: noluit *Paulus* à ſua opinione recedere: donec poſt anni ſpatium mors obſtinationem eripuit; *Pio IV.* ſucceſſore omnia ad *Ferdinandi* votũ largiente. Poſt coronationẽ Francofurti peractam, controuerſiam inter Epiſcopos Franconiæ, & Norimbergenſes, qui Marchionis *Alberti* Brandeburgici territorio occupato, arces illius demoliti fuerant, diremit ea conditione, vt Epiſcopi, & Norimbergẽſes Marchioni *Georgio Friderico* agnato *Alberti* regionem occupatam redderent, centum inſuper, & ſeptuaginta quinque aureorum millia prò arcibus deſtructis ſoluerent. Quod licet iniquum innocentes dicerent, gratia tamen publicæ quietis, ratum habuere.

CCCCC. LXXI. *Paulus Papa renuit adprobare electionem Ferdinandi.*

Carolus itaque poſtquàm in Hieronymiana Eremo inter religioſos viros anniuerſaria matri funera perſoluiſſet, eadem ſibi prò animæ ſalute repetere duxit, conſulto priùs *Ioanne Regula Sacerdote*, confeſſori ſuo, nec contradicente. Tumulus itaque media paratur in æde, & funebris ceu mortuo ſternitur apparatus. Iuxta tumulum accenduntur funalia, & toto templo cerei collucent, dum Sacerdotum chorus mœſto concentu requiem inſonat, & pacẽ mortuo præcatur. Facem demum, qua ſuo ipſe præluxit funeri, ad aram Sacerdoti præſentat, Deum precatus, vt quemadmodùm Sacerdos oblatum de ſua manu cereum, ita humilem animam non dedignetur accipere. Tum humi proſtra-

CCCCC. LXXII. *Sibi viuo Carolus exequias imperat celebrari.*

Sal.Ann. 1555. ſtratus, pulla ſubveſte procumbens, vltimam lamentationem æternam quietem apprecantium excepit. Noluit mors vana illudi exequiarum pompa, vocata venit, quæ non aſcita properat. Altera ab exequiarum apparatu die, immiſſa febri ſe adeſſe innuit. Annuit venienti *Carolus* quanto potuit pietatis exemplo. Spiranti aduenit *Bartholomæus Caranza* ex ordine Dominicano præſbyter, qui vt *Carolo* in vita æſtimatus, ita in morte ſolatio fuit ad ſanctè moriendum. Ab eodem denuò ſceleribus expiatus, & ſacro viatico recreatus, patientis ſeruatoris complexus imaginem, pauca fando, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, placidiſſimè expirauit XXI. Septemb. Eius obitum præluſit accenſis Cœlum fanalibus. Cometes per incrementa febris ſuis cœperat creſcere radijs; exequiarum die in Hierony-
CCCCC. LXXIII. *Mors.* mianam ædem vertit cuſpidem, nec euanuit, quam cum *Caroli* vita. Tellus etiam ſuas præſtitit nœnias, & floribus ſuis Cæſari parentauit, forſam in humanitatis exem-
Mortis prodigia. plum, cuius ne ſe crederent Reges immunes, eorum mortem floribus præfigurat. Carolino in horto, candentis lilij bulbus verno tempore duos profuderat ſtylos ſuis calycibus protuberantes, ſed impari germine. Si quidem alter eodem vere dehiſcens folijs ſe ſe latè explicabat. Alter toto vere, æſtateque ceu partu tumens propinquo, numquàm ſe exoluit, nec folio dilatauit, niſi eadem qua *Carolus* nocte animam corpore colligatam velut nouus flos Cœlo inſerendus, explicauit. Tunc enim expanſis repentè folijs, expoſitus iuxta aram templi, *Caroli*
Sepultura iterum exornauit funera. Granadæ ſepelitur iuxta matrem *Ioannam*, auumque *Ferdi-*
CCCCC. LXXIV. *nandum*. Primum epitaphium, quod ei exararunt fuit

Hic iacet intus *Carolus Quintus*
Ora pro eo bis vel ter *Aue Maria, & Pater noſter.*

Extructo Eſcuriali à *Philippo II.* cò corpus illatum ſequentia obtinuit.

D. O. M.

Carolo V. Rom. Imper. Auguſto, horum Regnorum, vtriuſque Siciliæ, & Hieroſol. Regi, Archiduci Auſtriæ, optimo parenti Philippus *filius poſuit.*

Aliud.

Carolus hic recubat, Quintus cognomine, Cæſar *Sal.Ann. 1555.*
Auguſtus, claro Auſtriaco de ſtemmate natus.
Rex Regũ Armipotẽs, famã qui terminat aſtris,
Omnia perdomuit veluti Tirynthius alter.
Lilia cum luna, Clarus enſemque potentem
Vicit, & ignotos felix percurrit, ad Indos.
Singula poſt nato mortalia regna Philippo
Cedit, & Imperij fulgens decus exuit omne,
Æternis tantùm cupiens inſiſtere rebus.
Sobrie dumque ſtudet clauſtro traducere vitam.
Ad Superos migrat morbis confectus & annis.
Rex capit Imperiũ frater Ferdinãdus in Orbe.

VIRTVTES DOMESTICAE.

CCCCC. LXXV. *Nũquàm iurat.* *Pietas.* Numquàm iurauit Carolus, niſi cũ regnis inauguraretur, aut fœdera confirmaret inita. Mane priuſquàm veſtiretur, longa talari, ſubuculæ iniecta, genibus incumbẽs orabat. Cubicularijs admiſſis, preces canonicas legebat, quas vt à pueritia aſſueuerat, nũquàm intermittebat. Vnde familiares ex precum aſſiduitate, *ſæpius cum Deo, quã cum hominibus loqui dicebant.* Quod nec *Bucerus* (licet per ludibrium) diſſimulat, aſſerens, *Cæſarem anilibus ſuperſtitionibus inhærẽtem, prolixas quotidie de genibus preces, quæ vocant Roſaria ante D. Virginis iconẽ euoluere.* Erga Deiparam obſequium viſitur adhuc Hallis Belgarum oppido, quò cũ acceſſiſſet conſecrandę militię gratia, inter cętera quę detulit munera *villoſo ex ſerico chlamydem auro intextã ſuſpendit,* qua veſtitus Sacerdos, prima Septẽbris Dominica quotannis Deo ad aram immolat. Adiecit viri armati ex argento ſimulacrum ante Virginem genibus ſubnixum, vt per abſentiam quoque ſupplex tantæ Patro-
Quotidie ſacrum audit. næ pedibus accumberet. Finitis precibus, negotia tractabat Reip. Hinc ad audiendum ſacrũ, quod nullo die neglexit etiã in itineribus.

Temperantia, frugalitas. A ſacro ad menſam accedebat; in qua ſolus, & taciturnus, CCCCC. LXXVI.
& in publico ſemper ſedebat. Ab ebrietate, veſtitus luxu, & cæteris voluptatibus non minùs in adoleſcentia, quàm virili, & ſenili ætate alienus. Notam aliquam caſtitatis incurriſſe adoleſcentem, & viduum Principẽ imputatur. Vnde ex *Margarita Auſtriaca* in Belgio nata, adoleſcenti *Ioannes Auſtriacus* viduo prodijt. Leges tamen matrimonij violauit numquàm: ſolitus periculoſa

Sal. Ann. 1558. mulierum deuitare conſortia. Prætereuntes aut oculis auerſis, aut clauſis ſpeculis eſt viſus excipere. Peregrino in Gallia Cæſari, ſeſe ad conclaue quietis gratia recipienti, latentem in cubili fœminam improbus obtulerat hoſpes, cuius nefariam humanitatem auerſatus, eliminata quàm primum muliere, nobiliori quàm ad Ticinum victoria, Gallos vicit. Cum hic non aliena, ſed propria virtute hoſtem, & ſeipſum vicerit.

Feminam propellit impudicã.

CCCCC. LXXVII. *Affabilitas, Humanitas*. Sublata menſa, cunctis omnium ordinum infimæ etiam fortunæ hominibus patebat aditus, & ſupplices licebat libellos porrigere.

Sal. Ann. 1558. *Liberalitas*. In elargiendis eleemoſinis, ad captiuos redimendos, ad noſodochia, gerontotrophia, Virgines elocandas, omnium Regum liberaliſſimus fuit. Ex centum annuis aureorum millibus, quæ ſibi abdicato Imperio reſeruarat, quatuor ſolum prò ſe, & familia impendebat. Reliqua in pauperes & Eccleſiam. A. C. 1536. Romam cum veniſſet, pridie Paraſceues, poſt meridiano tempore, duodecim egentium pedes abluit, linteo deterſit, cum ijs cœnauit, & omnem argenti abacum menſæ illatum à cœna inter eos dilargitus eſt.

VIRTVTES TOGATAE CAROLI V.

CCCCC. LXXVIII. *Prudens.* C*Onſilium*. Antequam opus aliquod aggrederetur, tanta cunctatione deliberabat, vt in publicum non prodiret, neminem ad ſe intromitteret, ſæpe morbum ſimularet. Hinc eius conſilia profunda, & occulta. *Cunctationem* dicebat animam conſilij; *Celeritatem* executionis; vtramque ſimul iunctam *Quintam eſſentiam Boni Principis eſſe*: iuxta illud Auguſti, *Lente feſtina*. Tria *Carolus* in conſiliarijs ſuis requirebat Probitatem, Beneuolentiam, Prudentiam. *Nicolaus* Ep. Capuanus *Pauli IV.* ad Reges legatus, cum reuerſus interrogaretur, quid dignum memoria vidiſſet? reſpondit vir ſapiens. *In Anglia pulchrum Regem*: nam *Henricus* fuit corpore pulcher, moribus beſtia. *In Gallia pulchrum regnum*, vt eſt, & fuit florentiſſimum, optimiſque conſtitutum legibus, iudicijs, & diſciplina. *In Hiſpania ſapiens Regis conſilium*. Diuino namque conſilio *Carolo* adoleſcenti præſtantiſſimi, ac fideliſſimi aulici adiuncti fuere, quorum conſilio, res tantas in diſſitis Orbis prouincijs adminiſtrarit. Hiſpaniarum adminiſtrationem ſortitus *Ioannem Syluagium* Cancellarium, & *VVilhelmum Ceurium* aulæ magiſtrum habuit, à quo ſic aſſuetus, vt etiamſi annos ætatis XV. nondum exceſſiſſet, tamen ex quibuſcumque prouincijs afferentur literæ, vel nocte intempeſta, omnes ipſi redderentur, ex quibus ad conſilium ipſe referret. Cumque Gallicus legatus apud *Ceurium* cœnans, ſe mirari diceret, quòd adoleſcentis principis ingenio, tantum laboris, quo eum facilè leuare poſſet, imponeret: *Ego* (inquit) *Ceurius curator datus ſum* Carolo, *quem me mortuo, ſui iuris eſſe velim. Quod ſi rerum ſuarum ignarus ſit: nouo curatore illi opus erit, & ex aliena fide, ſemper pendebit*.

Prudentia. Tot regnis, lege, moribus, Cœlo diuerſis cum præeſſet *Carolus*, ſubditos ſuos optimè, & ſapienter ſecernebat, vt ad genium, & morem regionis ſua comodaret imperia vulgato edoctus adagio, *cum fuerim Romæ, Romano viuito more*, In Germania *Regibus*, in cæteris regnis, *ſeruis* imperare ſe noſce, aiebat *Carolus*. CCCCC. LXXIX.

Manſuetudo. Nullus Cæſar vixit, aduerſùs quem tot fierent conſpirationes, vt aduerſùs *Carolum*. Numquàm tamen iracundia peccauit. Vnde delatori accuſanti Venetum legatum, quòd is *Caroli* tarditatem, & lenitatem culparet? reſpondit. *Nunquàm Mundus à bellis quieturus eſſet, ſi ea celeritate, quam res poſtulat, bella ſtatim moueret*. CCCCC. LXXX.

Clementia. Cum nihil tam ornet Principem quàm clementia, affectibus non indulgere aſſumpſit *Carolus*. Gandauenſes, quia Cæſaris decreta lacerare Prætorem compuliſſent *Vrbanum*, & *Franciſcum* Gallorum Regem imploraſſent, Hiſpanorum Senatus vrbem ſolo æquandam decreuerat. Imperator verò mitigato rigore, defectionis auctoribus triginta capite mulctatis, arce extructa cætera, indulſit. CCCCC. LXXXI.

Rari ædificij horologium cum *Carolo* ſurreptum fuiſſet, nec de Iure aliqua appareret ſuſpi- CCCCC. LXXXII.

Sal. Ann. 1558. ſuſpicio, horologium ipſum ſuo tinnitu furem prodidit. Is cùm ad pedes Cæſaris metu exanimatus procidiſſet, delectatus Imperator, dimiſit incolumen.

Humilitas, Modeſtia. Siracidæ adagium
CCCCC. LXXXIII. ſæpe habebat in ore *Quo quiſque eſt maior, eo ſe ſubmiſſiùs gerat*. à prima adoleſcentia fuit adeo ſuperbiæ inimicus, vt in aula nemo ſimpliciùs veſtiret, quàm *Carolus*. Hinc cum *Ferdinandus Toletanus Dux Albæ* ex mera arrogantia ſtatuam æneam in caſtello Antuerpienſi erigi ſibi iuſſiſſet, cum hac inſcriptione

Ferdinando Aluarez à Toledo, Albæ Duci, Philippi II. Hiſpan. Regis apud Belgas Præfecto: Quod extincta ſeditione, Rebellibus pulſis, Religione procurata, Iuſtitia culta, Prouinciam pace firmarit; Regis Optimi miniſtro Fideliſs. poſitum.

incidit in odium *Caroli V.* eiuſque filij *Philippi II.* Regis: quorum iuſſu ſtatua deiecta fuit. Anno 1540. per Gallias in Belgium contendens, Lutetiæ grauiſſima oratione laudatus, oratori paucis reſpondit: *Gratam ſibi eſſe affini Regis erga ſe beneuolentiam, ſed laudes illas ſibi tributas arbitrari tot eſſe commonefactiones, qualis eſſe deberet*. Lutetiam ingredienti ſic acclamarunt

Alituum vt princeps Aquila *eſt, ſic altera* Gallo
Gloria: vos aliæ nil niſi vulgus aues?

CCCCC. LXXXIV. De eiuſdem humilitate refertur, quod dum in Fliſſinga Selandiæ ventum expectaret ſecundum, *Seldius* ad eum venit *Ferdinandi* legatus, cum quo mediam in noctem ſermone producto, *Carolus* tandem ſignum ſuis nola daret, vt facem digredienti præferrent, & nemine comparente, quod alij cubitum, alij aliò conceſſerant, *Carolus* arrepto cereo, *Seldium* quamvis reluctantem per ſcalas ipſe deduxit, ac digrediens, *Hoc* (inquit) *Seldi olim meminiſſe te velim, eum Imperatorem qui tot cohortibus cinctus quondam erat, iam ſolitarium relinqui, eumque cui tot annos tu ſeruieras, iam tibi ſeruire*.

CCCCC. LXXXV. Idem *Carolus* cum *Franciſcum* Galliæ Regem ad Ticinum captum accepiſſet ab eis, qui à partibus Gallorum fuerant, ex arce in monaſterium ſolus ſeceſſit, donec illi abirent, prohibens ne quis admitteretur ad eum, inquiens, *non decere inſtitui triumphum capto Rege: præſertim cum ipſe nihil mali fecerit*. Memorem enim ſe dicebat humanæ fortunæ, quòd ipſe quoque in manus hoſtium cadere poſſet. Vnde *Franciſcus* cum poſtea à *Carolo* detineretur captiuus, videretque in pariete ſymbolum Imperatoris, *Plus Vltra*, veluti *Carolum* admoniturus de Fortunæ inconſtantia adſcripſit; *Hodie mihi, cras tibi*: Hiſce verbis nihil commotus *Carolus*, ſubſcripſit; *Fateor me hominem eſſe*.

Vrbanitas. Importunè flagitantibus Hiſ- CCCCC. LXXXVI.
panis *Carolum*, vt Germanos ex aula dimitteret, *Carolus* Germanos conuocari iubet. His vultu ad ſeueritatem compoſito, Hiſpanorum indicat petitionem. Inde, *Venite* (inquit) *Ego etiam Germanus ſum: abeamus ex aula, ne deinceps illis moleſti ſimus*: & abire ſe oſtendit. Germani ſatellites læti, & alacres ſequuntur. Sed Hiſpanis ad pedes *Caroli* abiectis, vt maneret, & veniam ſuæ ſtultitiæ daret ſuppliciter petentibus, ſtetit, & ignouit.

Sic mortuo *Franciſco Sfortia* Mediolanenſi Duce, cum Gallorum legatus Mediolanenſem Ducatum nomine Regis ſui peteret, reſpondit admodum argutè *Carolus*: *Quod frater meus Rex Galliæ vult, idem & ego volo*. quibus verbis legatus *Carolum* aſſentire putans, ad Regem ſuum ſtatim perſcripſit. At *Carolus* Mediolanenſem Ducatum ſibi non minus, quàm Gallo placere, ideoque non minori à ſe retinendum ſtudio, quàm à Gallo expeteretur, ſentiebat.

Iuſtitiam ſeuerè adminiſtrauit *Carolus* di- CCCCC. LXXXVII.
cens: *quemadmodum Sol non alius eſt inopi, alius locupleti, ſed omnibus æquus: ita Reges* *Caroli leges.*
perſonas ſpectare haud debent, ſed rem; Hinc leges *de Bigamia* tulit, quam vltimo damnauit ſupplicio. *De furibus ſuſpendendis*.

Litterarum amore ita captus, vt quamvis CCCCC. LXXXVIII.
tanta Imperij mole grauatus, tamen ſtudioſiſſimus eſſet. Mathematicis adeò delectatus, vt nec in caſtris ſtudium negligeret. Morbis obnoxius, *Thucididem* tamen plurimum legit; fuitque cubiculariorum conſuetudo, aliquid legere, donec Imperator ſurgeret: qui ſingulos, interrogabat, quid legiſſent? *Grauellanus* Cancellarius cum ei

Thu-

Sal Ann. 1558. *Thucididem* Gallicè verſum afferret, dixit: *Hunc librum Tuæ Maieſtati dono, ea tamen* conditione, *vt eum perlegat*. Euolutis Imperator aliquot pagellis, ita eſt delectatus, vt tertiò perlegeret.

Legatus cum veniſſet ad *Carolum*, comitem adoleſcentem habebat pulcherrimum, primarij eius ciuitatis viri filium, poſt expoſitum legationis negotium interrogauit de comite legatum *Carolus, cuius eſset?* primarij in ſua Rep. viri filium reſpondente legato: adoleſcentem Cæſar colloquio dignatur, varijs eum quæſitis interrogans. Sed cum adoleſcens piſce magis mutus eſſet, ad legatum conuerſus, inquit, Imperator. *Tuus comes, pulchra eſt ſtatua*. Significans virtutem, non maiorum ſanguinem nobilitatis eſſe argumentum. *Nobilitatis virtus non ſtemma, Character*.

CCCCC. LXXXIX. *Salutis publicæ Amor*. Ad imperialem euectus dignitatem, nuntio, de regno Nauarræ à Gallis capto, de Belgij populationibus, & Hiſpaniæ tumultibus accepto, ingemuit palam teſtatus, *ſe inuitum ad arma trahi; dolere ſe domeſticis ſeditionibus Turcas inuitari. Orare Deum vt Rempublicam quietam cupienti opem ferat, & in iuſta cauſa ſit adiutor, & vindex*. Has preces recitabat quotidiè. Finitis Auguſtanis comitijs, & inter Proteſtantes, & *Heldium* Viceecancellarium de Germaniæ pace ſermo eſſet: *Heldius* Cæſaris adſtantis nomine duriùs reſpondit, *decretum Cæſaris in Proteſtantes factum exequendum eſse, etiamſi vaſtanda eſſet tota Germania*. Tunc Cæſar interpellans dixiſſe fertur; *Hæc non iuſſi te dicere. Nolo enim vaſtari Germaniam, quia & patria eſt, & ſummum ab ea imperij decus accepi, & Imperator ſaluti Orbis terrarum, quantum poteſt, Deo iuuante, conſulere debet*.

CCCCC. XC. *Gratitudo* erga officiales. Exemplo ſit *Hadrianus* Traiectenſis, pauperrimis parentibus ortus, quem Epiſcopum, inde Cardinalem, tandem Papam eligi curauit. Cuius exemplo diſcant Principes quantum debeant Dijs, Parentibus, & Magiſtris.

CCCCC. XCI. *Magnanimitas* Caroli, qui animi tam excelſi atque impauidi fuit, vt in caſtris ſæpe, in ipſo flore iuuentutis, recitatis *Pauli* verbis, diceret, *ſe alterius vitæ cum Chriſto eſse cupidum*. Inde ad bombardarum ictum numquàm viſus eſt inclinare caput, mouere pedem, numquàm expalleſcere. Cum thoracem indueret, initio horrebat corpus, ac toto vultu albeſcebat, quaſi paueſceret. Sed cum armatus erat, leone fortior neminem timebat. Eandem in ſecundis, ac in aduerſis vultus conſtantiam, atque tranquillitatem habuit, quamvis mors inſtaret, & in eum Cœlum ipſum, atque elementa, vt in Africano naufragio, tonare viderentur. Sal. Ann. 1558.

Verecundia tanta fuit, vt *Ioannem Auſtriacum* nothum ſuum nonniſi in morte filium declarauerit. Sic electus Imperator, Antuerpiam ingreſſus, vbi Senatus, ludos & ſpectacula Imperatori exhibebat: cum inter ea pulcherrimæ virgines, toto propemodum nudæ corpore, niſi quod tenuiſſimo tantùm, & pellucido velamento circumdatæ eſſent; ne quidem ad Virgines reſpexit; vt narrauit pictor *Durerus*, *Ego qui eram pictor, aliquantulum inuerecundius circumſpexi*. CCCCC. XCII.

Sapienter dicta. Vt de *Franciſco* Gallorum Rege pugnam ſubterfugiente dixit. *Optare ſe Gallo vel plus audaciæ, & felicitatis, vel minus verborum, & odiorum ineſſe*. CCCCC. XCIII.

De prohibenda Germanorum ebrietate aliquandò in caſtris admonitus, reſpondit *perinde fore, ac ſi Hiſpanis interdiceret, ne furarentur*. Huc facit decertatio illa inter Italum, & Germanum, CCCCC. XCIV. *Dictū in Hiſpanis, & Germanos.*

Germani cunctos poſſunt perferre labores *Italus.*
O vtinam poßent tam benè ferre ſitim.
Cui Germanus repoſuit
Vt nos dulce merū, ſic vos Venus improba vexat
Lex poſita eſt Veneri Iulia, nulla mero.

De Imperij depoſitione cum deliberantem, & cunctantem *Carolum* hortarentur aulici, vt per alios negotia regni adminiſtraret, ipſe nomen, & auctoritatem retineret: *Ah* (inquit) *me præſente res ita adminiſtratis, vt omnes de vobis conquerantur; quid fieret, ſi conſilijs, & rebus gerendis ipſe non intereſsem?* CCCCC. XCV.

De Coniugio, quod *proteruiæ frenum* dicebat *Carolus*. Si Cœlibem fortè offendebat errantem; ſolebat dicere Carolus, *Vtinam ille vxorem haberet*. Innuens in matrimonio tantam eſſe rerum omnium ſeruitutem, vt quiſ- CCCCC. XCVI.

Sal. Ann. 1559. quiſquis immorigeratus in gyrum rationis facilè reduci poſſet.

CCCCC. XCVII. *De Germanorum bellis*. Cum ad vicinos Ingolſtadio montes, caſtra Germanorum Principum, fœderatarumque ciuitatum longo terrarum occupato ſpatio videret extenſa. *Sunt ne iſti* (quærit) *omnes Germani? Benè eſt* (inquit) *citò eis deerit conſilium, & pecunia, & concordia*.

CCCCC. XCVIII. *De Germanorum Comitijs*. Cum ea ſæpius ad Religionis concordiam, & bellum Turcis inferendum coegiſſet, ſed fruſtra: dicere ſolebat. *Diæta diætam parit, & partus ſuffocat matrem*.

CCCCC. XCIX. *De Conuocando Generali Concilio*, quod Pontifices varijs in locis Vicentiæ, Bononiæ, Mantuæ, Tridenti celebrari voluerunt, cum nihil agi videret, ait Carolus, *Concilium, conſilium eſt Dei*.

DC. *De exercitibus inſtruendis*. Cum de quodam Principe bellum moturo audiret; *Ignorat adhuc* (inquit Carolus,) *quid ad bellum requiratur*. Tres potiſſimum aiebat belli neruos *Commeatum, pecuniam, militem*. Ex his ſi aliquo carendum eſſet, *militem veteranum* ſe potiſſimum aiebat electurum, cuius promptitudine reliqua duo ex hoſte comparaturum confidebat. Copias ipſe cum cogeret, ſe caput (aiebat) ex Italia ſumere. Ex Hiſpania brachia, & manus: à Germanis pectus, ventrem & pedem ex reliqua gentium colluuie.

De Hiſpanorum crudelitate in caſtris ad VVitebergam monitus: *Profectò* (inquit) *ſi quod aliquando mihi accidet infortunium, propter iſtorum nebulonum ſcelera accidet*. Sal. Ann. 1559. DCI.

Fortuna Caroli fuit formidabilis cum alijs Regibus, tum ipſi *Solymanno* Turcarum Imperatori, qui à *Carolo V.* chirotheca, vt mos erat miſſa ad prælium inuitatus, renuit totius Aſiæ Imperium vnius diei committere prælio. Itali Pictores *Carolum* pingunt ſedentem in ſella, & dormientem; cui Fortuna adſtat pellens muſcas, ne quietem turbarent. Inde Romæ in ſumitate Panthei monſtratur locus, ex quo Italus quidam *Carolum*, quum hoc ædificium perluſtraret, per impluuium præcipitem dare volebat. Sed maieſtate deterritus, abſtinuit. DCII.

Religio. Antonio Leua, alijſque Ducibus, *Iulij Cæſaris*, & *Alexandri* exempla laudantibus; *Carolo* verò exprobrantibus neſcire vti victorijs ſuis ad magnitudinis incrementum, grauiſſimè reſpondit: *Alexandro, & Iulio ſolam gloriam fuiſſe pro ſcopo. Sibi verò, & cæteris Chriſtianis Principibus ad gloriam ſic reſpiciendum, nè dum illam aucupentur, animæ ſalutem deperdant*. DCIII.

Fides in VVormatienſibus apparuit comitijs, vbi cum inſtigaretur datam fallere *Luthero* fidem, quòd hæretico non ſit ſeruanda; animosè reſpondit: *Fidem, etiam ſi toto mundo exulet, apud Imperatorem conſiſtere oportere*. DCIV.

VITA DOMESTICA FERDINANDI, VIRTVTES.

DCV. Imperio recepto *Ferdinandus* 18. Martij (translationem adprobante *Pio IV.* Roman. Pont.) cum pacificus eſſet, ea tantùm bella geſſit, quæ neceſſitas exigebat in Turcas: donec Anno 1560. induciæ cum *Solymanno* in octo annos percuſſit. Auctor etiam fuit, vt poſt pacem Proteſtantibus datam, etiam *Philippus* cum *Henrico* concordiam iniret ea conditione, *vt Oppida, ciuitates octennio ab hinc captæ inuicem reſtituerentur*. Arctioris porrò amicitiæ firmandæ gratia *Philippus* ducat *Eliſabetham* grandiorem *Henrici* filiam. *Margarita* verò *Henrici* filia *Sabaudo* nuberet. Huius pacis inſpice miſſiles nummos, in quibus Pax arma comburit ſub lemmate *Pace mare, terraque parta*. non diſſimilis eſt à *Mariæ* Angliæ, vbi regina ſedens Martis templum donat incendio ſub lemmate, *Cæcis viſus, timidis quies*. Libeat hic adnotare quatuor coniuges fuiſſe *Philippo II.* Hiſpan. Regi; *Mariam* filiam *Io: III.* Regis Portugaliæ, cuius ſymbolum *ſtella ſub Sole*, cum inſcriptione *Soli dicata lucet*. Maria filia *Henrici VIII.* Anglorum Regis. *Iſabella Valeſia* filia *Henrici II.* Franc. Regis: & *Anna Auſtriaca* filia *Maximiliani II.* Imper.

Iſabellæ, vel *Eliſabethæ* nummus *Lunam* habet *creſcentem*, quæ Regum Galliæ inſigne eſt: & *Solem* Hiſpanorum inſigne. Stellæ ſuper coronam tot ſunt, vel debent eſſe, quot regna Hiſpania habet. Stellæ in circulis

Sal. Ann. 1550. Henrici mors.

culis Lunæ, & Solis ſparſæ, Principes & Ciuitates ſunt, alterius partem ſequentes. Verum cum ferè nullum ſit inter mortales gaudium, quod non aliqua mœroris procella confundat; ne abeamus longiùs. En ſolemnia nuptiarum gaudia *Philiberti Sabaudi*, & *Margarethæ Valeſiæ* ſummum in lutum conuerſa, morte *Henrici II.* caſu improuiſo ſublati. Cum enim peracto regali conuiuio ad equeſtria certamina peruentum eſſet, poſtque varias decurſiones Rex *Mongomerium* cuſtodiæ præfectum ad certamen prouocaret, hic reluctans diù, & non niſi lancea in manus ſibi à Rege tradita in arenam deſcenderet; ecce conti in pectus adacti fragmine galeam non rectè clauſam ſubeunte, grauiter Rex vulneratur: oculum primò, inde mentem, vndecimo die vitam amittit. Patri in regno ſuccedit *Franciſcus II.* qui cum vix decimum quintum ætatis annum attigiſſet, imperij, conſiliorumque omnium ſociam matrem à curia regali accipit: coronatur prò more Anno 1559. Die XXI. Sept. Vide ferales nummos: in quibus *lancea fracta triſtem Regis interitum notat:* In votiuo *Ambulla Sacra inaugurationis eſt ſymbolum, Rhemis de more peractæ*. In alio Franciſcus *fidem ſuam pollicetur, atque erga ſubditos beneuolentiam, quæ tempore velut aurum ad Lydium lapidem ſit ſpectanda*.

Sal. Ann. 1559.

DCVI. Redeamus ad *Ferdinandum*, cuius vita temperantiæ fuit, & frugalitatis exemplum. Thorum numquàm violauit: & cum ſubſanaretur à ſuis quòd coniugem, & gynecæum ad imperij conuentus adduceret, magna æris iactura? reſpondit *Officium boni Principis eſſe in coniugio caſtè viuere: à multis profundi plura in libidines vetitas, quàm in ſumptus honeſtæ vitæ coniugalis.*



DCVII. Sanitate parum firmus, aula tamen numquàm vacabat, horis diſtributis, quas accuratiſſimè ſeruabat, & in tanta corporis imbecillitate labores viribus impares ſuſtinebat. Vires aiebat *temperantia*, & *ſobrietate* planè inuſitata; numquàm enim fuit vino ſuperatus. Quorundam Germaniæ ciuitatum legati cum ad comitia miſſi die, noctuque perpotarent, eos ad ſe euocatos obiurgauit, dicens: *Sciatis vos non helluandi, ſed publica imperij negotia tractandi cauſa huc miſſos eſſe. Ebrietatem maledictam, quæ ſimul corpori, & animæ nocet, ceu peſtem fugite, vt vobis commiſſa, opere compleatis.*

DCVIII. *Pietate* erga Deum adeò ardebat, vt quotidiè

tidiè publicè preces funderet pro Eccleſiæ, atque Imperij ſalute. Summo odio ferebatur in hæreſim. Immixtam Biblijs à *Luthero* peſtem, ne vlteriùs ſerperet, igni damnauit. Inter Sacras hominum colonias, quas vndique adduxit, fuit *Societas* Ieſu vt Chriſtianę diſciplinæ, ac doctrinæ foret exemplum.

Iuſtitiam ita coluit, vt ei pro ſymbolo eſ-
DCIX. ſet. *Fiat Iuſtitia, & pereat Mundus.*

Clementia omnibus anteiuit. Supplicibus ſemper pepercit. Cuidam cum oculos effodi iuſſiſſet, eodem tempore, ſententiam reuocauit dicens: *Nimis præceps, non eſt bonus venator. Iuſtum non iudico, illud reo adimere,*
DCX. *quod ſi emendetur, ei reddere non poſſum.*

Amor literarum. Bonarũ artium cognitione excultus, doctos habuit in pretio. Quorũ diſputationes in menſa libeter audiebat. Singulari munificetia (vt Sylla) etiam malis poetis carmina ipſis exhibentibus, præmia hac
conditione dabat, ne quid poſtea ſcriberent. DCXI.

Humanitas. Certam diei horam cum pauperibus aditum conſtituiſſet, & cubicularius tenuioris fortunæ mulierem noluiſſet admittere, grauiter increpauit: *Si nos* (inquit Ferdinandus) *excludimus inopes à conſpectu noſtro, quid nobis erit ad tribunal Dei?*

Fidem vt Reipublicæ fulcrum, accipiens. Hoſtiles arces, cum induciarum tempore, ſibi à præfectis proditoriè offerrentur, repudiauit conſtanter; vndè *Solymannus* ſe fide, & conſtantia à *Ferdinando* victum fatetur. Veterano militi pecuniam exigenti: cum reſponderet *Ferdinandus* immoderatam eſſe petitionem, vrgenti militi fuiſſe promiſſam, adiunxit Cæſar. *Si ex duobus alterum me ferre oportet, leuiùs rerum quàm famæ iacturam ſubibo.*

FERDINANDI OBITVS Anno 1565.

DCXII. Morbo catarrhali conttacto ex curarum aſſiduo onere ſtatim tabes acceſſit, qua planè *Ferdinandus* conſumptus. Cumque vitæ inſtaret extremum, ſacra ſynaxi refectus, fuſiſque ad Deum ſine intermiſſione precibus, placidiſſimè deceſſit die Iacobi Maioris XXV. Iulij, vt prædixerat. Nam ita Deum decreuiſſe aiebat, *vt quem-*
DCXIII. *admodum Apoſtolus peregrinus apud nos, ita ego Hiſpaniarum infans extra ſolum natale cum ipſo peregriner.* Vixit Annos 61. Regnauit poſt *Carolum* fratrem, ſex. Sepelitur Pragæ apud *Annam* coniugem.

EPITAPHIA.

Pax mihi præ bello placuit: placidiſſima ſemper
DCXIV. *Principis ingenium pax ſapientis habet.*
Pacificus vitam germana morte peregi
Quæ poſt fata venit, gloria digna venit.

Aliud ex *Sabino*

Hoc opus exegi florentibus integer annis
Bis duo cum natus luſtra Sabinus eram;
Tẽpore quo Geticos Rex Ferdinandus *in hoſtes*
Arma, ſuo bellum fratre gerente, tulit.
Vnanimis cum quo regni moderatur habenas,
Et graue terrarum ſuſtinet orbis onus.
Viuite Semidei, concordes viuite fratres,
Omnia ſub vobis, Veſper, & Ortus erunt.
Vos metuat primus, vos vltimus horreat orbis,
Vos etſi qua parum terra verretur, amet.

Aliud

FERDINANDVS I.
Auſtriacus
Romanorum Imperator.
Quæ gemina hic ſimulachra vides
hoc Smerdis, Mydæ illud,
Vtrùmque iudicis,
Illud impij vel ſi mauis ſurdi,
Hoc imperiti.
Calcat vtrumque iuſtitiæ Vindex
Ferdinandus Cæſar.
Qui ne audiret, quod neſcio quis olim
iudicare pupillo quàm imperare maluit:
Fratris Victorias
Caroli Quinti
Vſurpare maluit, quàm augere.
Pacis amator
Martem neceſſitati, pacem vſui accommodauit.
Iucundius ſibi, ſubditis vtilius credens
Illos ſub ficu quàm ſe ſub Palma veſci.
At nec ſedentem Aquilam Pſittaci impune vellicarunt:
Lactanti namque prædatorios vngues vicinam in Hungariam
Bizantino Accipitre
Fidus Pauitantis cortis protector
Profanam Auem in fugam conuertit.
Danubium motu, Drauum periculo abſoluit.
Bellerophontæos Equites ante Centauros ponens
Duellantes, Cygnos quàm Circos audire maluit.
Præmiſſa Parcis rapientibus thalami ſocia
Quam vnus vnicam vnicè dilexerat.
Non tam in vrna quàm anima recondidit.
Perenni memoria defunctæ manibus litans
Nec ipſe virile putans
Metuere, Fœmina quod non timuerat.
Non plus fabella timuit Mileſia
Meminiſſe mortis,
Cuius ab apparitore citatus morbo
Quanti vtrumquę faceret, oſtendit facto:
Dicundo namque iuri intentus,
Thronum in Thoro poſuit
Iura pro tribunali in lecto legit
Et quale ſtans non potuit dedit, ſententias iacens
Certus
Non minus in omni loco quam tempore
Themidi litari poſſe
Et ipſa memor CAESARIS
Quam breuioris in Imperio compendij cauſa
Vita non potuit.
Fama immortali
Gloriam extendit;
Tu lector vrnam Cæſaris laudibus aſperge
& Ab.

Ferdinandi Symbola.

Accidit in puncto quod non ſperatur in anno, Item, *Fiat Iuſtitia, & pereat Mundus.* Aliud. *Aquila biceps coronata, quæ medio corpore pendentem velut è Cruce Chriſti imaginem ſuſtinet.* Inſcriptio ex vocalibus. A. E. I. O. V. *Aquila Electa Iuſtè Omnia Vincit.*

CAPVT TERTIVM.

Caroli V. Vita Symbolis exarata.

1. Caroli V. ortus ſymbolis explicatur. 10. dies fatalis, natalis. 12. religio eius ſymbolis explicata. 18. Inquiſitionis tribunal in Belgio à Carolo erectum ſymbolo explicatur. 22. diſcit mori.

1. Capricorni ſignum imperium promittit. 3. porta Cœli. 4. in nummo Veſpaſiani.

2. Iulius Cæſar ex Capricorno vt Cæſar honoratur. 2. Suetonius emendatur. 3. Cancer porta Cœli. 5. Aſtrologia quanti facienda? 6. Sapiens dominatur aſtris. 7. Rex dies habet fatales. 10. 8. Reſpublica Fato regitur. 9. 11. Fatum quid? à Deo pendet. 10. Rudolphi I. dies fatalis quæ?

10. Luſitanis dies fatalis.

12. Dauid lapidibus inſculpſit nomen Domini, quibus gigantem proſternit.

13. Gladius, iuſtitiæ, religionis, fortitudinis ſymbolum eſt. 14. gladium euaginare, cũ legitur euangelium, vnde mos? mos conſecrãdi.

15. Georgij Caſtrioti gladius argutia ad Turcã.

16. Religio primum Regis officium.

17. Rex Ægyptiorum debuit eſſe Sacerdos.

18. Inquiſitionis tribunal ſymbolo explicatur. 20. etiam in lege antiqua.

19. Miſerentis opus Diluuium fuit.

20. Ioſaphat Rex Inquiſitionem inſtituit. naues amittit.

21. Cerui pugna cum ſerpentibus.

22. Mors contemnenda.

I. Caroli ortum gemino exaramus ſymbolo *Capricorni*, & *Heliotropij*. Hoc ſub lemmate, *Sub Fatis Faſti*. Illud, *Signum Auguſti*; quo imperium Carolo præluditur non tam vi nominis, quàm Auguſti memoria; quem Theogenes celeberrimus illius æui Mathematicus, aſtro docente, adorauit. (Suet. c. 5. & c. 94.) *Natus eſt Auguſtus Marco Tullio Cicerone, & Caio Antonio Conſulibus IX. Kalend. Octobris, paulò ante Solis exortum. In ſeceſſu Apolloniæ Theogenis Mathematici pergulam, comite Agrippa aſcenderat. Cum Agrippæ, qui priùs conſulebat, magna & penè incredibilia prædicarentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere perſeuerabat, metu ac pudore ne minor inueniretur. Quæ tamen poſt multas adhortationes vix, & cunctanter edita, exiluit Theogenes, adorauitque eum. Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, vt thema ſuum vulgauerit, nummumque argenteum nota ſyderis Capricorni, quo natus eſt; percuſſerit.* (II. Emendatur Suetonius.) Nec fugit *Triſtani S. Amantis* obſeruatio in Suetonium, loco *Solis exortum*, legentis *Solis occaſum*, quia ſignum *Maieſtatis*, & *dignitatis* non ab Horoſcopo deſumatur, qui longioris, vel breuioris vitæ tantummodò ſignum eſt; ſed à decima domo veniat, vbi non erat Capricornus *antè Solis exortum*. Erat ſanè ante *Solis occaſum*, vnde legendum, *paulò ante Solis occaſum*. Si enim natus eſſet Auguſtus ante *Solis exortum*, ſub Capricorno non fuiſſet. Scribit *Iulius Firmicus l. 7. Mathem.* quod *quicumque in prima Capricorni parte habuerit horoſcopum, Rex erit vel Imperator.* Auguſto verò horoſcopum fuiſſe Capricornum, cum Suetonio conſentit Manilius *lib. 1.*

Tũc venit Auguſto Capricornus ſydere fulgẽs.

Et *lib. 2.*

. . . . . contra Capricornus in ipſum
Conuertit viſus, quid enim mirabitur ille
Maius, in Auguſti cum fulſerit ortum?

Vnde verò Capricorno felicitatem adſcripſerint Aſtrologi? *Macrobius* ſoluit *lib. 1. in ſomnium Scipionis. c. 12.* dum ſcribit. (III. Cancer, & Capricornus porta Cœli.) *Deſcenſus verò, quo anima de cœlo in huius vitæ inferna delabitur, ſic ordo digeritur: Zodiacum ita lacteus circulus obliquæ circunflexionis occurſu ambiendo amplectitur: vt eum qua duo tropica ſigna Capicornus, & Cancer feruntur, interſecet. Has Solis portas Phyſici vocauerunt,*

runt, quia in vtraque obuiante Solſtitio, vlterius Solis inhibetur acceſſio: & fit ei regreſſus ad Zonæ viam, cuius terminos nunquàm relinquit. Per has portas animæ de Cœlo in terras meare, & de terris in Cœlum remeare creduntur. Ideo hominum vna, altera deorum vocatur. Hominum Cancer, quia per hunc in inferiora deſcenſus eſt. Capricornus deorum, quia per illum animæ in propriæ immortalitatis ſedem, & in Deorum numerum reuertuntur.

IV. *Capricornus in nummo Veſpaſiani.* Idem felicitatis ſignum in nummo offendimus *Veſpaſiani*: in quo duo *Capricorni* temporum indicant felicitatem: quia forte etiam Veſpaſianus (ait *Antonius Auguſtinus* in *tabula* 27. *n.* 3.) natus eſt ſub Capricorno. Nam & in alijs nummis Veſpaſiani Felicitas temporum cernitur dextra caduceum, Siniſtra Capricornum tenens.

Eadem ratione Baſilicus Mathemathicus prædixit *Coſmo* Mediceo Florentiæ Duci, cum adhuc priuatus eſſet, & de eo nihil cogitaretur, ingentem & lucroſam hæreditatem ſibi portendi, quòd in ipſo genituræ horoſcopo Capricorni felix aſtrum, mirabili conſpirantium ſyderum aſpectu irradiatum eſſet. Propterea non tam fallax exiſtimari debet prædicto, quæ ab aſtrorum peritis fit:
V. *Aſtrologia quanti facienda.* cum Deus optimus rerum omnium moderator, non ita occultas eſſe aliquando imminentes calamitates voluerit, vt eas deuitare non poſſimus, ſi expergiſcamur. Sed propter inſcitiam ferimur plerumq; tãdem prono rapimur fluminis alueo, neque ſtudemus per ſapientiam viribus aſtrorum reſiſtere, vt
VI. nobis dedit Omnipotens: nam *Sapiens dominabitur aſtris*. Profectò namque faciliùs eſt ſapienti præuiſum, quàm ignoratum periculum deuitare, cum imprudentia, & inſcitia periculi deuitandi, ipſa prope ſit neceſſitas. Sunt oppido Regi fatales dies, canit Lucanus lib. 1.

VII. *In ſe magna ruunt, lætis hunc numina rebus*
Creſcendi poſuerè modum.

Vnde apud *Ciceronem l. de Diuinat.* narrant aliqui, *ex fatis quæ Veientes ſcripta haberent, Veios capi non poſſe*. Ipſe Cicero ad Atticum ſcribens, *Omnes* (inquit) *qui ad illa arma*
VIII. *Fato regitur Republica.* *fato ſumus neſcio quo, Reipublicæ miſero, funeſtoque compulſi*. Fato Rempublicam regi, eamque nunc ad ſummum euehi, nunc ad minima retrahi, Probi Cæſaris mors nonne ſatis prodidit? aiebat Vopiſcus *in vita Cæſaris*. Hiſce ductus Vlpicus Syllanus (vt tradit idem Vopiſcus) irrumpentibus in Romanum imperium Marcomannis, ita in Senatu poſt multa locutus eſt, *agite igitur Pontifices, qua puri, qua mundi, qua Sancti, qua veſtitu animiſque ſacris commodi, templum aſcendite, ſubſellia laureata conſtituite, veteranis manibus libros euoluite, fata Reipublicæ quæ ſunt æterna perquirite*. Sunt Regibus fatales dies, quos faſtos dicas vel nefaſtos ob fortunia, vel infortunia quæ eis Sapientia ſemel decreuit Æterna. Audi Senecam *de Prouid. c.* 5. *Grande ſolatium eſt cum vniuerſo rapi. Ille ipſe omnium conditor, ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur; ſemper paret, ſemel iuſſit*. IX. *Fata de ſubiecta.* Paret quia iuſſit: iuſſit quia voluit, non quia debuit. Sibi legem impoſuit neceſſitatis, quæ à libero veniens rectoris arbitrio, mutari poteſt ſaltem remoto decreto. Ita D. Paulinus *ep.* 36. ſub finem de Ezechia.

Nã Rex ille habuit fatũ, qui morte propinqua X. *Dies fatales.*
Orauit Dominum, quem leges nouerat vnũ
Flectere poſſe ſuas, conſũptũ vt tẽderet æuũ.
Lõgius, & meruit tria ducere luſtra ſuperſtes
Annis ipſe ſuis, & non ſua viuere ſecla.

Concedimus hercle regniſſet Regibus fatales dies, vt *Rudolpho I.* Auſtriaco Imperatori dies Veneris, præcipue hora tertia, qua credimus Deum hominem ad redemptionem humani generis mortem obijſſe, ſemper felix fuit: vt & *Carolo V.* dies natalis. Sic regno Luſitaniæ Calendæ Decembris, quibus bis iugo excuſſo barbarorum; *Philippi II.* ſe ſubiecit imperio; tandem ſalutato in Regem *Ioanne* Bragantiæ Ducem Anno 1540. die prima Decemb. redimere credidit libertatem ita impellente Fato, quia cum Luſitana conſpiratio aduersùs Hiſpanos ad diem VIII Decembris (qua Immaculatæ Conceptionis B.V. Mariæ recurrit memoria) decreta eſſet, preuenire coacti ſunt coniurati, & prima Decembris fatali Luſitaniæ, opus feliciter conſumare. Huc ſpectat emblema *Heliotropij* ſub lemmate, *Sub Fatis Faſti*. Regna namque pila ſunt, quibus ludit Deus in orbe terrarum. *Fata* quaſi *facta* dicimus, Rerum ſcilicet naturalium XI.

factam à Deo connexionem, & rerum ordinem, quam fallere nulli datur. Sed hoc præter violentiam vllam humanæ voluntatis, quia

Libera ſtat nobis mens nulli ſubdita Cælo.

Et Prudentius *lib. contra Symmachum.*

Spirat enim maiora animus, ſeq; altius effert
Syderibus: tranſitque vias, & nubila fati,
Et momēta premit pedibus; quæcūq; putātur
Figere propoſitam natali tempore ſortem.
Libera ſecta patet, nil ſunt fatalia; vel ſi
Sūt aliqua, oppoſito vaneſcūt irrita Chriſto.

CAROLI V. IMPERATORIS RELIGIO QVINQVE SYMBOLIS EXARATVR.

XII. D*auidis præmentis gigantem.*
Exercitus ſub columna nubis.
Caroli *ad pedes Redemptoris.* (*poſiti:*
Victoriæ coronātis Carolū: & *Gladij in quadro*

In primo ſtat Dauid Goliathem calcans gigantem, fundam manu librans, & limpidiſſimos habens in pera lapides, quibus inſcriptū eſt nomen Domini. Titulus ſuperinciditur *ex 1. Reg. c. 17. Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Bella hoc ſymbolo feliciter per *Carolum* aduersùs hæreticos annuimus peracta. Teſte namque D. Ambroſio *l. x. in Lucam. c. 21. p.* (mihi) 243. *col. 1. K. Goliæ gladius hæreticorum eſt ſermo* in quem zelo Dei, non libidine imperij certamen aſſumpſerat, quòd audiſſet Philiſteum maledicere Iſraël *in dijs ſuis.* Hinc ſuperna erectus fiducia, *Vadam* (clamat) *& auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſtæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis.*

Talibus & dictis it contra dicta tyranni.
Hoſtis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullū in cæde nefas, nec ſic ad prælia veni:
Nec tua dicta ferox me terreat: feruida quamvis
Armaris clypeo, fidoque accingeris enſe;
Telum immane manu quatiens procedis in æquor
Aſt ego diuino auxilio Iouis armipotentis
Fretus quem dictis laceras: in prælia veni.

Ad idem annuit alter ſymbolus, in quo acies armata conſpicitur, cui præcedit columna nubis, Nomen Domini circumdans, cui inſcribitur, *Eduxit nos in manu forti 13. Exod. v. 14.* & religionis Chriſtianæ diſcrimen annuitur, cum Anno 1546. Ratisbonæ penè interceptum *Carolum* innumerabiles hæreticorum phalanges in vincula trahere potuiſſent (Chriſtianis principibus vel colludentibus, vel conſpirantibus vel negligentibus *Caroli*, & catholicæ religionis diſcrimina iuncta pergere) ni cunctatione victoriam primò, ponè ſeipſos perdidiſſent. Tāto in diſcrimine Catholici Principes cum otioſi ſpectarent exitum; ipſi barbari *Carolo* obtulere ſuppetias: quibus neglectis, virtute fretus ſuperna, nullo in ſummo periculo dedit timoris argumentum. Donec aduentante ex Italia milite, in apertum productis caſtris, Catholicam iterum religionem, Exercituum præeunte Deo, iuxta hoſtium tentoria eduxit in triumphum.

Tertium ſuccedit ſymbolum, in quo *Carolus* coram Seruatoris Crucifixi immaginē impij militis glande traiectam, procidens, ſe vindicem offert. *Me me vindice, ſi volueris.* Iris eſt ſupra Crucem, fœderis argumentum, quod Deus cum Cæſare inijt ad religionis cuſtodiam.

Succedit quartū, vbi ad pedes *Caroli* catenatus iacet *Io: Fridericus* Saxoniæ Elector. Volitat cum lauro victoria, & canit Cæſar, *Deſurſum eſt.* Supra namque vires humanas victoria cognita *Carolus*, Caij Iulij vſurpato ſymbolo *Veni, vidi, vici*, ſed modeſtè inflexo, *Veni, vidi, at Deus vicit*, triumphum Cæſar Deo retulit auctori Victoriæ, & æqua diuiſione de hoſtium manubijs credidit ſatis dare Deo, ſi huic ſoli gloriam, cœtera ſibi retineret.

In quarto ſymbolo eſt *Gladius* in quadro poſitus ſublemmate, *funiculus triplex difficile rumpitur.* Quo Religio, Iuſtitia, Fortitudo *Caroli* annuitur. Omnia enim hæc in gladio habes. Religionem Crux innuit, gladij namque interſecatur capulus, & crucem formans religionis eſt argumentum, vnde mos inoleuit, Lituanis præcipue euaginato gladio ſtare, cum legitur Euangelium. Liber Ceremoniarum Pontificem *Sixtum IV.* auctorem facit conſecrandi enſem

XIII. *Gladius cuius ſit ſymbolū?*

XIV.

cum

cum galero in vigilia Natiuitatis Domini, qui muneris loco mittitur alicui Chriſtiano Principi contra religionis hoſtes pugnanti, vel pugnaturo, vt Anno 1202. *Gulielmo Scotorum* Regi Pontificius legatus enſem attulit cum galero purpureo, cuius capulus, vaginaque aurea, & gemmis diſtincta erant, vt Eccleſiæ defenſori.

Iuſtitiæ ſymbolum gladius eſt; vnde mos coram Regibus nudum præferre gladium, quem Rex Regum, & dominantium Dominus tradidit *in laudem bonorum, & malefactorum vindictam*. Priſci poetæ, quum principem officij admonere volebant, Iouem medium inter Themin, & Cratos in ſtellato ſolio, miro ſplendore quaqua verſum coruſcante ſedentem fingebant, cuius aquila, quæ Iouis armigera dicitur, & fulminis geſtatrix, ſceptrum flammas vndique euomens principibus in manus porrigat. *Themi*, quæ *Iuſtitiæ* eſt mater, enſem τοῦ κράτεος, quæ latine *Potentia* eſt, diadema aureum regibus largiente. Hoc autem inuolucro ſignificabat, dum ſceptrum ab Aquila Iouis iuſſu tribuitur, imperium nonniſi à Deo dari, & ideo à *Themi* gladium porrigi, vt princeps nihil agat præter id, quod fas, & iura permittunt. A *Potentia* verò diadema exhiberi, ne coronas ideſt ciuitates, & prouincias, quæ mœnium, ac turrium figuram habent, opprimat armis; ſed legibus, & humanitate conſeruet. Ita Camerarius *Centur. 1. c. 76. Hor. Subciſiu.*: Idipſum Poliphilus hieroglyphicis ſuis demonſtrauit, vbi in circulo trutinam pingit, quæ à gladio, cuius mucronem corona circundat, dependet ſub lemmate: *Iuſtitia recta Amicitia, & odio euaginata, & nuda, & ponderata liberalitas regnum firmiter ſeruat*. Anhaltinus Vualdeſſæ comes nudum tenebat in ſymbolo gladium ſub lemmate, *Diſcite iuſtitiam moniti* (Virgilianum eſt carmen) *& non temnere diuos*, fuit ſymbolum Baſſani Regis Sicambriæ, qui nudum ferebat enſem, poſtquam capite filium damnaſſet rebellem.

Fortitudinis tandem ſymbolum gladius eſt, eumque veluti numen adorarunt *Alani*: apud quos nec templum viſitur, aut delubrum; ſed gladius barbarico ritu (ait *Ammianus Marcellinus*, & *Iuſtinus lib. 43.*) humi figitur nudus, eumque vt Martem regionum, quas circumeunt, præſulem verecundiùs colunt. Solo gladio cum *Mahometus II.* Turcarum Imperator fortitudinem vſurpare præſumeret, falcatum enſem dono petijt à *Georgio Caſtriotto Epiri Deſpote*, quo is tauri collum vno ictu diſſecuiſſe fertur. Miſit *Georgius*, ſed facto periculo nemo eſt repertus qui medium tauri collum penetrare potuiſſet. Hinc adulterinam laminam ſibi oblatam cauſanti Turcæ *Caſtriottus* reſpondit, *ipſiſſimum quo taurum decollaſſet, miſiſſe gladium: at brachium mittere, nec potuiſſe, nec voluiſſe*. XV.

Hoc funiculo Iuſtitiæ, & *Religionis* (quæ etiam apud Ethnicos Regũ eſt primum officiũ) Romulus cum Reipublicę illius omnium florentiſſimæ, & quę tot ſeculis Orbis imperium obtinuit, fundamenta ieciſſet, ante omnia conſtituit, vt regis munus præcipuumque foret, Religionis curam ſubire. *Hæc Regi elegit officia* (ait Roſſinus 4. *Antiquit. Rom.*) *primum quidem templorum eum, ſacrificiorumque, obtinere principatum, agique per eum omnia in honorem, cultumque Deorum.* XVI. *Religio primum Regis officium.*

Idem voluit Plato in ſua Republica, morem probans Ægyptiorum, quos eruditionis gratia adijt, atque hoc nomine præcipue laudat: *apud quos* (inquit) *non licet regem abſque Sacerdotio imperare: quinimo ſi ex alio genere quiſpiam regnum vſurparet, cogitur ſtatim Sacris initiari, vt Rex ſit, & Sacerdos. lib. 26. de Regno*. Hunc morem Ægyptij ex Sacra veri Dei lege per Moyſem explanata deſumpſerant, quæ potiſſimùm ratio Platonem adegit (teſte Ambroſio *ſer. 18. in pſal. 118.*) *vt Moyſis geſta, legis oracula, & Prophetarum dicta cognoſceret*. Hinc Melchiſedech Rex Salem, & Dei Sacerdos fuiſſe legitur *c. 14. Geneſ.* nam Hebræis vtraque dignitas regia ſcilicet, & Sacerdotalis coniuncta fuit, vt notat Angelicus Doctor *ep. ad Heb. c. 7.* Hunc morem aliæ gentes ſequutæ *Sacerdotium ad firmamentum potentiæ adſumebant*, quod piè, & religioſè interpretando ſonat, tutum non cred diſſe regnum, niſi in quadro religionis firmarent. Nam & veteres Romani fortitudine, & rebus geſtis inclyti; quoties ad res gubernandas ſiue ciuiles, ſiue bellicas conueniebant; ante omnia XVII.

quid-

quidpiam de religione ſtatuebant, *Antiquius ad ſalutem publicam rati* (ait Plutarchus) *ſi Magiſtratus Deos ſuſpicerent , quàm hoſtes ſuperarent : in vita Marcelli .*

Religioni ſi adiungas iuſtitiã,& foris fortitudinẽ funiculũ habes,qui difficile rũpitur.

TRIBVNAL INQVISITIONIS.

XVIII. A *Carolo* in Belgio erectum gemino explanetur ſymbolo , *Cerui* , & *Cataclyſmi* à Deo immiſſi , quòd adeò ſorderet Tellus , vt dilui non poſſet ſine diluuio aquæ immixtæ ſanguini . Conſpirantia itaque elementa aduerſa Ignis, & Aqua; Cœlum,& Terra ad expurgationem generis humani ; illud fulgure, hæc mari , vt hominem interciperent caſtra mouerunt , vt vel totum orbem vna poſſe trabe fulciri , diuinæ fuerit opus pietatis, & aram Eccleſiæ in arca ſaluari , ne in arena ſepeliretur . Miſerentis itaque non iudicantis opus Diluuium credi-
XIX. mus,quo demerſę ſunt ſpecies,ne periret genus . Vulnera veneno infecta igne, curantur vel ferro . Et licet attrox remedium videatur , & ſæuum ; quàm tamen ſalutare generi fuerit humano, pœnæ edocent à Deo immiſſæ , Diluuium, Linguarum confuſio aduersùs Nimrodum. Is primus fuit, qui minis ac pœnis exarſit in veri Dei cultores , indicto palam religioni bello; & Ignis elementaris inſtituto cultu ; vt ſi ex animorum iactura æſtimanda ſint damna , pernicioſior extitiſſe ignis videatur , quàm aqua. Deum itaque æmulatus *Carolus* aduersùs Nouatores *Inquiſitionis* tribunal erigit , vt quod herbarum ſuccis męderi non potuit , ferro ſanaret , & igne . *Non veni pacem mittere, ſed gladium* , & ſeparare filium aduersùs patrem,ne filius patrem amitteret æternum prò temporali . Huius *Inquiſitionis* origo adeò Nouatoribus odioſa, vt per eam vim clament inferri conſcientijs, quibus tamen dominari (aiebat *Sigiſmundus Bathoreus* Rex Poloniæ) ſibi reſeruauit in ſignum ſupremi Dominij Omnipotens Deus . Ne porrò noua credatur inuentio, Sacrum conſulant croniſtam in 2. *Paral. c.* 17. *n.* 6. Rex Ioſaphat derelictis Idolis , fecit vt vnà ſe-
cum regnaret Sapientia inſtitutis Sapien- XX.
tum virorum Academijs, qui populum diuinam edocerent legem . *Tertio autem anno regni ſui miſit de Principibus ſuis , vt docerent in ciuitatibus Iuda , & cum eis Leuitas &c. docebantque populum in Iuda habentes librum legis Domini , & circuibant cunctas vrbes Iuda , atque erudiebant populum .* Vbi Abulenſis *q.* 14. *Poterat hoc eſſe ad inquirendum de hæretica prauitate . Sic etiam ſunt apud nos Inquiſitores hæreticæ prauitatis , qui inquirunt circa eos, qui ſunt infamati de hæreſi :* Et *q.* 16. inquirit, quare cum Sacerdotibus mitterentur Principes ? *Ipſi erant* (reſpondet) *executores contra infideles , & hæreticos : Sacerdotes & Leuitæ erant tanquàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis , & ſi qui nollent corrigi redeundo ad veram fidem , quod per potentiam iſtorum principum punirentur* . Sic de cœleſti Republica benemeritus princeps mirum in hoſtes ſuos conſilium adhibuit , vt pugnam exordiretur myſta non milite,& bello finitimorum petitus non tam armis , quàm precibus funderet hoſtem . Felicior tamen , ni ſocios ſibi iunxiſſet à vera religione diſſociatos . Inſtitutam namque à Salomone nauigationem in eam regionem , quæ Ophir dicitur diues auro,intermiſſam ipſe fruſtra repetijt tẽpeſtate conuulſis nauibus, atq; difractis: adeo nemo proſperè ſine religionis clauo curſum tenere poteſt , ac naufragio ſit obnoxius,oportet .

Ceruus adiungitur in altero ſymbolo , na- XXI.
rium ſpiritu ſerpentes è cauernis elijciens ſub lemmate *euocat , & enecat* .

VIVO CAROLO CELEBRANTVR EXEQVIAE.

QVæ ſymbolo Mortis catenatæ exarantur ſub lemmate , *Mors illi vltra non dominabitur.* Vnum ſupererat *Carolo*,ſibi imperare , & Mortem vincere . Vtrumque peregit . Imperium deponendo ; & ſibi præficam agendo . Vt poſteris relinqueret quomodo contemnere mortem , voluit ſibi exequias celebrari viuenti , vt vel mori diſceret, vel mortem contemnere aſſueſceret ; Stoicum illum apud Senecam imitatus , qui *ep.* 77 . inter multos , quos *Tullius Marcellinus* morbo correptus conuocauerat , vt ſecun-

dum

dum amicorum conſilia deliberaret de morte; Stoicus inter blanda, vel adulatoria quæ conuocati protulerant, ita faſſus: *Noli mi Marcelline torqueri, tamquàm de re magna deliberes. Non eſt res magna, viuere. Omnes ſerui tui viuunt, omnia animalia: magnum eſt, honeſtè mori, prudenter, fortiter. Cogita quamdiu idem facias. Cibus, ſomnus, libido: per hunc circulum curritur. Mori velle non tam prudens, & fortis aut miſer, ſed etiam faſtidioſus poteſt*. Maximum malum mors iudicatur: cum in illa nihil ſit mali, niſi quod ante ipſam eſt, timeri. Quid prodeſt

euaſiſſe tot vrbes
Argolicas, medioſq; fugã tenuiſſe per hoſtes?

ſi in limine timemus ſecuritatis? Stultum eſt timere, quod vitare non poſſumus. Hac conditione Orbem ingreditur homo, vt exeat. In hæc verba iurauit; *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*. Honeſtè mori, Hoc eſt quod meditari tenemur. Mori namq; à natura eſt, honeſtè mori ab arte eſt. Meditare itaque (ait Epicurus apud Senecam *ep. 26.*) *vtrum commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad eam?* Niſi egregia res eſt, mortem condiſcere. Superuacuum forſitam putas id diſcere, quo ſemel vtendum eſt? hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. Semper diſcendum, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. Qui mori didicit, ſeruire dedidicit: Semper itaque cogita, quomodò mortem non timeas. Id agas, vt tibi inſtar totius vitæ ſit dies. Nec te mors rapiat, ſed eam expecta. Ante ſenectutem curam impende, vt benè viuas: in ſenectute, ne cadas, vel cedas, pergas: ac more imperatorio ſtans excipe mortem. Da operam ne quid inuitus facias. Finem ſine triſtitia cogita: quem felicem habebis, ſi ad mortem priùs, quàm ad vitam media diſponas. Vitam natura inſtruit, & munit; tibi datum ſolummodo mortis præparare viaticum. Quale ſit? ſi ignoras, dat tibi *Lignum Vitæ* Domus Auſtriaca. Ad hoc porrige manum, & inter mortuos in æternum viues. Adamus morti deſtinatus ob inobedientiæ piaculum, de Paradiſo eijcitur, *ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*, *Geneſ.* 2. Lignum Vitæ ne clauſum in Paradiſo credas, Epulum ſuſpice Euchariſticum, quod Auſtriacæ eſt fœlicitatis aſtrum, & numquam deficientis imperij repromiſſio. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Viaticum hoc ſibi delegit *Carolus* in illa eremo (quam ſibi delegerat in gymnaſium, vbi diſceret ſanctè mori) cuius in fortitudine ambulauit vſque ad montem Dei.

FINIS TOMI VII. Anno 1679.

Errata breuiter percurri: nonnulla offendi, cum tamen veritatem non lædant, te lectorem Bibliopola rogat, vt impreſſioni parcas, quæ errorum mater menda euitare non poteſt, cum velit.

OPERA
Io: Palatij iam typis data.

Monarchia Occidentalis in octo voluminа diſtributa, à Carolo M. vſque ad Leopoldum I. Et ſunt.
Aquila inter Lilia.
Aquila Saxonica.
Aquila Sancta.
Aquila Franca.
Aquila Sueua.
Aquila Vaga.
Aquila Auſtriaca I.
Aquila Auſtriaca II.
Apologia contra folium &c. 12.
Armonia Cõtemplatiua 16. figurato.
Aquila Romana foglio figurato.
Commentaria ſuper 4. Inſtitutionum libros 4.
Leo Maritimus 12.
De Luminaribus Mundi Pontifice, & Rege quod M. S. circumfertur.
Meditationi ſopra la Paſſione di Gieſù Criſto 24.
Metamorfoſi d'Ouidio in Proſa con Allegorie figurato ſotto nome di Franceſco Bardi 8.

OPERA
Io: Palatij quàm breuiter typis danda.

Geſta Pontificum à Petro vſque in preſentem diem cum figuris.
Vite de Romani Pontefici figurato.
Giuriſprudenza volgare.
Commentaria in Decretales contra doctiſſimum Fagnanum.